

S. XI.

BIBLIOTECA
SEMINARIO V.
PORDENONE
G
D
GRE n **

I - 43

D. GREGORII NAZIANZENI, COGNOMENTO THEOLOGI, OPERVM OMNIVM QVÆ EXTANT,

TOMVS SECVNDVS: CVIVS ELENCHVM paginæ ſequentes indicabunt.



PARISIIS,

Apud Sebaſtianum Niuellium, ſub Ciconiis, via Iacobæa.

M. D. LXXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege general du Roy, donné & octroyé à Sebastien Nyuelle, Libraire iuré en l'Vniuersité de Paris, du 5. du moys de Nouembre 1578. signé BRVLART. verifié en Parlement le 17. Iuin 1578. signé du TILLET: Et à Nicolas Chesneau, aussi Libraire iuré en ladicte Vniuersité, du 30. May, 1567. signé ROBERTET, pour imprimer tous & chacuns les Liures & traductions qu'ils recouureront non encore publiees & imprimees, il est defendu à tous autres Libraires & Imprimeurs de ce Royaume, de n'imprimer, vendre, ou distribuer en cedict Royaume ce present liure intitulé, *D. Gregorij Nazianzeni, cognomento Theologi, Opera omnia quæ extant, &c.* IACOBO BILLIO *Prunæo, Sancti Michaëlis in Eremo Cœnobiarcha, Interprete & Scholiaste*, sinon de ceux qu'auront imprimé ou faict imprimer lesdicts Nyuelle & Chesneau, ou de leur consentement, iusques apres le temps & terme de sept ans finis & accomplis apres la premiere impression: à peine de confiscation de ce qui s'en trouueroit d'imprimez ou vendus au contraire, & d'amende arbitraire: comme plus amplement est declaré par lesdictes lettres dudict Seigneur sur ce donnees, ainsi que dit est.

Acheué d'imprimer la premiere fois le 6. Nouembre. 1582.

Ex Libris P. Abbat. Jo: Benedicti Tassis.

INDEX OPERVM D. GREGORII NAZIAN. QVAE TOMO SECVNDO CONTINENTVR: NVMERIS PAGINARVM

adſcriptis, ex quibus continuò quiſque tractatus inueniri queat.

FINIS OPERVM SECVNDI TOMI.

LECTORI

A 

LECTORI SALVTEM.

IN his Epistolis transferendis, quia exemplaribus manuscriptis destituebar, ex Græco Frobenij Basilio, cui Theologi nostri Epistolæ innexæ sunt, multa correxi, quæ in Heruagiano codice deprauatè legebantur. In multis etiam locis, ambos errore concordes offendens, ex meipso veram lectionem restituere conatus sum. Quod an sim consecutus, tibi, candide Lector, pronunciandum relinquo. Sunt tamen quædam loca, sed paucißima, ita miserè fœdata & corrupta, vt in iis emendandis, non tam sagaci interprete aut coniectore, quàm diuinatore mihi opus esse videatur. Vnam aut alteram Basilij epistolam his inserendam duxi, quò nonnihil lucis sequentibus epistolis accederet. Argumenta etiam, vbi res ita postulare visa est, addidi, subiectísque scholiis ea, quæ difficiliora videbantur, explanare tentaui. Quódque in omnibus libris accuratè agendum est, ex obseruatione temporum, quibus Epistolæ scriptæ sunt, ea meliori, quàm priùs erant, ordi-
B *ne digessi. Atque vt intelligas, quo ordine in Græco codice sequantur, quóque illas sequi volui, singularum inscriptionem duplici numero inclusi, quorum prior meum, posterior autem Græci codicis ordinem te docebit.*
Vale & fruere.

SANCTI GREGORII
COGNOMENTO THEOLOGI
EPISTOLÆ.

I. *Celusio præsidi.* I.

C 
QVONIAM silentium & rusticitatem mihi obiicis, vir belle & vrbane, age fabulam minimè inscitam tibi effingam: vt experiar, num hac saltem ratione ineptam istam loquacitatem compescere queam. Hirundines quondam cygnos cauillis incessebant, propterea quòd nec cum hominibus cõsuetudinem habere, nec canendi artem in publicum proferre vellent, sed circa prata solùm & flumina canerent, ac solitudinem amplecterentur, nec pauca solùm canerent, sed etiam quod canerent, sibi ipsis canerent, perinde atque eos Musices suppuderet. At nostræ, inquiebant, sunt vrbes, nostri homines & thalami: atque apud homines garrimus, résque nostras ipsis exponimus, nimirum vetera illa & Attica, [1] Pandionem Athenas, Tereum, Thraciam, peregrinationem, affinitatem, contu-
D meliam, linguæ exectionem, literas, prætérque omnia Itym, & quo modo ex hominibus in aues mutatæ sumus. At cygni, quòd earum garrulitatem exosam haberent, vix quidem eas sermone dignas duxerunt: vt autem dignas duxerunt, At, ô præclaræ, inquiunt, causa nostra in solitudinem quoque quispiam libens se contulerit, vt Musicam audiat, cùm Zephyro pennas nostras inflandas permittimus, vt suaue quiddam & concinnum inspiret. Quare, si non multùm, nec apud multos canimus, at illud certè in nobis pulcherrimum est, quòd modum in canendo tenemus, nec Musicam tumultibus permiscemus. Vos autem & in ædes admissas homines fastidiunt, & canentes auersantur, idq; optimo iure, quippe quæ ne excisa quidem lingua silere queatis, verùm ipsæ amissam vocem & calamitatem vestram lugentes, quauis alia aue profusa lingua prædita & canora, loquaciores sitis. Intellige
E quid loquar, ait Pindarus, ac si taciturnitatem meam tua loquitandi facilitate præstantius esse inueneris, silentium nostrum ineptè carpere atque insectari desine. Alioqui prouerbium dicam, vt verissimum ita etiam breuissimum, Tum cantabunt cygni, cum graculi tacuerint.

Iocosa Epistola.

Elegans fabula de cygnis & hirund.

Pandion, Tereus.

Vnde prouerb. Hirundinem sub tecto non habēdam.

Pindarus.

Prouerb.

SCHOLIA.

1. *Pandionem Athenas*) *Tereus rex Thraciæ, cùm Prognen Pandionis Athenarum regis filiam vxorem duxisset, eius etiam sorori Philomelæ per speciem visendæ sororis abductæ vim attulit, ac deinde linguam præcidit. Quod facinus cum illa sorori aliter indicare non posset, cruore suo depictam ad eam deferendam curauit, &, vt ait Tzetzes Hist. 142.* ἱστῷ ποικίλμασι στόματι χρονισθὲν, τῇ ἀδελφῇ τῇ ἑαυτῆς πάντα λεπτῶς μηνύει. *Qua re cognita Progne, vt sororem vlcisceretur Ityn filium patri epulãdum apposuit. Prolatò deinde capite, cùm pater se vxoris*

dolo filium in sua viscera condidisse agnosceret, & ad vltionem properaret, Progne, vt Poëtæ fingunt, mutata est in hirundinẽ, Philomela in auem sui nominis, Tereus in vpupam, Itys in Phasianum. Hæc Seruius. Vide Ouid. 6. Metamorph. A

2. *Nicobulo.* 2.

1 CVm Basilium magnum mihi semper prætulerim, tametsi [1] illli contrarium videatur: tum nunc quoque præfero, nõ minus veritate, quàm amicitia motus. Quocirca Epistolis illius priore loco positis meas subnecto. Vbique enim nos inter nos coniunctos esse cupio: simúlque etiam id ago, vt modestiæ ac submissionis exemplum aliis præbeam.

SCHOLIVM.

1. *Tametsi illi contrarium videatur) id est, tametsi ille me sibi anteferat. Non enim hæc verba ita accipienda sunt, quasi Basilius existimet Gregorium plus sibi tribuere, quàm ipsi.* B

3. *Eidem.* 3.

Laconismus quid.

Laconicè loqui, non est, vt putas paucas syllabas scribere, sed de plurimis rebus paucas. Atque hac ratione ego & maximè breuiloquum Homerum esse pronun-
1 cio, & prolixum [1] Antimachum. Qui tandem istud? nimirum rebus, non autem li-
teris longitudinem æstimans.

SCHOLIVM.

1. *Antimachum) Antimachum poëtam fuisse obscurissimum colligere est ex Ælio Spartiano, vbi Hadrianum Imp. ait Calaccianos libros obscurissimos, Antimachum imitãdo scripsisse. Quin & Dion Cassius eundem Hadrianum scribit Homeri poëma abolere cogitasse, & pro eo Antimachum in scholis legendum inducere, cuius nomen multi adhuc ignorauerant.*

4. *Ad magnum Basilium.* 8. C

VT expleatur quod iubes, partim in nobis situm est, partim autem, & quidem potissimùm, vt opinor, in tua pietate. In nobis quidem, cupiditas animíque promptitudo (nam nec aliàs vnquam congressum tuum defugimus, verùm eum semper consectamur: & nunc eum cupidius appetimus,) in tua autem sanctitate, vt res nostræ melius constituantur. Assidemus enim dominæ matri, graui iampridem morbo laboranti. Quam si non dubio & ancipiti statu relicturi sumus, tua præsentia mihi crede haudquaquam carebimus. Illud modò tibi curæ sit, vt precibus tuis ipsi quidem ad sanitatem, nobis autem, ad iter opem feras.

Mater Naz.

5. *Ad eundem.* 9.

Promissis non steti, fateor: quippe iam inde ab Athenis illiúsque loci amicitia & animorum connexione (nec enim aptius verbum occurrit) facturum me receperam, vt tecum vitæ consuetudinem haberem, simúlque philosopharer. Fidem autem fefelli, haud sponte ac libenter: verùm quòd lex legem superarit, ea nimirum, quæ parentes colere iubet, sodalitatis & familiaritatis legem. Non autem prorsus fallam, si quidem hoc gratũ tibi futurum est. Partim enim nos tecum erimus, partim ipse nobiscũ esse ne quæso graueris, vt omnia sint communia, & æqualis amicitia. Sic enim fiet vt nec parentes mœrore afficiamus, & te fruamur. D

6. *Ad eundem.* 10.

ARGVMENTVM.

EGo hanc epistolam sequenti Basilianæ subiecissem propter Tiberinam illam, in quam iocatur Basilius, de quà huius epistolæ principio verba facit Gregorius: sed id non sinit epistolæ finis, in quo illi vrbanam habitationem obiicere videtur: quod nullo modo quadrare potest cum Basilij epistola, quæ ab eo in Pontica solitudine conscripta est. In prima parte epistolæ verborum argutias captat, ac dictionibus vtitur elegantissimis quidem, sed in traductione non eandem gratiam habentibus. E

1 Non fero mihi [1] Tiberinam obiici, atque huius loci glaciem, & hyemes, ô vir
luti admodum expers, summísque pedibus incedens, & tabulas calcans, ac penna-
2 te & pendule, simúlque cum [2] Abaridis sagitta delate, vt, cùm Cappadociam pa-
triam habeas, Cappadociam fugias. An verò iniuriam vobis facimus, quòd cùm
3 ipsi palleatis atque angustum quiddam spiretis, Solémq; ad [3] certum modum acci-
piatis:

A piatis: nos cõtrà pingues & nitidi sumus, & saturamur, nec vllius loci angustiis circumscribimur? At verò hæc vestra sunt. Deliciis enim indulgetis, & opibus polletis, & in foro versamini. Hoc minimè probo. Quocirca vel lutum nobis exprobrare desine (nec enim tu vrbem cõdidisti, nec nos hyemẽ) vel nos tibi [4] pro luto cau- 4
pones offeremus, & quicquid turpe & improbum vrbes ferunt.

SCHOLIA.

1. *Tiberinam obiici) Tiberina regio erat Cappadociæ, in qua Arianzus, natalitius Theologi pagus, situs erat, quemadmodum narrat Nicetas in Argum. Orat. in plagam grandinis.*

2. *Cum Abaridis sagitta) Vide scholia in Orationem de laude Basilij.*

3. *Ad certum modum accipitis) μετρεῖσθε enim lego, non μετειρεῖσθε, vt in Heruag. nec μετεωρεῖσθε, vt in Forbeniano. Iocatur enim in eos, qui vrbes incolunt, eósque angustos spiritus ducere ait, nec plenè ac liberè Solis ra-*
B *diis frui.*

4. *Pro luto caupones) Hîc in interpretatione perit ea gratia, quæ in Græcorum verborum allusione consistit. πηλὸς enim lutum significat, κάπηλος autem cauponem.*

BASILIVS GREGORIO.

ARGVMENTVM.

Ponticam solitudinem eleganter depingit Basilius, vt ad eam Gregorium tacitè alliciat.

EGo cùm ad me Gregorius frater scripsisset, te iampridem congressus nostri desiderio teneri, adiecissétque, tibi ipsi quoque hoc fixum & con-
C stitutum esse, partim quia minorem tibi fidem idcirco haberem, quòd sæpius abs te deceptus fuissem, partim quia variis occupationibus distrahebar, manere diutius atque operiri non potui. Mihi enim iam in Pontum migrandum est, vbi aliquando fortasse, Deo volente, oberrandi finem faciemus. Ægrè etenim tandem despõsa & proiecta spe hac inani, quam de te quondam conceptam habebam, vel in somnio potiùs, si veriùs loquendum est ([1] præclarè enim quidam 1
spẽ, vigilantium insomnia esse pronunciauit) vitæ quærendæ causa in Pontum abscessi. Quo in loco Deus mihi locum ostendit, rationibus meis apprimè congruentem: vt planè talem intueri liceat, qualem sępe orientes ac lusitantes animo fingere solebamus. Mons enim altus est, densa sylua vestitus, gelidis aquis ac perspicuis Septentrionem versus irriguus. Ad cuius radices supinus campus ita substratus est,

Spes vigilãtium somnia.

D vt perpetuis humoribus à monte defluentibus pinguescat. Sylua porrò hunc naturali nexu amplexa, eáque variarum omnísque generis arborum, ipsi propemodum septi loco: adeo vt præ eo [2] Calypsûs quoque insula, cuius pulchritudinem Home- 2
rus supra omnes alias laudibus extulisse videtur, parua censenda sit. Nam ne multũ abest, quin insulæ rationem habeat, quatenus duntaxat septis in orbem vndique clauditur. Duplici enim ex parte profundis vallibus præruptus est: à latere verò amnis è præcipiti labens, murus quoque ipse perennis est ascensúque difficilis. Ab altero rursus mons rigidissimus per curuatos anfractus voraginibus iunctus imæ partis viã intercludit: vnúmque duntaxat aditum habet, cuius potestas penes nos est. Porrò habitationem nostram iugum quoque alterum excipit, sublimem quandam in vertice ceruicem erigens: ita vt campus hic oculis fusus pateat, fluuiúmque

Calypsus.

E circumfluentem è sublimi prospicere liceat, haud minorem, vt mihi quidem videtur, oblectationem afferẽs, quàm qua afficiuntur, [3] qui Strymonem ex Amphipo- 3
li contuentur. Ille siquidem adeo segniter ac sine strepitu currit, vt fluminis quoque nomen pene amittat: hic contrà, omnium, quos noui, fluuiorum celerrimus ac rapidissimus ex vicina rupe nonnihil asperitatis contrahit: à qua sese refundens, in profundam voraginem conuoluitur, spectaculum mihi quouis alio iucũdius præbens, ac commoditatem incolis abundè sufficientem, innumerabilémque insuper piscium copiam in gurgite alens. Quid exhalationes à terra manantes, quid auras è fluuio existentes commemorem? Iam verò florum aut canorarum auium multitudinem alius quidem aliquis fortasse miraretur: mihi verò his animum adiicere minimè vacat. Hoc autem ad huius loci commẽdationem maximum afferre pos-

sumus, quòd cùm ob situs opportunitatem ad omnes fructus proferẽdos idoneus sit, mihi enim, qui alios omnes suauitate superat, fructum alit, nimirum quietem ac A tranquillitatem: non modò quia ab vrbanis tumultibus liber est, sed quia ne viatorem quidem vllum ad nos transmittit, exceptis iis, qui venationis causa huc se cõferunt. Nam præter alia commoda, feras quoque alit, non vrsos aut lupos vestrates, absit: verùm ceruos & capras, syluestrium greges, ac lepores, & si quid his simile est. An nõ igitur animaduertis, quò periculi ego stultus venerim, cùm huiusmodi sedem cum Tiberina, hoc est, orbis barathro, commutare studerem. Ad quem

4 locum nunc properãti veniam dabis. Nam profectò nec [4] Alcmæon Echinadibus inuentis vltra oberrare sustinuit.

Tranquillitas fructus suauissim⁹.

SCHOLIA.

1. Præclarè quidem) Plato τὰς ἐλπίδας, ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρατα εἶναι ἔφη. Spes, vigilãtium hominum somnia esse ait. B

2. Calypsus insula) Huius insulæ descriptionem vide apud Homerum Odyss. 5.

3. Qui Strymonem) De Strymone & Amphipoli vide in scholiis epistolæ sequentis.

4. Alcmæon) Alcmæon, cùm Amphiarai patris iussu Eryphilem matrem interemisset, admissáque hac cæde in furorem incidisset, per oraculum accepit fore, vt non antè ad bonam mentem rediret, quàm eò se contulisset, vbi sol huiusmodi cædis tempore radios suos non diffudisset. Ergo cùm post longos errores ad vnam de Acheloi insulis (quas Echinades vocat Plinius lib. 2. cap. 85.) quæ paulo antè fuisset à fluuio effecta, peruenisset, atque intellecto oraculo eam incoluisset, insania liberatus est.

7. *Gregorius Basilio.* II.

TV quidem res nostras cauillis incesse ac sugilla, siue ioco, siue seriò hoc agens: nihil hoc rei est, subride solùm, doctrináque ad saturitatem fruere, ac de amicitia nostra fructum cape. Omnia, quæ à te proficiscuntur, suauia nobis sunt, quæ- C cunque tandem illa sint, & quoquo modo se habeant. Nam res quoque huius loci mihi exagitare, & cauillis impetere videris, non vt cauilleris, sed vt me ad teipsum trahas (si quid tamen ego mentem tuam intelligo) quemadmodum qui flumina obstruunt, vt in aliam partem retrahant ac deriuent. Hoc enim modo semper nobiscum agis. Ego verò Pontum tuum admirabor, & Ponticam caliginem, ac dignã exilio sedem, & tumulos capiti imminentes, & [1] feras fidem vestram explorantes,

1 & subiectam solitudinem, immò murium cauernam cum speciosis gymnasij & monasterij ac scholæ nominibus, & agrestium stirpium syluas, & præruptorum montium coronam, qua non tam coronamini quàm coërcemini, aërem etiam ad certum modum dimensum, & desideratum Solem, quo velut per caminum irradia-

2. 3 mini, ô [2] Pontici Cimmerij & Sole carentes, nec [3] semestri tantùm nocte damnati, D quod de quibusdam refertur, sed ne partem quidem vllam vitæ habentes vmbræ expertem, verum noctem vnam longam totum vitæ spatium, ac verè vmbram mortis, vt cum Scriptura loquar. Sed & angustam illam & pressam viam laudo (haud scio in regnum an in Orcum ferentem, cæterùm tui gratia in regnum ferat) atque intermediam illam Eden, & in quatuor principia diuisum fontem, ex quo orbis terrarum irrigatur, falsò nominem, an siccam & humore omni vacuam solitudinem, quam quis Moses mitigabit, ex petra ictu virgæ fontem eliciens? Nam qua parte rupibus confragosa non est, torrens est: qua parte rursus torrens non est, præceps est, atque in vtramque partem librata, ingredientium mentem colligens atque ad securitatem exercẽs. Fluuius porrò in ima parte cum strepitu fertur (quã tu Amphipolitano & quieto [4] Strymoni confers) non piscium magis, quàm lapidũ

4 ferax, non in stagnum effusus, sed in voragines profluens, ô vir nimium grandiloque, & nouorum nominum architecte. Est enim magnus & horribilis, atque eorũ, E qui in superiori loco degunt, psalmodias strepitu suo superat & obruit. Nihil pro

5 eo sunt [5] Cataractæ & Catadupa: vsqueadeo vobis diu ac noctu obstrepit! Atque ita asper est, vt vadosus interim non sit: ita rursum turbidus, vt potari nequeat: hoc tantùm nomine humanus & benignus, quia sedem vestram non deuoluit, cùm à

6 torrentibus & tempestatibus in furorem agitur. Habes quid de istis [6] Fortunatorum insulis, vel de fortunatis vobis sentiamus. Nec verò est, cur lunatos illos infractus laudibus vehas, eas partes, quibus montis istius radices adiri possunt, non tam

Cimmerij.

Epistola iocosa.

Psal. 22.
Luc. 1.

Gen. 2.
Exod. 17.

A tam obuallantes ac velut muro cingentes, quàm miserè comprimentes, verticemque illum capiti vestro imminentem qui [7] Tantalicam vobis vitam efficit, & diffluentes auras terræque vapores, qui vos animi deliquio laborantes recreant, 7
canoras etiam aues garrientes quidem, sed famem, & circumuolitantes quidem, sed solitudinem. Nec quisquam eò, nisi venationis ergò accedit, inquis. Quin addis, vt & mortuos vos visitet. Hæc prolixiora quidem fortasse sunt, quàm epistolæ modus postulet, vtique tamen comœdia minora. Tu autem, si quidem hos iocos æquo animo feras, rectè feceris: sin secus, plura quoque adiungemus.

SCHOLIA.

1. *Feras fidem vestram) Legendum enim* θύρας *non* θήρας, *vt in vtroque codice impresso, quod satis patet ex relatiuo masculino* οἵ, *quod coherere non potest cum fœminino.*

B 2. *Pontici Cimmerij) Cimmerij dextram Ponti partem habitant, non procul à Bosphoro, qui à nomine ipsorum Cimmerius appellatus est, de quo Plinius cap.6.lib.6. apud hos perpetuas esse tenebras Homerus testatur 2.Odyss. De iis enim inter cætera ita loquitur.*

-- οὐδέ τι δ' αὐτοὺς
ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν, *id est,*

illos haud vnquam radiis Sol aspicit ardens. Vide Erasmum in prouerbio, Cimmeriæ tenebræ. Tzezes Hist.448. Multi, inquit, Cimmerios gentem esse aiunt circa Tauroscythas & Mæotidem paludem, qui Solem diebus 40. non videant: sed in tenebris noctéque profunda versentur, nimirum cùm Sol est in Capricorno: contrà cùm in Cancro, 40. totos dies à Sole, nullis noctis interiectis tenebris illustrentur.

3. *Semestrem noctem) Qui sub mundi polis habitant, semestrem diem ac semestrem noctem habent: iis enim sex mensibus sub Horizonte Sol delitescit, sex rursus aliis perpetuam lucem fundit.*

4. *Strymoni) Strymon Macedoniæ fluuius, in Hemo monte oritur, vt ait Plinius cap.10.lib.4. &, quod mirandum est, septem efficit lacus, priusquam dirigat cursum, quibus deinde in vnũ alueum collectis iuxta Amphipolim illius regionis vrbem influit in maris Ægæi sinum, qui ab ipso Strymonius appellatur.* C

5. *Cataractæ & Catadupa) Vide scholia in inuectiuam priorem aduersus Iulianum.*

6. *Fortunatorum insulis) Fortunatæ insulæ, vt Strabo lib.3. ait, contra extremam Mauritaniam ad Occidentem sunt, quam quidem ad partem & Hispaniæ terminus Occiduus concurrit. Hæc ille. Ita autem dictæ à fructuum vbertate aërisque temperie. Hodie Canariæ dicuntur. Plin. cap.22.lib.4. sex esse dicit, & cap.32.lib.6. pluribus de iis earúmque nominibus tractat.*

7. *Tantalicam vitam) Hoc expositum est in scholiis 2. inuectiuæ in Iulianum. Cuius fabulæ Allegoriam habes apud Heraclidem Ponticum.*

8. *Eidem.* 12.

Quoniam quæ iocantes ad te scripsimus, æquo animo fers, age, quæ sequuntur, adiiciamus, ab [1] Homero initium ducentes, *Nunc age progrediens internum concine quæso Ornatum* - Iocosa etiã hæc epistola est. 1
D tugurium videlicet tecto & ianuis carens, focum ignis & fumi expertem, parietes igni exsiccatos, ne luti guttis impetamur, Tantalis similes eadémque pœna mulctati, nimirum in aquis sitientes: ieiunas etiam illas & miseras epulas, ad quas è Cappadocia, non tanquam ad [2] Lotophagorum inopiã, sed velut, ad Alcinoi mensam nos noui & ærumnosi naufragi sumus. 2
Memini enim panes illos & iuscula (sic enim nominantur) sempérque meminero, dentibus circa fragmenta collabescentibus, ac postea sese erigentibus, velutque ex cœno emergentibus. Quæ tu scilicet sublimius exaggerabis, propriis nempe calamitatibus orationis magnitudinem tibi suppeditantibus. Quibus nisi magna illa veréque pauperum studiosa mater tua nos quàm celerrimè liberasset, nobísque tempestate iactatis velut portus extitisset,
E iampridem apud viuos esse desiissemus, fidei Ponticæ nomine non maiorem laudem consequentes, quàm miserationem mouentes. Quonam porrò modo steriles illos hortos, oleribúsque carentes prætoribo, [3] Augiæque fimum è domo expurgatum, [4] quo eos oppleuimus, cùm montosum illud plaustrum, & ego vindemiator, & tu, facetus homo, hac ceruice, manibúsque his, quæ laborum vestigia etiamnum ferunt traheremus (ô terra & sol, ô [5] vir & virtus! paulum quiddam more tragico exclamabo) non vt [6] Hellespontum iungeremus, sed vt præruptum & præcipitem locum exæquaremus. 3 4 5 6
Harum rerum commemoratio si te offensura non est, vtique nec nos: si autem offensionem ex ea concipies, [7] quantò magis nos ex ipsis rebus, ac maiorem partem prætermittemus multarum aliarum rerum, quibus 7

nobis contigit pudore deterriti. A

SCHOLIA.

1. *Ex Homero) Locus apud Hom. Odyß. θ. ita habet.*

ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι, καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον, *&c. Quæ verba sunt Vlyßis Demodocum hortantis ad equi Troiani ornatum decantandum. Theologus autem pro* ἵππου *posuit* ἴσου *(nam ita legendum non* ἴσω, *vt in impreßis codicibus) carmen scilicet ad vsum suum accommodans.*

2. *Lotophagorum paupertatem) Lotophagi populi in Africa apud Syrtes sic dicti, quòd luto victitare dicerentur: quem cibum suauitate sua patriæ obliuionem edentibus offerre tradit Homerus Odyß. 9. Lotophagorũ porrò paupertati Alcinoi mensam opponit, qua pinguißimam vitam deliciisque omnibus confertam significat. Vlysses enim cùm tempestate ad Phæacum terram (hodie Corcyra dicitur) eiectus fuisset, ab Alcinoo rege humanißimè & lautißimè acceptus est.*

3. *Augiæq; fimum) Augiæ stabulum tantum habuisse congestum fimi dicitur, quantũ ter mille boues pluribus annis agere potuerant. Huius repurgatio inter Herculis ærumnas recensetur. Quidam* αὐγέου κόπρον *dicunt, alij* βουστασίαν, *vide Erasmum in prouerbio, Augiæ stabulum. Porrò Plinius cap. 9. lib. 17. Augiam regem in Græcia fimum excogitasse tradit: vnde videntur de Augiæ stabulo poëtæ fabulandi sumpsisse occasionem. De loco vide apud eundem cap. 17. lib. 13.* B

4. *Quos eos oppleuimus) Legendum enim* ἀνεπληρώσαμεν *non* ἀναπληρώσωμεν *in subiunctiuo, nisi forte pro* ἣ *legatur* ἵνα.

5. *O vir) Videat Lector num pro* ἀνὴρ *legendum sit* ἀήρ.

6. *Non vt Hellespontum) Alludit ad Xerxem Persarum regem, qui tantum nauium apparatum habuisse fertur, vt totum Hellespontum operiret, atque Europam Asiæ ponte iungeret.*

7. *Quanto molestiores) In duobus codicibus impresis sic legitur* εἰ δὲ ἀχθεινότεροι πόσον γενομένοις, ἡμᾶς καὶ τὰ πλείω παρέσομεν: *Sed profectò sic distinguenda est hæc clausula,* εἰ δὲ ἀχθεινότεροι, πόσον γενομένοις ἡμᾶς. *Itaque non dubitauimus, ita interpretari.*

9. *Eidem.* 13.

Quæ de Pontica commoratione prius scribebam, iocò non seriò scribebam: C
Iob 29. quæ autem nunc scribo, admodum serio scribo. Quis me secundum pristinorum illorum dierũ statũ constituet, in quibus ego tecum afflictionẽ pro deliciis habebã? (quandoquidem molestia sponte suscepta voluptati minimè voluntariæ præstat) Quis psalmodias illas & vigilias dabit, atque ad Deum per orationem peregrinationes, illámque velut materia vacantem & incorpoream vitam: Quis fratrum eorum, qui dii à te efficiebantur, atque in altum euchebantur, concordiam animorúmque coniunctionem? Quis virtutis certamen, & ad eam incitationem, quam scriptis legibus ac regulis obfirmauimus? Quis diuinorum oraculorum studium, lucémque in ipsis ductu atque auspiciis Sp. sancti inuentam? Aut, vt minora & leuiora dicam, quis diurnas operum vices & labores? quis lignorum comportationes & lapidicinas? quis arborum consitiones & irrigationes? quis platanum illam au- D
1 ream, & [1] Xerxis platano præstãtiorem, in qua non rex, sed monachus afflictus luxu diffluens, sedebat, quam ego plantaui, Apollo rigauit, hoc est, tua excellentia, Deus autem in honorem nostri auxit, vt seduli laboris nostri & industriæ monumentum apud vos conseruetur, quemadmodum virga illa Aaronis, quæ floruerat, in Arca seruata esse dicitur & creditur. Sed hæc optare quidem perfacile, consequi autem non perinde facile. At tu mihi adesto, virtutémque conspiratione tua atque opera mihi foue, eámque vtilitatem, quam quondam collegimus, precibus tuis conserua: ne alioqui paulatim velut vmbra dilabamur aduesperascente die. Equidem ipse te magis quàm aërem spiro, idq; solùm viuo, quod tecum sum, vel coràm, vel absens per animi simulachrum.

SCHOLIVM. E

1. *Xerxis Platano) Pythius Lydus tantis diuitiarum copiis circumfluxit, vt Darius regem platano aurea & vite donarit, posteaque vniuersum Xerxis exercitum hospitio & epulis exceperit, pecuniásque se ei in bellum suppeditaturum spoponderit, quemadmodum refert Herodot. lib. 7. Non itaque mirandum, quòd Tzetzes in epist. ad Ioannem Lachanem eius diuitias Iobi opibus anteponit.*

10. *Eidem.* 14.

ARGVMENTVM.

Querebatur Basilius se à Gregorio paruipendi & negligi: idcirco fortasse, quòd ad eum in Pontum proficisci recusaret. Huic se Theologus purgat & excusat.

Quo

A QVo modo [1] exiguæ nobis & viles res tuæ sunt, ô diuinum & sacrum caput? [2] Quodnam hoc effugit verbum dentalia septa? aut quo modo hoc dicere ausus es? vt ipse quoque audacter aliquid dicam. Quomodo vel animus id proposuit, vel atramentum scripsit, vel charta excepit? ô studia, & Athenæ, & virtutes, & literarij sudores! Me enim literis tuis penè tragicum facis. Vtrùm nos an teipsum ignoras, tu inquam orbis lumen, magna vox & tuba, doctrinæ palatium? Tuáne Gregorio parua sunt? Quid igitur aliud quispiam admiretur eorum quæ in terra sunt, nisi te Gregorius? Vnum Ver inter anni partes, vnus Sol inter sidera, vnum cœlum anima complexu suo coërcens, vna vox tua de omnibus triumphans, si modo satis meus sum, qui de huiusmodi rebus iudicium feram, nec mihi amor imposturam facit: quod non existimo. B Quòd si nobis hoc nomine succenses, quòd te minus, quàm tua virtus meretur, suspicimus & admiramur, omnibus quoque mortalibus succenseas oportet: neque enim alius quisquam satis dignè te laudauit, aut laudaturus est, præter te tuámque in dicendo sublimitatem: si quidem fieri posset, vt quispiam laudes ipse suas prædicaret, ídque sermonum lex ferret. Quòd si contemptum tui nobis obiicis, quin prius insaniam? At quòd [3] philosophamur indignaris? Liceat mihi cum bona tua venia dicere, hoc vnum doctrina quoque tua & eruditione sublimius est & præstantius.

1. 2 — Laus Basilii. — 3

SCHOLIA.

1. *Exiguæ nobis & viles)* Gr. ἐπιφυλλίς. *Sunt autem* ἐπιφυλλίδες, *exigui illi racemi, qui à vindemiatoribus ad racemationem relinqui solent. Vnde translatè quicquid contemptui est* ἐπιφυλλίς *dicitur. De hac dictione vide Tzezem hist.*

C 2. *Quodnam hoc)* ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. *Hemistichium apud Homerum frequens.*

3. *Quod philosophamur) id est, quia parentibus assidemus, eorúmque curam gerimus, id enim per philosophiã designari puto.*

II. *Eidem.* 15.

Epistolæ tuæ procemium laudo. Quid autem tuorum non est laudandum? Ac tu captus es, quemadmodum nos quoque circumscripti: quandoquidem ad Presbyteri gradum pertracti sumus. Nec enim id à nobis expetebatur. Nam vterque alteri, si alij quiquam locupletes esse testes possumus, quàm nobis cordi esset [1] pedestris philosophia humíque depressa. Verùm hoc non fieri fortasse quidem præstitisset (aut quo alio verbo vtar, incertus sum, quo adusque Sp. sancti consilium exploratum habuero.) Quoniam autem factum est, ferre necesse est, vt mihi quidem D videtur, ac præsertim ob tempus istud, quod multas nobis hæreticorum linguas inuehit: nec aut spei eorum, qui fidem nobis habuerunt, aut superiori vitæ nostræ dedecori esse.

1

SCHOLION.

1 *Pedestris philosophia) id est, vita priuata, nec vlla publici muneris administratione distracta.*

12. [1] *Amphilochio.* 46. — 1

PAnes à te non postulauimus, vt nec aquam ab iis qui [2] Ostracinam incolunt. Olera autem si à viro Ozizalense petierimus, quorum apud vos summa copia, apud nos verò magna inopia est, nec mirum fuerit, nec à consuetudine alienum. Ne graueris itaque ad nos olera mittere plurima & pulcherrima, aut quãtum certè potueris, nam exigua quoque pauperibus magna sunt. Quandoquidem magnum etiam Basilium cœna accipimus, quem caue, ne quemadmodum saturum philoso-E phantem expertus es, ita etiam esurientem & indignabundum experiaris.

2

SCHOLIA.

1 *Amphilochius hic Iconii Episcopus erat, ad quem præclarum de Spiritu sancto Basilii opus extat.*

2. *Ostracinam) Amm. Marcellin. ad finem lib. 22. Ostracinen facit Aegypti vrbem in Augustaninica regione, meminit & Plin. cap. 12. lib. 5. An autem ea sit, de qua Gregorius mentionem hoc loco facit, haud scio.*

13. *Eidem.* 47.

Quàm parcè à vobis ad nos olera veniunt, & quid aliud quàm aurea olera. Atqui omnes vestræ opes in hortis & fluuiis, & nemoribus & pomariis sitæ sunt, & olerifera vobis est regio, quemadmodum aliis aurifera, pratensémque terram incolitis. At frumentum vobis [1] fabulosa fœlicitas est: & panis, vt dici solet, panis an- 1 gelorum. Ita vobis gratus est, ac præter spem vestram fidémque venit. Aut igitur

olera vestra copiosius nobis impertite: aut aliud quidem comminabimur, verùm A
2 frumentum nostrum continebimus, ac sciemus, num [2] cicadæ reuera solo rore
alantur.

SCHOLIA.

1. *Fabulosa felicitas)* μυθικὴ μακαρία. *De Macaria multa Erasmus in prouerbio in Beatam. Hoc autem vult Gregorius, frumentum adeò rarum esse apud* Ozizalenses, *vt cùm id sibi vident, fortunatissimos se esse censeãt, & prædicent. Ita Gregorius de Basilio loquens* κενὴν μακαρίαν τὰς Ἀθήνας ὠνόμαζε, *id est, vt exponit Nicetas* Ματαίας μακαρίας, *vel potius (vt sentio)* μακαριζομένας. *Quodquidem prouerbium iis optime conuenit, qui cùm ad locum aliquem aut etiam genus quoddam vitæ, velut montes aureos sibi pollicentes, sese contulerint, repentè aduersa omnia tristiáque offendunt. Quemadmodum si quis aulicam vitam opum ac dignitatum spe profiteatur, ac deinde inops obscurúsque iaceat, huiusmodi vitæ genus* κενὴν μακαρίαν *appositissimè vocare potest. Cui adagio non absimile est illud* θησαυρὸς ἄνθρακες, *Thesaurus carbones. Contrà Epist. 3. Eudoxium ad optimam & san-* B *ctissimam vitam adhortans. Cùm, inquit, Christianæ philosophiæ studiũ seriò amplexus fueris, inuenies ea quæ de ea prædicaui nequaquam vana esse,* καὶ κενὴν μακαρίαν. *Gall.* que ce ne sont bayes.

2. *Solo rore cicadæ.) Plin. cap. 26. lib. 11. cicadas rore ali, iísque solis nullum ad excrementa corporis foramen esse asserit.*

14. BOSPORIO COLONIÆ EPISCOPO. 48.

ARGVMENTVM.

Qvamuis Gregorius vitam ab omni munere Ecclesiastico liberam agere constituisset, populi tamen & cleri precibus atque adeo conuiciis obrutus se Ecclesiæ gubernacula suscepturum pollicetur. Ad eundem Bosporium extat quoque Basilij epistola, in qua calumniam sibi aspersam diluit.

ARBITRABAR mihi pro iis quoque, quæ præcesserunt, à vobis excusatio- C
1 nem deberi. Ita antiquus quidam sum & stolidus. Quoniam autem [1] obiurgandi me finem non facitis, sed ad priora certamina quidpiam semper adiicitis, ac contumelias contumeliis cumulatis, haud scio qua causa permoti, siue quòd nos inuisos habeatis, siue vt per nostri cõtemptum ab aliis gratiam ineatis: hæc quidem Deo & noscenda & iudicanda relinquimus, quem nulla res fugit, vt ait Scriptura, etiamsi veritatis laruam prætendamus, vt speciosior sit apud multitudinem pretextus: tuæ autem pietati hoc denuncio, nos manus dare & cedere, atque Ecclesię curã, Deo dante, pro virili nostra sine cunctatione suscepturos esse (quandoquidem hoc contenditis, ac præsertim vrgente hac tẽpestate, propter imminentem, vt ipse scribis, aduersariorum incursionem) humileque hoc corpus Deo commodaturos esse, quandiu durabit, viresque nostræ ferent, vt nec nos oneremur, atque obruamur, tum à vobis condemnati, tum Cleri totius clamoribus D
exagitati, communibus omnium gemitibus nos opprimentis, atque Ecclesiam neglectam cernentes, ac permultos etiam offendẽtes, tanquam Ecclesiæ negotia contemnamus: nec vos diutius in nostri contemptione laboretis. Atque hoc faciemus precibus vestris freti, si tu Ecclesiæ curã suscipere vereris, vt & ipse scribis, & res ipsæ fidem faciunt. Præstat enim illis curis immori, quàm his, quãdoquidem omnino nos affligi necesse est, Deo res nostras ita constituente.

SCHOLIVM.

1. *Obiurgandi me finem) Satis apparet mendosum esse hunc locum in Heruagiano codice* οὐκ ἀνίετε τολμῶντες ἡμῖν. *Itaque Frobenianum sequens pro* τολμῶντες *lego* ἐπιτιμῶντες. *Mihi tamen non incommodè quoque legi posse videretur pro* τολμῶντες, πολεμοῦντες.

15. *Eidem.* 49. E

Hoc iam secundò à vobis supplantatus atque deceptus sum: (quid dicã nosti)
1 ac si quidem iustè, [1] odoretur à vobis Deus odorem suauitatis: si autem iniquè hãc noxam vobis Dominus condonet. Sic enim me de vobis loqui æquum est, quandoquidem illatas iniurias æquo animo ferre iubemur. Cæterùm vt penes vos est voluntatis vestræ potestas: sic meæ quoque penes me est. Non vltrà vobis grauis
2 erit [2] grauis ille Gregorius. Ad Deum secedam, qui solus purus est, & à fraude alienus: in meipsum colligar. Hæc mihi ipsi consului. Bis enim ad eundem lapidem impingere dementibus solum tribuit parœmia.

SCHO-

A

SCHOLIA.

1. *Odoretur Dominus)* Alludit ad illud Genesis 8. *Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Odoratúsque est Dominus odorem suauitatis.*

2. *Grauis ille) Ita habent duo exemplaria græca. Mihi tamen posteriori loco legendum videtur* οὐ βαρὺς. *Vt sit habeat translatio, Non vltra grauis vobis erit Gregorius, non inquam grauis.*

16. *Cæsario fratri.* 50.

ARGVMENTVM.

IN eo terræmotu, quo Niceæ Bithyniæ vrbis pars maxima disiecta est, ingẽs mortis periculum effugerat Cæsarius, domus cuiusdam ruina tectus. Ab hac itaque tam insperata salute occasionem arripiens Gregorius eum
B *admonet, vt relictis mundi negotiis Deum, qui eum periculo liberauit, sequatur, eiúsque cultum verè ac seriò amplectatur.*

NE ipsi quidẽ timores prudentibus viris incõmodi sunt, quin potiùs mea quidem sententia valde commodi & salutares. Nam etsi, ne existant, optaui, iis tamen, cùm existunt, erudimur. Ægra enim anima vicina est Deo, vt eximiè alicubi loquitur Petrus: atque omnis qui periculum effugit, arctiùs ei adiungitur, à quo salutem est consecutus. Proinde non quia mali participes extitimus, indignemur: sed quia effugimus, grati animi officio fungamur, nec alios nos Deo inter pericula, & alios post pericula exhibeamus: verùm siue peregrè agentes, siue priuatam vitam ducentes, siue publica negotia gerẽtes (sic enim loquendum est, nec prætermittendum) eum sequamur, à quo salutem accepimus, atque ad illius partes
C nosmet adiungamus, parua & humi repentia parum curantes. Atque historiam quandam posteris demus, tum ad gloriam nostram, tum ad animæ vtilitatem amplam & præclaram, quæ etiam ipsa vtilissimo documẽto plerisque sit, nimirum periculum securitate, & calamitatem rebus secũdis potiorem esse, magísque expetendam: si quidem ante timores mundo addicti eramus, post timores autem Deo nos addiximus. Fortasse graues tibi ac molesti esse videmur, qui de his rebus sæpius ad te scribamus, ac sermones nostros, non admonitionem, sed ostentationem esse existimas. Quare de his rebus verborum satis. Nos verò scias, velim, prompto animo esse atque exoptare, potissimùm quidẽ tecum esse, vt de salute tua tibi gratulemur, ac de his rebus perfectius disseramus: sin minùs, ac certè vt te hîc primo quoque tempore reducem videamus, atque vnà tecum in grati animi significatio-
D nem festum diem agitemus.

Calamitas melior prosperitate.

17. *Eidem.* 51.

ARGVMENTVM.

Cæsarium fratrem grauissimis verbis obiurgat, qui honorum amore delinitus se in Iuliani Christianæ fidei desertoris familiam contulerat, publicique ærarij curam susceperat.

Magnopere tua causa erubuimus. nam quòd mœrore affecti fuerimus, quid scribere attinet, ad eum præsertim, cui id omnium mortalium maximè persuasum est? Etenim (vt de nobis nihil dicamus, nec quanta mœstitia, addam etiam timore, nos fama ea, quę de te peruagatur, impleuerit) vellem, si fieri posset, sermonibus iis, quos alij de te tam familiares & necessarij, quàm externi, quoquo modo nobis co-
E gniti, dum tamen Christiani, & quidem omnes vno ore serunt, interesses, quandoquidem etiam homines promptius cupidiusque in alienis rebus philosophari solent. Instar alius cuiuspiam declamationis hæc verba ipsis fuerũt: Nunc Episcopi filium militare, nunc externam potentiam & gloriam appetere, nunc pecuniis atque opibus deditum esse, (quando pecuniarum communis ignis accẽsus est, atque in salutis animæque periculo versantur homines) ac non potiùs vnam hãc gloriam & securitatem & opes existimare, nimirum fortiter & strenuè aduersus tempus stare, & quàm longissimè se ab omni scelere & piaculo remouere! Quonam autem modo Episcopi alium admonere queant, ne committat vt à tempore distrahatur, atque cum idolis misceatur & contaminetur? Quonam modo eos, qui aliud quid-

1 dam delinquant, obiurgare possint,[1] ipsi à Lare fiduciam non habentes? Hæc nos A
hísque plura & grauiora quotidie audientes, partim ab iis qui amico fortasse ac be-
neuolo animo loquuntur, partim ab iis, qui ob inimicitiam nobis imminent, quo
tandem modo affici & quem animum habere putas, nos inquam qui Deo seruire
proposuimus, nec vllum aliud bonum esse iudicamus, quàm futuræ vitæ spes ob
oculos positas habere? Ac dominum quidem patrem nostrum, sermones hos per-
quàm ægrè atque indignè ferentem, ipsiúsque etiam vitæ tædio laborantem, quo-
quo modo solor ac recreor, de tua voluntate omníque sentētia illi spondens, atque
confirmans te nequaquam diutius nobis molestū fore. Dominam autem matrem,
si quicquam de tuis rebus rescíscat, (nam ad hunc vsque diem multis artibus eam
celauimus) ita velim existimes, eam tantum dolorem habituram, vt nullo omni-
no solatio mitigari possit, vtpote imbecillis animi fœminam, & alioqui ob pieta-
tis magnitudinem, mundum in huiusmodi rebus tenere nequeuntem. Quamob- B
rem, si quam, & tui, & nostri, rationem habes, meliùs tutiúsque tibi consule. Nam
proculdubio facultates nostræ ad vitā ingenuè honestéque degendam sufficiunt,
homini vtique non nimis inexplebili, nec immodica plus habendi cupiditate fla-
granti. Quinetiam ad constituendas vitæ tuæ rationes haud video, quondam
tempus expectabimus: si hoc nobis effluere sinamus. Quòd si in eadem perstas sen-
tentia, præque tua cupiditate omnia parua existimas, aliud quidem acerbi nihil
proloqui libet: hoc tantùm prædico & denuncio, è duobus alterum necesse esse, vt
2 Christianus manens vel germanus contemptissimæ ipsius classi ascribaris,[2] indi-
gnéque viuas & teipso, & spe quam concepisti, vel honores expetens, in rebus ma-
ioris momenti detrimentum capias, fumique saltem, si non ignis, fias particeps.

SCHOLIA. C

1. *Ipsi à Lare) A Lare incipere, prouerbium est, quo admonemur, vt priusquam censoris personam in alios assu-
mamus, vitia nostra ipsi castigemus. Vt si princeps adulteriis regionem suam perpurgare studens, primùm id cu-
ret, ne quid huiusmodi domi suæ admittatur. Eodem modo ij à Lare fiduciam nō habere dicuntur, qui scelus ali-
quod idcirco reprehendere ac vindicare non audent, quia semetipsos vel domesticos suos, eo obstrictos esse sen-
tiunt. Quomodo igitur, inquit Theologus, pater noster iam ad huius vitæ rerúmque caducarum & fragilium
contemptum alios exhortabitur, cùm habeat filium mundi cupiditatibus immersum? Huic non dissimile est,
quod ait Hieronymus scribens in Epistolam Pauli ad Titum, Exponens enim hæc verba, Filios habentem fide-
les, &c. Qua libertate, inquit, possumus alienos filios corripere, & docere quæ recta sunt, cùm nobis statim possit,
qui fuerit correptus, ingerere. Antè doce filios tuos? Aut qua fronte extraneum corripio fornicantem, cùm eo
mihi conscientia ipsa respondeat, Exhæreda ergo fornicantem filium, abiice filios tuos vitiis seruientes? Cum au-
tem nequam filius in vna tecum communicat domo, tu audes de alterius oculo festucam detrahere, in tuo tra-
bem non vides? Hæc ille. Porrò hoc adagium hinc natum esse scribit Hesychius, quia mos erat Græcis, vt Vestæ D
primitias facerent, ἑστία enim & Vestam & Larem significat: sed perspicuitatis causa Larem transferre malui.
Aristophanes ἀφ' ἑστίας ἄρχου à Lare incipe.*

2. *Indignéque viuas) Scilicet quantum ad hanc vitam.*

18. *Sophronio Præsidi.* 52.

ARGVMENTVM.

*Sophronij Præsidis opem implorat aduersus eos, qui in mortui Cæsarij fortunas crudeliter inuaserant, eásque
per summum scelus diripiebant. Principio epistolæ de vitæ fragilitate & inconstantia philosophatur.*

Vides quales res nostræ sint, & quomodo res humanæ velut in orbem voluan-
tur, ac nunc floreant, nunc marcescant, eamque rationem habeant, vt nec
felicitas, nec infelicitas, vt dici solet, fixa stabilísq; nobis permaneat, verùm celer- E
rimè vtraque cōmutetur ac delibatur: adeò vt vētis potiùs fidere quispiam possit,
aut literis in aqua scriptis, quàm hominum prosperitati. Quodquidem mea sen-
tentia idcirco fit, vt harum rerum inconstantiam & varietatem spectantes, conci-
tatiore cursu ad Deum & futura properemus, ac nobis quoque ipsis nonnihil pro-
spiciamus, paruam vmbrarum & somniorum curam gerentes. Sed vnde hæc fluxit
oratio? non enim hęc temere philosophor, nec incassum me ostēto. Erat quondam
non obscuri nominis tuus quoque Cæsarius, immò nisi me fraternus amor fallit,
perquàm ampli & splendidi, eruditionis nomine conspicuus, morum probitate
plerísque superior, amicorum etiam copia clarus & celebris, quorum primum te
tuámque

A tuámque nobilitatem esse, tum ipse confidebat, tum nobis persuadebat. Ac vetera quidem huiusmodi erant. Tuque etiam his plura per teipsum adiicies, funebribus illum honoribus prosequens, & quod naturâ omnibus insitum est, mortuo quippiã amplius elargiens. Ac nunc([1] ac vide vt siccis oculis hunc sermonem transmittas, 1
aut honestè certè & commodè collacrymes) hic quidẽ examinis iacet, ab amicis inops, desertus, miserabilis, exigua myrrha donatus (si tamẽ hac quoque) ac paucis & vilibus integumentis: magnique etiam æstimandum, quòd hæc quoque hominum miseratione consecutus sit. Impetum autem hostes fecerunt, vt audio, atque eius facultates alij aliunde liberrimè & insolentissimè, partim diripiunt, partim iamiam direpturi sunt (ingentem crudelitatem & immanitatem!) nec quisquam est qui prohibeat, sed humanissimus quisque hoc solùm præstat, quòd legum fidẽ
B implorat, & obtestatur. Atque, vt vno verbo dicam, fabula facti sumus, qui felices quãdam habebamur. Hæc tibi ne leuia & tolerabilia videantur, obsecro: verùm & vicem nostram dole, & simul indignare, beneficióque Cæsariũ è viuis sublatum affice. Eia te per amicitiam ipsam obtestor: eia per ea, quæ charissima habes, per spes animo conceptas, quas tibi faustas effice, fidum te & syncerum amicum Mortuo præbens: vt iis etiam, qui vita fruuntur, hoc largiaris, ac spem meliorẽ afferas. An tu pecuniarũ nomine nos angi putas? Intolerabilior nobis ignominia fuerit, si solus ex omnibus mortalibus Cæsarius amicis caruisse videatur, qui permultos etiam sibi esse existimabat. Ac deprecatio talis est, atquè à talibus profecta. quandoquidem tu nos quoque fortasse non contemnendo loco habes. Quod autem auxilium, quaque ratione ferendum sit, tum res ipsę admonebunt, tum prudentia
C tua dispiciet.

SCHOLIVM.

1. Ac vide, vt) Apparet enim legendum esse ὅπως μοι διαδράμῃς, *vt in Froben. non* ὅπως μὴ, *vt in Heruag. id quod apertè indicat id quod sequitur,* ἢ δακρύσαις γε *&c. quod præcedẽtibus verbis opponi videtur. Porrò Amm. Marcellinus lib. 26. meminit eiusdem Sophronij primùm notarij, deinde Præfecti Constantinopoleos sub Valente, qui is esse videtur, ad quem scribit noster Theologus.*

19. *Basilio.* 16.

ARGVMENTVM.

Inter Eusebium Cæsareæ Episcopum, & Basilium nescio quid simultatis intercesserat. Gregorius itaque vtrumque per literas ad concordiam hortatur.

D PRobi consilij & tolerantiæ tempus est, nósque ita comparandi, vt nemo nobis animi magnitudine præstantior appareat, nec multi nostri labores & sudores tẽporis puncto collabantur. Cur hæc scribam, quæris? Deo charissimus Episcopus noster Eusebius (sic enim de eo nobis deinceps sentiendum & scribendum est) animo erga nos est admodum amico & ad simultates componendas propenso, ac tẽpore, velut igni ferrũ, emollitur, putóq; fore, vt deprecatrices etiã & euocatrices literæ ad te veniant, quemadmodũ & ipse mihi significauit, & multi, qui res ipsius perspicuè norũt, fidẽ nobis faciunt. Quẽ anteuertamus, vt ad eũ venientes vel scribentes, ac deinde ad eũ nos conferentes: ne postea nos pudeat, si victi fuerimus, cũ vincere licuerit, pręclarè videlicet & philosophicè cedẽdo: id quod pleriq; à nobis exposcunt. Mihi itaq; obsequere, ac veni tum ob hãc causam, tũ etiam ob tempus.
E Quandoquidẽ hæretici cõiuratis animis Ecclesiã percursant, partim iam præsentes, ac turbas concitantes, partim, vt rumor est, breui affuturi. Ac periculum est, ne veritatis doctrina conuellatur, nisi primo quoque tempore Beseleelis Spiritus excitetur, hoc est, sapientis huiusmodi disputationum & dogmatum architecti. Quòd si tibi operæpretium esse videtur, vt ipse adsim, atque hoc administrem, tibique itineris comitem me adiungam, ne hoc quidem munus defugiemus.

SCHOLIVM.

1. Beseleelis Spiritus) Beseleel artifex à Deo vocatus, Spiritu eius impletus est, ad ædificationem tabernaculi. Exodi 31. & 35. Per Beseelem autem hoc loco Basilium significat,

20. *Eusebio Episcopo Cæsariensi.* 17.

QVoniam mihi cum eo viro sermo est, qui nec ipse mendaciũ amet, & ad istud A
in altero deprehendendũ homines omnes acumine superet, quantũuis scitis & vacuis labyrinthis obuoluatur: atque insuper nec mihi quidẽ fucus & artificium placet (dicam enim, & si molestius sit) tum à natura ita comparato, tum à Scriptura instituto atque informato: idcirco quæ animo occurrunt scribo. Ac tu fiduciam meam in bonam partem accipias, velim: aut certè iniurius in me fueris, libertatem mihi adimens, cogénsque me conceptum mœrorem, velut morbum quendam malignum & supputridum imò pectore continere. Honore quidem me abs te affici lætor (siquidem homo sum, vt priùs dixit quispiam) atque ad concilia & conuentus spirituales vocari. Verùm contumeliam charissimo fratri Basilio à tua pietate illatam esse, atque etiamnum inferri molestè fero, vtpote quem, tum vitæ, tum studiorum, ac sublimissimæ philosophiæ socium, & ab initio elegi, & nũc B
habeo. nec quicquam mihi ob iudicium de eo meum succenseo. sic enim parciùs loqui præstat: ne alioqui ipsius virtutes prædicans, me ipsum laudare videar. Tu verò dum eo contempto nos honore afficis, perinde mihi facere videris, ac si quis vnius viri caput altera manu demulceat, altera malam feriat, aut etiam conuulsis domus fundamentis parietes pingat, atque externas partes exornet. Proinde si quid mihi obtemperandum putabis, hoc facies. Vt autem obtemperes, abs te peto atque contendo. æquum est enim. Si illum, vt par est, colueris, ipse quoq; ab eo vicissim obseruaberis. Nos autem sequemur, quemadmodum vmbræ corpora, vt pote parui, & ad pacem propensiores. Non enim ita misero statu res nostræ sunt, vt aliis quidem in rebus philosophari, meliorémque partẽ sequi velimus, dilectionem autem, quæ totius doctrinæ nostræ caput est, contemnamus & pro nihilo ducamus: ac præsertim erga virum sacerdotem, támque insignem, quẽ & vita, & ser- C
mone, & canicie, omnium, quos nouimus, præstantissimũ esse agnoscimus. Neq; enim mœror, quo affecti fuimus, veritati tenebras offundet.

SCHOLIVM.

1. *Nos autem sequemur) in vtroque codice impresso est ἅψεται, sed vitiosè. ἕψεται enim sine controuersia legendum, vt & Vaticani libri habent, & sensus exposcit, & ipsa constructio.*

BASILIVS GREGORIO.

ARGVMENTVM.

Agit cum Gregorio, vt ad consultationem de Episcopi creatione ineundam Cæsaream se conferat.

Psal. 54. QVis dabit mihi pennas sicut columbæ? vel quomodo renouabitur senectus
Ibid. 102. mea, vt ad charitatem vestram transire, desideriùmque vestri, quo teneor, D
lenire, animíque molestias exponere, ac vestra opera quoddã afflictionum solatium reperire queam? A morte enim beati Episcopi Eusebij metus non paruus nos inuasit, ne forte ij, qui Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ quondam insidias struebant, eámque hæreticis zizaniis implere cupiebant, occasionem nunc nacti, pietatem in hominum animis multo labore consitam perniciosis suis doctrinis radicitus euellant, ipsiúsque vnitatem scindant, quemadmodum in plerisque Ecclesiis fecerunt. Quoniam autem literæ quoque Cleri ad nos allatæ sunt, quibus rogamur, ne tali tempore eos negligamus: oculos in orbem torquens atque vndiq; conspiciens, charitatis vestræ recordatus sum, rectæque fidei ac zeli, quo pro Dei Ecclesiis perpetuò flagratis. Eáque de causa dilectum condiaconum Eustathium misi, vt veneratio vestra, illius hortatu precibúsque permota, omnibus laboribus E
& ærumnis, Ecclesiarum causa susceptis, hunc quoque adiungat, ac senectutem meam per congressum reficiat, & recreet, rectæque Ecclesiæ celebrem illam pietatem dirigat, nobiscum scilicet, (si modò digni habiti fuerimus, qui vos in bono hoc opere iuuemus) pastorem illi iuxta Domini volũtatem præficiens, qui plebem ipsius gubernare ac moderari queat. Est quidẽ nobis præ oculis vir, quem nec ipsi ignoratis, quo si per diuinam gratiam potiamur, magnam haud dubiè nobis fiduciam apud Deum comparabimus, maximóque beneficio populum, qui opem nostram implorauit, afficiemus. Verùm te rursus, ac sæpiùs rogo, vt abiecta omni cunctatione hîc nobis præsto sis, hyemísque molestias anteuertas.

A 21. *Gregorius Basilio.* 27.

NOli mirari, si quid præter opinionem tuam dixero, nec priùs à quoquam homine dictum. Videris tu quidem mihi viri cõstantis & solidi atque animi firmitate præditi existimationem habere: multa tamen simpliciter magis quàm cautè & circunscriptè consultare atque exequi. Nam qui à vitio liber est, is quoque ad suspicandum vitium segnior esse consueuit. Cuiusmodi quiddam nunc quoque contigit. Ad Metropolitanam vrbem nos acciuisti, cùm de Episcopo creando consultatio proposita esset. Ac quam specioso & ad persuadendum apposito prætextu vsus es! Ægrotare te finxisti, atque extremos spiritus ducere, cupereque nos videre, atque extremùm alloqui: quod quo consilio feceris, assequi nescio, nec quid præsentia nostra ad eam rem vtilitatis allatura sit. Ego verò ad iter me accinxi, rem
B hanc ægerrimo animo ferens. Quid enim mihi vita tua sublimius, aut discessu tristius & acerbius: Ac fontem lachrymarum profudi, & ingemui, nũcque primùm me aliter affectũ sensi, quàm philosophi ratio postularet. Denique quid Epitaphiis non impleui? Posteaquam autem Episcopos ad vrbem concurrere intellexi, profectionis consilium abrupi, demirarique cœpi, primùm si quid deceret, atque honestum esset non perspiciebas, nec improborum linguis occurrendum putabas, quę simplicissimis quibusq; celerrimè calumniam struunt. Deinde, si non eadẽ tibi ac nobis conuenire existimas, quibus, & vita, & doctrina, & reliqua omnia communia sunt, nimirum à Deo ita iam inde à prima ætate consociatis. Tertiò (liceat enim hoc quoque dicere) si piorum Deique metu præditorum hominum huiusmodi electiones esse iudicasti, non autem potentium, & apud vulgus gratiosorum.
C Atque ego his de causis nauigij proram, vt dici solet, conuerti, ac proficisci detrectaui. Tibi autem, si videtur, hoc quoque fixum constitutúmque sit inter medios tumultus prauásque suspiciones fugere. Tuam verò pietatem tum demum videbo, cum & negotia cõstituta fuerint, & per tempus licuerit: ac plura etiam & grauiora exprobrabo.

22. *Ad Cæsarienses Epistola, patris nomine scripta.* 18.

ARGVMENTVM.

Gregorius pater duabus his epistolis miro conatu hoc agit, vt Basilius Ecclesiæ Cæsariensis Episcopus instituatur.

SVm quidem pastor exiguus, exiguíque gregis antistes, atque inter posteros Spiritus ministros. At gratia nequaquam angusta est, nec locis circunscripta. Quo-
D circa paruis quoque liberè loquendi potestas concedatur, præsertim de communibus maximisque rebus orationem habentibus, & cum tanta canitie consultantibus, quæ aliquid fortasse prudentius & solertius habet, quã plerique è vulgo. Non de paruis & leuibus rebus deliberatis, verùm quibus, vel rectè, vel secus habẽtibus, Rempub. quoque vel hoc vel illo modo se habere necesse est. De Ecclesia enim nobis sermo est, pro qua Christus mortem oppetiit, ac de eo qui hanc Deo sistat & conciliet. Lucerna enim corporis, vt Scriptura docet, est oculus, non hic tantùm, qui corporeo modo cernit ac cernitur, sed is etiam qui spiritualiter spectat & spectatur. Lucerna autem Ecclesiæ, est Episcopus, quemadmodum ipsi perspicuè nostis, etiamsi non scripserimus. Itaque quemadmodum cùm ille purè & integrè se habet, corpus quoque rectè ducitur, cùm autem impurus est, non rectè: consimili quoque ratione vtrolibet modo sese Ecclesiæ antistes habuerit, omnino vel pe-
E riculi vel salutis participes esse necesse est. Porrò cùm omnibus Ecclesiis, tãquam Christi corpori, summa cura & solicitudine prospiciendũ sit, tum maximè vestræ, quæ omnium ferè Ecclesiarum mater & antiquitas fuit, & nunc est, atque censetur, & ad quã tota Respub. Christiana oculos coniicit, haud secus ac circulus centro circumscriptus, non modò propter fidei integritatem iam olim omnibus prædicatam, sed etiam ob concordiæ gratiam, diuino haud dubiè beneficio ipsi concessam. Quoniam igitur ad deliberationem, quam de hac re habetis, nos quoque, vt par erat, atque Ecclesiastica regula postulabat, acciuistis, senectute autẽ & morbo detinemur, si quidem ipsi quoque, Sp. sancto vires nostras obfirmante, adesse queamus (neque enim quicquam fide præditis incredibile est) hoc sanè, & publi-

cæ vtilitati melius, & nobis iucundius fuerit, vt & vobis aliquid cõferamus, & ipsi benedictionis participes efficiamur. Si autem per corporis infirmitatem adesse nõ licuerit, id certè, quod absentes possunt, conferimus. Et quidem alios quoq; apud vos principatu dignos esse confido, vtpote in vrbe amplissima, atque ita præclarè, & ab huiusmodi Præsulibus iam olim gubernata: cæterum ex omnibus qui apud vos in honore sunt, neminem Deo dilectissimo filio nostro Basilio Presbytero anteferre possum (hæc autem quasi Deo teste dico) viro, & vita, & sermone purgato, quíque vel omnium solus, vel certè quàm maximè vtraque re aduersus temporis turbinem, ac vigentem hæreticorum linguæ pruritum velut in procinctu stare possit. Hæc & iis scribo, qui sacerdotii munere funguntur, & monachis, & iis, qui dignitates gerunt, & senatorii ordinis sunt, ac denique plebi vniuersæ. Si igitur huic sententiæ assensum fuerit, suffragiúmque nostrum adeò sanum & integrum, vnáq; cum Deo latum, vicerit: & spiritualiter adsum, & adero, immò etiam in manum inieci, Spiritúsque fiducia nitor. Sin autem aliud quidpiam potiùs quàm hoc placeat, & per sodalitia & cognationes huiusmodi res expendãtur, ac promiscua turba iudicii synceritatem rursum cõuulserit, & distraxerit: seorsum sanè id, quod placet facite: nos autem intra nosmetipsos colligemur.

A B

23. *Ad Episcopos Epistola Patris nomine scripta.* 19.

QVàm suaues estis & humani, ac singulari charitate præditi! Ad Metropolitanã vrbem nos vocastis, de Episcopo, ni fallor, consilij aliquid inituri (hoc enim vos in animo habuisse sentio) qui quidem nec quod adesse oporteret, nec quam ob
1 causam, nec quo tẽpore, [1] denunciantes, repente nobis, si quid facere aggressi estis, declarastis, tanquam videlicet, non nos honore afficere constituentes, aut habere
2 studentes, sed præsentiam nostram sedulò impedientes, ne in nos [2] inuitos & repugnantes incidatis. Ac tale quidem vestrum facinus est: contumeliámque hanc feremus. Quid autem ipsi sentiamus, exponemus. Alij quidem alios eligent, atque in medium proponent, nimirum pro suis quisque moribus aut commodis, quemadmodum in huiusmodi rebus accidere consueuit. Nos verò neminem, nec enim fas est, charissimo filio nostro Basilio compresbytero præferre possumus. Ecquem enim ex omnibus, quos nouimus, vel vita probatiorem, vel sermone ac doctrina valentiorem, magísque ad virtutis elegantiam vndique perpolitum reperiemus?
3 Quòd si quis illius infirmitatem obtendit, non scilicet [3] athletam, sed doctorem creabitis, Ac simul in hoc virtus illius lucet, qui infirmos siquidem tales sint, fulcit & corroborat. Si huic suffragio calculum vestrum adieceritis, & adero, & me vobis, vel spirituali vel corporali modo adiutorem profitebor. Si autem certis conditionibus via capessenda est, factionésque & dissidia cõtra ius & æquum valitura sunt, contemptos nos esse gaudemus. Vestrum sit hoc opus: pro nobis autem orate.

C D

SCHOLIA.

1. *Nec quando denunciantes) Nec enim dubium est, quin* προαγορεύοντες *legendum sit, non* προσαγορεύοντες, *vt in duobus impreßis exemplaribus.*

2. *Vt ne in nos inuitos & rep. incidatis) Hîc exemplaria variant. In Heruag. enim est* ἵνα μηδὲ ἄκουσιν ἡμῖν προσπίπτηται, *vbi tamen nemo est, qui non videat legendum esse,* προσπίπτητε. *In Frobeniano autem pro* ἄκουσιν *legitur* ἑκοῦσιν, *& quidem vitiosè quantùm ad accentum.* ἑκοῦσιν *enim scribendum fuerat. Ego Heruagianum in translatione secutus sum, quia commodiorem sensum offerebat.*

3. *Non athletam creatis) Huic affine est illud Chrysost. Hom. 21. ad popul. Antioch. In milite deligendo, exteriora, hoc est, corporis mensuram, & bonam carnis habitudinem, sed & libertatem contemplamur. At cœli rex nihil tale requirit. Sed & seruos in sui exercitum suscipit, senes & iuuenes: tantùm vt promptitudinem habeant se suscipiendi.* E

24. *Basilio.* 25.

ARGVMENTVM.

Basilio Episcopatum Cæsariensem gratulatur, eiq; causam exponit, cur non quamprimùm ad eũ se cõferat.

POsteaquàm te in sublimi throno collocatum, ac lucernam ne illam quidem priùs obscurè lucentem à Spiritu victore supra candelabrum oculis omnium exposi-

A expositam esse intellexi, lætatus sum, fateor. quidni enim cùm Ecclesiæ corpus malé affectũ esse, atque huiusmodi ductu & auxilio opus habere cõspicerem? Non tamen ad te statim aduolaui, nec aduolabo: nec ipse id à me exposcas velim. Primũ vt authoritatẽ & venerationem tibi sartam tectáque custodiam: ac ne præ ineptia quadam & animi feruore, quemadmodum obtrectatores dicere queant, tui studiosos colligere videaris. Deinde vt mihi ipsi stabilitatem comparem inuidiæque occurram. Quando igitur venies, fortasse dixeris, & quandiu cunctaberis? Quoad Deus iusserit, atque eorum, qui nunc insidiantur, & inuidia laborant, vmbræ præterierint. Non enim diutius, sat scio,[1] leprosi resistent, Dauidem Hierosolymis excludentes. 1

SCHOLIVM.

B 1. *Leprosi resistent) In textu tam Hebræo, quàm Græco de leprosis nulla fit mentio, sed de claudis & cæcis, quibus arcis Hierosolymitanæ custodia à Iebusæis mandata fuerat.*

25. *Eidem.* 26.

ARGVMENTVM.

In magnis turbis molestiisque versabatur Basilius. Hunc per literas cohortatur Gregorius, vt magno animo ærumnas ferat, nec molestiis succumbat.

Audio te à recenti rerum nouatione turbari, tibíque à sophistica quadam & vsitata eorum, qui rerum potiuntur, curiositate negotia exhiberi. Nec sane mirandum est. Neque enim inuidiam ignorabam, quódque ex iis, qui latus tuum cingunt, complures sint, qui commoda sua per te procurent, ac pusillanimitatis C fomitem accendant. Illud verò non metuo, nec quid à philosopho alienum, atque & te, & nobis indignum in rebus aduersis ac molestiis tibi accidat. Quin potiùs nunc vel maximè futurum existimo, vt Basilius meus cognoscatur, & ea, quam per omne tempus collegisti, sapiẽtiam patefiat, ac tu improborum hominum iniurias & impressiones superes, velútque in altissimis fluctibus immotus maneas, aliis in perturbatione ac tumultu versantibus. Quod si ita tibi videtur, ipse quoque adero, fortasse quidem vt cõsilij quoque tibi aliquid impertiam (si tamen mari aqua opus est, & tibi consultore) proculdubio autem, vt vtilitatem ipse capiam, patientiæque in ferendis contumeliis socium me tibi præbeam.

26. *Eidem.* 20.

D

ARGVMENTVM.

Narrat, quo modo cum philosopho quodam verborum contentione decertarit, qui eo nomine Basilium impietatis accersebat, quod Spiritus sancti diuinitatem haudquaquam apertè confiteretur.

Ego te, & pro vitæ duce, & pro fidei ac dogmatum magistro, & quicquid præclari à quoquam dici potest, tum antiquitus habui, tum nunc habeo: etsi quis alius tuarum laudum prædicator est, omnino vel mecum est, vel post me[1]. Vsqueadeo 1 me tibi deuinxit pietas tua, atq; adeò syncerè & ex animo sum tuus! Nec verò hoc mirum videri debet. Nam vbi amplior vitæ consuetudo est, illic quoque amplius est experimentum. Vbi autem vberius est experimentum, illic etiam perfectius est testimonium. Et si quem alium ex hac vita fructum capio, hunc ex amicitia tua & contubernio capio. Ac de his rebus ita sentio, vtinámque sentiam. Quæ autẽ nunc E scribo, inuitus quidem scribo: sed tamen scribam. Ac mihi eo nomine succenseas velim: alioqui perquam acerbè feram, si fidem tibi non fecero, me hæc beneuolentia ductum loqui, atque ad te scribere. Multi nos, vt in fide parum fortes accusant, ii nempe, qui & rectè quidem communia omnia inter nos esse statuunt. Atq; alii quidem planè nos impietatis insimulant, alii timiditatis. Impietatis nimirum ii, qui nos ne piè quidem loqui sibi persuadent, timiditatis autem, qui nobis dissimulationis crimen impingunt. Ac sermones aliorum quid referre attinet? Quod vero nuper accidit, ex me audies. Epulum quoddam erat, in quo permulti clarissimi viri nobísque amicitia coniuncti accumbebant, atque inter eos vir quidam pietatis nomen habitúmq; præ se ferens. Nondum ad pocula ventum erat, cùm, vt in conui-

uiis fere fit, de nobis sermo excitatur, instar alius cuiusdam aduentitiæ rei in medium propositis. Omnibus porrò virtutes tuas amplissimis laudibus efferentibus, nósque etiam, vt iisdem vitæ studiis deditos, adiungentibus, amicitiámq; nostram & Athenas commemorantibus, in rebúsque omnibus concordiam animorúmque A
2 conspirationem, [2] indignè tulit hic philosophus. Et quidnam, hoc est, inquit, admodum furiosè exclamans, ô viri, quàm valde mendaces & adulatores estis! Cætera quidem laudentur sanè viri illi, si ita lubet, nihil repugno: verùm quod maximum est, non illis concedam. Orthodoxiæ nomine frustra laudatur Basilius, frustra Gregorius: ille, quia sermonibus suis veritatem prodit: hic, quia patientia sua eandem simul prodit. Hic ego, Vnde hoc, ô homo vane, atque arrogantiæ nomine noue Dathan & Abiron? Vnde nobis dogmatum promulgator venis?
3 Siccine tantarum rerũ iudicem teipsum efficies? Tum ille, Ex [3] Eupsychij Martyris synodo nunc venio, eamque dicti mei testem habeo (sic enim res se habebat) atque B
illic Basilium magnum audiui, de Patre quidem & Filio optimè & perfectissimè, atque vt vix quisquam alius facile queat, disserentem: Sp. sanctum autem conuellentem ac distorquentem. (Ac similitudinẽ adhibebat, tanquam fluuij, qui petras prætereuntes & arenam excauant.) Alioqui enim cur tu, vir admirande, inquit, me
4 intuens, iam perspicuis verbis Spiritum sanctum Deum esse asseris, simúlque [4] vocem quandam meam commemorauit, cùm ego, vt in frequentissimo cœtu, de diuinitate verba faciens peruulgatum illud de Spiritu sancto interfatus essem, Quousque lucernam sub modio abscõdemus?) Ille autem fidei doctrinam obscurè ostendit, ac velut adumbrat, nec veritatem liberè profitetur, politicè magis quàm piè aurem obruens, dicendíque facultate versutiam tegens? Quoniam, inquam, ego in obscuro positus, ac plerísque incognitus, sic, vt nec quæ loquar, nec an C
loquar, fermè homines sciant, sine periculo philosophor. Illius autem maior habetur ratio, vtpote, cuius nomen, tum ob ipsius virtutem, tum ob Ecclesiæ splendorem, multò sit illustrius. Ac palam est quidquid dicitur: ingensque circa eum bellum est, cupientes nimirum hæreticis nudam & apertam vocem ex ipsiusmet Basilij ore arripere, vt ipse quidem ex Ecclesia expellatur, qui solus pene veritatis igniculus restat, ac vitalis facultas, vicinis omnibus captis ac subiugatis) malum autem in ciuitate radices agat, atque ex hac Ecclesia non secus atque ex aggere quodã & propugnaculo terrarũ orbem populetur. Præstat itaque œconomiã quãdam ad veritatem adhibitam fuisse, nobis videlicet tempori quasi nebulæ cuidam, nonnihil cedentibus, quàm vt ea ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur. Non enim ex ea re nihil damni facimus, si ex aliis quoque dictionibus, quibus id D
certo colligatur, Sp. sanctum Deum agnoscamus. Neque enim in verborum sono potiùs, quàm in mente & sententia veritas sita est. Ecclesia autem graue vulnus acceptura est: si ob vnius hominis eiectionem veritas profligetur. Hanc œconomiã, ii qui aderant, tanquam vanam & insulsam ipsósque ludificantem, non modo non comprobarunt: immò etiam nos clamoribus insectabantur, vt ignauiæ nostræ potius, quam orthodoxæ doctrinæ consulentes. Longè enim præstantius esse, nostros per veritatẽ tueri & cõseruare, quàm per huiusmodi scilicet œconomiam eos labefactare, nec interim alienos assumere. Enimuerò quę, & dixi, & audiui, & quàm valde ac præter modum consuetudinémque meam aduersus eos, qui contrà nitebantur, indignatus sum, sigillatim exponere, prolixum nunc fuerit, miniméq; fortasse necessarium. Vt autem finem dicendi faciam, sic eos amandaui. Tu verò, ô diuinum & sacrosanctum caput, doce nos quousque in disputatione de Sp. sancti di- E
uinitate progredi, quásque voces vsurpare, & quousque œconomia vti conueniat: vt ea aduersus eos, qui contradicunt, in promptu habeamus. Nam si hoc nunc ipse ab te doceri postularem, cùm te résque tuas omnium mortalium maximè perspectas habeam, ac certissimam de his rebus fidem sæpius dederim, vicissímque acceperim, omnium profectò stolidissimus essem ac miserrimus.

Sp. sancti Diuinitas.

SCHOLIA.

1. *Vsque adeò me tibi deuinxit)* τοῦτον ἥττημαί σου τῆς εὐλαβείας. *Nam* ἥττημαι *duobus genitiuis iunctum commodiorem significationem habet, quàm cum genitiuo & datiuo iungitur. Exempli causa,* τῇ καλοκἀγαθίᾳ πάντας

ἐκείνου

A *ἐκείνου ἡττῶνται, id est, omnes ab eo probitate superantur. Aut πάντας ἡττᾶται τῆς ἐκείνου καλοκἀγαθίας, id est, omnes ille probitate sua ad se allicit, sibique deuincit. Gallicè meliùs, Græcóque conuenientius.* Il gagne vn chacun par sa bonté & honnesteté. *Sic in oratione de Cypriano, χαὶ σὺ διαφερόντως ἥττημαι τῆς ἀρετῆς. Et in oratione de seipso, &c. τοσοῦτον ἡττᾶσθε τῆς ἡμετέρας φωνῆς, vsqueadeò vos cœpit & illexit vox mea. Hæc idcirco adnotanda duxi, quod multi interpretes vtrámque significationem confundant.*

2. *Indignè tulit) Gr. δεινόν τὸ πρᾶγμα ποιεῖται. In Frobeniano tamen Basilio legitur δεινόν τι πρᾶγμα & sic vertendum esset, graue quoddam facinus hic philosophus edit.*

3. *Eupsychij Martyris) Fortasse hic est Eupsychius ille Cæsariensis nobili loco natus, cuius meminit Sozomenus in Histor. Tripart. lib. 5. cap. 11. qui ob euersum fortunæ templum imperante Iuliano interemptus est.*

4. *Vocem meam commemorauit) in vtrisque codicibus Græcis corruptissimè legitur, καί τινος ἀπ' ἐμοῦ μονῆς τε τῆς ἐμῆς: sed facile est errorem deprehendere, corrigere autem, hoc opus hic labor est. Ego veram lectionem hac demum ratione commodissime restitui posse arbitror, si pro his quatuor verbis ἀπ' ἐμοῦ μονῆς τε substituatur vnicum verbum ἀπομνημονεύσας vel ἀπεμνημόνευσε. Atque ita etiam transtuli, clarissimo, vt opinor, sensu, nec à Gre-* B *gorij mente abhorrente. Et hæc omnia per parenthesim inclusi, vsque ad illud ὁ δὲ ἐπιφθέγξω, &c. Quasi obtrectator ille, qui per dialogismum in hac epistola loquens inducitur, ad hunc modum loqueretur. Tu quidem Gregori sine vllis verborum inuolucris diuinitatem Spiritus sancti doces, quippe qui in concione quadam, quam non ita pridem habuisti, cùm ipsius diuinitatem apertis verbis asseruisses, peruulgata hæc verba subiunxisti: Quousque lucernam sub modio abscondemus (Hanc autem Orationem significat, cuius principium est, Os meum aperui. Illic enim hæc verba expressè habentur:) At Basilius obscurè tantum & adumbratè eandem doctrinã exponit. De eadem re tractat in orat. de vita Basilij.*

BASILIVS GREGORIO.

ARGVMENTVM.

Hæc epistola in Frobeniano codice falsò ascripta erat Gregorio. Quis enim non videt Basilium hac epistola proximus Gregorij literis respondere?

C PIetatis tuæ literas à venerabili fratre Hellenio accepi, atque iis omnibus auditis, quæ nobis ipse, ídque nuda & perspicua oratione declarasti, quo modo affecti fuerimus, haud profectò dubitas. Verùm quoniam hoc nobis certum & constitutum est, amori erga te nostro plus tribuere, quàm vlli mœrori, hæc quoque, quo animo par erat, accepimus, supplicibúsque votis à Deo sancto poscimus, vt reliquis vitæ nostræ diebus aut horis eundem erga te animi affectum & beneuolentiam teneamus, quam semper habuimus: nec enim vllius omnino vel minoris vel maioris officij prætermissi nobis conscij sumus. Quòd si ille, recens in Christianorum vitam prospicere gestiens, ac postea ex eo sibi authoritatem conciliari existimans, nobiscum versetur, quæque vel non audiuit, confingit, non intellexit, commemorat, haudquaquam mirum videri debet. Verùm illud mirum D & absurdum, quòd apud vos harum rerum auditores habet fratres mihi sincerissimos, nec auditores solùm, sed discipulos quoque vt videtur. Quanquam autem alioqui nouum esset ac admirabile, & eum, qui hæc docet talem esse, & tales eos qui audire sustinent, & me denique, cuius nomen proscinditur: perditus tamen hic temporum status nos docuit, ne re vlla acerbius offendamur. Iampridem enim his ignominiosiora nobis propter peccata nostra in vsu fuerunt. Ego verò, si fratribus, qui istic degunt, meæ erga Deum fidei nondum experimentum præbui: ne nunc quidem habeo, quid respõdeam. Nam quibus diuturnum tempus minimè fidem fecit: his quo tandem modo fidem factura est breuis epistola? Si autem illa abundè sufficiunt, nugæ censeantur, quæ ab obtrectatoribus & sycophantis in me confe-runtur. Cæterùm si linguis effrænatis, & cordibus imperitis, de quibus voluerint E blaterare permiserimus, atque eorum sermonibus excipiendis paratas aures habuerimus, non solùm ipsi aliorũ vituperationes accipiemus, sed alii etiam nostras. Huius rei porrò causa illa est, quæ ne existeret, iampridem à te precibus contendebam: nunc autem fessus fractúsque taceo, nimirum quia mutuo congressu nequaquam fruimur. Nam si, vt inter nos olim conuenerat, & cura & solicitudo, quam nunc Ecclesiis debemus, efflagitat, bonam anni partem simul traduxissemus: ansam atque aditum obtrectatoribus haudquaquam dedissemus. Tu verò, si ita videtur, hos valere sine, nostrísque precibus adductus, nos in præsenti certamine laborantes adiuua, simúlque cum eo, qui aduersus nos cum exercitu grassatur, manus consere. Nam vel solo conspectu tuo, eius impetum franges, eósque qui ad patriæ statum euertendum instructi sunt, fundes ac dissipabis, perspicuum videlicet ipsi

faciens, te cœtus nostri ducem futurum, atque os omne iniustum hominum iniquitatem aduersus Deum loquentium obstructurum. Quòd si contigerit, res ipsæ declarabunt, quis ille erit, qui te ad præclara negotia sequetur, quis rursus claudicet, ac veritatis doctrinam ignauiâ prodat. At si Ecclesiæ res proditæ fuerint, haud magnæ mihi curæ erit, eos verbis permouere, qui te tanti æstimauerint, quanti æstimare queant homines nondum seipsos metiri scientes. Haud multò pòst enim, Deo fauente, rebus ipsis, hoc est, certissimo argumẽto calumniæ refellentur. Quãdoquidem pro veræ doctrinæ defensione futurum expectamus, fortasse quidem vt grauius aliquid patiamur: sin minus, at illud certè, vt Ecclesiis patriisque sedibus expellamur. Quòd si nihil etiam horum, quæ in expectatione habemus, acciderit: non procul est Christi tribunal. Quocirca si congressum nostrum Ecclesiarum causa requiris: quocunque accersiueris, libenter conueniemus: sin autem vt calumnias refutem, mihi hoc tempore ad eas respondere non vacat.

SCHOLIA.

27. *Gregorius Basilio.* 21.

ARGVMENTVM.

Ex Basilij responsione facilè colligi poterat, eum literis illis, quas à Theologo acceperat, offensum fuisse. Eam ob causam se apud eum hac epistola purgat, nec causam vllam fuisse ait, quamobrem ipsi literæ illæ stomachum mouere debuerint.

HOc nimirum erat, quod alius quispiam maiori ingenii acumine præditus suspicari potuisset, ego verò qua sum væcordia & rusticitate, cùm ad te scriberem, non extimui. Mœrore te affecerunt literę nostræ, idque immeritò sanè & iniquè, mea quidem sententia. Quanquam mœrorem hunc tuum, animique offensionem haudquaquam apertè prodidisti, verùm pressisti & occultasti, sapienter id quidem, mœroris velut faciem larua obtegens. Ego verò si subdolo & maleuolo animo à me hoc factum est, non me magis mœror iste tuus quàm veritas ipsa lædet, si autem simplici animo & pro ea qua soleo, beneuolentia, non animi tui affectum, sed peccata mea accusabo. Quanquam satius fuerat, his incommodis mederi, quàm iis, qui consilium afferebant, succensere. Sed tu, quid tibi faciendum sit, ipse videris, quippe qui aliis quoque eadem suadere facilè potes. Hoc autem habeto, me Deo iuuante, & tibi affuturum, simúlque dimicaturum, virilémque operam impensurum esse. Quis enim langueat, immò, quis non magno & fidenti animo futurus sit, te duce ac socio de veritate disputans, atque contendens.

28. *Eusebio Samosatensi Episcopo in exilio agenti.* 73.

ARGVMENTVM.

Eusebio Samosateno Episcopo pietatis causa exulanti se excusat, quòd ad eum per Cappadociam transeuntem non adierit, simúlque precum eius auxilium implorat. Hic porrò Eusebius orthodoxæ fidei causa à Valente Ecclesia pulsus est, in Thraciámque deportatus, vt refert Theodoritus Eccles. Historiæ lib. 4. cap. 13. Quo mortuo ab exilio reuersus Dolichæ ab Arriana quadam muliercula tegulæ ictu necatus est, vindictáque amicis interdixit, quemadmodum idem author testatur lib. 5. cap. 4. & Niceph. lib. 12. cap. 5.

QVo tempore pietas tua per patriam nostram transibat, adeo graui morbo laborabam, vt ne è cubiculo quidem prospicere possem. Me porrò non tam morbus, quamuis alioqui periculosissimus excruciabat, quàm quòd fausto & sacrosancto tuo congressu priuabar. Tanta quippe vultus istius honorabilis videndi cupiditate teneor, quanta eum teneri par est, qui spiritualium vulnerum curatione indiget, eamque à præstantia tua consecuturum sperat. Et si autẽ hoc peccatis meis ascribendum est, quòd tum tecum congredi non licuit: potest tamen nunc quoque bonitas tua molestiis meis nonnihil medicinæ afferre. Nam si mei quoque memoriam in Deo acceptissimis tuis precibus habere digneris, id vtique mihi omnis diuinæ benedictionis viaticum futurum est, tum in hac vita mea, tum in futuro æuo. Tantum enim virum tot ærumnas pro Euangelii fide perferentem, tantísque persecutionibus vexatum, tantam denique sibi ipsi apud iustissimum Deum libertatem per calamitatum perpesionem comparantem, hunc, inquam patro-

A patronum quoque nostrum per orationes fieri dignari, tantam vim habere mihi persuadeo, quantam si vel à quodam sanctorum Martyrum id mihi impenderetur. Quocirca te obsecro, vt in iis Gregorii tui asiduè sis memor, in quibus me dignum memoria tua esse summopere opto.

29. *Eidem.* 74.

ARGVMENTVM.

Hæc epistola tum conscripta fuisse videtur, cùm Eusebio Cæsariensi Episcopo vita functo de successore ageretur. Itaque hanc in locum suum afferendum duximus. Porrò non satis liquet, an post Eusebij Samosateni ab exilio reditum scripta fuerit, an verò antequam in exilium profectus esset. Illud perspicuum est, Cæsarienses illius aduentu summopere delectatos fuisse.

B Vnde tuarum laudum exordium ducam? & quo nomine propriè te appellabo? An te [1] columnam & firmamentum Ecclesiæ vocabo, aut luminare in mundo, iisdem verbis cum Apostolo vtens, aut gloriationis coronam incolumi Christianorum parti, aut Dei donum, aut patriæ subsidium, aut fidei regulam, aut veritatis legatum, aut hæc omnia simul, atque his plura? Atque has penè incredibiles laudes, per ea quæ videmus, confirmabo. Quæ enim pluuia æquè matura & tempestiua sitienti terræ illapsa est? Quæ aqua ex petra, iis, qui in deserto habitabant, exundans? Quem talem angelorum panem homo manducauit? Quibus Iesus communis omnium Dominus, Discipulis suis pessum euntibus ita opportunè astitit, vt & fluctus sedaret, & periclitantibus salutem afferret, vt tu laborantibus nobis ac mœrentibus ac Iam velut naufragium facientibus apparuisti? Et quidem de aliis C quid loqui necesse est, quãta nimirum lætitia & voluptate orthodoxorum animos perfudisti, quámque multos homines in desperationem lapsos erexisti? At mater nostra Ecclesia, Cæsariensem dico, nũc profectò ob tui aspectum viduitatis vestes exuit, & stolam iucunditatis assumit, magísque etiam explendescet, cùm pastorem, & se, & antecessoribus Episcopis, & manu vestra dignum consecuta fuerit. Nam quis sit rerum nostrarum status ipse quoque perspicis, quantúmque miraculum patrarit zelus tuus, & sudores, ac grata Deo fiducia & libertas. Senectus renouatur, morbus superatur, lecto affixi exiliunt, infirmi potentia accinguntur. Quæ res mihi coniecturam afferunt, negotia nostra ex animi sententia successura esse. Ac patrem quidem, tum suo, tum nostro nomine habes, pulchrum vniuersæ vitæ & venerãdæ canitiei finem [2] impositurum, nimirum præsentem hanc pro Ecclesia dimica- 2
D tionem. At certum habeo fore, vt precibus vestris quibus fretus, nemo non sibi quiduis polliceri debet, firmiorem cum valentiorémque recipiamus. Quòd si in hac quoque cura extremo vitæ die perfungatur, minimè illud in damno ponendum est, talem, & ob res tales, vitæ finem consequi. Mihi verò ignoscite, obsecro si improborum linguis paulisper cedens, aliquanto post ad complexum vestrum accurram, & ea, quæ nunc in laudatione prætermissa sunt, coràm ipse adiiciam.

SCHOLIA.

1. *Columnam) Paulus 1. ad Timoth. 3. Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis esse dicit. Idem in Epist. ad Philipp. 2. cap. eos in medio prauæ generationis lucere ait tãquam luminaria in mundo. Adhæc, id est, ad Thess. 2. cap. eos coronam gloriæ suæ vocat.*

2. *Impositurum) ἐπιθήσοντα enim legendum, non ἐπιθήσονται, vt in Heruag. quemadmodum & in eadem linea* E *pro ἡμετέραις, reponendum ὑμετέραις, & paulò inferius pro ἡμῖν ὑμῖν.*

30. *Eidem.* 17.

ARGVMENTVM.

Eusebium in exilio agentem præmiorum æternæ vitæ spe consolatur.

Quanquam mihi semper charus fuit, atque inter synceros amicos, venerabilis frater noster Eupraxius: charior tamen & syncerior visus est ob animi affectũ erga te suum, quippe qui nunc quoque ad tibi inseruiendũ non aliter perrexerit, quàm, vt ait Dauid, ceruus [1] siti flagrans, vt intollerabilem sitim pura & dulci aqua leniet 1
ac [2] refrigeret. Ac beatus, qui cõsuetudine tua & congressu [3] dignus babitus fuerit. 2. 3

Beatior autem, qui calamitatibus pro Christo susceptis, laboribúsque pro veritate ex haustis, talem coronidem imposuerit, qualem non multi pij viri Deíque metu præditi consecuti sunt. Non enim inexploratam virtutem ostendisti, nec tran- A
4 quillo [4] tempore solùm nauigasti, atque aliorum animas gubernasti: sed in [5] tenta-
5 tionũ quoque difficultatibus & procellis specimẽ tui dedisti, ac persecutores tuos superasti, forti animo è patria migrãs. Et alii quidẽ patrium solum habent, nos autem superam ciuitatem: alij nostrum fortasse thronũ, nos Christum. O præclaram
6 negotiationem! [6] qualia pro exiguis rebus contemptis accepimus! Transiuimus per ignem & aquam: cõfido autem fore, vt etiam in refrigerium educamur. Non enim nos Deus perpetuò deseret, nec rectam doctrinam persecutionibus vexari patietur: verùm secundum multitudinem dolorum nostrorum consolationes ipsius nos lætificabunt. Atque hoc quidem pro certo habemus & optamus. Te verò B
obsecro, vt pro nobis abiectis homunculis vota facias, & quotiescunque occasio dabitur, bene precari nobis per literas ne graueris, ac quod nobis summæ voluptati futurum est, de tuis rebus nos facere certiores: quemadmodum nunc quoque facere dignatus es.

SCHOLIA.

1. *Siti flagrans) mihi enim commodior lectio visa est Heruagiani codicis, quàm, vt habet Frobenanius* τὸ πολὺ δίψος *tametsi hæc quoque satis commoda sit.*
2. *Refrigerans)* καταψύχουσα *enim rectè legit Frobenius, non in accusandi casu,* καταψύχουσαν, *vt Heruag.*
3. *Dignus habitus) In hoc loco restituendo multùm insudaui, nec tamen quicquam profecisse mihi videor. Codex Heruag. habet* τούτου καὶ ἡμῶν καταξιῶν γενέσθαι θεὸς, ταύτας *Frobenianus multò aliter* τούτου ἕνεκα ἡμῶν καταξιῶν γενέσθαι θεὸς ταύτης, *ex quibus verbis quis commodus sensus elici poßit non video. Itaque ob melioris exẽplaris inopiam, Heruagianum sequi coactus sum, vtpote minus, vt opinor, vitiosum.* C
4. *Tempore solùm)* μόνον *enim lego, non* μόνος, *vt in impreßis codicibus. Hoc enim vult Theologus, Eusebium non prosperis duntaxat rebus egregium pastorem præstitisse, verùm etiam aduersis & afflictis.*
5. *Tentationum)* πειρασμάτων *puto tamen* πειρασμῶν *legendum, neque enim memini me apud vllum authorem legisse* πείρασμα *in neutro. Sequente linea in Heruag. codice pro* τὸ, *legendum* τῶν.
6. *Qualia pro) In vtroque exemplari est* οἷα κεκοσμήμεθα, *qui locus mihi mendosus videtur. Alioqui enim dicendum fuisset,* οἷοις κεκοσμήμεθα, *sic enim Grãmaticæ analogia postulat. Itaque pro* κεκοσμήμεθα, *lego* κεκομίσμεθα, *à verbo* κομίζομαι, *quod percipio significat. Est & alius error in fine epistolæ,* ἐκλογεῖν *enim habet Heruag. codex, pro* εὐλογεῖν.

31. *Basilio.* 22.

ARGVMENTVM.

Hæc epistola cum duabus proximè sequentibus stomachosa & iurgatrix est. Nam cùm Basilius diocesim suam in multos episcopatus partitus esset, Sasimísque ignobili loco, & ad philosophandum alienißimo, tantum virum, qui cum ei omnes neceßitudines intercedebant, profecisset, non immeritò se per huiusmodi honoris speciem contemptum ignominiáque affectum fuisse vir optimus querebatur. Et sanè eorum amicitia, quæ alioqui trabali clauo fixa videbatur, ob eam causam pene dißiliit. Basilius quidem apud bonos viros eo nomine grauiter offendit, iniquiúsque cum Gregorio egisse existimatus est, quàm vel pro suo solito candore, vel pro illius meritis & dignitate, vel pro amicitiæ iure. Verùm οὐδὲν ἁμαρτάνειν, ἔστι θεοῦ καὶ πάντα κατορθοῦν, *vt ille ait.* D

DEsinésne nos tandem maledictis incessere, vt insulsos & rusticos, & ab amicis inopes, ac ne vita quidem dignos, quoniam ea, quæ paßi sumus, intelligere ac persentire ausi sumus? neque enim quicquam aliud proferre queas, in quo à nobis læsus sis, nec vlla omnino in re nobis conscii sumus, nos iniquè aliquid in te admisisse (atque vtinam nunquam conscii simus) nisi quòd fraudem in quam inducti sumus, seriùs quidem, quàm oportuit, sed tamen aliquando agnouimus. Atque huius rei culpam in episcopalem thronum conferimus, vtpote qui te repente E
supra nos euexerit: Ac vehementer fatigamur, dum tua nobis obiiciuntur, eáque apud illos, qui & pristina nostra & præsentia perspicuè norunt, defendimus. Hoc enim omnium, quæ patimur, maximè ridiculum est, vel potius miserandum, nimirum quòd iidem, & iniuria afficiuntur, & accusantur: id quod nobis hoc tempore accidit. Obiiciunt porrò, alii aliud quidpiam, & quicquid vniuscuiusque voluntas tulerit, (prout vel moribus comparati sunt, vel nostra causa irascuntur:) benignissimi autem quique neglectum & contemptionem, & quòd nos, posteaquam opera nostra vsus fueris, velut sordidißima vasa & instrumenta proieceris, vel tanquam admini-

A adminicula ea, quæ fornicibus supponuntur, ac simul atque structura firmata & compacta est, subduci & pro nihilo haberi solent. Verùm hos sanè valere sinamus, & quæ dicunt, dicere: Nemo linguæ libertatem [1] coërcebit. Ac tu beatas illas spes 1
& inanes mercedis loco persolue, quas aduersus eos excogitasti, qui te eo nomine lacerant, quòd per honoris speciem leues nos atque ad res huiusmodi promptos & obuios contumeliosè protriueris. Ego verò, quid animi habeam, explicabo: nec mihi propterea irascaris. Dicam enim, quæ flagranti etiam dolore prolocutus sum, non vsqueadeò vel ira æstuans, vel rei euentu perculsus & attonitus, vt ratio se subduceret, ac quid dicerem ignorarem. Non arma comparabo, nec rei militaris artem discam, quàm priùs non didici, cùm huius rei commodius tempus esse videbatur, omnibus videlicet arma induentibus, & furiosè inter se congredientibus
B (nosti infirmorum morbos) nec Martium [2] Anthimum certamine excipiam, quam- 2
uis alioqui immaturum bellatorem, nimirum ipse rei bellicæ ignarus, vulneribúsq; magis expositus. Quin tu potius cum eo, si ita videbitur, bellum gere, (Nam infirmos quoque sæpe necessitas ipsa pugnaces efficit) aut qui bellum gerat, quare cùm 3
ille [3] mulas tuas arripuerit, locorum angustias obseruans, quemadmodũ ille Amalec, cùm transitu Israëlem arceret. Nobis autem aliarũ omnium rerum loco quie- 4
tem concede. Quid enim opus est pro lactentibus & auibus, & quidem alienis, [4] nõ secus ac pro animabus & Canonibus digladiari? Quid etiam splendidis ille Sasimis 5
Metropolitanam vrbem priuare, ac mentis arcanum, quod premendum & [5] occultandum erat, detegere. Quocirca tu quidem viriliter age, & confortare, omniáque ad tuam ipsius gloriam, quemadmodum fluuii torrentes, trahe, nec amici-
C tiam nec vitæ consuetudinem & familiaritatem virtute ac pietate potiorem habens, nec quæ ex his rebus hominum opinio de te futura sit, quicquam curans, sed vni duntaxat Spiritui te addicẽs. Nos verò id duntaxat lucri ex amicitia tua capiemus, vt amicis posthac minimè fidamus, nec Deo quicquam præferamus.

Quid faciat necessitas.

SCHOLIA.

1. *Coërcebit) Lego enim* ἐφέξει, *vt in Frobeinano, & Vaticano, non* ὑφέξει, *vt in Heruagiano.*
2. *Martium Anthimum) Is Tyanorum Episcopus erat, cum quo de Cappadociæ episcopatibus diuidendis Basilio contentio erat. Vrbs enim ea secundæ Cappadociæ Metropolis recens creata fuerat. Vide orationem de Basilij laudibus.*
3. *Cùm ille mulas tuas) Alludere mihi videtur ad illud Achillis apud Homerum Iliad. I. vbi negat sibi causam esse, cur Troianis bellum inferat, quòd ab eis nec boues, nec equi sui vnquam intercepti sint.*

D οὐ γὰρ πώποτε ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους, &c.

4. *Non secus ac de animabus) Rectius enim in Frobeniano,* ὡς δῆτα, *quàm, vt in Heruag.* ὡς δὲ τά.
5. *Occultum habere) Lego enim non* συγκύπτειν, *sed* συγκρύπτειν, *vt in Froben.*

32. *Eidem.* 23.

Desidiam & inertiam nobis obiicis, quia Sasima tua recusauimus, nec Episco- 1
patus cupiditate incitamur, vobis, nõ secus atque [1] escâ canibus in medio proiectâ, arma induentibus. Mihi verò maxima actio est otium. Atque vt quidpiam laudum mearũ intelligas, vsqueadeò quiete atque otio glorior, vt me mutuò aduersus vos animi magnitudinis eius, quæ hîc sita est, legem omnibus esse putem. Quòd si nostrum exemplum omnes sibi imitandum proponerent, nec Ecclesiæ quidem negocij quicquam haberent, nec fides, quæ propriarum cuique contentionum
E telum est, miserè distraheretur.

SCHOLIVM.

1. *Esca canibus) Corrigendus est enim codex Heruagianus ex Frobeniano, & legendum* μηδὲ ὥσπερ κυσὶ βρώματος ῥιφθέντος ἐν μέσῳ κατ' ἀλλήλων ὑμῶν ὁπλιζομένων.

33. *Eidem.* 24.

Quàm ferociter, & equinorũ pullorum ritu exilis in tuis literis: nec mirum te [1] 1
ad gloriam nuper euectum ostentare nobis velle, quam gloriam nactus sis, vt hac ratione teipsum augustiorẽ reddas, quemadmodum pictores, qui eximias formas depingunt. Mihi verò omnia, quæ Episcopi fecerunt, exponere, quidque epistola illa, qua discruciaris, cõtineat, atque & vnde orsi, & quo progressi simus, & vbi scribendi finem fecerimus, prolixius esse videtur, quàm epistolæ modus postulet, nec

tam apologiæ opus, quàm epistolæ. Vt autem rem breui exponam, fortissimus A
Anthimus ad nos cum Episcopis quibusdam venit, siue vt patrem meum inuiseret (nam id quoque præ se ferebat) siue vt, quæ egit, ageret. Cumque multis modis animum nostrum tentasset, parœcias commemorans, & Sasimenses paludes, & nostram electionem, nunc blandè alloquens, nunc postulans, nunc minas adhibēs, nunc expostulans, nunc laudans, nūc vituperans, variis denique orationis circulis, strophis & ambagibus vtens, tanquam ipse solus nobis ob oculos proponendus esset, nouáque Metropolis, vtpote maior ac præstantior. Quid, inquam, ciuitatem nostram circunscribis, cùm ipsi Ecclesiam quoque faciamus, vtpote Ecclesiarum reuera matrem & quidem antiquitus? ad extremum ille infectis rebus abscessit,
2 multum anhelans, ac Basilium nobis quasi [2] Philippismum quendam obiiciens. Num hîc tibi iniurij esse videmur? Minimè, vt opinor. Iam quonam etiam pacto nostra illa, hoc est, hominis insolētis & contumeliosi, epistola se habuerit, expende. B
Synodalem vocationem ad nos cuderunt. Me verò contrà pugnante contumeliamque nobis fieri contendente, secundo loco postularunt, vt hortatu meo & rogatu de his rebus consultationem haberetis. Id quod ego, nè, quod priùs moliebantur, fieret, me recepi facturum, rem omnem arbitrij vestri faciens, an eos congregare velitis, & vbi, & quādo. Quod quidem hominis erat, non contumelia, sed honore vos afficientis. Quoniam autem ne hîc quidem iniuriæ quicquam tibi à me ortum est, quod reliquum est, commemora. Quòd si id vos ex me discere oportet, ipsam Anthimi epistolam vobis perlegam, quam, cùm Paludes nobis prohibentibus & comminantibus inuasisset, ad nos misit, contumeliis & probris nos conscindens, ac velut triumphum quendam aduersus nos, vt victos canens. Quam autem rationem habet, vt cùm tua causa in illius offensionem incurramus, tibi rursus displiceamus, velut illi fauentes? Hæc porrò cognita tibi priùs esse opor- C
tuit, vir admirande: ac ne tum quidem contumelia nos afficere, si nihil aliud, certè vt Presbyteros. Quòd si ostentationis gloriæque nimio studio teneris, atque è loco superiori nos alloqueris, velut Metropolitanus paruæ ciuitatis incolas, vel etiam ciuitatis expertes, nobis quoque supercilium est, quod opponamus. Hoc enim cuiuis facillimum est, ac fortasse æquius.

S C H O L I A.

1. *Ad gloriam euectum) Gr.* δόξης γεγενημένον, *vt significet eum, qui totum se gloriæ studio dedit, quemadmodum dicimus* ὅλον τοῦ θεοῦ γενόμενον, *de eo qui totum se ad Deum contulit, eíque se addixit, &* ὅλον ἐν τῇ ἐκδημίᾳ, *qui totus in mortis meditatione defixus est. Legitur in Frobeniano* δόξης γευόμενον, *nec fortasse malè vt significetur is qui iam gloriam degustauit.*

2. *Philippismum quendam) Alludit ad Oratores Athenienses qui Philippismi mutuò sese insimulabant, hoc est, quod prodita patriæ libertate Philippo Macedonum regi studerent. Ita Basilismum Gregorio Anthimus obiiciebat, quòd totus ab aduersarij sui Basilij partibus staret.* D

34. *Gregorio Nysseno.* 32.

ARGVMENTVM.

Gregorium Nyssenum Basilij fratrem crebras peregrinationes ægrè ferentem consolatur.

LOcorum circuitu angeris, tibíque instabilis esse videris, quemadmodū ligna, quę aquis ferūtur. Absit vir eximie absit vt ita affectus sis. Illorum enim cursus coactus est, tuus autem circuitus Deo gratus & acceptus: fixumque tibi ac stabile est multis prodesse, quamuis loco minimè fixus sis. Nisi verò quis Solem accuset, E
quia in orbē currit, radios fundens, atque omnibus rebus, quas obit, vitam afferēs, aut etiam inerrantes stellas laudans, planetas vituperet, quorum error quoque ipse compositus est, atque concinnus.

35. *Eidem.* 33.

Molestis rebus ne nimis discrucieris. Si enim minorem ex his mœrorem capiamus, minus molestæ erunt. Non ita graue putandum est, quòd recaluerint hæretici, ac Veris amœnitate freti ex latebris suis prorepāt, vt ipse scribis. Paulùm mihi crede, sibilabunt, ac postea in terram se abdēt, tum à veritate, tum à tempore oppu-

A oppugnati,idque eo magis,si rem totam Deo permiserimus.

36. *Eidem.* 34.

De iis, quæ scripsisti, ita sentio. Nec me contemni ægrè fero,& honore affici lætor. Illo enim digni sumus:hoc ambitionis nostræ est. Ora pro nobis. Breuitati ignosce.Nam profectò, etiam si hæc parua,silentio tamen longiora sunt.

37. *Eidem.* 35.

ARGVMENTVM.

Eundem Nyssenum Basilij fratris interitu mœstum & afflictum consolatur.

Hoc etiam ærumnosæ huic vitæ reliquum erat, vt Basilij mortem audirem, sanctæque illius animæ peregrinationem, qua à nobis peregrè profectus est, vt B præsens sit apud Dominum, per totum vitæ cursum hoc vnum meditatus. Mihi autem præter alia hoc quoque propter grauem ac periculosum corporis morbum, quo etiam num premor,ereptum est,vt & sanctum cinerem exosculer, tibique ea, quæ consentanea sunt,philosophanti præsto sim, atque communibus amicis consolationem adhibeam.Nam alioqui Ecclesiæ solitudinẽ intueri, huiusmodi gloria detonsæ & spoliatæ, atque huiusmodi corona orbatæ, tam graue ac molestum est, vt nec oculis spectari,nec auribus concipi possit,his quidem certè, qui mente præditi sunt. Tu verò quanquam & amici multi, & sermones ad consolationem non desint, à nullo tamen perinde mihi solatium capere posse videris, quàm à teipso, illiúsque recordatione, quippe qui aliis quoque omnibus philosophiæ exemplum fueris ac velut amussis quædam spiritualis, tam moderationis in rebus secundis, C quàm tolerantiæ in aduersis. Quandoquidẽ duo hæc nouit philosophia,nimirum & prosperitate modestè vti, & calamitatem honestè ferre. Atque hæc à nobis ad præstantiam tuam scripta sunt. Ac me,qui hæc scribo,quod tempus,aut qua ratio consolabitur,præter tuam societatem & congressionem, quam beatus ille vir pro omnibus rebus nobis reliquit, vt virtutes illius in te, quasi in pulchro & pellucido speculo intuentes,illum quoque habere existimemus.

38. *Simpliciæ Hæreticæ.* 28.

ARGVMENTVM.

Basilius cuidam loco,ab omni animarum cura prius vacuo,quendam, qui Simpliciæ hæreticæ facultates administrarat,Episcopum præfecerat. Hunc Simplicia, Basilio vita functo, quasi ob negotia sua malè administrata,sibi obnoxium,vendicare instituit,vt hoc prætextu Ecclesiam vigilante & industrio pastore spoliaret. Eam igitur Gregorius ab hac sententia dimouere ac deducere conatur. Ad eandem Simpliciam extat quoque Basilij epistola, in qua ei liberalitatem quidem tribuere videtur, sed eam nihil prodesse ait, vbi ius conculcatur, atq; optimis viris per sceleratos & perfidos homines periculum creatur.

D

QVod sanctũ illum & communem patrem nostrum laudibus vehis, illud inquã fidei columen, illam veritatis normam,& Ecclesiæ formam, plenam prudentiæ canitiem,illum vitæ humanæ & virtutis modum supergressum, illum fidelem seruum,& magnum pontificem, Dei & hominum mediatorem, Spiritúsque sancti domicilium: hoc quidem rectè facis. Nam nec vlla oratio sanctæ illius & beatæ animæ laudibus par inueniri potest, nisi mihi amor imponit, aut etiam mœror cũ desiderio permixtus.Illud verò in te & quidem vehemẽter miror, quòd cùm eum E & sanctum virum laudes,atque hactenus, vt æquum est, honore afficias, ipsius tamen opus euertere conaris, non secus ac profanorum hominum, contumeliáque maximè dignorum,quíque vanè temeréque vixerint, atque è vita discesserint. Nã si collegam nostrum,quasi mancipium tuum vendicas,atque exiguum hoc lucrum aucuparis,hoc sanè tua animi magnitudine perquam indignum est. An non enim iniquum & absurdum fuerit,cùm auro & argento superfluísque opibus Deum honores,vbi plus fortasse ostentationis est quàm pietatis, sacerdote omnino Ecclesiam mulctare velle,sanctissimúmque donarium deprædari? Sin autem, quia id liberè ac pro potestate fecimus,nec de ea re priùs te certiorem fecimus, nec liberalitati tuæ munificentiæque tempus dedimus, idcirco succenses, iusti quidem ali-

quid dixeris, humanúsque est hic affectus, humanus tamē. Illud autem scito, tantò maiorem nunc, quàm illo tempore, largitionem tuam fore, quanto magnificentius est potestatem accipiendi fecisse, quàm si ipsa elargita fuisses. Atque illo modo Dei tantùm gratia id facere videris: hoc autem, de nobis quoque, illius cultoribus, dignísque habitis, qui nomen ipsius portemus, præclarè mereberis. Ac proinde, nec illi, nec nobis succense. Ille enim vim passus est, nō iniuriam intulit: nos autem quid mirum, si benignitate tua freti eò progressi, communésque omnium incolarum voces, & suffragia secuti sumus? quæ si quidem nonnulli ad gratiam aut malitiosè & subdolè tulerunt, ipsi viderint, Deóque rationem reddant. Nec enim nostrum est hoc scire, nec in omnium mentes irrumpere. Nos verò, quo tandem modo id repudiare ac reiicere facilè potuissemus, tantámque vim lachrymarum aspernari, nec loci solitudine moueri, tanto tempore inculti, & pastore destituti, ac Spiritualem curā & administrationem requirētis. Illud verò tibi vel in primis exploratū est, eos, qui tum assentiebantur, ac nunc inficiantur, rem nec piā nec honestis & ingenuis hominibus dignam facere. Ac multò melior eorū ratio futura esset, si tum obstitissent, quàm cum hoc tempore adulantur, factúmque suum euertunt, hominésque magis, quàm Deum, metuunt. Quos etiam, qua sunt animi leuitate, dicturos puto, se tui metu sententiam mutasse, & quidem multò veriùs: quoniam semper eos delinquere oportet, falsásque & captiosas excusationes captare. Quòd si hæc quidem à nobis rectè dici tibi videntur, verùm administratæ rei familiaris rationem reposcis (nam id quoque ad me delatum est, non enim in literis tuis obiecisti) iustè sanè & humanè ea reposcatur: nec quicquam eo nomine queremur: neque enim nobis placet lenitatem facilitatemque dominis fraudi esse. Quid iam superest? virum fortasse, vt indignum, arripere, ob eamque causam in ipsius ordinationem inuadere. Nam hoc quoque obiicere, speciosius quodam modo fuerit. Mihi verò ad hoc simplex & facilis est oratio. Nos, nec alium quenquam, ex iis, qui criminis alicuius rei sunt, incognita causa dimittimus, ne si arctissima quidem amicitia nobis coniunctus sit, nobilitatéque insignis (neq; enim Deo & Ecclesiastica lege quicquam venerabilius est:) nec hunc dimittemus. Verùm si quis aliquid habet, quòd eum accuset, te præsente, simúlque iudicante, si ita libuerit, sin minus, absente quoque nobis iudicibus exploratus, siquidem innocens iuuentus fuerit, etiam si seruus sit, absoluatur: (nam & seruorū & herorum idem est pater ac Deus, nec dignitatibus ius definitur) si verò conuictus fuerit, à proprio peccato condemnabitur. Ita fiet, vt nec lex violetur, nec defuncto ignominia inferatur (nam de me fortasse nihil curandum est, vtpote nullius pretii homine) & tu improbam suspicionem fugias, quasi ob id, quod à nobis fidéque sana abhorreas, hæc, versutè potiùs quàm generosè machineris, atque ab alio accusata in aliud impetum detorqueas. Quòd quidem si me monitorem audieris, non facies, quia nec sanctum nec honestum est: nec contemptis nostris legibus ad externas confugies, ac nobiscum pertinaciùs contendes: verùm ignosces, si quid propter gratiæ libertatem simpliciùs fecimus, potiúsque habebis honestè vinci, quam malè vincere, nimirum Spiritui obsistendo.

A B C D

39. *Eudoxio Rhetori.* 29.

QVæris quo statu res nostræ sint? Admodum acerbo. Basilium non habeo, Cæsarium non habeo, hoc est, spiritualem fratrem, & corporeum. Pater meus & mater mea dereliquerunt me, vt cum Dauide loquar. Corpus ægrum est, senectus caput premit, curæ aliæ aliis intexuntur, incursant negocia, infidi amici, Ecclesiæ pastore & gubernatore carent. Pereunt bona: nuda & aperta sunt mala: nauigatio in nocte,[1] fax nusquam, Christus dormit. Quid faciam? Vna mihi malorum depulsio, mors. Ac res etiam alterius vitæ mihi formidolosæ sunt, ex huius vitæ rebus coniecturam ducenti. E

SCHOLIVM.

1. *Fax nusquam) Alludit ad faces illas, quæ ex sublimibus speculis lucem nauigantibus ostendebant.*

40. *Philagrio.* 30.

ARGV-

A *ARGVMENTVM.*

Hæc epistola Eudoxij nomen præferebat, non Philagrij. Sed quis hoc Typographi oscitantiæ ascribendum non videt, cùm in ea Gregorius Philagrij nominatim mentionem faciat? Consimilis error in alia quadam epistola inoleuit, quemadmodum suo loco indicabimus.

CÆsarium non habeo, dicam enim, & si parum philosophicus est hic affectus: Cæsarij rebus acquiesco, & si quid aliquando videam quod mihi memoriam illius refricet, hoc amplector & exosculor, ac velut eum intueri mihi videor, simulque versari & confabulari. Id adeo mihi nūc in literis tuis accidit. Nam simul ac primam epistolæ partem legi, ac Philagrium, re nominéque mihi suauissimum vidi, omnes mihi veteres iucunditates in animum repentè subierunt, vrbes, studia, mensa, paupertas, atque iucundissimi sodalitij, [1] vt Homeri verbis vtar, vel ludicra, 1
B vel seria, literarij sudores, communes præceptores, spei sublimitas, cæteraque omnia laudum ornamenta, quæ quisquam percensere possit: quorum ego vel sola recordatione apprimè delector. Quare vt tua opera magis etiam adhuc inter nos congrediamur, calamum moue, ac si mihi rem gratam facere cupis, scribe. Nam ne hoc quidem proculdubio nobis parui momenti est: tametsi, quod maximum erat, hoc est, vitæ consuetudinem, nobis liuor abripuit, res nostras molestè constituens.

SCHOLIVM.

1. *Vt Homeri verbis) Helena lib. 3. Iliad. Priamum alloquens sic inter cætera ait;*

ὡς ὄφελέν θάνατός τε μοι ἀδῆν κακὸς ὁππότε δεῦρο
υἱέι σῷ ἑπόμην θάλαμον, γνωτούς τε λιποῦσα,
C παῖδά τε τηλυγέτην καὶ ὁμηλικίην ἐρατεινήν.

ὁμηλικίην ἐρατεινὴν *exponit Didymus* τὰς ἀπεράστους μου ὁμήλικας *amabiles meas æquales.*

41. *Eidem.* 31.

Quo modo se habet corporis valetudo? An scilicet parum tibi curæ est, quo modo se habeat? De anima autem haud percunctabor ecqui valeat: scio enim bellissimè valere, quandoquidem in corporis morbo strenuè philosopharis, quasi non materiæ & humorum intemperiem, sed virtutis explorationem eam rem acceperis: vt sic calamitas tua aliorum sanitate & incolumitate beatior sit. Tu verò hoc quoque philosophiæ argumentum ede, vt nobis easdem res, ac de iisdem præcipias: quas tametsi aliis scribere audeamus, tamen te iudice causam dicere ac
D iudicium subire, periculo non vacat. Cæterùm conabitur tuis iussis minimè reluctari.

42. *Gregorio Nysseno.* 36.

ARGVMENTVM.

Narrat, quo modo rogatu suo Eulalius Nazianzi Episcopus institutus fuerit, calumniámque in se coniectam depellit.

HEi mihi quia incolatus meus prolongatus est, &, quod malorum caput est, bellis & seditionibus res nostræ flagrant, nec pacem, quam à sanctis patribus accepimus, seruauimus. Hanc non dubito, quin ipse restituas, in spiritus illius virtute, qui, & te, & omnia tua regit ac moderatur. De nobis autem, ne quisquam, obsecro, falsos sermones iactet, nec de dominis Episcopis, tanquam videlicet [1] in- 1
E uitis nobis ac repugnantibus Episcopum alium nobis suffecerint. Non enim vsque adeo illis contemptui sumus, nec adeo infestum eos nostri odium tenet. Quin potius eos multùm diuque obtestatus propter effœtū & emortuum corpus, simul etiam quòd neglectæ Ecclesiæ onus pretermiserim, hanc ab iis gratiam postulaui, nec Ecclesiasticis legibus aduersantem, & nos recreantem, vt is Ecclesiæ pastor daretur, qui etiam precibus tuis datus est, pietate vestra dignus, quem tibi quoque in manus trado & colloco, venerabilem dico Eulalium, cuius vtinam manibus immori mihi contingat. Quòd si quis est, qui putet Episcopo viuente alium institui non debere: [2] is sciat, se ne hac quidem in parte nobis causa superiorem esse. Inter omnes etenim constat, me non Nazianzi, sed Sasimorum antistitem

creatum fuisse, tametsi in patris reuerentiam, & eorum, qui supplices hoc à me A
contenderunt, ac breue tempus præfecturam quasi hospites suscepimus.

SCHOLIA.

1. *Inuitis nobis) Quidam codices ἀπόντων ἡμῶν habent, non ἀκόντων. Vulgatam tamen lectionem sequi placuit (quòd mihi magis quadrare videretur cum his verbis quæ mox sequuntur.*

2. *Is sciat se in hac) Gr. ἴστω μηδὲν τοῦτα κρατῶν ἡμῶν. In Froben. eodem modo legitur, nisi quòd pro κρατῶν est κρατεῖν. Hic autem locus restituendus est ex vetustissimo Reginæ codice, apud quem in margine cuiusdam orationis, finem huius Epistolæ citatum reperi, atque hæc verba ita habere, ἴστω μηδ᾽ ἐν τούτῳ δὲ κρατῶν ἡμῶν. Itaque nos eo sensu vertimus, & quidem commodissimo.*

43. *Eidem.* 30.

ARGVMENTVM.

Gregorium Nyssenum obiurgat, qui studiis sacris ac libris, quos plebi in Ecclesia lectitare solebat abiectis, ad Rhetoricen profitendam se contulerat. B

Inest mihi naturâ dextrum aliquid & commodum (liceat enim mihi quoque hoc de me arrogantiùs prædicare.) Peræquè, & mihi malum consilium ineunti succenseo, & amicis. Quoniam itaque omnes, qui secundum Deum viuunt, atque eodem Euangelij tramite incedunt, amicitia, & cognationis iure inter se deuincti sunt, quid non à nobis liberè audiunt, quæ omnes submurmurãt? In gloriam tuam gloriã, vt more vestro loquar minimè laudant, tacitamque & furtiuam in deterius
1 prolapsionem, ac dæmonũ pessimam, vt ait ¹ Euripides, ambitionem. Quid enim tibi accidit, vir sapientissime, quídque tibi in te ipso displicuit, vt sacris illis suauissimísque libris, quos quondã populo lectitabas (non enim hæc audiens erubescas) calcatis atque proiectis, aut etiam ad fumum suspensis (non secus atque nauium C gubernaculis, & ligonibus hyemis tempore) falsos & amarulentos in manus sumpseris, ac Rhetor vocari, quàm Christianus malueris. Nos contrà hoc potiùs, quàm illud: eóque nomine maximam Deo gratiam habeo. Nequaquam quæso, ô quondam optime, ne diutiùs animo ita affectus sis. Verùm, seriùs quidem, sed tamen aliquando resipisce, atque ad te redi, téque & piis hominibus fidéque præditis purga, & Deo, atque altaribus, & mysteriis, à quibus te procùl submouisti. Ac ne mihi scita hæc & Rhetorica proferas, Quid verò? an non Christianus eram? cùm eloquentiæ artem profitebar? an non pius ac fidelis, cùm inter adolescentulos versarer? ac fortasse etiam Dei fidem implorabis. Minimè, vir eximie, saltem quantum par erat, etiam si partem aliquam concedamus. Vbi autem illud ponemus, quòd ex his, quæ nunc facis, alios, hoc est, eos, qui natura ad malum procliuiores sunt, D offendis ac vulneras, atque occasionem iis præbes de te sinistrè partim suspicandi, partim loquendi, falsò sanè & iniquè id faciant, quid tamen necesse est hanc illis occasionem suppeditari? Neque enim sibi ipsi quis tantùm viuit, sed & proximo. nec sibi ipsi fidem facere satis est, nisi aliis quoque fides fiat. An tu pugnis in publico cœtu decertans, aut etiam in theatris colaphum in malam accipiens vicissim atque impingens, aut denique turpiter & fœdè teipsum inflectens, atque contorquens, postea te animo sobrium esse diceres? Sobrii hominis non est hæc cogitatio. Leuis animi est hæc suscipere. Ac si quidem meliorem mentem indueris, gaudebo, vt Pythagoricus quispiam Philosophus dicebat, cùm prolapsi sodalis vicem lugeret: sin minus ille quidem scripsit, Mihi mortuus es: ego autem in gratiam tuã nondũ hoc dicam. Nam ille ex amico hostis factus est, vt ait tragicus. Verùm acerbè feram (sic enim parciùs & moderatiùs loquar) sic nec ipse, quid officii sit, per- E
2 spicis,² (quæ prima bonorum hominum classis est) nec alium rectè monentem sequaris (qui secundus ordo est.) Habes admonitionem nostram. Ac mihi, quæso, ignosce, propter amicitiam dolenti, atque æquè, vt tua, & totius sacerdotalis ordinis, addam etiam & omnium Christianorum causa inflammato. Quòd si etiam tecum, vel pro te orandum est, Deus infirmitati tuæ opem ferat, qui mortuos quoque ad vitam reuocat.

SCHOLIA.

1. *Vt ait Euripides) Apud Euripidem Iocasta Eteoclem filium alloquens πλεονεξίαν δαιμόνων κακίστην, hoc est,*

A *auaritiam & plus habendi cupiditatem, dæmonum sceleratißimam vocat. Quod autem ille auaritiæ, hoc ambitioni tribuit Theologus.*

2. *Quæ prima) Hesiodus in lib. cui titulus est, Opera & Dies, optimos eos esse censet, qui per seipsos, quid facto opus sit, perspiciunt, bonos item eos, qui rectè monentibus obtemperant: qui autem nec sibi ipsis consulere norunt, nec rectè consulentes audiunt, eos prorsus inutiles esse. Hos Hesiodi versus citat Aristoteles lib. I. Ethic.*

44. *Gregorio Præsidi.* 38.

ARGVMENTVM.

Sororem suam eiúsque liberos Gregorio Præsidi commendat, quorum fortunæ, mortuo Nicobulo patre, à quibusdam oppugnabantur. Eiúsque argumenti est sequens epistola ad Ecebolium.

HEsiodum minimè laudo, qui eiusdem artis opifices ἀντιτέχνους, id est, æmulos aduersariósque vocauit his verbis,

B [1] *Et faber est fabro, figulo figulúsque molestus.* I

Neque enim, mea quidem sententia, magis inuidet, quàm accurrit, & exosculatur, ac velut familiarem & necessarium complectitur. Cantor autem eò magis cantori adiungitur: quòd eorum opera circa vocem ac sermonem versatur. Quo etiã ipse modo erga eloquentiam tuam affectus, siquidem eo corporis statu essem, vt animæ cupiditatibus obseruire posset, nemo me prior ad te complectendum accurisset, ac magistratũ ineuntem consalutasset. Verùm vt Solem nubes obscurat, ita me moribus, atque inuidum hoc corpusculum & ergastulum. Accipiésne igitur præsentiæ vice epistolam? Accipies profectò, vtpote disertus & ad ignoscendum propensus: nec hoc tantùm coniicio, sed etiam certo mihi persuadeo. Atq; vt intelligas, quantum probitati & benignitati tuæ confidam, en legationem quoque nobis admo-
C dum necessariam tibi offero, atque à tua amicitia amicorum officia postulo. Nicobulum meum de manu mea tibi cum fratribus suis trado, non vt pœnas det, sed vt sumat, viduámque decrepitam, eorum matrem, & domum quondam illustrem & conspicuam, quum superstes nobis esset, insignis vir Nicobulus, nunc autem ita miseram, vt ne lugendi quidem potestas ipsi facta sit, tum ob exorta iam mala, tum ob impendentia, nisi tibi ac tuæ iustitiæ visum fuerit aduersus malum dæmonem in procinctu stare, nósque honore afficere, atque humanarum rerum fragilitate moueri, clarúmque & celebrem tibi ipsi magistratum tuum per beneficentiam erga nos reddere.

SCHOLIVM.

D 1. *Et faber est) Versus Hesiodi Græcus talis est.*

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων.

45. *Ecebolio.* 39.

ADuersus meipsum nonnihil exclamabo (ac dolenti ignoscendum est, ea, quæ dolentis sunt, loquenti:) O praua & maligna caruncula, quibus me malis afficis! In propinquo vir erat, quem etiam procùl remotum persequi cumprimis oportebat, tum ob principe viro dignam virtutem, tum ob cæteram mansuetudinem & lenitatem. Tu verò malè ac propemodum torpidè te habes, nec tibi quicquam curæ est, quòd aliis hoc bono fruentibus, ipsi careamus. Atque huiusmodi nostra est accusatio. Quoniam autem ea, quæ patimur, deplorare minimè sufficit, verùm medicamentum etiam quoddam vulneri adhibendum est, hoc inuenimus, nimirum
E vt hanc epistolam scribere audeamus, ac præsentiam per literas adumbremus. Quòd si de nobis quoque præclarè mereri studes & expetis, vir bonitate scatens, fidenti animo calamitosam domum ac misericordia dignam tibi offerimus, viduã ac pupillos lachrymis adhuc calentes, sororem inquam meam, eiúsque liberos, qui probo patre nati, & qui tum imperatoribus non ignobilem, verùm perillustrem operam in armis nauauerit, tum etiam vobis præsidibus multis modis inseruierit (si Nicobuli nomen ad tuas aures peruenit) nunc grauissima quæque pati periclitantur. Etenim post amicorum deditionem & iusiurandum illud, quod ob inquisitionem subierunt, nunc rursus pupillos vexare conantur.

46. *Africano.* 65.

QVibusnam rebus equi maximè gaudent? non dubium quin equis. Quibus A
1 aquilæ? aquilis profectò. Graculum porrò [1] graculo assidere ipsa quoque parœmia docet. Eodem proinde modo Atticum quoque Atticis oblectari puta, & probitatis studiosum eius amatore & antistite. Nam mihi præses nihil aliud esse videtur, quàm virtutis adiutor, & vitii aduersarius, siue incruentum imperium gerat, vt nos, siue id, quòd gladium & lorum iunctum habet. Cruorem enim tibi minimè adiiciemus, quippe quem virtute imperiũ tenere scimus, non vi cohibere, ac metu potiùs, quam suppliciis, improbos coërcere: quæ quidem optimi imperii lex est. His itaque de causis magnopere quidem congressum tuum expetebam, ac nunc etiam expeto. Verùm quia per aduersam valetudinem id mihi consequi non licet, necessariò ad res ipsas veni, &, quod cõmodissimum est, te per vnum amicum & familiarem, ac cognatum, saluto, hoc est, per charissimum mihi Nicobulum, B
2 qui & me apud te excusabit (vir autem est fide dignus, si quisquam alius, [2] quantùm quidem ipse cognosco) & per nos sese præstantiæ tuæ noscendum præbebit.

SCHOLIA.

1. *Graculum porrò) Hoc adagio significatur, Homines eiusdem artis, & conditionis vitæ, libenter simul versari. Vnde illud: Similis similem quærit. Hoc prouerbium, quemadmodum & alia nonnulla ab hoc authore vsurpata, ab Erasmo in doctiß. illis Chiliadibus prætermissum est.*

2. *Quantum quidem) Gr. ὅσα δ' ἱ ἐμὲ vbi legendum ὅσα δὴ ἐμὲ quemadmodum etiam habet Froben. codex.*

47. *Asterio.* 66.

ARGVMENTVM.

Nicobuli causam Asterio commendat, iniquum esse dicens, eum alieni sceleris pœnas luere. C

QVid Deo iustius? & tamen, cùm omnium creator ac Dominus sit, peculiariter
1 sibi populum Israëliticum vendicat, suumque nominat: nec veretur, ne [1] hoc nomine iniustus existimetur. Quid igitur mirum, si nos quoque, quãuis omnium, qui sub nostra manu & præfectura sunt, curam geramus, arctiùs tamen filium Nicobulum complectamur, quem & senectutis nostræ & morbi curatorem agnoscimus, ac velut subsidium & baculum infirmitati nostræ subiecimus. Hunc tibi, & per te principi, commendamus, graue admodum & acerbum esse existimantes, si, cùm alios ex grauissimis etiam periculis opera nostra liberemus, atque in primis eos, qui nunc sæuos accusatores se præbent, hunc tamen ne à calumnia & iniqua vexatione liberare queamus, & quem in exteris honorem obtinemus, hunc in nostris minimè consequamur: idémque nobis accidat, quòd oculis, qui alia cernentes D seipsos minimè cernunt, aut quòd fontibus in imo sitis, qui propinqua loca nequaquam alluentes, remota irrigant. Sint sanè atrocia vel plusquam atrocia, quæ à pueris patrata sunt, quemadmodum aut fortasse nihil omnino esse, aut parua saltem inuenirentur, nisi præscripti ad inquisitionem temporis angustiis premeremur. Quid hoc tamen ad Romanos, qui eorum, quæ contigerunt, nulla omnino ex parte participes fuerunt? Aut quæ hæc ratio est, vt pro alienis peccatis ab aliis pœnæ expetantur, ac nunc publicarum rerum cura subeunda sit, cum priuatæ discruciant.

SCHOLIVM.

1. *Hoc nomine) παρὰ τοῦτο enim legendum est, non παρὰ τούτῳ vt in vtroque codice scribitur.*

48. *Eidem.* 67. E

Quid hoc (fortasse dicturus es) rursus ad nos Gregorius? rursus epistolas? rursus postulationes? ô inexplebilẽ cupiditatem, quã ipsi excitauimus. Ne quæso ne tibi hoc accidat? Quorum enim sunt portus? An nõ eorum, qui tẽpestate iactãtur? Quorum pharmaca? An non eorum qui morbo laborant? quibus quæso ne priuemur: quódque eo magis quod gratia & authoritate apud te valere credimur. Nõ enim iam
1 poscimus, sed exposcimus: nimirum [1] gratia gratiam semper prouocante. Nicobulus per summam improbitatem vexatur, quod perinde est ac si dixissem nos, hic quippe nos recreat & reficit. Et quo modo hic silere miniméque grauis & importunus

A tunus esse queat vir etiam admodum sapiẽs? Oppressis manum porrige, vt tibi Dei quoque manus porrigatur, qua, vt homo, opus habes. Atque omni amicitię & prudentiæ & [2] potentiæ genere, vnà cum Deo in rebus nostris vtere. Nam nec ig- 2
nitum ferrum multis lapidis pulsibus opus habet, vt insitus ignis in apertum proferatur, verùm simulatque percussum est, cõfestim ignis fulget, atque emicat: nec tibi lõgiore deprecatione opus erit, idque pro nobis, ac tali homine suasoris partes obeunte, tamque fido imperij consorte. Vnum idque breue, dicam. Alia quidem beneficia alii per nos accipiebant: hoc autem nos pro nobis ipsis indigemus: quod magis etiam eloquentiam tuam doctrinámque flectat.

SCHOLIA.

B 1. *Gratia gratiam) Quò enim libentius mihi gratificaris, eò me magis ad nouas postulationes afferendas allicis. In Heruag. corruptè legitur* προκαλουμένην, προκαλουμένης *enim, in gignendi casu, cum Froben. legendum est.*

2. *Et potentia)* τῷ δυνατῷ. *sic enim legit Frobenius, non autem* τὸ, *vt Heruag.*

49. Olympio. 40.

ARGVMENTVM.

Diocæsarienses facinus quoddam patrauerant, ob quod summum erat periculum, ne ciuitas solo æquaretur. Gregorius igitur hac epistola præfectum Olympium rogat, & obtestatur, ne ob quorundam scelus florentissimam vrbem euertat.

RVrsus benignitatis tempus: & rursus ego audax & temerarius, qui rei tantæ deprecationem literis committam. Audacem enim me morbus facit, ne progredi quidem sinens, nec enim honestum & decorum ad te accessum præbet. Quæ
C igitur est hæc deprecatio? à me placidè & humanè hodierno die suscipe. Acerba quidem etiam res est, mors hominis (quidni enim?) hodie viuentis, & cras morituri, nec ad nos reuersuri. Multo autem acerbior est vrbis interitus, quam imperator condidit, & tempus constituit, & longa annorum series conseruauit. [1] De Diocæ- 1
sarea loquor quondam ciuitate, nunc autem è ciuitatum albo expuncta, nisi tu placidum quiddã annuas. Hanc per nos pedibus tuis aduolui existimato. Ac vocem etiam habeat, & lugubrem habitum induat, & comam laniet, velut in Tragœdia, talíque oratione te alloquatur. Porrige mihi manum humi iacenti, succurre laboranti. Ne ad temporis acerbitatem impetum tuum adiungas, nec Persarum reliquias euertas. Honestius tibi fuerit vrbes extruere, quàm laborantes delere. Ciuitatis conditor existe, vel ad eam quidpiam addendo, vel integram conseruando.
D Ne patiaris eam vsque ad imperium tuum ciuitatem esse, & post te iam non esse: nec committas, vt posteri habeant quod de te malè loquantur, nimirum te inter ciuitates numeratam accepisse, atque eam, quæ quondam vrbs erat, vastum & incultum locum reliquisse, montibus duntaxat & præcipitiis ac ruderibus solis agnoscendam. Atque hæc apud tuam humanitatem faciat & dicat ciuitas ea, quam loquentem induximus. Iam nostram, hoc est, amici viri, admonitionem accipe. Causam haud dico quin tu in eos, qui in tuæ potestatis edictum peccarunt, animaduertas, nam pro hac re nullum verbum dicere audemus, etsi audax hoc facinus nequaquam à communi consilio, sed à temerario quorundam adolescẽtum impetu profectum esse narrant. Cæterùm maiorem iræ partem remitte, ac sublimius rem tecum considera. Doluerunt matrem opprimi, ac velut enecari, non tu-
E lerunt se ciuium nomen habere & ciuitate carere, furore perciti sunt, à legibus recesserunt, salutis suæ spem abiecerunt, calamitatis nouitas eos de mentis statu deturbauit. Idcircóne vrbem euerti oportet? Absit à te, vir præclare, vt hoc statuas. Quin potius te moueat, cùm ciuium omnium eorum, qui Remp. administrant, & magistratus gerunt deprecatio (omnes enim æquè puta calamitate hac affici, etiamsi authoritatis tuæ magnitudine deterriti quietem agunt, tacitéque ingemiscunt) tum nostra etiam canities, cui graue & acerbum fuerit, si magnam quondam vrbem habentes, nunc ne vrbem quidem habeamus, sed post imperium tuum in ferarum lustrum cõuertatur templum illud, quod extruximus, omnéque nostrum in eo exornando studium. Neque enim [2] si statuæ deiiciantur, hoc graue

& acerbum eſt, etiamſi alioqui acerbũ (nec de his nobis eſſe ſermonem arbitreris, A
qui in præſtantiora incumbimus) verùm ſi vrbs antiqua, & quæ eximii aliquid ac præclari tulit, vnâ cum illis corruat, nobis viuentibus ac videntibus, qui in honore apud te ſumus, gratiáque & authoritate nonnihil valere exiſtimamur. Sed de his rebus ſatis à nobis dictum ſit. Neque enim ſi plura dixerimus, validius quiddam fortiúſque tuis rationibus atque conſiliis inueniemus, quibus prouincia tanta gubernatur, atque ſublimiora imperia. Hoc autem tuæ animi magnitudini de iis qui
3 in tuas manus inciderunt, notum eſſe oportet, quòd prorſus miſeri & abiecti ſunt, nec cum iis, qui facinus illud patrarunt, petulantiæ vllius ſocii atque conſortes extiterunt, quemadmodum multi ex iis, qui tum adfuerunt, mihi fidem faciunt. De his rebus hoc conſtitue, quod ex vſu eſſe iudicabis, tum ad huius vitæ gloriam, tum ad ſequentis vitæ ſpem. Nos verò, quod tibi decernere in mentem venerit, non B
quidem mœrore feremus, ſed tamen feremus. Quid enim aliud faceremus? Quòd ſi deterior ſententia vicerit, rem vnam acerbè feremus, eámque, quæ priùs vrbs erat, lachrymis proſequemur.

SCHOLIA.

1. *De Diocæſarea) Diocæſariam inter Cappadociæ vrbes ponit Plinius cap. 3. lib. 6. Erat tamen & alia vrbs hoc nomine in Palæſtina, quam Gallus Cæſar, Iuliani Apoſtatæ frater, excidi ac ſolo æquari iuſsit ob rebelles Iudæos. De qua re vide Socratem lib. 2 cap. 27.*

2. *Si ſtatuæ deiiciantur.) Hîc obſerua Gregorij quoque tempore ædes ſacras ſtatuis & imaginibus ornatas fuiſſe.*

3. *Quin tibi ſupplices ſunt) Hîc ſecutus ſum Frobenianum codicem, in quo legitur προσπεπτωκότων à προσπίπτω quod genibus aduolui ſignificat. In Heruag. habetur, προπεπτωκότων, ſed vitioſe.*

C

50. Eidem. 41.

ARGVMENTVM.

Olympium imperio decedentem laudibus & fauſtis omnibus proſequitur.

Tu nobis præfectus es, etiam poſt præfecturam (alio enim modo, quàm vulgus ſolet, de rebus iudicamus) quoniam virtutes omnes, quæquidem præfecto dignæ ſint, complexu ſuo tenes. Pleríque enim ex iis, qui ſublimibus thronis inſident, apud me humi iacent, nimirum quos manus humiles & abiectos efficit, ſeruóſque eorum, quibus præſunt. Permulti rurſus alti & ſublimes, quamuis inferiori loco atque ordine ſint, nempe quos virtus in alto collocat, ac maioribus imperiis dignos reddit. Sed quorſum hæc mihi? Non iam nobiſcum eſt magnus Olympius, nec gu-
2 bernacula noſtra gerit. Periimus, proditi ſumus, facti ſumus rurſum [1] ſecunda Cap- D
padocia, qui primæ dignitatem à te conſecuti eramus. Atque vt de aliis taceam, ec quis iam Gregorii tui ſenectutem curabit, corporíſque imbecillitatem honoribus velut incantabit, honoratiorem ex eo reddet, quòd multis hominibus benignitatem tuam conciliaret? Ac nunc quidem itinere veſtro cum meliori ductu ac pompa abite, multas nobis lachrymas relinquentes, multas item vobiſcum opes efferentes, quáſque non multi pręfecti ſecum aſportant, nimirum bonam exiſtimationem; & quòd in omnium animis inſcripti atque inciſi eſtis, hoc huiuſmodi columnis, quæ non facilè moueri poſſunt. Quòd ſi ad nos rurſus cum maiori & illuſtriori imperio vobis venire contigerit (nam hoc nobis deſiderium auguratur) pleniores vtique Deo gratias perſoluemus.

SCHOLIVM. E

1. *Secunda Cappadocia) NaZianZum in ſecũda Cappadociæ prouincia ſitum erat. Hoc igitur vult Gregorius, patriam ſuam, quæ Olympij præfecti virtute ſupra primam Cappadociam ſe efferebat, eo decedente iam in ordinem redigi, atque in ſecundo gradu ſubſiſtere.*

51. Nectario. 4

ARGVMENTVM.

Hic Nectarius Theologo in Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſubrogatus fuerat. Quare ne Gregorius ob eam cauſam minus amico erga eum animo eſſe videretur, vltrò ad eum ſcribit, eique Pancratium commendat: quod profectò ingenui & candidi hominis erat, nec vlla maleuolentia inuidiáque ſuffuſi.

A RES nostræ se habent, vt habent. Sine bello & negotiis sedemus, silentij præmium ab omni periculo vacuum, omnibus rebus anteponentes. [1] Quin ex hac etiam quiete nonnihil fructus cepimus, nimirum ex morbo Dei misericordia vtcunque recreati. Tu verò prosperè incede & regna, vt Dauidis verbis vtar: ac Deus sacerdotium istud, quo te ornauit, tecum gubernet, atque omni calumnia & vexatione sublimius præbeat. Vt autem mutuæ vtrinque fiduciæ argumentum demus, nec, cùm Deo astemus, humano quodam affectu ducamur, hanc quidem deprecationem ad te affero, tu verò promptè & libenter annue. Multæ nos causæ necessariò impellunt, vt syncerissimo vestro filio Pancratio consultū velimus. Quamobrem abs te peto, vt & benigno eum animo admittas, & optimo cuique amicorum commēdes, vt scopum eum, quem sibi proponit, assequatur. Est autem hic B scopus, vt per quoddam militiæ genus immunitatem à negotiis accipiat. quandoquidem ne genus quidem vitæ vllum est ab improborū iniuria liberum, quemadmodum ipse quoque nosti.

Tutū silentii præmiū. prou. de quo vide Eras.

52. *Eidem.* 5.

Quid fecisses, si præsens ipse negotia habuissem? Perspicuum vtique est, te nihil omnino studij ac diligentiæ prætermissurum fuisse, quo me ab iniuria & fraude liberares, si quid coniecturæ duci potest ex his quæ præcesserunt. Hoc igitur nunc quoque nobis per ornatissimam neptem nostram, pedibus tuis per me aduolutam concede, tum supplicis ætate permotus, tum morum integritate & pietate (longè enim ab aliarum mulierculaurm moribus aliena est) tum præterea ipsius quiete & C negotiorum gerendorum imperitia, tum quia à propinquis nunc ipsi negotium exhibetur, tum denique & maximè, quia id ego abs te precibus cōtendo. Porrò eô maiorem à nobis gratiam inieris, quô in eo quod petimus beneficio celeritatem maiorem adhibueris. Nam ille quoque in Euangelio iniquus iudex humanum se viduæ clementémque præbuit: sed post diuturnam & importunam supplicationem. A vobis autem celeritatem requirimus, ne diuturnis curis, grauibúsque in externa regione afflictionibus & ærumnis conficiatur. tametsi illud nullo modo dubito, quin pietas tua externam quoque mulierem tibi conciliatura sit.

53. *Helladio.* 6.

ARGVMENTVM.

D *Helladius hic Cæsariensis Ecclesiæ clauum tenebat, ac Basilio Magno in ea sede successerat. Hic ad Gregorium quædam Paschalis festi symbola miserat.*

LIteris tuis delectatus sum. quidni autem cùm te videam ne [1] mortuorum quidem immemorem esse? Ad id porrò, cùm [2] festi symbolo adieceris, maiori voluptate me cumulasti. Verùm enimuero ad ea, quæ tribuis, ea, quæ petis, adiunge. Precare pro nobis, vt, si quidem id conducit, rursus festi submoneamur, vicissimque submoneamus: sin secus ad alterius vitæ bona transferamur, ac verum festum, vel capiamus vel videamus, vbi lætantium omnium est habitatio. Strophis enim huius vitæ saturati sumus.

SCHOLIA.

1. *Mortuorum quidem) Hoc est, mei qui iam velut inter viuos agere desij, homo videlicet & morbis & senectute fractus atque confectus.*

E 2. *Festi symbola) Olim enim, vt in Collationum libro scribit Caßianus, in Oriente præsertim, summorum Ecclesiæ præsulum munus hoc erat, vt mißis quaquauersum Epistolis inferiores Episcopos, quo die sacrum Pascha celebrandum esset, certiores facerent.*

54. *Eidem.* 7.

Res in spe positas procùl videre admoniti (vtar enim tuo procœmio) rebus quoque iam præsentibus oblectamur. Etenim sanctum Paschæ diem, ad quem peruenimus, mysticum futurorum bonorum symbolum esse scio, vt qui transitus festum sit. Quarum rerum tu quoque commode nos submonuisti, tum per ea, quæ misisti, tum per ea, quæ scribis. Ego verò multa quidem Paschata iam exegi, atque hunc longioris vitæ fructum cepi. Nunc autem puriùs es ex hac graui & caliginosa vitæ

Ægypto egredi, & luto ac conficiendorum laterum opere, cui astringimur liberari, A
atque ad promissionis terram migrare concupisco. Hanc nobis precare, si quid tibi curæ est quàm præclarissimè de nobis mereri. Tibi verò vtinam viuo & incolumi sæpius contingat simul cum Ecclesia festum celebrare. Quòd si mihi senectutem quoque beneficio vestro commodè claudere licuerit, constituto nimirum à vobis huic Ecclesiæ Episcopo, quem Sp. sanctus designauit: bono opere perfuncti fueritis, paternísque, vt sic loquar, benedictionibus digno.

SCHOLIVM.

1. *Res in spe positas) Heb. 11. Iuxta fidem hi omnes mortui sunt, cùm non accepissent promissiones, sed procul eas vidissent, &c. Quod Paulus dicit promissiones, Theologus dicit τὰ ἐλπιζόμενα, eodem sensu.*

55. *Procopio.* 42. B

ARGVMENTVM.

Constantinopolim ad concilium quoddam vocabatur Gregorius. Ait igitur se ab omnibus Episcoporũ conciliis abhorrere, propter rixas & contentiones, quibus inter se confligantur: simúlque valetudinem excusat. Huius quidẽ Epistolæ authoritate ad Conciliorum oppugnationem Caluinus abutitur sed, neminem piorum mouere debet. Nec enim de generalibus, sed de particularibus quibusdã conciliis loquitur. Alioqui enim secũ ipse pugnaret, vtpote qui pluribus locis Nicænum concilium laudibus in cœlum ferat, & magna ipsa pars fuerit Constantinopolitanæ synodi, in qua Macedoniani, qui Spiritui sancto bellum indixerant, damnati atque anathemate percussi sunt.

Concilia. EGo, si vera scribere oportet, hoc animo sum, vt omnem Episcoporum conuentum fugiam: quoniam nullius concilij finem lætum & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potiùs, quàm accessionem & incrementum habuerit. Pertinaces enim contentiones, & dominandi cupiditates (ac ne me quæso grauem C
1 & molestum existimes, hæc scribentem) [1] ne vllis quidem verbis explicari queant: citiúsque aliquis improbitatem arcessetur, dum aliis iudicem se præbet, quàm vt
2 aliorum improbitatem comprimat. Propterea memet ipse collegi, [2] animæque securitatem in sola quiete ac solitudine mihi positam iudicaui. Nunc verò huic quoque meo iudicio patronus morbus accedit, quippe qui me ita distorqueat, vt quotidie fere extremos spiritus efflem, nec vlla re meipso vti queam. Atque ob hanc causam ignoscat mihi tua animi magnitudo: detque operam ne pientissimus imperator me inertiæ atque ignauiæ condemnet, sed infirmitati ignoscat, ob quam se quoque nobis, instar alius cuiuspiam beneficii hoc postulantibus, sucedeni potestatem fecisse nouit.

SCHOLIA. D

1. *Ne vllis quidem verbis) Pro eo quod habetur in Heruag. ἢ λόγῳ κρατήτους, lego κρείττονας, vt in Froben. & Rom.*
2. *Animæ securitatem) Lego enim ψυχῆς ἀσφάλειαν non iam ex coniectura duntaxat, vt in priore editione, sed etiam authoritate librorum Italicorum.*

56. *Eidem.* 43.

Vt res nostræ se habeant, siscitaris? Cum quadam historia respondebimus. Legationem quendam Athenienses apud Lacedæmonios obiisse ferunt, cùm tyrannide premerentur. Legationis porrò hæc summa erat, vt boni & æqui aliquid ab eis impetrarent. Posteaquam autem è legatione redierunt, rogauit quispiam, Quo animo erga nos sunt Lacedæmonij? At illi, Vt erga seruos admodum benigno &
1 humano, [1] vt autem erga liberos, perquàm insolenti & cõtumelioso. Hoc igitur E
ipse quoque scribere possum. Humanius enim mitiúsque nobiscum agitur, quàm cum reiectis & desperatis: duriùs autem quàm cum iis, qui Deo curæ sunt. Nam & morbus adhuc infestus est, & amici nos vexare, ac, quibus possunt, incommodis afficere non desinunt. At tu à Deo precibus pete, vt se propitium nobis & placidum præbeat. Ita duorum alterum continget, nempe vt vel has acerbitates omnino fu-
2 giamus, vel certè perferamus. [2] Lenitatis porrò rationem habet calamitatis imminutio.

SCHOLIA.

1. *Vt erga seruos) Huic non dissimile est illud Teognidis, ὡς εὖ μὲν χαλεπῶς, ὡς χαλεπῶς δὲ μάλα εὖ, id est, vt bene, malè:*

A *malè: vt malè benè. Itémque illud, Ciceronis ni fallor, Belli fortuna, vt in secundis fluxa, vt in aduersis bona.*

2. *Lenitatis porrò) In vtroque exemplari mendum est. In Heruag. legitur,* ἔτι δὲ καὶ τοῦτο ἐπιεικῶς. *legendũ enim vel pro* ἔτι, ἔχει, *vel pro* ἐπιεικῶς, ἐπιεικὲς. *in Froben. perspicuus est error,* ἔτι δὲ καὶ τοῦτο ἐπιεικὲς, ἐπιεικὲς *enim legendũ.*

57. *Eidem.* 44.

Sentio, quod crimen mihi obiicias, etiamsi id reticeas. Nuptias celebramus, forsan dixeris, ídque aureæ tuæque Olympiadis, ac rex Episcoporũ aderat: tu verò aberas, vir egregie, vel dedignatus vel grauatus. Neutrum horum, ô admirãde. Sed fieri non poterat, vt qui tragicè se haberet, comicè festum diem ageret. Ac simul omnino intempestiuum est, atque à nuptiis alienum, podagricos duos videre, qui inter saltitantes circunferãtur, ac rideantur. libet enim nonnihil quoque nuptiali more ludere. Nam alioqui quantum ad voluntatem attinet, & adsum, & simul fe-
B stum celebro. Iuueniléſque dextras inter se iungo, atque vtrasque Dei manui. Conuenit enim, vt quemadmodum alia omnia bona, ita matrimonium quoque in optimum quemque finem & secundum communia nostra vota fiat.

Amm. Marcellinus lib. 20. meminit Olympiadis filiæ Ablabij præfecti quondam prætorio, quæ iussu Constantij Arsaci Armeniæ regi nupserit.

58. *Eidem.* 45.

En alter quoque tibi gener, dulce onus [1] commodè excutis. Nos verò desides, 1
vt ipse fortasse dixeris: vt autem verè dicã, infirmi desides non sunt. Cæterùm quantum ad ea quæ ex Deo sunt, velle habemus. Nam tumultus quidem aliis concessimus: nos autem philosophia fruemur, posteaquam ad Deum [2] collectus fueris, to- 2
C túmque te ad superarum rerum studium contuleris, nullo iam vinculo præpeditus ac detentus. Ac nunc preces, vt donum omnium pulcherrimum vobis offeramus, nuptiis largimur.

SCHOLIA.

1. *Commodè excutis) Lego enim* ἀποσκευάζῃ *non* ἀποσκευάζει *authoribus libris Italis.*
2. *Collectus fueris) Lego enim iuxta Froben. exemplar,* ἐπειδὰν θεῷ συσταλῇς.

59. *Sophronio Præsidi.* 53.

HAbet quiddam læti & commodi noster secessus, nimirum otium & quietem. sed id non tam lætum ac commodum est, quàm incõmodum, quòd à vestra amicitia & familiaritate, re tanti momenti me seiungat. Alii præstanti tua virtute
D fruuntur: nobis autem hoc magnum & amplum fuerit, si sermonis & congressionis vmbram habuerimus, quæ in epistolis continetur. An verò te rursum videbimus? an te rursum complectemur, te inquam decus nostrum & ornamentum: ídque vitæ nostræ reliquiis dabitur? Si quidẽ detur, omnis Deo gratia habeatur: sin minus maxima nostri parte mortui sumus. Tu verò Gregorii tui memoriam cole, ac res nostras narra.

60. *Eidem.* 54.

ARGVMENTVM.

Sophronium ad componendas Episcoporum controuersias, sarciendámque inter Orientales & Occidentales concordiam hortatur.

Quietè & tranquillè philosophamur: hoc nobis iniuriæ intulerunt, qui nostri
E odio flagrabant. atque vtinam alia quadam huiusmodi iniuria nos afficiant, vt pluribus beneficiis nos ipsis obstrictos esse agnoscamus. Multa enim sunt, in quibus ii, qui lædi videntur, beneficium accipiunt, & contrà iis, qui beneficium accipere putantur, iniuria infertur. Atque ad hunc modum res nostræ se habent. Quòd si aliis huius rei fidem non facimus, te quidem certè, cui libenti animo vitæ nostræ rationem reddimus, instar omnium scire volumus, immò verò, & scire confidimus, & ignorãtibus fidem facere. Vos verò, obsecro, omni studio in hoc incumbite, vt si non priùs, nunc saltem orbis segmenta malè disiuncta conspirent & coeant: ac prætertim, si eos inueneritis, nõ ob fidei doctrinam, sed ob priuatas simultates inter se distractos ac diuulsos, quod quidem ipse obseruaui. Hoc & vobis mercedem

tulerit, si id potueritis: & nobis minus mœroris habiturus est noster secessus, si ap- A
paruerit nos eum non in cassum amplexos fuisse, sed sponte nosmetipsos in pelagus, Ionæ illius instar, proiecisse, vt sedetur tempestas, ac vectores tutò seruentur. Quòd si nihilominus tempestate iactantur, nos certè, quod in nobis fuit præstitimus.

61. *Eustochio Sophistæ.* 55.

ARGVMENTVM.

Hac epistola prius se Eustochio purgat, quòd Nicobulum, Athenas studiorum causa proficiscentem, Stagirio per literas commendarit. Deinde eum accusat, quòd caninam facundiam exercens, sophistam quendam, hoc est, eiusdem artis sectatorem & professorem, maledica oratione lacerarit.

1 O [1] Vlysses, scitè, sanè me perstrinxisti, Stagirismum exprobrans, sophisticóque B
artificio studiosissimè me versans & exagitans. Atque istam animi libertatem
laudo, quòd ea scribas, quæ scribis. Præstat enim id, quod animum malè habet, ef-
2 ferre atque expromere, quam quiescere, [2] perinde atque id ignoremus. Ipse quoq;
aliquid habeo, quòd te accusem. Verùm, vt fori ac iudiciorum legem seruem, priùs
tibi ad ea, quæ obiicis, respondebo, postea autem accusabo, atque vtrumque pari
cum beneuolentia faciam. Ad Stagirium bellum hominem, Nicobolus meus ac-
3 cessit, [3] haudquaquam de nostra sentẽtia, nec hoc existimes (non enim ira vel Athenarum, vel amicitiæ tuæ & sodalitatis, immemor sum) verum suomet ipse consilio, & de patris voluntate ad eum se cõtulit, à me autem illi per literas traditus est & commendatus. Quid hîc ab amicitia aut humanitate alienum feci? Quoniam au-
4 tem purgationem nostram habes, accusationem quoque accipe. [4] Coroplathos il- C
los tuos, & Telchinas minimè laudo, quibus artis æmulum insectaris. quandoquidem vsus obtinuit, vt eiusdem artis professores ἀντίτεχνοι, id est, artis æmuli atque aduersarii vocentur. Quousque enim ista? Nunquámne sophisticæ huic obtrectationi & maledicentiæ finem statuemus? An expectabimus, dum mors ab hac improbitate nos abrumpat? Iuueni enim fortasse, honoris cupiditate flagranti, opibúsque inhianti, qui hæc, modo parcè faciat, nonnihil veniæ dari possit. libet enim in gratiam tuam Demosthenis verbis aliquantulum vti. Hominem autem id ætatis, atque hoc rerum statu, publicè alium infamare ac vicissim infamari, intẽpestiuum prorsus & pertinacis cõtentionis plenum: non solùm quia hoc animo inhonestum & sordidum est, sed etiam quia mira est huius rei facilitas, perinde ac fluctus reci-
5 procantis. [5] Etenim, vt cum Homero rursus loquar,

Talia audies qualia in alios dixeris.

Dictum tale feres, quale antè intorseris ipse. D

Radentem porrò vicissim radere nequaquam reprehendendum est. Quæ igitur hæc sapientia est, cum virtute vincere liceat, vitio superari, aut etiam superare, quòd multò peius est? At hoc quoque nomine, vt vere loquar, iudices accusandos esse censeo, quòd, quæ pro tribunali damnant, eadem cùm audiunt, laudant. Nec id solum: sed, multos etiam habent, qui simul laudent, ac vitium accendant, atque huc vsque in partes & studia dissecti sint. Atqui conuenit, vt si hæc falsa existimentur, non laudentur: si autem vera esse creduntur, publicè iudicentur: aut etiam hanc rationem adhibere, vt si falsa obiiciuntur, accusatores coarguantur: sin vera, ii aduersus quos oratio habetur: non autem permittere, vt nobilium virorum existimatio, res maximi ponderis, tam facilè ludibrio adhibeatur. Quare, si meo consilio pare-
tis (vtrúmque enim alloquor) huiusmodi sermones & vituperationes valere finite, E
si nihil aliud, caniciei certè reuerentia, aut etiam rerum turpissimarum lassitudine: ipsi verò in animum inducite veteri prouerbio obsequi, quod virtutis cultum am-
6 plecti iubet, [6] cùm satis ad victum amplæ facultates sunt. Nec cum vobis ipsis, tum iuuenum spei insidias comparate, qui profectò grauissima iniuria afficientur, si literarum studia colentes, vitium addiscant, & quidem non sine mercede: perinde ac vos, non virtutis, sed vitii magistros habeant. Quòd si tibi molestus esse videor, hæc scribens, iisdem rebus me vlciscere, vtile quoque aliquod consilium mihi offerens: vt vel obtemperantem præceptis tuis laudes, vel repugnantem accuses.

SCHO-

A

SCHOLIA.

1. *O Vlysses) Verba sunt Menelai ad Vlyssem, cùm ab eo ignauiæ nomine verbis acerrimis perstrictus esset, Iliad. ξ. Itaque legendum* ὦ ὀδυσεῦ *non vt in vulgatis,* ὠδυσεῦ.

2. *Perinde atque hic ignoremus) Ex tot corruptis codicibus minus corruptum hîc sequutus sum, eum nempe qui Haganoæ typis Ioan. Sec. excusus est anno 1528. vbi habetur,* ὡς ἐκεῖνον ἀγνοοῦντας *vbi tamen* ἐκεῖνο *legendum. In duobus aliis exemplaribus ita legitur* κρεῖσσον ἐκλαλεῖν τὸ λυποῦν, ἢ ἠρεμεῖν, ὡς ἐρεῖν ἀγνοοῦντας. *Hîc quid significare poßit* ὡς ἐρεῖν ἀγνοοῦντας, *equidem non video, nec quis sensus inde erui queat. Proinde pro* ἐρεῖν ἐλεῖν, *potius legendum censerem: vt sit sensus, Præstare animi dolorem præ se ferre ac detegere, quàm premere & occultare, eósque tacitè condemnare, qui nullius culpæ sibi socij sint, facilè se purgaturi, si doloris causa ipsis aperiatur. Quam tamen coniecturam non quasi ex tripode prolatam accipi volo, sed vt ab animo studiorum sacrorum pro virili iuuandorum cupidißimo profectam.*

B 3. *Nequaquam de nostra sententia) Gr.* οὔτι καθ᾽ ἡμέτερόν γε νόον. *Aliud Homeri hemistichium Iliad. 10. Verba sunt Nestoris, quibus Agamemnonem hortatur, vt cum Achille in gratiam redeat.*

4. *Coroplathos illos tuos Telchinas) His verbis, aduersarium suum Eustochius insectabatur.* κοροπλάθος *autem, vt Christodulus docet, figulum propriè significat pupparum & huiusmodi imaguncularum. De Telchinibus varia est opinio. Quidam enim eosdem fuisse credunt Curetas, Cabiros, Telchinas, Corybantes & Idæos Dactylos, qualem Sceptium fuisse scribit Strabo lib. 10. Alij cognatos fuisse existimant, nonnihilque differre, omninóque furore quopiam motos. Telchinas porrò fascinatores fuisse ferunt, & maleficos, quòd Stygiam aquam animalibus & stirpibus perniciei gratia inspergerent: qua ex re calamitates, fames, & pestes consequerentur. Cuius sententiæ est TZeZes hist. 113. qui etiam Telchinas numerat Adæum, Megalesium, Omenum, Lycum, Myconem, Mimonem. Nonnulli tamē contrarium sentiunt, & artibus illos præstantes fuisse volunt. De toto hoc maleficorum genere, vide Gyraldum lib. de Diis gentium Syntagm. 1.*

5. *Vt cum Homero)* ὁπποῖόν κ᾽ εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ᾽ ἐπακούσαις, *verba sunt Æneæ ad Achillem lib. Iliad. 20.*

6. *Cùm satis amplæ) Ad hoc prouerbium alludit Horatius Epist. 1.*

C

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm est,
Virtus post nummos.

62. *Eidem.* 56.

ARGVMENTVM.

Eustachius pro tam amico & salubri consilio malam gratiam Gregorio rependerat, maledictis & conuiciis optimum virum incessens. His igitur minimùm se moueri ait Theologus.

Quale illud est, quod ignoraui! quàm stultum & ineptum! Virum sophistam castigare institui, ô singularem audaciam! ac ne à vulgari quidē prouerbio eruditus sum, vt [1] cùm caluus essem, cū ariete obuersa fronte ne congrederer, nec crabonem lacesserem & irritarem, hoc est, linguam ad maledicēdum paratiorem. Quanquam 1
illud quidem non admodum me discruciat. [2] Multis enim, vt audio, adiunctus sum:
D ac si vixeris, multis etiā anteponar. Hoc verò acerbius me angit, quòd tibi minimè 2
probaui, me hoc amico animo facere. Et tamen opto, vt, tum corpore, tum animo valeas, ac linguam, si fieri possit, coërceas. Nunc autem, quod ad nos attinet, æquo animo feremus.

SCHOLIA.

1. *Cùm caluus essem) Cùm caluus sis, cum ariete obuersa fronte ne congrediaris: Et, Crabonem ne prouoces, parœmiæ sunt, quibus docemur minimè lacessendos esse homines suaptè natura irritabiles.*

2. *Multi enim) Id est, Multos alios virulenta lingua procidisti. quòd si etiam vita longior tibi contigerit, primum inter eos locum tenebo. In me enim stilum potißimum acues, atque impurißimo ore debacchaberis.*

63. *Eudoxio Rhetori.* 57.

E

ARGVMENTVM.

Eudoxium Rhetorem ad philosophiam Christianam, & humanarum rerum contemptum hortatur.

Athenis vetus lex erat, eáque meo quidem iudicio, præclarissimè constituta, vt adolescentes, cùm pubertatis annos attigissent, ad artes ducerentur, ducerentur autem ad hūc modū. Cuiuslibet artis instrumenta publicè proponebantur, atque adolescentes ad ea adducebantur. Quocunque autem delectari quemque contigisset, ad idque accurreret, huius quoque artem edocebatur: Quòd videlicet ea vt plurimùm rectè succedant, quæ natura duce aggredimur: ac contrà ea, quæ inuita natura suscipiuntur spem frustrari soleant. Quorsum autem spectat, hæc narratio? Nimirum hoc alio, tibi prouidendum esse, ne philosophiam, ad quam natura optimè comparatus es negligas, aut cuiquam alii arti, quæ tibi non satis apta sit,

Præclara lex Atheniensium.

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

potiùs assuescas, quàm hanc complectaris, ad quam natura propendes : non modò A
quia præstantissima est, sed etiam quia ad naturam tuam accommodatior. Porrò
1 non esse vi [1] cohibendum fluminis cursum parœmia quoque ipsa docet, ac poësis
etiam ei, qui equitandi artem didicerit, cantandi studio interdicit. Alioqui fore,
2 vt nec [2] equitationẽ, nec musicam assequatur. Quæ autem est hæc naturæ aptitudo?
Vt quidem ipse te spectando animaduerti, primum vitæ & morum tranquillitas atque simplicitas, animúsque ad has vitæ fraudes & imposturas parum appositus &
idoneus. Tum quia præstanti es animi indole, mentéque alta & erecta, atque ad
contemplationem leui & expedita. Huc accedit aduersa valetudo, & corporis infirmitas. nam hoc quoque non leue ad philosophiam pondus habere [3] Platoni visum
3 est. Quin ea etiam es ætate, vt iam animi perturbationes inflectantur. Nec verò
paupertate tam frangi mihi videris, quàm gloriari. Iam, quod erubescere scis, in eo B
non rhetorum morem refers. Sed neque scelesta tibi lingua est, nec malè factus es,
nec circunforaneus es, nec denique, vt rem paucis complectar, quicquam eorum
habes, quibus Aristophanes forensem illum Democritum ad popularem gubernationem fingit atque instruit. Verùm cùm Rhetor voceris, quiduis tamen potiùs,
4 quàm [4] quo ad mores attinet, inter Rhetores cẽseris. Quocirca noli id philosophię,
quod iam accepisti, proiicere, nec secundas potiùs in secundis rebus, quàm primas
5 in maximis habere. Atque, vt etiam primas eloquentiæ tibi demus, ne sustineas [5]
inter graculos excellere, cùm aquila esse possis. Quousque ob res paruas humíque
reptantes inflabimur, atque inter adolescentulos & fabulas ludemus, & à plausibus
in altum attollemur? Migremus hinc, viri efficiamur, somnia proiiciamus, vmbras
prætereamus, aliis vitæ oblectamenta, plúsque doloris quàm voluptatis habentia, C
relinquamus. Alios occupatos teneant, iactent, ludificentur, inuidia, & tempus, &
6 fortuna, [6] sic enim rerum humanarum inconstantiam appellant. Valeant throni,
principatus, opes, splendores, elationes, casus, vilis hæc & despicabilis gloriola (ex
qua plus dedecoris quispiã capiat, si animo efferatur, quàm si irrideatur) ac denique
magnæ huius scenæ ludicra, nugæque theatricæ. Nos verbum artissimè complectamur, ac pro omnibus rebus Deũ habere optemus, solum, inquam, perenne illud
7 bonum & nostrum. Ita fiet, vt hîc quoque splendorem assequamur ([7] quãdiu nimirũ
paruo adhuc animo sumus, ídque appetimus) aut certè in futuro æuo. Quandoquidẽ virtutis pręmium est, Deũ fieri ac purissimo illo lumine irradiari, quod in triplici
8 vnitate consideratur, cuius nunc radiis leuiter tantùm perstringimur. [8] Ad hæc cõtende, progredere, animo volita, vitam æternam arripe. Nusquam spes tuas siste, D
quousque ad illud summè expetendum & beatum bonum perueneris. Ac nos, mihi crede laudabis, nunc quidem parciùs, paulò pòst autem vberiùs & copiosius,
nempe cum in eo rerum statu, quem tibi pollicemur, teipsum conspexeris, ac non
inanem fœlicitatem, nec mentis figmenta, sed rerum veritatem hæc esse inueneris.

Quę sint ad philosophiã dum necessaria.

SCHOLIA.

1. *Vi cohibendum. Eccl. 4. Noli niti contra torrentem, nec coneris contra ictum fluuij, Gr.* καὶ μὴ βιάζου ῥοῦν ποταμοῦ, *nec cursum fluuij violenter cohibeas. Quem locum ad eum accommodat Theologus, qui naturæ suæ vim infert, atque inuita minerua aliquid tentat. Huic simile est illud Horatij. 1. Epistolarum.*

Naturam expellas furcâ, tamen vsque recurret,
Et mala perrumpet furtim vestigia victrix.

2. *Equitationem) Hoc prouerbio admonemur, eas artes colendas & exercendas esse, in quibus studium nostrũ collocauimus. Vnde illud Aristophanis peruulgatum* ἔρδοι τις, ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. Citatur à Cic. Disputatione prima Tusculana.* E

3. *Platoni visum) Ac proinde Academiam insalubrem Atticæ locum elegisse dicitur, vt nimis bonus corporis habitus, tanquam nimia vitis luxuries amputaretur. Vide Ficinum in eius vita.*

4. *Inter Rhetores) Rhetores enim antiqui obtrectationis & maledicentiæ vitio magna ex parte laborabant.*

5. *Inter graculos) Hoc prouerbio admonemur, præstare inter optimos & præstantißimos viros qualemcumque locum tenere, quàm primum inter perditos & profligatos : contrà quàm de Cæsare legitur, qui in paruo quodam & ignobili oppido primus esse malebat, quàm Romæ secundus. Sed profectò, vt olim Crotoniatarum postremus reliquorum Græcorum primus esse dicebatur, ita qui vel extremum inter veros Christianos locum tenet, etiã optimo Gentili, vel eo, qui inter homines mundo addictos probatißimè viuit, præstantior censendus est.*

6. *Sic enim appellant)* ὅ δή φασι, *ita enim in Froben. codice.*

7. *Adhuc*

A *Adhuc paruo animo sumus) Ex cælesti philosophia, inquit, hoc assequeris, vt & in hac vita clarum & celebre sit nomen tuum (si quidem nondum eô prouectus sis, vt humanam gloriam spernas) & futuro æuo splendidum & illustre.*

8. *Adhæc contende) Gr. πρὸς ταῦτα ἴθι. sic enim legendum, vt in Froben. non ἴσθι vt in Heruag.*

64 *Philagrio.* 58.

ARGVMENTVM.

Philagrium ad fotiter perferendos corporis dolores cohortatur. Hanc autem epistolam in vtroque exemplari Eudoxio ascribi mirorr, cùm in ea Philagrij nominatim mentio fiat, quemadmodum & in 64.

GRatulor tibi, mi Philagri, quòd philosophicè in calamitatibus te geris mul- In aduersis
tísque tolerantiæ in rebus acerbis exemplum existis, & quemadmodum ad etiam phi-
B optima quæque corpore vtebaris, cùm sanus esses, ita nunc quoque eo [1] præclare losophandum.
vteris, postquam in morbum incidisti, atque [2] otiaris minimè otiosè, vt ita loquar. 1
Philosopharis enim, &, quod Diogenem olim dixisse ferunt, cùm febre laboraret, 2
ac dolorem fortiter perferret, hoc ipse quoque præbes, nimirum animæ & corporis Diogenes.
colluctationem. Hoc scilicet Philagrium meum decebat, nempe non emolliri, nec doloribus frangi, sed lutum contemnere, ac corpus quidem sinere ea pati, quæ ipsius natura fert, naturæ lege omnino, vel nũc, vel postea dilapsurum (interibit enim, vel morbo, vel senectute confectum) sursum autem animam habere, ac per cogitationes cum Deo coniungi, illúdque minimè ignorare, [3] absurdum & præposterum 3
esse, nos extra pericula philosophari, tempore autem id postulante philosophiæ expertes apparere, nec, quod profitemur, præstare. Omnia quidem animo peruoluisti, tam nostra quàm externa, [4] vt pote vir in vtrisque eruditus, & aliorum præ- 4
C ceptor: atque humanitatis pharmacum tibi ipse ex omnibus collegisti. Verùm vt Felicitatem
tecum, si ita iubes, nonnihil philosopher, Aristotelis ieiunitatem non probo, qui Aristotelicã impro-
beatitudinem nobis definiens, quodam tenus quidem rectè progressus est, [5] nempe bat.
animæ actionem secundum virtutem esse pronuncians, addénsque etiam, in vita 5
perfecta: hoc quoque ipsum [6] admodum sapienter, propter mutabilem faciléque [7] 6. 7
in diuersum labentem naturæ nostræ cõditionem. At illud non iam magnificè, sed perquàm sordidè & abiectè, quod externam quoque bonorum abundantiam adiunxit: ita vt si quis inops sit aut valetudinarius, aut obscuro genere, aut à patria extorris, propterea ipse à beatitudine arceatur. At Stoicorum animi magnitudinem ac præstantiam laudo, qui res externas nullum ad beatitudinem, impedimentum afferre dicunt, sed virum bonum beatum esse, etiam si in Phalaridis tauro
D crementur. Ob eamque causam non eos tantùm admiror, qui apud nos pro virtute periculis se obtulerunt, aut calamitatem fortiter tulerunt: sed externos etiam, qui similes eorum extiterunt, verbi gratia, [8] Anaxarchum, [9] Epictetum, Socratem, vt ne 8
plures recenseam. Quorum primus, cùm manus ipsius, tyranno ita imperante, in 9
mortario contunderentur, carnifices Anaxarchi culeum tundere iubebat (ita videlicet hanc ærumnosam carunculam appellans) quasi Anaxarchus ipse minimè Anaxarchi
tunderetur, hoc est, philosophi anima: quæquidem apud nos externus homo & patientia.
internus appellantur. Alter, cùm crus ipsi frangeretur, velut in alieno corpore phi- 2. Cor. 2.
losophabatur, citiúsque crus perfractum esse visum est, quàm ipse vim doloris persensisse. Socrates denique ab Atheniensibus ad mortem damnatus, carcerémque, vt scis, incolens, prius quidem de corpore, tanquam de alio carcere, cum discipulis
E disserebat, cúmque fugam inire liceret, id facere recusauit: postquam autem cicuta oblata est, perlibenter accepit, perinde ac non lethale poculum acciperet, sed propinando amicos ad potandum inuitaret. His Iobum quoque nostrum adiecissem, nisi te scirem ab eius doloribus, Deo opitulante, non longè remotum esse, atque etiam fore. His rationibus teipsum mulcens, vir diuine & sacrosancte, atque hanc medicinam adhibẽs, tum ipse, vt reor, habiturus es, tum nos etiam laudum tuarum præcones voluptate afficies, nimirum teipsum ita comparans, vt nec morbo debiliteris, nec quod ait Dauid, ob peccatorum pacem, corúmque in hac vita fœli- Psal. 72.
cem rerum cursum offendaris: quin potiùs purgetis ([10] si hoc verbo in te vti fas est) 10
atque infirmitatem, virtutis materiam existimes.

SCHOLIA. A

1. *Præclarè vteris)Legendum enim τῦτο χρᾶ, vt in Froben. non autem τῦτο χρῆ, vt in Heruag.*
2. *Otiaris)Gr. ὐκ ἀργῶς, sed delendum ὐκ.*
3. *Absurdum & præposterum esse)Gubernator in tempestate dignoscitur, inquit Cyprianus sermo. 4. de Mortal. in acie miles probatur. Delicata iactatio est, cum periculum non est: conflictatio in aduersis, probatio est veritatis.*
4. *Vtpote vir)In Heruag. corruptè legitur ἔοικα, pro ὡς, vt in Froben.*
5. *Animæ actionem) Ita enim beatitudinem definit Aristoteles lib. 1. Ethic. ad Nicomachum.*
6. *Admodum sapienter)σοφῶς enim lego non σαφῶς, vt in impreßis codicibus: vt respondeat aduerbio ὀρθῶς, quod proximè præcesßit.*
7. *In diuersum labentem)τρεπτὸν enim haud dubiè legendum, non, vt in vulgatis exemplaribus, τειπτὸν.*
8. *Anaxarchum illum) Anaxarchus philosophus mortuo Alexandro, apud quem summo in honore fuerat, in Græciam rediens à Nicocreonte Cyrenarum tyranno interceptus, nouo & inaudito supplicij genere excruciatus est. Vide Scholia in Orationem priorem aduersus Iulianum.* B
9. *Epictetum) Fuit hic philosophus summo in honore apud Hadrianum Imperatorem, vt testis est Ælius Spartianus in Hadriano.*
10. *Si hoc verbo vti fas)id est. Si fas est hoc dicere, exigua illa peccata, quæ in te restant, afflictionibus purgari, ac non potius virtutem tuam calamitatibus, velut aurum igne, explorari.*

65. *Eidem.* 59.

ARGVMENTVM.

Primùm se Philagrio excusat, quòd eum peregre reuersus non viserit: deinde ei se purgat, quòd ab Ecclesiæ gubernaculis recesserit.

Quòd mutuo congressu frui nequeamus, eadem vtrique causa impedimento est. Nam & te corpus exercet, vt exercet, ne quid amplius dicam: & me scito admodum afflicta esse valetudine. Alioqui nihil, mihi crede, prius habuissem, cùm C peregrè redirem, quàm vt sine vlla cũctatione ad te accurrerẽ, téque complecterer, ac de propositis rebus in consilium adhiberem, virum amicum & prudentem, & sublimi pietate præditum. Quod autem reliquum erat, nempe vt per literas inter nos colloqueremur, hoc & ipse, vt par erat, fecisti, & nos quoque facimus. Ac nobis haudquaquã parua leuísque momenti sunt, ea, de quibus scripsisti. Proinde nec ipsi perfunctoriè & negligenter, sed perquàm accurate considerata re atque perpensa,
1 ad hoc iudiciũ venimus. Fessi ac fracti sumus, cum inuidia, & cum sacris Episcopis,
2 communem concordiam dirimentibus, fideíque causam priuatis contentionibus
Nauticus. posteriorem habentibus, concertantes. Quocirca [1] nauigii proram, vt dici, solet, conuertere, nósque, quemadmodum [2] nautilum piscem ferunt, cùm hiemem senserit, in nosipsos colligere decreuimus: atque alios quidem eminus spectare mutuò D se impetentes, ipsi autem ad alterum viam conuertere. Quòd si Ecclesiam, vt scribis, relinquere periculosum est, quam tãdem? Si nostram: rectè dicitis, idémque ipse aio. Si verò nihil ad nos attinentem, nec nobis assignatam, culpa vacamus: At idcirco tenemur, quia ipsius curam aliquantisper gessimus? Nimirum multi alii eadem ratione teneantur, quotquot nimirum extraneorum curam susceperunt. Ac fortasse laboribus quidem sua merces constat: lacessere autem & concidere culpa caret, Quamobrem nõ est cur tu hoc nomine, nobis quicquam timeas: verùm illud potiùs, ne quid detrimenti patiamur.

SCHOLIA.

1. *Nauigij proram) Hoc adagium exposuimus in scholiis Orationis de Basilij laudibus.* E
2. *Nautilum piscem) Plinius lib. 9. cap. 29. sic de nautilo pisce scribit. Inter præcipua miracula, qui vocatur Nautilus, ab aliis Pompilus, supinus in summa æquorum peruenit, ita se paulatim subrigens, vt emissa omni per fistulam aqua velut exoneratus sentina facilè nauiget. Postea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua velificante in auras cæteris subremigans brachiis, media cauda vti gubernaculo sese regit. Ita vadit alto Liburnicarum gaudens imagine, & si quid pauoris interueniat, hausta se mergit aqua.*

66. *Eidem.* 60.

ARGVMENTVM.

Philagrij in aduersa corporis valetudine patientiam laudat.

Memo-

A Memoria teneo cõgressum illum, quo nuper in Mataza mea vnâ fuimus (mea si Mataza.
quidem voco ac censeo, quæ tua sunt) philosophiámque illam cui tum operam de-
disti, quam nunc quoque in memoriam reuocans, cohorresco. Ego quidem tibi
septuagesimum secundum Psalmum enarrabam (sic enim iubebas, nec repugnare
fas erat) in quo Dauid ob eos qui omnibus rebus immeritò abundant, æstuat, mœ-
roréque conficitur: posteáque cogitationes suas ad alterius vitæ tribunalia, præ-
miáque vtrique vitæ recondita, mittens, ita demum perturbari desinit, animíque
molestiæ medetur. Ac, quantum fieri poterat, expositionem ad dolorem tuum
trahebam, tum ex nostris, tum ex prophanis authoribus ea disputans, vt pote ad
tantum támque eruditum virum orationem habẽs, simúlque Spiritu ita ferente ac
dolore exacuente. Nihil enim dolore ingeniosius est. Ac sermo quidẽ currebat: tu
B verò, interim dum loquerer, quasi stimuli cuiusdã ictu excitatus, manúsque ad cœlũ
tendẽs, atque [1] Orientem versus oculos habens (nam eò aspectus patebat) clamare 1.
cœpisti: Gratias ago tibi, Pater tuorúmque hominum cõditor, quòd nos inuitos &
reluctantes beneficio afficis, ac per externum hominem internum purgas, & per
contraria nos ad beatum finem pro iis, quas nosti, rationibus ducis. Et quid omnia
commemorem, quæ tu ante nos, & nobiscum, velut morbo gestiens, philoso-
phabaris? Ita me ex præceptore discipulum habebas. Verùm cur harum rerum men-
tionem feci? Nempe vt per te omnibus clamem & prædicem, malos nobis potius
ob internum morbum lugendos esse, quàm nos illis ob externum, siquidem nobis
eo laborare contingat: illúdque insuper, præstabiliorem esse morbum cum sapien-
tia coniunctum effranata prosperitate.

C

SCHOLIVM.

1. *Orientem versus) Prisca Ecclesia hoc ab Apostolis acceptum religiosissimè obseruauit, vt inter precandum Orientem intueretur. Clemens in Const. Apost. lib. 2. cap. 61. Orig. in Numer. hom. 5. Tertull. in Apolog. cap. 16. (vbi etiam Christianos hoc nomine falsò insimulatos ab Ethnicis ait, quasi solem pro Deo haberent) August. de serm. Domini in monte lib. 2. & Athan. quæst. 37. Vixque antiquus vllus author reperitur, qui non huius ritus mentionem faciat. Iustinus in eo libro in quo de necessariis quibusdam quæstionibus responsiones affert quæst. 118. huius rei causam exponens, sic ait: Quia eorum quæ apud nos meliora & præstantiora sunt, ad Dei honorem secernimus, hominum autem opinione & sententia pars ea, in qua Sol oritur, cæteris creatæ naturæ partibus præstantior est, Orientem, cùm precamur, omnes intuemur. Subiungítque in fine: A quibus Ecclesia precandi morem accepit, ab iis etiam, vbi precandum sit, accepit, id est, à sanctis Apostolis. Mihi tamen magis placet Basilij ratio, qui lib. de Sp. sanct. cap. 27. id idcirco fieri ait, quia vetus patria requiratur, nimirum paradisus ille, quem plantauit Deus in Eden ad Orientem. De hac re peculiariter tractat Ioannes Damascenus lib.*
D *4. de fide Orthodoxa cap. 13. quem tu legere potes. Leo papa serm. 7. de Natiuit. quosdam reprehendit, qui in lucis inchoatione de locis eminentioribus adorabant, perinde ac huiusmodi adorationis genus Deo gratius esset.*

67. Eidem. 61.

ARGVMENTVM.

Obliquè Philagrium admonet, ne in aduersa valetudine immoderatis laboribus sese conficiat, nec medicinæ opem contemnat.

Sunt, qui te carpant (hoc enim sentio) vnicum tuum prædium ambitiosè, atque
in huiusmodi corporis constitutione labores appetentem. Nec mirum illud videri
debet. Facilius enim est in alienis, quàm in propriis philosophari. Ego verò, si te
hæc facere, aut cum rapacitate ac violentia labori deditum esse conspicerem,
E obiurgassem te profectò (dicam enim vere) nihil, vel amicitiam nostram vel erudi-
tionem tuam veritus. Sin autem ita laboribus oblectaris, vt modum non excedas,
atque iis, in quibus libenter operam ponis, ita, vt decet, vteris, accedítque insuper
dolor in curis te occupans, tibíque persuadens, corporis statum supra corpus tibi
esse, facere non possum, quin iis qui tibi succensent ipse succenseam, téque culpa
liberem. Ac præterea hoc persuasum habeo, neminem esse, qui vel de rebus meliùs
ratiocinetur, quàm tu, vt pote quo omnes etiam ad res suas constituendas præ-
ceptore ac consultore priuatim iuxtà, & publicè vtantur: vel sapientius animam
curet. Quòd si corporis quoque sanitatem tueri, vel reuocare solius est Medicinæ,
quis tam audax & ineptus erit, vt tibi de his rebus [1] leges statuat? Quocirca ho- 1 Vulgus de
mines imperitos valere sine, & graculos esse, aquilarum volatum explorantes: te piis iudi-

cat, vt grà-culus de a-quilis. autem ipsum, ac Deum, tum in dolore, tum in his, quæ ad dolorem spectant, in con- A
silium adhibe: sicque ab officio minimè aberrabis.

SCHOLIVM.

1. *Leges statuat) Gr. ὥστέ σε περὶ τούτων νομοθετεῖν, sic enim habet vtrumque exemplar. Quo loco pro σε legendum σοι, verbum enim νομοθετῶ semper iungitur cum datiuo personæ & accusatiuo rei. Dicimus enim νομοθετεῖν τοῖς ὑπὸ χεῖρα & νομοθετεῖν τὴν εὐσέβειαν vel περὶ τῆς εὐσεβείας. Aut si in pronomine σε nullus est error, profectò non νομοθετεῖν, sed νουθετεῖν legendum crediderim, si nobis constructionis rationem constare volumus.*

68. *Eidem.* 62.

Priùs quidem leuandi doloris tui causa consolatorias literas ad te scribebam: prior enim in morbum incideras. Nunc autem commodè ipse nos consolari possis, in iisdem propemodum molestiis versantes. Conueniebat enim nos, cùm amicitiæ
[1 vinculo inter nos deuincti simus, [1] ne hac quoque in re disiungi. Quin potiùs iam B
consolationis officio functus es, nimirum per patientiam tuam, ad patientiam nos exhortans.

SCHOLIVM.

1. *Ne hac quoque) Perspicuum enim est μηδ᾽ ἐν τούτῳ, legendum esse, non μηδὲ ταῦτα, vt in vtroque exemplari.*

69. *Eidem.* 63.

Morbo crucior, & gaudeo, non quia crucior, sed quia aliis patientiæ sum magister. Quoniam enim non id habeo, vt dolore vacem, hoc lucri obiter ex dolore facio, quòd perfero, & gratias ago, vt in lætis rebus, ita etiam in acerbis: quando-
1 quidem illud exploratum habeo, nihil rerum nostrarum [1] apud summam rationem C
expers rationis esse, tametsi ita nobis videatur.

SCHOLIVM.

1. *Apud summam rationem) Gr. παρὰ τῷ λόγῳ μηδὲν ἄλογον εἶναι), quæ sic vertere libuit, vt Græcorum verborum gratiam, quantùm fieri posset, in translatione retinerem, λόγος enim hoc loco, Dei Filium significat.*

70. *Eidem.* 64.

ARGVMENTVM.

Philagrium, molliùs iam & impatientiùs corporis dolores ferentem, ad tolerantiam hortatur, eiúsque labentem animum fulcire nititur.

1 Amicorum communia omnia. Quæ tibi molesta sunt, vtique & nobis. Amicorum enim, pro eo atque [1] amicitiæ lex poscit, communia omnia, tam prospera quàm aduersa esse censemus. D
Quanquam, si de his rebus nonnihil philosophandum est, atque apud te, vt par est, disserendum (quod etiam ipsum amicitiæ lex dictat) nolo, nec honestum esse censeo, te, hoc est, Philagrium, virum singulari rerum diuinarum doctrina præditum, eodem modo affici, quo plerique solent, nec simul cum corpore deiici, atque afflictionem vt incurabilem deplorare: verùm dolori resistere, atque animo, vel nunc maximè perpurgari, vinculísque superiorem te præbere, ac morbum nihil aliud esse ducere, quàm vtilem quandam disciplinam, huc videlicet tendentem, vt & corpora omnia, & quicquid fluxum ac turbulentum est, interiúsque obnoxium, contemnens, ac pro nihilo putans, totum te cœlesti parti addicas, nec præsenti tempori, sed futuro æuo viuas, [2] mortísque meditationem, vt Plato ait, hanc vitam existimes, atque ab hoc [3] siue corpore, siue sepulchro, vt idem loquitur, animam, quoad eius fieri poterit, soluas. Si hæc philosopheris, vir præstantissime, E
2. 3 atque hunc animum geras, tum maximam ipse vtilitatem inde capies, tum mœrorem nostrum, ex morbo tuo conceptum leuabis, tum etiam multis ad dolores sapienter ferendos documentum præbebis, denique non paruum lucrum facies (si tamen id quoque tibi curæ est) nempe quod in admiratione apud omnes eris. Ex libris porro quos postulas, alterum inueni, eúmque ad te libenter misi, nempe Demosthenicum: alterum, quem poscis, non habeo, nimirum Iliadem. Mihi enim in hoc, velim fidem ne abroges: quippe qui me his solis frui, eáque sola rectè possidere existimem, quorum ipse particeps es, quibúsque, vt tuis, vteris.

Morbus est vtilis institutio.

Vita præsens meditatio mortis.

SCHO-

A

SCHOLIA.

1. *Amicitiæ lex)* ὥσπερ δὴ καὶ φιλίας ὅρος ἐστὶ, *in Heruag. vbi* ὅρως *vitiosè legitur.* νόμος *enim legendum, vt in Froben vel etiam, vt magis existimo* ὅρος: *quæ vox propiùs accedit ad hanc dictionem* ὅρως *faciliúsque oscitanti typographo vel librario imponere potuit. Quæ etiam lectio Italorum librorum authoritate confirmatur.*
2. *Morti̇́sque meditationem) Sic enim Plato philosophiam definit in Phædone.*
3. *Siue corpore siue sepulchro) Socrates apud Platonem in Cratylo* σῶμα *dictum putat, quia animæ* σῆμα, *id est, sepulchrum sit, quasi ipsa nunc in corpore sepulta sit: atque etiam quia anima per corpus* σημαίνει ὅσα ἂν σημαίνῃ, *id est, significat ea omnia, quæ significat. Ait etiam sibi videri Orphei sectatores nomen hoc ob id potißimum posuisse, quòd anima in hoc corpore delictorum det pœnas, & hoc septo vallóque claudatur, velut in carcere quodam, vt* σώζηται, *id est, seruetur.*

71. *Posthumiano pro pace.* 68.

B

ARGVMENTVM.

Posthumianum ad sarciendam & constabiliendam inter Episcopos concordiam hortatur.

DOctrina sublimis es, & quidem vtrouis doctrinæ genere, & vtrauis dicendi facultate. Alterius enim famam solam audimus (nec enim lingua Romanus sum, nec Italicam doctrinam calleo:) alterius autem periculum ipsi fecimus, ita vt alios quoque certiores facere queamus, si modo ii sumus, qui de huiusmodi rebus nonnihil iudicare possimus, quales nos esse plerique aiunt. Imperiis non paucis euectus es: immò, vt veriùs loquar, non pauca euexisti. Tandem ad summum potentiæ apicem venisti, non fortunæ munere, vt multi fortasse dixerint, sed pro virtutis præmio dignitatem hanc consecutus: vt ipsa quoque honoratior efficiatur,
C atque imperator ob suum de te iudicium laudetur. Sed hæc adhuc parua. Adiungam aliquid ex rebus nostris. Piæ doctrinæ mysteriis [1] priùs imbutus es: postea 1
eam suscepisti. Verba enim tua memoria teneo: ac miraculo illo meæ aures adhuc circunsonant. Quòd si his rebus hoc adieceris, vt amicorum sis memor ([2] adiicies 2
autem, sat scio, atque ex præteritis rebus hoc coniicio) maiorem nobis tui admirationem commouebis. Hæc humanæ felicitatis, seu beatitudinis meta est. Porrò
[3] vltra Gades mare ab hominibus traiici non posse, Pindaro docenti assentior. 3
Quoniam autem magna consecutus, magnis quoque nominibus obstrictus es, téque Deus priùs nostrum fecit, deinde nobis etiam commodè præfecit, ac præterea ineptum est à tanto viro non maxima quæque postulare, hoc te à nobis admoneri patere. Nihil tam imperio tuo conuenire existima (quandoquidem rursus Episcoporum Synodus celebratur, haud scio qua de causa, & quo modo
D coëuntium) quàm vt te præfecto, ac tua opera, Ecclesiæ ad pacem adducantur, etiam si eos, qui dissidia exercent, asperius obiurgare oporteat. Quòd si cuipiam nimium curiosus esse videar: quòd cùm à negociis recesserim, non tamen curam & solicitudinem abiecerim, hoc ne mireris. Non enim, quemadmodum thronis & supercilio, volentibus cessimus, ita etiam [4] à pietate secessimus. Quin potius eo 4
maiorem fidem & authoritatem apud te habiturus mihi videor: vt qui non rem meam priuatam, sed publicam vtilitatem curem.

SCHOLIA.

1. *Priùs imbutus es)* προὐτελέσθης, *enim legendum, non* προτελέσθης, *vt in Heruag.*
2. *Adiicies autem) Heruagius corruptè legit in tertia persona* προσθήσει, *quemadmodum in eadem quoque linea* τεχμήρομαι *pro* τεκμαίρομαι.
E
3. *Vltra Gades) Hunc Pindari locum in Scholiis Orationis de Basilij laudibus ex Niceta explicuimus.*
4. *A pietate secessimus)* τῆς εὐσεβείας ἀν χωρήσαμεν, *sic in vtroque codice legitur, sed mendosè,* ἀνεχωρήσαμεν *enim vnico verbo legendum, quemadmodum vel mediocriter huius linguæ periti facilè iudicabunt.*

72. *Saturnino, de Ecclesiastica pace.* 69.

ARGVMENTVM.

Eiusdem argumenti est hæc Epistola cum præcedente.

NOn est apud me dubium ([1] alioqui temerarium esset scribere) quin amicitiæ 1
officium à me requiras. Externis enim potestatem, nobis autem fiduciam tribuis, vt conseruus bonus, iis, qui hoc consecuti sunt, vt ad Deum appro-

pinquent. Quocirca te quoque ſalutamus, & cupiditati noſtræ morem gerentes, A
rerum noſtrarum ſtatum tibi exponemus. Omnia apud nos Dei beneficio rectè ſe habent, hoc vno excepto, quòd de Eccleſiis anxii & ſoliciti ſumus, tam fœdè perturbatis. His, quacunque ratione potueris, communem concordiam, & re, & ſermone, impigrè conſtitue quandoquidem rurſus Epiſcopi coëunt, ac metu-
Synodus. endum rurſus eſt, ne nunc quoque pudore ſuffundamur, ſi hæc Synodus parum lætum finem habuerit, quemadmodum & priùs. Nam quæ nobis contigerunt, ea Deo, omnia ſcienti, & cognoſcenda & iudicanda relinquemus, etiamſi iucundo
2 animo inuidiæ eorum, qui id appetebant, ceſſimus, [2] non tanquam ſuauem quandam rem, vt pleriſque videtur, ſed admodum periculoſam relinquentes, ac velut ex graui & aſpera tempeſtate ad tranquillum quendam & tutum portum appellentes.

SCHOLIA. B

1. *Et alioqui eſſet) Vnius literæ defectus ſenſum obſcurum reddebat. In Heruag. enim codice pro καὶ εἰ legendũ καὶ ἦν, ſicq; legitur in Froben. Baſilio.*

2. *Tanquam ſuauem) Quidam fortaſſe ſuſpicari poterant, Gregorium non ſine quodam animi dolore Conſtantinopolitano Epiſcopatu ſeſe abdicaſſe. Ait igitur nihil ſibi iucundius accidere potuiſſe, quàm quòd à tam difficili & perículoſo munere in ſuauiſſimam quietem vindicatus ſit, ac velut ex grauiſſima tempeſtate in portum delatus.*

73. *Amazonio.* 70.

1 SI quis communium amicorum, quos permultos eſſe confido, [1] ex te percontetur, vbi nunc Gregorius, & quid rerum agat, dicere ne dubites, eum quetè ac tranquillè philoſophari, non magis eos, à quibus iniuria ipſi illata eſt, curantem, quàm eos, de quibus, in lucémne & vitam prodierint, ignotum atque obſcurum eſt. C
adeo inuicto eſt animi robore! Quòd ſi te rurſus idem roget, quo modo amicorum diſiunctionem ferat, non iam fidenter reſpondeas eum philoſophari, verùm animo eſſe perquam humili & abiecto. Alii enim in aliis rebus molliores ſunt: ego autem in amicitia & amicis, quorum in numero eximius quoque Amazonius eſt. Tu verò hac vna re fortaſſe mœrori noſtro mederi queas, ac deſideriũ tui lenire, ſi noſtri memor fueris, atq; huius rei fidem mihi per literas facias.

SCHOLIVM.

1. *Ex te percontetur) In Heruagiano pro εἴρηται lege ἔρηται.*

74. *Celuſio.* 71.

ARGVMENTVM.

Celuſium accuſat, quòd obſcœna ſpectacula plebi proponeret. D

EXcepi te, etiam tacens, vt ſilentii quoque ſermonem eſſe intelligas, per calamum ſe proferentem. Loquar autem, quæ, & amicitiæ noſtræ, & huiuſmodi tempori conueniunt. Iniquè agis, ô Iudex, qui non ieiunes. Et quo modo leges humanas ſeruabis, qui diuinas contemnis ac pro nihilo ducis? Purga tribunal tuum: ne duorum alterum tibi accidat, vt aut malus fias, aut exiſtimeris. Fœda ſpectacula proponere, ſeipſum traducere eſt. In ſumma ô Iudex, te iudicium ſubiturum eſſe ſcito: & minus peccabis. His nihil melius habebam, quod tibi præberem.

75. *Eidem.* 72.

Ne me tacentem iudices, ac damnes, quemadmodum nec ego te loquentem,
Rom.14. (quod de cibis Paulus promulgauit.) Quòd ſi iudicas, time ne lingua mea aduerſus E
te primùm concitetur, ſi te ſilentio dignum nanciſcatur.

SCHOLIVM.

1. *Ne me tacentem) Paulus ad Romanos ſcribens 14. cap. ſic loquitur: Is, qui manducat, non manducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet. Quo loco κρίνειν, non ſimpliciter iudicare ſignificat, ſed etiam damnare: vt ſæpè in ſacris literis. Hunc locum ad propoſitum ſuum Theologus accommodat.*

76. Olympio. 76.

ARGVMENTVM.

Cõſtantinopolitanæ profectionis moleſtiã, vt ex alia quadã epiſtola cõiici poteſt, excuſatione morbi deprecatur.

Hoc

A HOc mihi morbo ipso grauius est, quòd cùm æger sim, ægrotare tamen non credar, verùm peregrinationem ita longam inire, atque in medios tumultus meipsum impellere iubear: à quibus secessisse tam mihi gratum fuit, vt hoc nomine gratiam quoque corporis afflictioni propemodum habeam. Quieta enim & à negotiis semota vitæ ratio actuosæ vitæ splendore præstantior est. Hoc & illustrissimo quoque Icario non ita pridem scripsi, cùm idem ab eo iussum accepissem: & nunc à tua animi magnitudine peto, vt pro nobis quoque id scribere ne grauetur: quippe quem morbi nostri locupletem testem habemus. Argumento est damnum illud, quod nunc accepimus, cùm per corporis infirmitatem nec ad te accurrere, nec te frui, nobis licuerit, præside tam commodo, támque eximia virtute prædito, vt præludia quoque ipsa imperii tui excellentiora sint ea gloria, quàm alii toto imperii B tempore consequuntur.

Icarus.

77. *Eidem.* 77.

ARGVMENTVM.

Ab Olympio petit, ne impunitum Apollinistarum scelus ferat, qui quorundam Episcoporum, quibus dignitas adempta fuerat, opera & adiumento, nescio quem sectæ suæ nebulonem Episcopum instituerant.

Canicies quoque nōnihil eruditur: nec senectus, vt video, talis omnino est, quæ prudentiæ opinionem fidémque mereatur. Ego cùm omnium maximè Apollinaristarum cogitationem & impietatem perspectam haberem, nec ferendam eorum audaciam cernerem, existimabā tamen fore, vt lenitate mea mansuetos & placidos eos redderem, ac paulatim emollirem. atque hoc mihi spe fingebam, verùm, vt apparet, illud minimè animaduerti, me peiores eos effecisse, ac per intempestiuam C hanc philosophiam Ecclesiæ detrimentum. Nec enim prauos homines lenitas inflectit. Et quidem si nunc per meipsum hæc ostendere potuissem, non dubitassem mihi crede, vel vtra vires iter capessere, atque ad excellentiæ tuæ pedes meipsum aduoluere. Quoniam autem longiùs me [1] morbus perduxit, & Xauxaridis thermis mihi de medicorum consilio vti necesse est, literas mihi vicarias substituo. Præter alia omnia eò quoque audaciæ proruperunt mali homines, & malè perdendi, vt Episcopos etiam quosdam, quibus dignitas ab vniuersali Orientalium & Occidentalium consilio abrogata fuerat, accersentes, aut transeuntibus abutētes (non enim certò affirmare possum) imperialibus omnibus constitutionibus atque omnibus vestris edictis violatis, cuidam impii & adulterini sui gregis Episcopi nomen imposuerint, nulla re, vt opinor, perinde freti, atque summa mea imbecillitate, viriúmque conseruatione, hoc enim dicendum est. D Quæ si leuia & ferenda sunt, ferat tua firmitas: feremus ipsi quoque, quemadmodum & sæpe tulimus, si verò grauia, & ne ipsis quidem pietatis laude præstantissimis imperatoribus ferenda, ea, quæ admissa sunt, mitiùs tamen, quàm tanta audacia meretur, vlcisci dignare.

1 Xauxaridis thermæ.

Hæretici puniendi.

SCHOLIVM.

1. *Morbus produxit) Legendum enim* προήγαγεν *non vt in vulgatis exemplaribus* προσήγαγεν, *id quod satis indicat aduerbium præcedens* πορρωτέρω. *Paulò etiam inferius emedandus est Heruag. codex ex Frobeniano & pro* κεχειροτονημένους καθηρημένους *substituendum est.*

78. *Eidem.* 78.

ARGVMENTVM.

Eundem Olympium rogat, vt Aurelio militiæ desertori parcat.

E Rursus scribo, cùm adesse oporteat: sed mihi à tua fiducia hæc nascitur, ô & [1] negociorum arbiter (vt primo loco, quod primum est, dicam) & publicarum rerum corrector, atque vtrunque diuinitus, qui etiam hoc pietatis præmium accepisti, vt res tibi ex animi sentētia fluant, solúsque ea assequi possis, quæ omnibus aliis negata sunt. Prudentiæ enim & fortitudinis ductu atque auspiciis imperium administras: quarum altera, quæ facienda sunt, excogitat: altera, quod est, excogitatum, facilè exequitur. Huc, quod maximū est, accedit, manus puritas & integritas, qua omnia reguntur. Vbinam tibi aurum iniustè collectum? Ne fuit quidem vnquam, vt pote ante omnia damnatum & eiectum, tanquam tectus & obscurus tyrannus. Vbi inimicitia? Damnata est. Vbi fauor hîc nonnihil labas & flecteris (paulum enim te ac-

1

Prudētia & fortitudo principi necessaria. Veri principis cōditiones.

cuſabo) verùm Dei benignitatem imitans, quam nunc quoque per nos petit atque A
implorat Aurelius, miles tuus, quem dementem quidẽ perfugam voco, prudentem autem ſupplicem, quoniam in manus noſtras confugit, ac per noſtras in tuas, caniciem noſtram & ſacerdotium (quæ tibi venerationi eſſe ſæpe confeſſus es) inſtar
2 imperatoriæ cuiuſdam imaginis [2] obtendens, en tibi hunc offert ſacrifica hæc manus & incruenta, quæque & multas tuas laudes literis mandauit, & mandabit, ſi Deus nobis, & tuum, & Themidis tui ſocii & adiutoris imperium prorogarit.

S C H O L I A.

1. Rerum) πραγμάτων enim legendum, vt in Froben. non πραγματικῶν vt in Heruag. codice.

2. Obtendens) Quis enim non videt legendum προβαλλόμενος non προσβαλλόμενος. Qui autem antiquitus ad Imperatorum imagines & ſtatuas confugiebant, ius aſyli conſequebantur, nec inde abſtrahi poterant. Id videtur hîc ſignificare Theologus.

79. *Nemeſio.* 79. B

A R G V M E N T V M.

Nemeſium orat, ne hominem quendam patria excedere, atque exulare cogat. Niſi tamen hoc loco μεταστάσεως nomine non tam exilium accipere mauis, quàm patriam migrandi neceſſitatem, muneris alicuius obeundi cauſa, ſed prior intellectus mihi magis arridet. De Nemeſio autem hoc iis minimè aſſentiar, qui eum eſſe putant, qui de hominis natura elegantem librum edidit. Hic quippe Gentilis erat (vt conſtat ex quibuſdam Epiſtolis, quæ aliquanto pòſt ſequuntur, & ex eo Carmine, quod Gregorius noſter ad eum ſcribit,) ac præſidis munere in Cappadocia fungebatur: ille autem Chriſtianus & Epiſcopus.

1 SI tibi hoc nomine moleſtus & importunus eſſe videor, quòd identidem ad te ſcribam, ne mireris, ſi [1] te apud te iuſtum iudicem accuſem: nec dubito, quin me culpa liberaturus ſis. Ipſe mihi fiduciæ huius cauſam attuliſti, nimirum per id quòd prompto animo largiris, ad petendum alliciens, nec mirum id videri debet. Multa C
enim ſunt ob quæ promptè & impigrè nobis gratificeris, ſenectus, morbus, ſtudiorum communitas (ſi quid tamen nos quoque in literis ſumus) hoc ipſum, quòd, cùm cõgreſſum tuum mirificè exoptem, infirmitate tamen prohibear, nec re tantopere expetita potiri queam. Sed quænam hæc poſtulatio eſt? & ſi quidem iniqua, tanti viri os vultúmque erubeſcerem: ſi autem æqua, prompto animo petitioni cede atq; annue. Rurſus venerabilis filius noſter Theodoſius ad te proficiſcitur, meus inquã, & tuus, propoſito nempe meus, tuus verò ſupplex. Proficiſcitur autẽ, vt pro re triſti & commiſerabili deprecetur. Orphani periclitantur, &, vt humana incerta ſunt, quorſum res interim recidet obſcurum eſt, ac veremur ne patrio ſolo migrandũ ſit patri, à quo multorum orphanorũ inopia ſubleuata eſt. Proinde hoc beneficii gratiæque omnibus tribue. Porrige manum calamitati, quàm tu ipſe probabis. Nulla quidem gloriæ acceſſione imperium tuum opus habet, quemadmodum nec Lucifer ſplendore. Sed tamen ſi cumulum aliquem quæras, nullus iſto, mihi crede, nec D
maior, nec præclarior contigerit, vt permulti veritatis ſtudioſi probitatem tuam docebunt.

S C H O L I V M.

1. Ne mireris ſi te apud te) Quiſquis in eo Nemeſij libro, qui à Plantino excuſus eſt, hanc Epiſtolam vertit, parum cõmodè mihi hoc loco verborum Græcorũ vim reddidiſſe videtur, cùm vertit, Ne mireris velim, cùm tibi obſtrepere non erubeſcam, homini qui & cauſam vides ac rectè diiudicas. Quemadmodum etiam paulò pòſt, cùm hæc verba αὐτὸ τὸ ποθεῖν τὴν συντυχίαν transfert, Eiuſdémque tecum fortunæ amor.

80. *Aerio & Alypio.* 80.

A R G V M E N T V M.

Mater Aerij & Alypij in pauperum alimoniam Eccleſiæ pecuniam quandam teſtamento reliquerat. Cui eius extremæ voluntati, cùm filij minimè ſatiſfacerent, hac epiſtola Gregorius eos officij ſui commonefacit. E

Primitiæ. QVemadmodũ areæ & torcularis primitias, & filiorũ, eos, qui verè filios amãt, Deo conſecrare iuſtum ac pium eſt, quoniam ab ipſo, & nos ipſi, & noſtra omnia ſunt: ita nouæ quoque hæreditatis, vt pars, promptè & libenter oblata, maiori parti ſecuritatem conciliet. Quocirca ne committite, vt poſt omnes alios benigni nobis ſitis: verum ante omnes Deo benignos vos præbete, per quem etiã omnibus: atq; abiectis externis legibus, noſtris ſeruite, hoc videlicet à vobis ipſis offerentes,
1 nempe animi promptitudinem & alacritatem. Nam quidem ea, quæ [1] teſtamento relicta ſunt, ab aliis, alacritatem autem à vobis habebimus: quibus Deus multò plura, quàm

A ra, quàm sint ea, quæ nunc daturi estis, rependere potest, non solùm in hac fluxa &
caduca vita, sed etiam in stabili & æterna: quem vnum spectare tutum est, in eóque
spes omnes nostras defixas habere. Proinde, vt Deo talem erga vos se præbituro,
quales vos erga pauperes, nequaquã malignè & sordidè, sed admodum liberali &
alacri animo demortuæ voluntatem, quam, & vobis adesse, & ea, quæ fiunt, intueri
existimantes, per largitionem vestram recreate. Ita fiet, vt ab ea, non modo pecu-
nias habeatis, sed maternam etiam benedictionem, filiorum [2] domos fulcientẽ, cõ- 2
sequamini. Atq; hoc vobiscum cogitate, meliorẽ esse partem exiguã cum iustitia,
vt Scriptura loquitur, quàm latiorẽ & vberiorem cum sordibus, ne quid malè omi- Prou.16.
nosum dicam: illúdque præterea, complures extitisse, qui totas etiam domos Ec-
clesiis addici passi sint: non etiam defuisse, qui suapte sponte facultates omnes Ecclesiarũ bona.
B suas obtulerint, ac pulcherrimũ quæstum fecerint, hoc est, propter futuræ vitæ opes
inopiam amplexi sint. Ne igitur [3] parcè seratis, vt copiosè metatis: verùm [4] bonam 3
cum vobis ipsis, tum charissimis vestris hæreditatem, hanc elargimini, nihil ex iis 4
subtrahentes, quæ testamẽto perscripta sunt, verùm omnia læto atque hilari animo
tribuentes, immo verò reddentes (vt quæ propriè Dei sint) ac velut hoc solum
lucraturi, quòd pro animarum vestrarum salute impenderitis. Quid enim prædo-
nibus & furibus thesaurizare opus est, temporúmq; mutationibus, incertas & fra-
giles opes ad alios alióśque subinde transferẽtibus, atque agitãtibus, ac non potius
in tuta horrea, & firmiora, quã vt vllis insidiis appeti possint. Ac frugalitatẽ quidem
circa alia, & aliis ostẽdite (opto enim vos cum benignitate potentes esse:) apud nos
autem bonum certamen certate, hoc est, vter alterum superet, ac benedictionibus
C iis, quæ probis & gratis viris à Deo debentur. Fidem itaq; nobis facite, vos verè &
syncerè Christianã fidem colere ac profiteri. Quin potiùs à bono principio exorsi,
támq; pio & iusto, hinc in aliis quoque rebus concordes estote: vt & vosipsi mutuò,
& nos verbis oblectemur, cùm ob alia, tum quod vniuersæ Ecclesiæ probitatis in
huiusmodi rebus atque candoris exemplum fueritis.

SCHOLIA.

1. *Quæ testamento) Sensus est: Pecuniam legatam, non vestro, sed parentis vestræ beneficio accipiemus. Ac si nõ grauatim, sed promptè & alacri animo eam persolueritis, eam promptitudinem alterius quoque beneficij loco à vobis habituri sumus.*
2. *Domos fulcientem) Alludit ad illud Sapientis Benedictio patris firmat domos filiorum, & maledictio matris eradicat fundamenta. Hîc autem vitiosè legitur* μητρὶ *pro* μητρὸς.

D 3. *Parcè seratis) Alludit ad illud Apostoli 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

4. *Bonam hæreditatem) Legendum enim* ἀγαθὸν κλῆρον *non* ἀγαθῶν.

LECTORI.

Libuit hoc loco scriptam ad Theodorum Tyanensem epistolam Gregorij subiicere, quam non editam hactenus manuscripto Philocaliæ Origenis libro præfixam cum eadem Philocalia ante aliquot annos, amicus noster Gilb. Genebrardus, Theologus Parisiensis & professor Regius, conuertit, & publicauit.

GREGORIVS NAZIANZENVS, THEODORO TYANEO EPISCOPO.

E Festum etiam sunt tuæ literæ, quódq; maius duco, quoniam anteuertis tempus
diligẽtia, ante tempus nos festum celebrare facis. Ac ista quidem à tua pietate.
Nos autem maximũ eorum, quæ habemus, retribuimus, preces. Vt verò aliquem
vicissim commentarium à nobis habeas hanc meam & sancti Basilii tabulam ad te
mittimus, quæ Origenis de pulchri studio (Philocalia) selectas sententias continet,
doctrinæ studiosis vtiles. Hanc & suscipias cupimus, & significationem nobis des
vtilitatis, studio atque spiritu fauens.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑ-ΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟ-ΛΟΓΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ ΠΡΟΣ ΔΙΑΦΟΡΟΥΣ. A

Ἀνωνύμῃ.



ΥΝΤΘΑΝΟΜΑΙ Σε βαρέως ἔχειν πρὸς τὰς γεγενημένας ἡμῖν παρὰ
τῶν μοναστῶν καὶ τῶν πτωχῶν ὕβρεις. καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν, ἀπλῆγα ἔτι σε B
τυγχάνοντα, καὶ τῶν ἡμετέρων κακῶν ἀπείρατον, πρὸς τὰ τοιαῦτα
δυσφόρως ἔχειν. ἡμεῖς δὲ, ὡς καὶ κακῶν πλειόνων πεπειραμένοι, καὶ τῆς
ὕβρεως κοινωνήσαντες. εἰκότως ἀξιόπιστοι νομισθείημεν παραινοῦντες τῇ σῇ
εὐλαβείᾳ. ἅπερ ἥ,τε πολιὰ διδάσκει, καὶ ὁ λόγος ὑποδείκνυσι. Δειναὶ
μὲν οὖν τὰ γεγενημένα, καὶ πέρα δεινῶν. τίς ἀντερεῖ; ὑβρισθῆναι θυσιαστή-
ρια. συγχυθῆναι μυστήρια. μέσους ἡμᾶς ἑστάναι τῶν τελουμένων καὶ τῶν λιθαζόντων. καὶ φάρ-
μακον ποιεῖσθαι κατὰ τῶν λιθασμῶν τὰς ἐντεύξεις. αἰδῶ παρθένων ἐπιπληχθῆναι. μοναστῶν εὐ-
κοσμίαν, πτωχῶν συμφορὰν, ζημιωθέντων ἐκ τῆς τραχύτητος, καὶ τὸν ἔλεον. ἀλλ᾽ ἴσως μακρο-
θυμεῖν ἄμεινον. καὶ πολλοῖς ἐξ ὧν πάσχομεν διδόναι μακροθυμίας ὑπόδειγμα. οὐ γὰρ ὄντως ὁ
λόγος πείθει τοὺς πολλοὺς, ὡς ἡ πρᾶξις. ἡ σιωπῶσα παραίνεσις. Μέγα νομίζομεν εἶναι τὸ δί-
κας παρὰ τῶν ἠδικηκότων λαβεῖν. μέγα φημί. καὶ γὰρ τοῦτο χρήσιμον εἰς τὴν τῶν ἄλλων C
διόρθωσιν, ἀλλὰ πολλῷ τούτου μεῖζον καὶ θειότερον, τὸ καρτερεῖν πάσχοντα. ἐκεῖνο μὲν γὰρ, τὴν
κακίαν ἐπιστομίζει. τοῦτο δὲ, χρηστοὺς εἶναι πείθει. ὃ τοῦ μὴ κακοὺς εἶναι, πολὺ κρεῖττον ἐστὶ καὶ
τελεώτερον. μεγάλην ἡμῖν νομίσωμεν προκεῖσθαι πραγματείαν φιλανθρωπίας. καὶ συγχωρήσω-
μεν τὰ εἰς ἡμᾶς, ἵνα καὶ αὐτοὶ τύχωμεν συγχωρήσεως. καὶ προεισενέγκωμεν χρηστότητα χρηστό-
τητος. Ζηλωτὴς ἤκουσε Φινεὲς, ὅτι τὴν Μαδιανῖτιν τῷ πόρνῳ συνεξεκέντησε· καὶ ἐξεῖλεν ὄνειδος
ἐξ υἱῶν Ἰσραήλ· ἀλλ᾽ ἐπῃνέθη πλέον, ὅτι τοῦ λαοῦ προσηύξατο πταίσαντος. Στῶμεν οὖν καὶ ἡμεῖς
καὶ ἐξιλασώμεθα, καὶ κοπασάτω ἡ θραῦσις, κατὰ τὸ γεγραμμένον. καὶ λογισθήτω τοῦτο ἡμῖν εἰς
δικαιοσύνην. Ἐπῃνέθη καὶ Μωσῆς, ὅτι τὸν Αἰγύπτιον ἀνεῖλε, τῷ Ἰσραηλίτῃ περιαλγήσας. ἀλλ᾽
ἐθαυμάσθη πλέον, ὅτι Μαριὰμ τὴν ἀδελφὴν διὰ τὸ γογγύσαι λεπρωθεῖσαν, ταῖς εὐχαῖς ἐθε-
ράπευσε. σκόπει καὶ τὰ ἑξῆς. Ἀπειλοῦνται Νινευῖται καταστροφὴν, ἀλλὰ δάκρυσιν ἐξωνοῦνται
τὴν σωτηρίαν. Μανασσῆς ἐν βασιλεῦσι παρανομώτατος, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς σωθεῖσι διὰ θρήνων
περιφανέστατος. Τί σε διαθῶ Ἐφραΐμ; παρὰ τοῦ Θεοῦ λέγεται. ὅσης ὀργῆς ὁ λόγος. καὶ ὑπε- D
ρασπισμὸς ἐπάγεται. Τί τῆς φιλανθρωπίας ταχύτερον; πῦρ Σοδομιτικὸν αἰτοῦσιν οἱ μαθηταὶ
κατὰ τῶν ἀγόντων τὸν Ἰησοῦν. ὁ δὲ ἀπαξιοῖ τὴν ἐκδίκησιν. Τέμνει Μάλχου τὸ ὠτίον Πέτρος,
ἑνὸς τῶν ὑβριστῶν, Ἰησοῦς δὲ ἀποκαθίστησι. Τί δὲ ὁ ἐρωτήσας, εἰ ἑπτάκις τῷ ἀδελφῷ συγχω-
τῷ ρητέον πταίσαντι, οὐ μικρολογίαν καταγινώσκεται. τὸ γὰρ ἑπτάκις, τὸ ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ
προστίθεται. Τί δὲ ὁ χρεωφιλέτης ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις, ὁ μὴ συγχωρήσας ἃ συγκεχώρηται. οὐ
πικρότερον διὰ τοῦτο εἰσπράττεται. Τί δὲ ἡ τύπωσις τῆς εὐχῆς; οὐκ ἀφέσει βούλεται τὴν ἄφε-
σιν πραγματεύεσθαι. Τοσαῦτα ἔχοντες ὑποδείγματα, μιμησώμεθα Θεοῦ φιλανθρωπίαν,
καὶ μὴ βουληθῶμεν μαθεῖν ἀφ᾽ ἡμῶν αὐτῶν, ὅσον κακὸν ἁμαρτίας ἀντίδοσις. Ὁρᾷς ἀκολου-
θίαν χρηστότητος, νομοθετεῖ πρῶτον, εἶτα διακελεύεται. ὑπισχνεῖται. ἀπειλεῖ, ὀνειδίζει. ἐπα-
νατείνεται. κατέχει. ἀπειλεῖ πάλιν ὅταν ἐκβιασθῇ. πληγὴν ἐπάγει, καὶ ταύτην κατὰ μικρὸν, E
χώραν ὑπανοίγων ταῖς διορθώσεσι. Μὴ τοίνυν μηδὲ αὐτοὶ πλήξωμεν ἀθρόως. οὐ γὰρ ἀσφα-
λὲς, ἀλλὰ τῷ φόβῳ σωφρονίσαντες, τῇ φιλανθρωπίᾳ νικήσωμεν. καὶ λάβωμεν ὑπόχρεως εὐ-
λαβείας τῷ συνειδότι πλέον, ἢ τῇ ὀργῇ βασανίσαντες. μὴ ξηράνωμεν συκῆν ἔτι καρποφορεῖν
δυναμένην. μὴ ὡς ἀχρήστου καταγνῶμεν, καὶ καταργούσης τὸν τόπον, ἣν θεραπεύσει τυχὸν
τεχνίτου γεωργοῦ προστασία καὶ ἐπιμέλεια. μηδὲ τοσοῦτον ἔργον καὶ περιβόητον οὕτως δι᾽ ἐπη-
ρείαν ἴσως τοῦ πονηροῦ, καὶ φθόνον οὕτως ἐν βραχεῖ καταλύσωμεν, ἀλλὰ βουληθῶμεν φιλάνθρω-
ὑπεκκλινόν-των πωποι φανῆναι μᾶλλον, ἢ ἐντελεῖς. καὶ φιλόπτωχοι πλέον, ἢ φιλοδίκαιοι. μηδὲ τῶν ὑπεκχαόντων
*ἀνεχόμεθα ἡμᾶς εἰς τοῦτο πλέον. ἢ τῶν κατεχόντων ἀνεχόμεθα * καὶ τὸ αἰσχρὸν, εἰ μήτι ἄλλο ἐνθυμη-
θέντες, εἰ δόξαιμεν πρὸς πτωχοὺς ἀγωνίζεσθαι· οἳ τοῦτο μέγα πλεονεκτοῦσι τὸ κἂν ἀδικῶσι, ἐλεεῖσθαι
διὰ τὴν



GREGORII NAZIANZENI
EPISTOLÆ NONDVM EDITÆ.

THEODORO Tyanensi Episcopo. Epistola 81.

B *AVDIO te contumelias eas, quas Monachi ac pauperes nobis intulerunt, grauiter molestéque ferre. Nec verò mirum est, te, qui nullum adhuc vulnus accepisti, nec calamitatum nostrarum periculum fecisti, ad huiusmodi res animo discruciari. Nos autem, vt qui & plura mala persenserimus, & contumelijs impetiti simus, fidem atque authoritatem meritò nancisci queamus, ea pietati tuæ præcipientes, quæ tum canities docet, tum ratio ipsa demonstrat. Grauia quidem, atque adeò grauißima sunt ea, quæ contigerunt, quis inficias ire queat? Nimirum & contumeliam altaribus illatam esse, & conturbata mysteria, & nos, inter sacra, quibus opera dabatur, & eos qui saxis nos appetebant, interiectos, aduersus lapidum iactus medicinam à precibus petiisse, virginum pudorem in obliuionem venisse, Monachorum modestiam, pauperum calamitatem, quos animorum austeritas misericordia quoque priuauerat. Nihilominus tamen lenitate atque clementia vti fortasse satius est, multísque per ea quæ perpetimur, lenitatis ac patientiæ documentũ præbere. Plerique enim sunt, quos non tam* C *oratio mouet, quàm actio. quæ taciti cuiúsdam monitoris instar est. Magnum esse censemus, de iis, à quibus læsi sumus, pœnas sumpsisse: Magnum, inquam (nam & hoc ad aliorum vitia corrigenda vtile est:) at multo hoc maius ac diuinius est, acceptam iniuriam tolerare. Illud enim improbitatem coërcet, hoc autem ad probitatem adducit. quod quidem longè præstantius & perfectius est, quàm à vitio abstinere. Ingentem nobis humanitatis quæstum propositum esse existimemus ea, quæ in nos admissa sunt, condonemus, vt ipsi quoque veniam consequamur. Ante benignitatem, benignitatem conferamus. Zelatoris cognomentum hinc obtinuit Phinees, quòd Madianitidem vna cum eo, qui stuprum ipsi inferebat, gladio transfixit, atque ex Israëlitica natione probrum exemit. At maiorem hoc nomine laudem tulit, quòd pro populo in scelus collapso preces fudit. Stemus igitur nos quoque, vt scripturæ verbis vtar, ac placemus: & cesset quassatio: nobisque istud ad iustitiam reputetur. Laudibus item affectus est Moses, quòd ex illata Israëlitæ iniuria dolore commotus Ægyptium obtruncarit: verùm maiorem hinc sui admirationem concitauit, quòd Mariam sororem lepra, propterea quòd murmurauerat, laborantem, precibus suis in sanitatem vindicauit. Quin ea etiam quæ sequuntur animad-* D *uerte. Niniuitis excidium denunciatur: verùm salutem lachrymis redemerunt. Manasses inter Reges sceleratißimus; at inter eos, qui salutem consecuti sunt, ob luctum clarißimus. Quid tibi faciam, Ephraim? inquit Deus. Quantam iracundiam præ se fert hic sermo? Et tamen confestim propugnatio subiungitur. Quid benignitate celerius? Sodomiticum ignem aduersus eos, qui Iesum abducunt, Discipuli postulant: at ille vltionem recusat. Malchi vnius ex petulantibus illis & contumeliosis aurem Petrus amputat, Iesus autem restituit. Quid autem ille, qui, septiésne fratri lapso ignosceret, percunctatus fuerat? an non vt præparcus ac nimis restrictus notatur? septenario enim septuagies septies adiicitur. Quid debitor ille, de quo in Euangeliis mentio fit, qui eadem, quæ sibi remissa fuerant, minimè remisit? an non eo nomine acerbius ab eo debitum repetitur? Denique an non illa precationis forma huc spectat, vt veniam nobis veniâ comparemus. Cùm igitur tot exempla nobis præstò sint, Dei benignitatem ac facilitatem imitemur, nec quantum mali in peccati vltione positum sit, ex nobis ipsis discere in animum inducamus. Benignitatis seriem vides. Primum legem sancit, deinde hortatur, pollicetur, minatur, increpat, pœnas intendit, sese cohibet, minatur rursum. cùm ad id à* E *nobis adigitur. plagam infert, idque paulatim, viam scilicet emendationi aperiens. Quamobrem nos quoque operam demus, ne repentè feriamur (neque enim id tutum est) verùm vt eos, à quibus læsi sumus metu castigatos, benignitate superemus, atque ad verecundiam & reuerentiam astringamur, conscientia videlicet potiùs quàm iracundia & acerbitate coërcitos. Ne ficulneam, quæ fructus adhuc ferre queat, siccitate afficiamus, ne, vt inutilem locum occupantem, damnemus. Cui industrij agricolæ cura & diligentia fortasse medebitur: nec tantum tamque celebre opus ob diaboli fortasse improbitatem atque inuidiam tam citò deleamus. Quin potiùs animum ita comparemus, vt benignos potiùs quàm seueros, & pauperum potiùs quam exacti iuris amantes nos præbeamus. Nec eorum potiùs qui nos ad id inflammant, quàm qui retinent, rationem habeamus. In quo illud quoque, si nihil aliud, nobis considerandum est, nimirum turpe ac fœdum esse, si cum pauperibus concertare videamur. qui hoc nomine, & quidem magno, superiore conditione sunt, quòd, etiam si alioqui*

Epistola ad patientiam hortatoria.

iniuriam inferant, ob calamitatem tamen hominibus misericordiam mouent. Fac nunc putes omnes pauperes, ac pauperum alendorum studiosos, ad genua tua posterni. omnes item Monachos & virgines pro ipsis supplicantes. His omnibus, istorum loco, hoc beneficij da, (quandoquidem etiam satis afflicti atque obtriti sunt, vt ex eo liquet, quod nos obsecrarunt) ac præsertim nobis, eorum nomine, deprecantibus. Quod si tibi graue atque indignum videtur, nos ab ipsis contemptui habitos fuisse, multo velim tibi grauius videatur, nos hæc tibi suadentes minimè exaudiri. Pulchro autem Plutoni vtinam Deus ea quæ in nos contumeliosè perpetrauit, condonet. A

Eidem. Epist. 82.

Propinquam quidem meam, tuam autem alumnam, possessionem verò Deo charam, pietati tuæ offero, nimirum cumprimis venerandam filiam nostram, virginem AmaZoniam, cuius tu si & fidem honori habeas, & aduersæ corporis valetudini opem feras, ob idque in omnibus rebus manum ipsi porrigas, eiúsque curam suscipias, rem sanè ingenuam, tuáque pietate, addam & amicitia nostra dignam facies.

Eidem. Epist. 83. B

Spiritualia finem habent. Non iam vobis molestiam exhibebo. Coite, vos ipsos munite, aduersum nos consilia inite. Vincant qui nos oderunt. Ad vnguem obseruentur Canones, à nobis, quibus nihil imperitius est, initium ducentes. Nihil est quamobrem quispiam ob leges seuerè obseruatas inuidia commoueatur. At verò amicitiæ officia minimè prohibeantur. Charissimi filij mei Nicobuli pueri ad vrbem profecti sunt, vt celeriter scribendi artem addiscant. Abs te peto, vt, cùm in aliis rebus beneuolo eos ac paterno oculo conspicias (neque enim quo minùs id quoque fiat, Canones vetant) tum etiam id cures, vt non longè ab Ecclesia habitent. Cupio enim mores quoque ipsis ad virtutem informari. Quod scilicet assequentur, si perpetuam tecum, hoc est cum homine omnibus virtutum numeris absoluto, consuetudinem habeant.

Eidem. Epist. 84.

Vocas? Nos verò properamus. Properamus autem, vt soli cum solo congrediamur. Synodos enim atque colloquia procul salutamus: ex quo scilicet tempore multa eorum, vt parcè loquar, improba & flagitiosa esse comperi. Quid igitur superest? Iusto desiderio per orationes tuas opitulare, vt quod studemus consequamur. C

Eidem. Epist. 85.

Et tu, & nos, ob hanc causam filiam nostram Eugeniam ius suum apud tuam pietatem obtinere volumus. Nec verò id, vt quidem mihi videtur, súsque déque feres, si quid ei ex his rebus eripiatur, quæ ab auia nepti relicta sunt: quam illa summa cura educauit, ac reliquit, paucis ipsi rebus legatis cùm tamen multa tunc promisisset, séque ei relicturam speraret.

Eidem. Epist. 86.

Quæ mihi æqua videbantur, scripsi. Quòd si aliud quiddam, ac non hoc, tibi in mentem venerit, (non autem dubito, quin optima ratione veniant) id quoque accipiemus. Alioqui enim aduersus ipsammet pietatem iniqui & iniurij essemus, si tibi, vt iustè atque integrè iudicanti, eos, qui ad nos accedunt, offeramus, at non item iis quæ statueris acquiescamus, quod quidem plerique ex iis, qui perquàm miseri & imperiti sunt, facere consueuerunt. D

Eidem. Epist. 87.

Festum quoque literæ ipsæ sunt. Quódque præstantius est, animi studio atque alacritate festum anteuertis illud nobis tribuens, vt festi celeritatem anticipemus. Atque hæc quidem à tua pietate. Nos autem quod omnium maximum habemus, hoc est preces, tibi vicissim damus. Vt autem aliquid etiam, quod tibi nostri memoriam refricet, à nobis, atque item à Sancto Basilio, habeas, Philocalia Origenis librum ad te misimus, earum rerum quæ literarum studiosis vtiles sint, collectanea quædam continentem. Hoc munus & accipias velim, & vtilitatis ex eo perceptæ argumentum nobis præbeas, nimirum & à studio ac diligentia & à spiritu adiutus.

Eidem. Epist. 88.

Tempus mihi est illud Scripturæ vsurpandi. Ad quem vociferabor iniuriam perpetiens? Quis mihi oppresso manum porriget? Ad quem Ecclesiæ, tam malè affectæ ac solutæ, pondus deuoluetur? Testificor coram Deo & electis Angelis, Dei gregem indigna pati, vt qui ob perditam valetudinem meam nec pascatur, nec visitetur. Nam me morbus constrictum tenet, atque ab Ecclesiæ gubernaculis celeriùs abduxit, núncque inutilem prorsus reddit, vt qui, & singulis diebus extremum penè spiritum effiem, & negotiorum mole magis opprimar. Ac si quidem hæc prouincia caput quoddam aliud haberet, ad illud clamare, ipsiúsque opem obtestari oporteret. Cùm autem pietas tua superiore loco sita sit, ad te oculos coniectos habere necesse est. Ecclesiam tuam, quo pacto tibi videbitur, cura, nec eam in ea calamitate, qua indigna est, versantem despice. Nam, vt cætera missa faciam, quæ Apollinaristæ nunc impetu facto, partim perpetrarunt, partim minitantur, ex dominis meis compresbyteris Eulalio chorepiscopo, & Celeusio, quos dedita opera ad pietatem tuam misimus, intelligis. Hæc porrò reprimere, non nostræ ætatis & imbecillitatis est, verùm solertiæ tuæ ac potestatis, quandoquidem præter cætera hoc quoque ad commune Ecclesiæ præsidium tibi à Deo donatum est, vt viribus polleas. Quod si hæc E

dicens ac

A διὰ τὴν συμφοράν. Νῦν οὖν, πάντας μὲν σοι προσαπώλεσεν πτωχούς τε καὶ πτωχοτρόφους. πάντας
δὲ μοναστὰς καὶ παρθένους ὑπὲρ αὐτῶν ἱκετεύοντας. δὸς τοῖς πᾶσιν ἀντὶ τούτων τὴν χάριν, ἐπειδὴ καὶ
συνετρίβησαν ἱκανῶς, ὡς δῆλον ἐξ ὧν ἡμῶν ἐδεήθησαν. καὶ πρὸ πάντων ἡμῖν τοῖς ὑπὲρ αὐτῶν
πρεσβεύουσιν. οὓς εἴ σοι δεινὸν εἶναι φαίνεται τὸ παρ' αὐτῶν ἀτιμασθῆναι. πολλῷ φανείτω δεινότε-
ρον τὸ σοὶ παραινοῦντας ταῦτα μὴ ἀκουσθῆναι. Τῷ δὲ καλῷ Πλούτωνι συγχωρήσειεν ὁ Θεὸς, ἃ εἰς
ἡμᾶς ἐξύβρισεν.

Τῷ αὐτῷ.

Αἷμα μὲν, ἐμόν. θρέμμα δὲ ἡμέτερον. κτῆμα δὲ, Θεῷ τὸ τιμίων προσάγω τῇ σῇ εὐλαβείᾳ τὴν
αἰδεσιμωτάτην θυγατέρα ἡμῶν Ἀμαζονίαν τὴν παρθένον, ἧς καὶ τὸ πιστὸν αἰδούμενος, καὶ τῇ ἀρρω-
στίᾳ τοῦ σώματος βοηθῶν, καὶ διὰ τοῦτο ἐν πᾶσι χεῖρα τε ὀρέγων καὶ κηδόμενος, πρᾶγμα ποιήσεις
ἐλεύθερον καὶ τῆς σῆς εὐλαβείας ἄξιον. προσθήσω δὲ, καὶ τῆς ἡμετέρας φιλίας.

B Τῷ αὐτῷ.

Τὰ μὲν πνευματικὰ πέρας ἔχει, οὐκέτι προσθήσω διοχλεῖν ὑμῖν. συνίοιτε, φράζοισθε, βουλεύοισθε
καθ' ἡμῶν. νικάτωσαν οἱ μισοῦντες ἡμᾶς. φυλαττέσθωσαν ἀκριβῶς οἱ κανόνες. ἀφ' ἡμῶν ἀρξάμενοι
τῶν ἀμαθεστάτων. οὐδεὶς ἀκριβείας φθόνος. τὰ φιλικὰ δὲ, μὴ κεκωλύσθω. οἱ τοῦ τιμιωτάτου υἱοῦ Νι-
κοβούλου παῖδες, ἥκασιν εἰς τὴν πόλιν ταχυγραφεῖν μαθησόμενοι. τούτοις τά τε ἄλλα καὶ οἰκείως
ἰδεῖν, καὶ πατρικῶς θέλησον. Οὐ γὰρ καὶ τοῦτο κωλύουσιν οἱ κανόνες. καὶ ὅπως ἂν γειτονῶσι τῇ ἐκ-
κλησίᾳ φρόντισον. βούλομαι γὰρ αὐτοῖς καὶ τὸ ἦθος τυποῦσθαι πρὸς ἀρετὴν, τῇ σῇ τελειότητι
συνεχῶς ἐντυγχάνοντας.

Τῷ αὐτῷ.

Καλεῖς, ἡμεῖς δὲ σπεύδομεν. σπεύδομεν δὲ μόνοι πλησιάσαι καὶ μόνῳ. Συνόδους γὰρ καὶ συλλόγους
πόῤῥωθεν ἀσπαζόμεθα. ἐξ οὗ μοχθηρῶν πεπειράμεθα τῶν πολλῶν. οὕτω γὰρ εἰπεῖν μέτριον. τὶ οὖν
C ἔτι λείπεται, πόθῳ δικαίῳ βοήθησον διὰ τῶν εὐχῶν. ἵνα τύχωμεν, ὧν σπουδάζομεν.

Τῷ αὐτῷ.*

Σὺ καὶ ἡμεῖς διὰ τοῦτο βουλόμεθα τὰ δίκαια γενέσθαι τῇ θυγατρὶ ἡμῶν Εὐγενείᾳ παρὰ τῆς
σῆς εὐλαβείας. καὶ μὴ περιϊδεῖν δ' ἂν ὡς ἐμοὶ φαίνεται, εἴ τινος στερηθείη τῶν τῇ ἐγγόνῳ παρὰ τοῦ
πιτθῆς καταλειφθέντων, ἣν ἀνεθρέψατο κατὰ πᾶσαν ἐπιμέλειαν καὶ ἀπέλιπεν ἐπ' ὀλίγοις ἀντὶ
πολλῶν, ὧν ὑπισχνεῖτο τότε καὶ ἤλπιζεν.

Τῷ αὐτῷ.

Ἃ δίκαια ᾤμην, ἀπέσταλκα. εἰ δὲ ἄλλό τι, καὶ μὴ ταῦτα παρέστη. πείθομαι γὰρ ὡς ὀρθῶς
παρέστη, καὶ τοῦτο δεξόμεθα, ἢ ἀδικοῖμεν ἂν, καὶ παρανομοῖμεν εἰς αὐτὴν τὴν εὐσέβειαν. ὡς μὲν,
τὰ δίκαια κρίνοντι, τοὺς προσιόντας ἡμῖν προστάγοντες. οἷς δ' ἂν δικάσῃς, μηκέτ' ἐμμένοντες, ὃ
τοῖς πολλοῖς ποιεῖν σύνηθες τῶν λίαν ἀθλίων καὶ ἀπαιδεύτων.

D Τῷ αὐτῷ.

Ἑορτὴ καὶ γράμματα, καὶ τὸ κρεῖσσον ὅτι προφθάνεις τὸν καιρὸν τῇ προθυμίᾳ, τὸ προεορ-
τάζειν ἡμῖν χαριζόμενος. τὰ μὲν οὖν παρὰ τῆς σῆς εὐλαβείας, τοιαῦτα, ἡμεῖς δὲ, ὧν ἔχομεν τὸ
μεῖζον, ἀντιδίδομεν τὰς εὐχάς. ἵνα δέ τι καὶ ὑπόμνημα παρ' ἡμῶν ἔχῃς. τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοῦ ἁ-
γίου Βασιλείου πυκτίον ἀπεστάλκαμέν σοι τῆς Ὠριγένους Φιλοκαλίας, ἐκλογὰς ἔχον τῶν χρη-
σίμων τοῖς φιλολόγοις. τοῦτο καὶ δέξασθαι καταξίωσον, καὶ ἀπόδειξιν ἡμῖν δοῦναι τῆς ὠφε-
λείας, καὶ σπουδῇ καὶ πνεύματι βοηθούμενος.

Τῷ αὐτῷ.

Καιρός μοι τὸ τῆς γραφῆς εἰπεῖν, πρὸς τίνα βοήσομαι ἀδικούμενος, τίς ὀρέξει μοι χεῖρα πιε-
ζομένῳ; Εἰς τίνα τὸ βάρος τῆς ἐκκλησίας χωρήσει, κακῶς οὕτω διακειμένης, καὶ λελυμένης.
διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ἐκλεκτῶν Ἀγγέλων, ὅτι μὴ δίκαια πάσχει τὸ τοῦ Θεοῦ
ποίμνιον, ἀποίμαντον ὂν καὶ ἀνεπίσκεπτον διὰ τὴν ἡμετέραν νέκρωσιν. ἐμὲ γὰρ ἡ νόσος κατέ-
E χει. καὶ τάχιον ἀπήγαγε τῆς ἐκκλησίας. καὶ νῦν παντάπασιν ἀχρεῖοι· ἀεὶ τὰ τελευταῖα πνέ-
οντα, καὶ πλέον τοῖς πράγμασι συντριβόμενον. Εἰ μὲν οὖν ἄλλην τινὰ κεφαλὴν εἶχεν ἡ ἐ-
παρχία, πρὸς ἐκείνην ἔδει βοᾶν καὶ διαμαρτύρεσθαι. τῆς δὲ σῆς εὐλαβείας ὑπερκει-
μένης, πρὸς σὲ βλέπειν ἀναγκαῖον. φρόντισον τῆς σῆς ἐκκλησίας ὃν βούλει τρόπον. καὶ μὴ
παρίδῃς ἀναξίως ἑαυτῆς πράττουσαν. ἵνα γὰρ τ' ἄλλα ἐάσω, οἷα νῦν ἐπιστάντες οἱ Απο-
λιναριανοὶ, τὰ μὲν, πεποιήκασι, τὰ δὲ ἀπειλοῦσι. παρὰ τῶν κυρίων μου τῶν συμπρεσ-
βυτέρων μαθήσῃ. Εὐλαλίου τοῦ Χωρεπισκόπου, καὶ Κελευσίου, οὓς ἐξ ἔργου πρὸς τὴν σὴν
εὐλάβειαν ἀπεστάλκαμεν. καὶ τὸ ταῦτα ἐπιχεῖν, οὐ τῆς ἡμετέρας ἐστὶν ἡλικίας καὶ ἀσθε-
νείας, ἀλλὰ τῆς σῆς ἀγχινοίας καὶ δυνάμεως. ἐπειδή σοι μετὰ τῶν ἄλλων, καὶ τὸ ἰσχύειν
ἔδωκεν ὁ Θεὸς, ἐπὶ κοινῇ προστασίᾳ τῆς Ἐκκλησίας. Εἰ δὲ ταῦτα λέγων καὶ γράφων

οὐκ ἀκουοίμην, ὃ λείπεται μόνον, τοῦτο γενήσεται, δημοσίᾳ κηρύξαι πᾶσι καὶ καταστῆσαι γνώ- A
ριμον. ὅτι Ἐπισκόπου χρήζει ἡ Ἐκκλησία. ἵνα μὴ παρὰ τῆς ἡμετέρας ἀρρωστίας καταβλάπτη-
ται. τὸ δὲ ἑξῆς ὑμεῖς εἴσεσθε.

Τῷ αὐτῷ.

Ἃ παρὰ τῶν κυρίων μου τῶν τιμιωτάτων Ἐπισκόπων ἐπέσταλται πρὸς τὴν σὴν εὐλά-
βειαν, ταῦτα καὶ παρ' ἡμῶν ἐπεστάλθαι νομίσας, δὸς παρακαλῶ χεῖρα ταῖς ἐλευθέραις. καὶ μὴ
περιίδης αὐτὰς τυραννουμένας, καὶ περιωθουμένας ὑπὸ τῆς τοῦ ἀνδρὸς δυναστείας, καθ' οὗ
*f. εἰ δὲ ἀγ προσεληλύθασιν. ἀλλ' ἐπικούρησον τὰ εἰκότα. εἰ μὲν οἶδας ἃ πάσχουσι, δι' ἃ πάσχουσιν. Εἰ δ'
*f. τῷ * ἀγνοεῖς, ὅτι καὶ τοῦτο πάσχουσι, τὸ * σοὶ μὴ γινώσκεσθαι τὴν ἀδικίαν, μὴ δὲ πιστεύεσθαι.
Εἰ δέ τις οἴεται προπετεστέρους εἶναι ἡμᾶς, ὡς οὐδὲν προσήκουσαν δίκην οἰκειουμένους, πειθέτω τοῦ-
το καὶ στέρξομεν. νῦν δὲ δέδοικα μὴ οὐχ οὕτως ἔχῃ· μάλιστα μὲν γὰρ οὐδὲ μεμέρισται τὰ Χριστοῦ,
καὶ Χριστός. οὐδὲ ὅρους ἔχει φιλανθρωπία. εἰ δὲ καὶ μεμερίσθαι θείη τις, δύο τοὺς ἐν τῷ πράγματι B
βαρουμένους γινώσκω. τήν τε σὴν εὐλάβειαν καὶ ἡμᾶς, εἰ παροφθείη τὸ δίκαιον. ὑπὸ γὰρ τὴν
ἀμφοτέρων οἰκονομίαν οἱ κρινόμενοι. καὶ δέος μὴ παρασυρῇ λόγων πιθανότητι τὸ ἀληθές. διὰ
τοῦτο καὶ συνδίκαζε, καὶ προδίκαζε, καὶ ὑπερμάχει τῆς ἀσθενείας ἡμῶν, μήπως εἰς ἀνάγ-
κην καταστῶμεν, καίπερ οὕτω τοῦ σώματος ἔχοντες, θερμότερον τῇ ἀληθείᾳ συναγωνίζεσθαι με-
συνεργείας. τὰ θεοῦ, καὶ τῆς τῶν σῶν εὐχῶν.

Τῷ αὐτῷ.

Χρεωστεῖς μὲν ἡμῖν καὶ ὡς νοσεροῖς θεραπείαν, εἴπερ μία τῶν ἐντολῶν ἀσθενούντων ἐπίσκε-
ψις. χρεωστεῖς δὲ καὶ ἁγίοις μάρτυσι τὴν δι' ἔτους τιμήν, ἣν ἐν Ἀριανζοῖς τοῖς σοῖς ἑορτάζο-
μεν τῇ κβ' τοῦ καθ' ἡμᾶς μηνὸς Δαθουσᾶ. καὶ ἅμα οὐκ ὀλίγα τῶν ἐκκλησιαστικῶν δεῖται
κοινῆς διασκέψεως. Πάντων οὖν ἕνεκα, ἀόκνως παραγενέσθαι καταξίωσον, καὶ γὰρ εἰ πολὺς ὁ
κάματος, ἀλλ' ἀντίῤῥοπος ὁ μισθός.

C

* Φωτίῳ.

ΠΑντα ὅσα ἔχεις ἐμά ἐστι. Θεοῦ γὰρ φωνὴν ποιήσομαι τὸ προοίμιον. ἐμὰ δὲ λέγω, οὐ κατὰ
τὴν κοινωνίαν μόνην τοῦ πνεύματος, ἀλλ' ὅτι καὶ τῇ παρούσῃ καταστάσει τῆς ἐκκλησίας
ἴσως οὐκ ὀλίγην μοῖραν συνεισενέγκαμεν ἕως ἦμεν ἔτι ἐν τοῖς πράγμασι, καὶ τοῦ καιροῦ προ-
ειστήκειμεν. νῦν γὰρ ἓν φροντίζεται ἡμῖν μόνον, ἡ ἐκδημία, πρὸς ἣν συστελλόμεθα, καὶ συσκευα-
ζόμεθα. ἔστω δὴ καὶ τὰ ἐμὰ σά, τῇ ἀγάπῃ κοινοποιούμενα. κάλλιστον δὲ τῶν ἐμῶν ὁ τιμιώτατος
προσφθ. καὶ συμπρεσβύτερος ἡμῶν Σακερδώς. δι' οὗ σε καὶ προφθεγγόμεθα, καὶ ὁρᾶν νομίζομεν.

Στρατηγίῳ.

ΩΣ πόσον ἀλλήλων διετειχίσθημεν. οὕτω τοῦ Θεοῦ τὰ ἡμέτερα φέροντος. ὢ τῆς ἱερᾶς ἑστίας, καὶ
συζυγίας, καὶ τοῦ κοινοῦ λιμένος πάντων τῶν φοβουμένων τὸν κύριον. ἄλλοι τῶν ἡμετέρων
καλῶν ἀπολαύουσιν. ἐμοὶ δὲ ὑπελείφθη μόνη ἡ μνήμη, καὶ τὸ ζηλοτυπεῖν τοὺς μετέχοντας. ἵνα
δὲ καὶ αὐτὸς τῶν ἡμετέρων μετέχῃς καλῶν, γνωρίζω σοι τὸν τιμιώτατον ἀδελφὸν καὶ συμ- D
πρεσβύτερον ἡμῶν Σακερδῶτα. ὃν οἶδα, ὅτι θεασάμενος, ἐρεῖς. ὄντως καλοῦ παντὸς ἐραστὴς ὁ
Γρηγόριος.

Κάστορι.

ΩΣ τυραννικὸς εἶ καὶ βίαιος. γράμμα σὸν ὤφθη μόνον. καὶ ἡμεῖς ὑπερώφθημεν. ἀλλ' ἰδού
σοι καὶ ὁ πολύτιμος Σακερδώς. ὁ σὸς μὲν ἀδελφός, υἱὸς δὲ ἐμός, καὶ τῶν παθῶν κοινωνός.
ἵνα δὲ μὴ παντελῶς ἡττηθῶμεν, τάχιστα ἡμῖν ἀπόδος τὴν τοῦ βίου παραμυθίαν φιλοσοφεῖν καὶ
διδαχθησόμενον, καὶ διδάξοντα. μέγιστον γὰρ εἰς μὲν ὁμόνοιαν, τὸ συμπάσχειν. εἰς δὲ συμβουλὴν
ἡ ὁμόνοια.

Τῷ αὐτῷ.

Ἐμοὶ τῆς πατρίδος, ὡς ἔοικεν, ἡ ἀλλοδαπὴ χρηστοτέρα. ἡ μὲν γὰρ, ἐδίδου τὰ σῆς ἀπολαύειν φιλίας.
ἡ δέ, οὐδὲν τοιοῦτον ἡμῖν ἐχαρίσατο. καὶ τοῦτό μοι παρὰ τῆς ἀρρωστίας, ἥ με κατέχει πεδήσασα, καὶ πρὸς
πολλὰ ποιεῖ δυσκίνητον ἢ ἀκίνητον. εἰ χρὴ λέγειν τὸ ἀληθέστερον. Ταύτην μὲν οὖν τὴν ζημίαν λυπούμενοι
οἴσομεν. τί δὲ οὐ φέρει ἀνιαρῶν ἄνθρωπος, μόνον ὑγιαίνοις καὶ πράττοις κατὰ νοῦν, καὶ ἐν χειρὶ Θεοῦ εἴη τὰ σά.
ἔσται δέ, εἰ γνησίως αὐτοῦ λαμβάνοιο. τὴν δὲ κυρίαν τὴν κοινὴν ἡμῶν ἀδελφήν, τάχιστα ἡμῖν ἀπο- E
πέμψασθαι βέλτιστον. ὡς κοινὸν ἔρεισμα καὶ τῶν εὐλαβῶν, καὶ τῆς ἀσθενείας τῆς ἡμετέρας. ἣ
πολλά σου τῆς Σακερδώτιδος καταβοησόμεθα. δι' ἣν καὶ ζημιούμεθα καὶ καλέσομεν αὐτὴν τῇ
οἰκείᾳ προσηγορίᾳ. γνώσῃ δὲ ἥτις παρ' αὐτῆς πυθόμενος.

Γρηγορίῳ τῷ Νύσσης, Παραμυθητική.

ΩΡμημένον με πρὸς ὑμᾶς κατὰ πᾶσαν σπουδήν, καὶ μέχρις Εὐφημιάδος γενόμενον, ἐπέχησαι * σύ-
*ἐπέχησε νοδος, ἣν αὐτόθι τελεῖτε τοῖς ἁγίοις Μάρτυσι, καὶ τὸ μὴ μεταχεῖν ταύτης οἷόν τε εἶναι διὰ τὴν
ἀρρωστίαν, καὶ ἄλλως βαρεῖαν ἂν γενέσθαι τῇ ἀκμῇ. ὥρμησα δὲ ὅμως μέν, ἐπισκεψάμενος ὑμᾶς οὕτω διὰ
μακροῦ. ὅμως δὲ θαυμασόμενός σε τῆς καρτερίας, καὶ τῆς φιλοσοφίας, ἣν φιλοσοφεῖς. Πυνθάνομαι γὰρ ἐπὶ
τῇ μετα-

A dicens ac scribens minimè audiar, quod vnum superest, hoc faciam, nempe vt publicè omnibus prædicem, ac perspicuum reddam, quòd Ecclesia Episcopo indigeat: ne alioqui ex aduersa nostra valetudine incommodo ac detrimento afficiatur. Quod autem deinceps sequatur, vos intelligetis.

Eidem. Epist. 89.

Quæ à præstantißimis dominis meis Episcopis ad pietatem tuam scripta sunt, eadem à nobis quoque scripta esse ducens, ingenuis matronis dextram, quæso, præbe, nec eas viri illius, aduersus quem progressæ sunt, tyrannica potentia vexari atque opprimi patere: verùm iis, vt par est, opitulare: si scis quæ patiantur, ob eam causam propter quam patiuntur: si nescis, ob id ipsum quod patiuntur, propterea quòd iustitia tibi ignota est, ita ne fidem quidem apud te inuenit. Quòd si nos quispiam curiosiores, quàm par sit, esse existimet, vt qui litem nihil ad nos attinentem nobis asciscamus, id probet, & acquiescemus. At nunc vereor vt ita sit. Maximè enim ne Christi quidem res, vt nec ipse Christus, diuisæ sunt: nec finibus vllis circumscripta est benignitas. Atque vt etiam diuisas esse quispiam statuat, duos, qui hac in re grauentur, esse scio, nimirum pietatem tuam,
B & nos si, quod iustum est, negligatur. Etenim sub vtriusque curam & administrationem sunt ij, de quibus iudicatur. Ac metuendum est, ne verborum lenocinio veritas conuellatur. Ac propterea, & simul iudica, & pro imbecillitate nostra propugna: ne alioqui in eam necesitatem adducamur, vt, in hac licet corporis valetudine, Dei ope, ac tuarum precum adiumento freti, acrioribus animis veritati subsidium feramus.

Eidem. Epist. 90.

Tu, & nobis, vt aduersa valetudine laborantibus, curam atque officium debes (siquidem vnum ex præceptorum numero est ægrotantium visitatio:) & item sanctis Martyribus anniuersarium honorem debes, quem in Arianzis tuis vicesimo secundo mensis Dathusa, vt apud nos appellatur, die celebramus. Ac simul non pauca Ecclesiastica negotia sunt, quæ communem considerationem requirant. His igitur omnibus de causis abs te peto, vt impigrè ad nos venias. Etsi enim ingens labor est: par tamen est merces.

Photio. Epist. 91.

C OMnia, quæ habes, mea sunt (à diuina enim voce initium scribendi ducam) non tantùm ob spiritus communionem, verùm hoc etiam nomine, quòd ad præsentem Ecclesiæ statum haud parum fortasse momenti atque opis attulimus, cùm in rerum administratione adhuc versaremur, ac tempori præessemus. Nunc enim nihil aliud nobis curæ est, quàm discessus, ad quem nos ipsos colligimus, & comparamus. Sint igitur mea quoque tua, per charitatem scilicet communicata. Porrò meorum omnium pulcherrimum est in primis honorandus & compresbyter noster Sacerdos, per quem te salutamus, atque intueri existimamus.

Strategio. Epist. 92.

O Quantum inter nos disiuncti sumus, Deo res nostras ita moderante! O sacram domum, & coniugium, & communem omnium eorum, qui Deum metuunt, portum! Alij bonis nostris fruuntur: mihi autem recordatio sola relicta est, ac Zelotypiæ affectus, aduersum eos, qui ea percipiunt. Vt autem ipse quoque bonorum nostrorum particeps sis, cum primis honorandi fratris & compresbyteri nostri Sacerdotis notitiam tibi concilio, quem non dubito quin vbi conspexeris, illud dicturus sis, Verè omnis boni amator est Gregorius.

D

Castori. Epist. 93.

QVàm tyrannicus ac violentus es! Literæ tuæ tantummodò conspectæ sunt, & nos in contemptum venimus. At en tibi vir summi pretij Sacerdos, tuus quidem frater, meus autem filius, & calamitatum socius ac particeps. Porrò ne prorsus atque omni ex parte superemur, fac quàm celerrimè nobis vitæ solatium reddas, philosophari tum edocendum, tum edocturum. Si quidem vt ad concordiam permagni momenti est doloris societas: sic ad consilium animorum consensio & concordia.

Eidem. Epist. 94.

Mihi, vt apparet, benigniorem se præbebat extera regio, quàm patria. Nam illa hoc mihi dabat, vt amicitia tua fouerer: hæc autem nihil huiusmodi nobis concessit. Atque hoc mihi morbus attulit, qui me velut pedibus deuinctum tenet, atque ad multa torpidum, aut etiam, si verius loquendum est, planè immobilem reddit. Sed enim hoc detrimentum, mœsto licet animo, feremus. quid autem molestiarum est, quod homo non
E ferat? Tantum valeas ipse, tibique omnia ex sententia cedant, ac res tuæ in manu Dei sint. Erunt autem, si animo syncero eum prehendas. Dominam autem, communem nostram sororem, velim quàm ocyssimè ad nos remittas, vt & commune piorum omnium, & nostræ infirmitatis subsidium, Aut alioqui Sacerdotem tuam magnis clamoribus exagitabimus, ob quam hoc detrimento afficimur: ac proprio eam nomine appellabimus. Quodnam autem illud sit, exploratum habebis, si eam interroges.

Gregorio Nysseno Consolatoria. Epist. 95.

TEndentem me ad vos omni studio ac celeritate, iámque ad Euphemiadem vsque profectum, conuentus ille retinuit, quem illic in sanctorum Martyrum honorem celebratis, tum quod huic ob morbum interesse nequeam, tum ne ob importunitatem grauis ac molestus sim. Porrò hac de causa iter susceperam, partim vt te tanto interuallo viserem: partim vt te ob eam tolerantiam ac philosophiam mirificis laudibus efferrem, quam

ob sanctæ ac beatæ sororis vestræ discessum ex hac vita præstas (ita enim audio) vt vir probus & perfectus, ac Deo astans, diuináque & humana, magis quàm quiuis alius, cognita & perspecta habens. quódque in huiusmodi rebus aliis grauissimum & acerbissimum est, hoc leuissimum iudicans, nempe quòd cum tali vixeris, & talem transmiseris, atque in cœlestia domicilia, tanquam areæ aceruum, vt Scripturæ verbis vtar, tempestiuè deuectum, recondideris : & quidem ita, vt ipsa iucunditatum quidem vitæ particeps fuerit, molestias autem per ætatis mensuram effugerit, priúsque quàm propter te luxisset, præclaro funere, atque huiusmodi mulieribus debito, à te ornata sit. Cupio autem, mihi crede, ipse quoque hinc migrare, si non tam vehementer ac vos (magnum enim dictu hoc est) at certè statim post vos. Sed quid faciamus aduersus Dei legem iam olim vigentem ac dominantem, quæ Theosebiam meam habet (meam enim eam voco, quæ, vt Dei legibus consentaneum erat, vixit. quandoquidem Spiritualis cognatio corpoream antecellit) Theosebiam, Ecclesiæ decus, Christi ornamentum, ætatis nostræ vtilitatem, fœminarum fiduciam : Theosebiam, in tanta fratrum pulchritudine formosissimam & clarissimam : Theosebiam verè sacram, & sacerdotis coniugem, & honore parem, magnísque mysteriis dignam : Theosebiam, quam futurum quoque tempus excepturum est, in immortalibus columnis, hoc est, omnium, tam qui eam nunc norunt, quàm qui posthac futuri sunt, animis sitam. Nec verò mirum tibi videatur, quòd eam sæpe appellem. Nam etiam beatæ illius fœminæ memoriam pro deliciis habeo. Atque hic sermo, breuis quidem ille, amplus tamen & copiosus, tum ad illius funus honestandum, tum ad te consolandum à nobis habitus sit : tametsi alioqui pro tua in omni genere sapientia eiusmodi cohortationem aliis ipse adhibere possis. Congressum autem (nam nos quoque hunc appetimus) nunc nobis ea, quæ à nobis commemorata est, causa eripuit. Verùm demus operam, vt mutuas orationes iungamus, si modò diutius in terra simus, at non communis nos finis disiungat, ad quem appropinquamus. Ac proinde nobis omnia perferre necesse est, vt qui nec diutius gauisuri, nec in mœrore futuri, simus.

A B

Cledonio. Epist. 96.

QVæris, quid silentium nostrum sibi velit? Modum sermonis ac silentij vult. Nam qui totum superauit, idem minore negotio partem quoque superabit. Ac præterea concitatum animi motum sedat, dum sermone minimè effertur, verùm in seipso absumitur.

Eidem. Epist. 97.

C

Congressum nostrum haud prohibeo. Nam etsi lingua tacet, at aures tamen sermonibus præbebimus. Quandoquidem audire quæ oporteat, haud inferius est, quam ea loqui.

Eidem. Epist. 98.

Sermone tacemus, vt quæ loqui opus sit discamus. at nosipsos ad turbulentos animi motus in imperio ac potestate tenendos exerceamus. Si quis hoc accipit, bene est. Sin secus, hoc quoque lucri nobis silentium affert, quòd aliis nihil respondemus.

Eulalio. Epist. 99.

MIhi & silentij locus, & philosophiæ palæstra, Lamis extitit. quam vt tacens contemplatus sum, ita etiam loquens videre concupisco : vt & fratrum desiderio satisfaciam, & vos, sermonum meorum interpretes, ob verborum parsimoniam vlciscar. Ipse enim, qui loquor, adero, non iam in allegoricum sensum tractus, nec coniectura quadam adumbratus, sed purè ac planè intellectus.

Eidem. Epist. 100.

D

Mihi nouum quiddam accidit. Nam qui te præsente tacui, idem absentem requiro : vt & sermonem impertiam, & vicissim accipiam. Præclarum est enim, vt rerum omnium aliarum, ita etiam sermonum primitias verbo primum, ac deinde iis, qui Domini metu præditi sunt, consecrare.

Eidem. Epist. 101.

Omnia tempus habent, inquit Ecclesiastes, propterea posui custodiam ori meo, cùm tempus ita postularet: & ecce labia mea non prohibebo, quandoquidem huius rei tempus est. Tacui enim, inquit Scriptura, num etiam semper tacebo? Tacui, inquam, mihi: aliis autem loquor. Ipsi autem, si quidem ea, quæ conuenit, loquantur, omnis Deo gratia habeatur, Sin minùs, aures quoque occludemus.

Eidem. Epist. 102.

Tu solitudini, atque ita immodico ieiunio das operam : ego silentio. Gratiam inter nos communicemus. cùm autem vnà erimus, diuinas laudes simul canemus, vt rationi consentaneum silentium, ita etiam diuinum sermonem offerentes. E

Leontio. Epist. 103.

O Faustum ac commodum morbum, hostiúmque improbitatem, qua factum est, vt Sodomitico igne atque episcopali dissolutione liberati simus. Vobis autem quonam pacto res diuinæ se habent? Hæc sane præclaro statu sint: cætera omnia quoquo pacto se habeant, valere sinamus. Adhuc aliquantulum, & eos à quibus contumelia mihi illata est, videbo, cùm res nostræ per ignem iudicabuntur. Salutem vobis dicimus, ac per vos communibus amicis. Lapidationes meas memoria tenete.

Epiphanio. Epist. 104.

LEge legem prouoco, ea nimirum quæ filios erudire iubet, eam quæ patri honorem habere imperat. Ac nunc ad res præclarissimas ducem me tibi præbeo: ac velut amicitiæ dextram litteras nostras accipe. Quòd si impetum

A τῇ μεταστάσει τῆς ἁγίας ἀδελφῆς ὑμῶν, καὶ μακαρίας, ὡς ἀνὴρ ἀγαθός τε καὶ τέλειος καὶ Θεῷ
παρεστάμενος, καὶ πάντων μᾶλλον εἰδὼς τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα, καὶ ὃ τοῖς ἄλλοις βαρύτα-
τόν ἐστιν ἐν τοῖς τοιούτοις, τοῦτο κουφότατον κρίνων τὸ τοιαύτῃ μὲν συζῆσαι· τοιαύτην δὲ προ-
πέμψαι, καὶ εἰς τὰς ἀσφαλεῖς ἀποθήκας μονὰς, ὥσπερ θημωνίαν ἅλωνος κατὰ καιρὸν συγκομισθεῖσαν,
ἵν' εἴπω τὸ τῆς θείας γραφῆς· καὶ τῶν μὲν τερπνῶν τοῦ βίου μεταχθεῖσαν· τὰ δὲ λυπηρὰ διαφυγοῦσαν
τῷ μέτρῳ τῆς ἡλικίας· καὶ πρὶν ἐπὶ σοὶ πενθῆσαι, παρὰ σοῦ τιμηθεῖσαν τῇ καλῇ κηδείᾳ καὶ τοῖς
τοιούτοις ὀφειλομένῃ. ποθῶ δὲ καὶ αὐτὸς εὖ ἴσθι τὴν μετάστασιν, εἰ καὶ μὴ καθ' ὑμᾶς, πολὺ γὰρ τοῦτο
εἰπεῖν, ἀλλ' εὐθὺς μεθ' ὑμᾶς. Ἀλλὰ τί χρὴ παθεῖν πρὸς Θεοῦ νόμον πάλαι κεκρατηκότα, ὃς ἔχει
Θεοσέβειαν τὴν ἐμήν. ἐμὴν γὰρ ὀνομάζω τὴν κατὰ θεὸν ζήσασαν. ἐπειδὴ κρείττων ἡ πνευματικὴ συγ-
γένεια τῆς σωματικῆς. Θεοσέβειαν τὸ τῆς ἐκκλησίας καύχημα· τὸ Χριστοῦ καλλώπισμα· τὸ τῆς καθ'
ἡμᾶς γενεᾶς ὄφελος. Τὴν γυναικῶν παῤῥησίαν. Θεοσέβειαν, τὴν ἐν τοσούτῳ κάλλει τῶν ἀδελφῶν εὐ-
B πρεπεστάτην τε καὶ διαφανεστάτην. Θεοσέβειαν τὴν ὄντως ἱερὰν, καὶ ἱερέως σύζυγον, καὶ ὁμότιμον, καὶ
τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀξίαν. Θεοσέβειαν, ἣν καὶ ὁ μέλλων ὑπολήψεται χρόνος. ἐν στήλαις ἀθα-
νάτοις κειμένην, ταῖς ἁπάντων ψυχαῖς τῶν τε νῦν ἐγνωκότων, καὶ τῶν ὕστερον ἐσομένων. καὶ μὴ
θαυμάσῃς εἰ πολλάκις ταύτην ἀνακαλῶ. ἐντρυφῶ γὰρ καὶ τῇ μνήμῃ τῆς μακαρίας. οὕτως ἐκείνη
τε παρ' ἡμῶν ἐπιτάφιος ἐν βραχεῖ πολὺς καὶ σοὶ παρακλητικὸς λόγος. καὶ γὰρ ἄλλους τὰ τοιαῦτα
παρακαλεῖν δυναμένῳ διὰ τὴν ἐν πᾶσι φιλοσοφίαν. τὴν δὲ συντυχίαν, ἐπεὶ καὶ ταύτην πο-
θοῦμεν, νῦν μὲν ἀφῃρήμεθα, δι' ἣν εἶπον αἰτίαν. συνευχόμεθα δὲ ἡμῖν αὐτοῖς ἂν ἔτι ὑπὲρ γῆς ὦμεν.
καὶ μὴ τὸ κοινὸν ἡμᾶς διαζεύξῃ τέλος. ᾧ πλησιάζομεν. διὸ καὶ πάντα φέρειν ἀναγκαῖον ἡμῖν ὡς
οὔτε ἡσθησομένοις, οὔτε ἀνιασομένοις μακρότερα.

Κληδονίῳ.

C Ἐρωτᾷς τί βούλεται ἡμῖν ἡ σιγή; βούλεται λόγου μέτρα καὶ σιωπῆς. ὁ γὰρ τοῦ παντὸς κρατήσας,
ῥᾷον κρατήσει τοῦ μέρους. πρὸς δὲ, καὶ θυμὸν ἡμεροῖ, μὴ λαλούμενον, ἀλλ' ἐν αὐτῷ δαπανώμενον.

Τῷ αὐτῷ.

Οὐ κωλύω τὴν συντυχίαν. εἰ γὰρ καὶ ἡ γλῶσσα σιγᾷ, τά γε ὦτα ἡδέως τοῖς λόγοις παρέ-
ξομεν. ἐπειδὴ τοῦ λαλεῖν ἃ χρὴ, τὸ ἀκούειν οὐκ ἀτιμότερον.

Τῷ αὐτῷ.

Σιωπῶμεν τῷ λόγῳ, τὸ λαλεῖν ἃ χρὴ διδασκόμενοι. καὶ τῶν παθῶν ἐπικρατεῖν γυμναζόμε-
θα. εἰ μέν τις δέχεται τοῦτο, καλῶς. εἰ δὲ μὴ, καὶ τοῦτο κέρδος τῆς σιωπῆς, τὸ τοῖς ἄλλοις μηδὲν ἀπο-
κρίνασθαι.

Εὐλαλίῳ.

Γέγονε καὶ ἡ Λαμὶς ἐμοὶ τῆς σιωπῆς χωρίον, καὶ φιλοσοφίας ἐγγυμναστήριον. ἣν ὡς σιγῶν ἐθεα-
σάμην, ἰδεῖν ἐπιθυμῶ καὶ φθεγγόμενος. ἵνα τοῖς τε ἀδελφοῖς πληρώσω τὸν πόθον, καὶ ὑμᾶς ἀ-
D μύνωμαι τῆς μικρολογίας, τοὺς κακοὺς τῶν ἐμῶν φθεγμάτων ἐξηγητάς. αὐτὸς γὰρ ὁ λαλῶν παρέ-
σομαι. οὐκέτ' ἀλληγορούμενος οὐδὲ εἰκαζόμενος, ἀλλὰ καθαρῶς νοούμενος.

Τῷ αὐτῷ.

Καινόν τι πέπονθα, παρόντι σιγήσας, ἀπόντα ποθῶ. ἵνα καὶ μεταδῶ λόγου καὶ μεταλάβω. καλὸν
γὰρ ὥσπερ ἄλλου παντὸς, οὕτω δὴ καὶ λόγων ἀπαρχὰς ἀνατιθέναι τῷ λόγῳ πρῶτον. εἶτα τοῖς φο-
βουμένοις τὸν κύριον.

Τῷ αὐτῷ.

Καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι, φησὶν ὁ Ἐκκλησιαστής. διὰ τοῦτο ἐθέμην φυλακὴν τῷ στόματί μου,
ἡνίκα καιρός. καὶ ἰδοὺ τὰ χείλη μου οὐ μὴ κωλύσω, ἐπειδὴ τοῦτο καιρός. ἐσιώπησα γάρ φησιν ἡ γρα-
φή. μὴ καὶ ἀεὶ σιωπήσομαι; ἐσιώπησα μὲν, ἐμαυτῷ. λαλῶ δὲ τοῖς ἄλλοις. οἱ δὲ, εἰ μὲν, ἃ χρὴ, φθέγ-
γοιντο, πᾶσα τῷ Θεῷ χάρις. εἰ δὲ μὴ, καὶ τὰ ὦτα φραξόμεθα.

E

Τῷ αὐτῷ.

Σὺ φιλοσοφεῖς τὴν ἐρημίαν, καὶ τὴν ἄμετρον οὕτω νηστείαν. ἐγὼ δὲ, τὴν σιωπήν. μεταδῶμεν
ἀλλήλοις τοῦ χαρίσματος. ἐπειδὰν δὲ εἰς ἓν γενώμεθα, κοινῇ τὸν Θεὸν ᾀσόμεθα. καρποφοροῦν-
τες ὥσπερ εὔλογον σιωπὴν, οὕτω καὶ λόγον ἔνθεον.

Λεοντίῳ.

Ὢ τῆς δεξιᾶς νόσου, καὶ τῆς τῶν ἐχθρῶν ἐπηρείας, δι' ἣν ἡμεῖς ἐλεύθεροι γεγόναμεν ἔξω τοῦ Σο-
δομιτικοῦ πυρὸς καὶ τῆς ἐπισκοπικῆς ἐκλύσεως. ὑμῖν δὲ πῶς ἔχει τὰ πρὸς τὸν Θεόν; ταῦτα
ἐχέτω καλῶς. τ' ἄλλα ὅπως ἂν ἔχῃ, χαίρειν ἐάσωμεν. μικρὸν ἔτι καὶ ὄψομαι τοῖς ἐμοῖς ὑβρισταῖς,
ἡνίκα ἂν πυρὶ κρίνηται τὰ ἡμέτερα. προσαγορεύομεν ὑμᾶς καὶ δι' ὑμῶν τοὺς κοινοὺς φίλους. Μέμνησθέ μου
τῶν λιθασμῶν.

Ἐπιφανίῳ.

Νόμῳ πειθαρχοῦμαι νόμον, τὸν κελεύοντα τιμᾶσθαι πατέρα, τῷ κελεύοντι διδάσκεσθαι παῖδας.
νῦν μὲν ἐξηγοῦμαί σοι πρὸς τὰ κάλλιστα. καὶ οἷον δεξιὰν φιλίας δέχου τὰ γράμματα. εἰ δὲ ἀντιπέμ-

πιθείης, καὶ πολλάκις τοῦτο ποιεῖν βουληθείης, ἴσως ποιήσεις καὶ γέροντα αἰχμητὴν, οὐδὲν τοῦ Νέστορος ἀγεννέστερον. A

Καισαρίῳ.

Εὐεργέτησόν τι καὶ σεαυτὸν καὶ ἡμᾶς, οἷον οὐ πολλάκις εὐεργετήσεις. μηδὲ πολλάκις παραπίπτουσιν εὐεργεσίας τοιαύτης καιροί. Τῶν κυρίων μου τοὺς ἀνεψιούς μου, πρόστηθι προστασίαν δικαιοτάτην κάμνοντων ἱκανῶς ἐπὶ κτήματι, ὅπερ ὠνήσαντο μὲν, ὡς καὶ πρὸς ἀναχώρησιν ἐπιτήδειον. καὶ τινα τοῦ βίου παρέχειν αὐτοῖς ἀποστροφὴν δυνάμενον· ἐπεὶ δὲ ὠνήσαντο, πλείοσι περιπεπτώκασι δυσχερείαις. τὰ μὲν τῶν πεπρακότων ἀγνωμόνων πειρώμενοι. τὰ δὲ, ὑπὸ τῶν γειτονούντων περικοπτόμενοι, καὶ πορθούμενοι· ὥστε κέρδος εἶναι αὐτοῖς τὸ τίμημα κομισαμένοις μεθ' ὧν προσαναλώκασιν ὄντων οὐκ ὀλίγων, ἀπαλλαγῆναι τῆς κτίσεως. * εἰ μὲν οὖν σοι φίλον εἰς σεαυτὸν περιστῆσαι τὴν πραγματείαν. ὅπως ἂν κάλλιστα καὶ ἀσφαλέστατα ἔχῃ σοι τὸ συνάλλαγμα διασκεψαμένῳ, τοῦτο δὴ καὶ αὐτοῖς καὶ ἡμῖν ἥδιον. εἰ δὲ μὴ τό γε δεύτερον τῇ περιεργίᾳ καὶ ἀγνωμοσύνῃ τοῦ ἀνδρὸς ἀντίθες σεαυτὸν, ἵνα μὴ πάντως ἐν γέ τι διὰ τὴν ἀπραγμοσύνην αὐτῶν ἔχῃ πλέον. B ἢ κατέχοντας ἀδικῶν, ἢ ζημιῶν ἀπαλλαττομένους. Ἐγὼ μὲν οὖν καὶ ἠρυθρίασα περὶ τούτων ἐπιστέλλων. ἐπειδή γε ὁμοίως * αὐτοῖς ὀφειλόμεθα· καὶ διὰ τὸ γένος, καὶ διὰ τὴν τοῦ βίου προαίρεσιν. τίνος γὰρ ἄν τις κήδοιτο μᾶλλον, ἢ τῶν τοιούτων. ἐπὶ τῷ δ' ἂν αἰσχύνοιτο πλέον, ἢ τὰ τοιαῦτα εὐεργετεῖν οὐ προθυμούμενος. σὺ δὲ, ἢ διὰ σεαυτὸν, ἢ δι' ἡμᾶς, ἢ διὰ τοὺς ἄνδρας αὐτοὺς, ἢ διὰ πάντα ταῦτα ὁμοῦ, ἀλλὰ πάντως γε αὐτοὺς εὐεργέτησον.

* κλήσεως.

* f. ὅμως

Τῷ αὐτῷ.

Εἰ μεγάλα ἐστὶν ἃ αἰτοῦμεν, μηδὲν θαυμάσῃς, ἐπειδὴ καὶ παρὰ μεγάλου, καὶ συμμετρηθῆναι δεῖ τῷ αἰτουμένῳ τὴν αἴτησιν. ὁμοίως γὰρ ἄτοπον παρὰ μικροῦ μεγάλα αἰτεῖν, καὶ παρὰ μεγάλου μικρά. τὸ μὲν γὰρ ἄκαιρον. τὸ δὲ μικρολόγον. αὐτός σοι προσάγω διὰ τῆς ἐμαυτοῦ χειρὸς τὸν τιμιώτατον υἱὸν ἡμῶν Ἀμφιλόχιον. ἄνδρα τοσοῦτον ἐπὶ καλοκαγαθίᾳ γνώριμον, καὶ παρὰ τὸ εἰκὸς τῆς ἡλικίας. ὥστε αὐτὸς ἂν ἠγάπησα ὁ γέρων καὶ ἱερεὺς καὶ ὑμέτερος φίλος, οὕτως ὑπολαμβάνεσθαι. εἰ δὲ C φιλίας ἀνδρὸς ἡττηθεὶς, τὴν διαβολὴν οὐχ ὑπείδετο, τί θαυμαστόν; τῷ γὰρ μὴ πονηρὸς εἶναι, οὐδὲ ὑπείδετο τὴν πονηρίαν, λόγου μᾶλλον διόρθωσιν, ἢ τρόπου προσήκειν αὐτῷ νομίσας. Οὕτω συμπονεῖν* ἔδοξε. τί τοῦτο δεινὸν τοῖς εὐγνώμοσι; μὴ τοίνυν ἀνάσχῃ πλέον ἀρετῆς κακίαν. μὴ δὲ τὴν ἡμετέραν πολιὰν ἀτιμάσῃς· ἀλλὰ καὶ τὴν μαρτυρίαν αἰδέσθητι, καὶ τὸ φιλάνθρωπον ὑπόθες ταῖς παρ' ἡμῶν εὐλογίαις. ὧν ἴσως τις παρὰ θεῷ λόγος, ᾧ παρεστήκαμεν.

* ἐδέξατο habet Vatic. liber: & quidem satis cōmodè.

Σωφρονίῳ Ὑπάρχῳ.

Ὁ χρυσὸς ἄλλοτε μὲν ἄλλως μεταποιεῖται καὶ σχηματίζεται εἰς πολλοὺς κόσμους τυπούμενος, καὶ πρὸς πολλὰ ὑπὸ τῆς τύχης * ἀγόμενος, μένει δὲ ὅπερ ἐστὶ χρυσός. καὶ οὐχ ἡ ὕλη μεταβολὴν, ἀλλὰ τὸ σχῆμα λαμβάνει. οὕτω καὶ τὴν σὴν καλοκαγαθίαν ἡγούμενοι τὴν αὐτὴν μένειν τοῖς φίλοις, κἂν ἀεὶ προστῇς ἐπὶ τὰ ἔμπροσθεν, ταύτην ἐθαῤῥήσαμεν τὴν πρεσβείαν προσαγαγεῖν. οὐ μᾶλλον τὴν ἀξίαν εὐλαβηθέντες, ἢ τῷ τρόπῳ πιστεύσαντες. τῷ αἰδεσιμωτάτῳ υἱῷ ἡμῶν Νικοβούλῳ D τὰ πάντα ἔχοντι πρὸς ἡμᾶς ἐπιτηδείως. καὶ διὰ συγγένειαν, καὶ διὰ τὴν οἰκειότητα, καὶ ὃ τούτων μεῖζόν ἐστι, διὰ τὸν τρόπον, γενοῦ δεξιός. Ἐν τίσι καὶ πόσοις; ἐν οἷς αὐτός σου δεηθήσεται. καὶ ὅσον τῇ σῇ μεγαλονοίᾳ πρέπειν ὑπολαμβάνεις· ἀντιδώσομεν δὲ καὶ ἡμεῖς ὧν ἔχομεν τὸ κάλλιστον. ἔχομεν δὲ τοὺς λόγους καὶ τὸ κήρυκες εἶναι τῆς σῆς ἀρετῆς. εἰ καὶ μὴ τῆς ἀξίας ἐγγὺς, ἀλλά γε κατὰ τὴν ἡμετέραν δύναμιν.

* τέχνης

Τῷ αὐτῷ.

Μητέρα τιμᾷ, τὴν ὁσίων. μήτηρ δὲ, ἄλλη μὲν ἄλλου. κοινὴ δὲ πάντων, πατρίς. ταύτην ἐτίμησας μὲν, πάσῃ σου τῇ τοῦ βίου λαμπρότητι. τιμήσεις δὲ καὶ νῦν ἡμᾶς αἰδεσθεὶς, ὑπὲρ ὧν πρεσβευόμεθα. ἡ πρεσβεία δὲ τίς; τὸν λογιώτατον τὸν καθ' αὐτὴν Εὐδόξιον, τὸν Ῥήτορα πάντως γινώσκεις, τούτου παῖς, ἵν' εἴπω συντόμως, ἄλλος Εὐδόξιος καὶ βίῳ καὶ λόγῳ, νῦν σοι προσέστι δι' ἡμῶν. ἵν' οὖν ὀνομαστότερον σεαυτὸν καταστήσῃς, γενοῦ τῷ ἀνδρὶ δεξιὸς, ἐν οἷς ἂν δέηται τῆς σῆς προστασίας. Αἰσχρὸν γὰρ, κοινὸν E ὄντα σε τῆς πατρίδος προστάτην, καὶ πολλοὺς εὖ πεποιηκότα. προσθήσω δὲ, ὅτι καὶ ποιήσοντα, μὴ προτέρων τιμῆσαι τὸν ἄριστον ἐν λόγοις. καὶ λόγους, οὓς εἰ μή τι ἄλλο, κατὰ τοῦτο αἰδεῖσθαι δίκαιον, ὅτι τῶν καλῶν εἰσὶν ἐπαινέται.

Τῷ αὐτῷ.

Πάντα τοῖς φίλοις βούλομαι δεξιά. φίλους δὲ ὅταν εἴπω, τοὺς καλοὺς λέγω καὶ ἀγαθοὺς, καὶ τοῖς κατ' ἀρετὴν ἡμῖν συναπτομένους. ἐπειδή τι καὶ αὐτοὶ ταύτης μεταποιούμεθα. Ταῦτά σοι καὶ νῦν ζητήσας τι μέγιστον ἂν χαρισαίμην τῷ αἰδεσιμωτάτῳ ἀδελφῷ ἡμῶν Ἀμαζονίῳ. καὶ γὰρ ἥσθην τῷ ἀνδρὶ διαφερόντως διὰ τῆς ἔναγχός μοι γεγενημένης πρὸς αὐτὸν συνουσίας, ἓν ἀντὶ πάντων αὐτῷ χαρίσασθαι δεῖν ᾠήθην, τὴν σὴν φιλίαν καὶ προστασίαν. ὁ μὲν γὰρ, ἐν βραχεῖ πολλὴν τὴν παίδευσιν ἐπεδείξατο, τήν τε συνδιαθεῖσαν

A petum contrà facias, ac sæpe id facere in animum inducas fortasse senem quoque pugnacem reddes, Nestoréque nihilo ignauiorem.

Cæsario. Epist. 105.

ET teipsum, & nos, eiusmodi quodam beneficio affice, quali haud sæpe nos afficies: quandoquidem nec sæpe huiusmodi beneficij occasiones incidunt. Dominorum meorum consobrinorum æquissimum patrocinium suscipe, qui plurimum laboris & ærumnæ pro eo prædio subeunt, quod, vt ad secessum aptum & idoneum, atque ex quo subsidium aliquod vitæ ipsis afferri posset, coëmerunt: posteaquàm autem coëmerunt, in multas molestias & difficultates inciderunt, vt qui scilicet partim improbos venditores experiantur, partim à vicinis concidantur ac diripiantur: adeò vt lucro illis futurum sit, recepto pretio vnà cum iis sumptibus, quos prætereà fecerunt (qui quidem haud exigui sunt) prædij possessione cedere. Sanè si tibi negotiationem hanc ad teipsum transferre cordi sit, postea quàm, vt contractus bellissimè ac firmissimè se habeat, dispexeris, hoc vtique, & ipsis, & nobis gratius iucundiúsque fuerit. Sin secus, hoc secundo loco abs te peto, vt hominis cu-
B riositati atque improbitati teipsum opponas: vt ne ob eorum otium, vitámque à negotiis remotam, alterutro nomine superior sit, nempe vt vel prædium retinentes lædat, vel discedentes detrimento afficiat. Equidem ipse pudore suffusus sum, de his rebus ad te scribens. Tamen quoniam ipsis, tum ob generis propinquitatem, tum ob vitæ institutum, opera nostra debetur (cuiusnam enim potiùs, quàm eiusmodi virorum, cura quispiam tangatur? aut qua re magis erubescat, quàm si huiusmodi beneficia conferre minimè studeat?) te rogo, vt vel tua ipsius, vel nostra, vel ipsorum causa, vel etiam propter hæc omnia in vnum coacta, omnino quidem certè de omnibus bene merearis.

Eidem. Epist. 106.

Si magna sunt quæ petimus, ne mireris: nam à magno quoque petimus: ac petitionem cum eo, à quo petitur, metiri decet. Æquè enim absurdum est à paruo magna postulare, atque à magno parua. Nam vt illud importunum est, ita hoc minuti ac præparci animi. Ipse mea manu tibi charissimum filium nostrum Amphilochium offero, virum probitatis nomine vsque adeò nobilem (etiam præter quàm ætas ferat) vt ipse qui &
C senex, & sacerdos, & amicus vester sum, præclarè mecum agi existimaturus sim, si eam hominum existimationem obtinerem. Quòd si viri amicitia captus ac superatus calumniam haudquaquàm subolfecit, quid mirum? Nam quia minimè improbus erat, idcircò ne improbitatem quidem subodoratus est, nimirum sermonis potiùs quàm morum correctionem sibi conuenire arbitratus. Ita factum est, vt vnà cum eo laborare videretur. Quidnam hîc criminis est apud æquos & probos viros? Quamobrem ne vitium superiori conditione, quàm virtutem, esse patere, nec canitiem nostram aspernare: verùm & testimonio nostro mouere, & benignitatem nostris benedictionibus subiice; quarum fortasse aliqua apud Deum, cui astamus, ratio est.

Sophronio Principi. Epist. 107.

AVrum aliàs quidem alio modo immutatur & effingitur, in multos ornatus informatum, atque ad multas res ab arte traductum: aurum tamen (vt est) manet: nec materia sed forma mutationem suscipit. Eodem modo tuam quoque probitatem eandem erga tuos amicos manere existimantes, etiamsi ad altiores quotidie dignitatum gradus proueharis, hanc tibi deprecationem offerre minimè dubitauimus: quod scilicet dignitatem
D tuam non magis metueremus, quam moribus tuis confideremus. Cum primis venerando filio nostro Nicobulo, qui cum mihi necessitudines omnes intercedunt, tum ob generis propinquitatem, tum ob familiaritatem, tum, quod his pluris ducendum est, ob morum elegantiam commodum ac facilem te præbe. Quibus in rebus, & quantum? In iis rebus in quibus tua ope indigebit, & quantum tuæ animi magnitudini conuenire existimabis. Nos id quod pulcherrimum habemus, tibi rependemus. Habemus porrò sermones, atque quòd virtutis tuæ præcones sumus, & si longè infra dignitatem, tamen quantum facultas nostra fert.

Eidem. Epist. 108.

Matrem honore afficere pium ac sanctum est. Mater autem alia quidem aliùs est, communis autem omnium, patria. Hanc tu quidem omni vitæ tuæ splendore ornasti, ornabis autem eam nunc quoque, si supplicibus nostris precibus commouearis. Quænam autem est hæc precatio? Disertissimum totius patriæ vestræ Eudoxium Rhetorem omnino cognoscis. Huius filius, vt breuiter dicam, tum vita, tum doctrina, alter Eudoxius, nunc per nos ad te accedit. Vt igitur maiorem tibi nominis celebritatem concilies, homini, quibuscunque in rebus præsidio tuo opus habuerit, commodum & benignum te præbe. Turpe enim fuerit, cum communis patriæ pa-
E tronus sis, ac multos beneficio affeceris, addam etiam affecturus sis, non præ omnibus eum, qui doctrina, & dicendi facultate omneis antecellit, colere atque ornare: atque etiam ipsam eloquentiam, quam, si nulla alia, at certè hac de causa venerari conuenit, quòd ea virtutum tuarum laudes celebrantur.

Eidem. Epist. 109.

Omnia amicis læta & fausta cupio. Amicos autem cum dico, probos & honestos intelligo, eósque qui nobis virtutis nexu copulantur. quandoquidem nos quoque ipsius studio tenemur. Ob eámque causam nunc quoque cùm mecum quæsiuissem, quonám maximo beneficio cumprimis venerandum fratrem nostrum Amazonium afficere possem, (si quidem ex hoc congressu, qui mihi nuper cum eo fuit, singularem quendam in modum eo delectatus sum) vnum pro omnibus ipsi beneficium dandum esse existimaui, nimirum amicitiam tuã & præsidium. Nam ille breui tempore magnæ eruditionis specimen nobis præbuit, tam eius, cui quondam, cùm exigua oculorum

acie præditi essemus, operam dedimus: quàm eius, cui nunc, cùm ad virtutis fastigium oculos ereximus, illius loco operam damus. Nos verò, si quid ipsi, quantum ad virtutem attinet, esse visi sumus, ipse viderit: certè, quod omnium pulcherrimum habemus, ipsi vicißim ostendimus, hoc est amicos, Quorum te principem ac perquàm syncerum esse statuentes, talem te ei præbeas cupimus, qualem & communis patriaexposcit, & sermo noster atque cupiditas vult, quæ ei curam tuam ac patrocinium rerum omnium loco promisit. A

Eidem. Epist. 110.

Quemadmodum aurum ac lapides aspectu cognoscimus, ita etiam probos atque improbos eodem modo internosci oportebat, nec longius temporis spatium ad eorum animos explorandos desiderari. Nam si ita esset, haud multis mihi verbis opus fuisset, pro charißimo filio nostro Amphilochio tuam animi magnitudinem deprecanti. Equidem ipse vnum aliquid potius ex iis, quæ fidem excedunt, atque ab hominum sensibus remota sunt, futurum speraui, quàm vt hic pecuniæ causa ignaui aliquid faceret, aut cogitaret. Tanta ei omnium consensu probitas tribuitur, prudentiáque ætate antiquior. Sed quid facias? Nihil liuorem effugit, quippe cùm Momus etiam quidam eum attigerit, ob simplicitatem potiùs quàm ob morum improbitatem in culpam prolapsum. At tibi minimè ferendum videatur, eum calumniis exagitatum despicere. Ne, inquam, quæso, ac sacrosanctum tuum & magnum animum obtestor, Verùm & patriam honore affice, & virtuti fer opem. & nos, qui abs te, & per te gloriam consecuti sumus, verere, atque instar omnium te homini præbe, potentiæ nimirum voluntatem adiungens. Quandoquidem mihi exploratum est, nihil esse, quod non virtuti tuæ cedat. B

Eustochio Sophistæ. Epist. 111.

FAc Alexandrum imiteris, vir admirande, ac quemadmodum ille, Atheniensibus placere studens, propterea regni sui theatrum Athenas appellabat, eodem modo tu quoque nos aliquid esse arbitratus, quamuis nihil simus, tamen propter idem literarum studium, & propter ipsas Athenas, ac præterea communes eloquentiæ parentes veritus, da operam vt præclaro iuueni Pronoio literarum ac doctrinæ studium conduplices. Omnino id quod in adolescentem contuleris, in nos conferes, qui & ad accipiendum beneficium idonei sumus, & orationum haud mali fortasse atque contemnendi laudatores: etiam si infra Sophisticos thronos desideamus, quod videlicet periculo vacuum silentij munus nobis ipsis indixerimus. C

Pansophio. Epist. 112.

QVis stirpem iam floribus abundantem non laudat? Quem non oblectat seges, cùm iam ligatur, ac maturam spicam pollicetur? Quem item lætitia non afficit anima recens initiata, iam Deo coronata, & terrenas compedes excutere incipiens, vt Deo se adiungat, earúmque rerum, quarum nunc vmbras duntaxat ternit, veritatem conspiciat? His nimirum de causis charißimo fratre ac comministro nostro Euagrio maiorem in modum delector, eum ad philosophiam haud ignauo animo ascendentem cernens. quandoquidem philosophia quoque est, sapientiæ amore teneri. Quin hoc quoque nomine lætor, quòd mihi tuam amicitiam conciliat. Atque impensiùs adhuc lætabor, si plures ad nos literas des, ac plura amicitiæ signa nobis rependas.

Eidem. Epist. 113.

Quantum inter Hispanos, tantum inter nos quoque interiectum est spatium, hoc est, dierum haud paucorum iter. At amicitia etiam ea, quæ inter se disiuncta, & remota sunt, propinqua efficit. Festi porrò symbola, quàm læta & iucunda! Quantum item illud est, quòd abs te vocamur, congressúsque noster expetitur! Quidnam igitur tibi pro his tantum optabo? Bonus vtinam sis, cum talis sis. Quod si etiam quiddam maius dum est, teipsum superes. D

Theodosio, vel, Theodoro. Epist. 114.

PIctores imitamur, qui corpora priùs adumbrant, ac delineant, ac posteà secunda & tertia manu addita, ea accuratiùs expoliunt, atque omnibus coloribus absoluunt. Quorsum mihi spectat hoc exemplum? Erat iam inter nos pura miniméque fucata amicitia (res sanè, nunc præsertim, rara, quæque in paucis inueniatur). Atque hanc nobis, non tam cognatio, & communis patria, & vt Homeri verbis vtar,

—- amabilis ætatum æqualitas.

efficiebat, quàm morum similitudo, quódque iisdem rebus gauderemus. quandoquidem amicitias maximè coagmentat, firmioréśque reddit. Nunc quoque genera copulantur (faueat velim huic sermoni Deus) vt amor noster incrementum capiat, magísque alter alterius simus. Atque id agit ac molitur Deus, iusto amori opem ferens. Quamobrem, & tu nos per suauißimum filium nostrum Euphemium habe: & nos item per suauißimam filiam vestram vos habemus. Quod autem sequitur, vtrius potiùs causa, aut ad quem loquar, nempe iuuenisne causa ad vestram præstantiam, an vestra causa ad iuuenem? Patris enim beneuolentia par erga liberos. Cæterum id vobis opto, vt hoc matrimonium quam optimè cedat, atque ita vt par est, cùm Deus id copulat. E

Eudoxio Rhetori. Epist. 115.

AMicitiæ officiis te supero. Prior enim, vt vides, scribo. Ac mihi credas velim, ne me quidem ostentassem (id enim à me alienum est) nisi amicitiam tuam plurimi ducerem, mihique necessario faciendum existimarem, vt tanquam pullum equinum stimulo, sic te ad scribendum excitarem. Hinc autem maximè prouocaberis, si illud cogites, quis ipse, & ad quem, & cuius causa ea scribo quæ scribo: quódque filios vt paternorum

A ἡμῖν ποτὲ, ὅτε μικρὸν διεβλέπομεν, καὶ τὴν νῦν ἀντ' ἐκείνην* συνδιαζομένην, ὅτε πρὸς τὸ τῆς ἀρε- * ἐκείνης.
τῆς ὕψος ἐβλέψαμεν. ἡμεῖς δὲ, εἰ μή τι καὶ ἀρετὴν ἐφάνημεν ὄντες αὐτῷ, αὐτὸς ἂν * τὸ δ' οὖν * εἰδείη.
κάλλιστον ὧν ἔχομεν ἀντεπιδεικνύμεθα τῷ φίλῳ τοὺς φίλους. ὧν σὲ πρῶτον εἶναι καὶ γνήσιον τιθέ-
μενοι, τοιοῦτον αὐτῷ φανῆναι βουλόμεθα, οἷον ἥ, τε κοινὴ πατρὶς ἀπαιτεῖ, καὶ ὁ ἡμέτερος βούλεται λό-
γος καὶ πόθος ἀντὶ πάντων αὐτῷ τὴν σὴν κηδεμονίαν ὑποσχόμενος.

Τῷ αὐτῷ.

Ἔδει καθάπερ τὸν χρυσὸν καὶ τοὺς λίθους τῇ ὄψει γνωρίζομεν, οὕτω καὶ τοὺς καλοὺς καὶ μὴ τῶν ἀνδρῶν
αὐτόθεν διαγινώσκεσθαι, καὶ μὴ μακροτέρας δεῖσθαι δοκιμασίας. οὐ γὰρ ἂν πολλῶν ἐδέησεν ἡμῖν λό-
γων ὑπὲρ τοῦ τιμιωτάτου υἱοῦ Ἀμφιλοχίου πρεσβεύουσι πρὸς τὴν σὴν μεγαλόνοιαν. θᾶττον ἂν ἤλ-
πισα ἕν τι τῶν ἀπίστων καὶ παραδόξων, ἢ τοῦτον ἀγενές* τι πράξειν ἐπὶ χρήμασιν, ἢ διανοήσασθαι. * ἀγεννές.
τοσοῦτον αὐτῷ τὸ παρὰ πάντων συγκεχωρηκὸς ἐπὶ καλοκἀγαθίᾳ, καὶ τὸ πρεσβυτέραν τῆς ἡλικίας
B ἔχειν τὴν φρόνησιν. Ἀλλὰ τί χρὴ παθεῖν; οὐδὲν διαφεύγειν* τὸν φθόνον, ὁπότε καὶ τούτου τις Μῶμος ἥψα- * διαφεύγει.
το, ἀνδρὸς δι' ἁπλότητα μᾶλλον, ἢ τρόπου* κακίαν περιπεσόντος ἐγκλήμασιν. ἀλλὰ σοὶ μὴ ἀνεκτὸν * τρόπων.
φανείτω περιϊδεῖν αὐτὸν ταῖς συκοφαντίαις περισυρόμενον. μὴ δέομαι τῆς ἱερᾶς σου καὶ μεγάλης
ψυχῆς, ἀλλὰ καὶ τὴν πατρίδα τίμησον, καὶ τῇ ἀρετῇ βοήθησον. καὶ ἡμᾶς αἰδέσθητι τοὺς παρὰ σοῦ καὶ
διὰ σοῦ δοξασθέντας. καὶ ἀντὶ πάντων γενοῦ τῷ ἀνδρὶ τῷ δύνασθαι τὸ θέλειν πρὸς * ἐπει- * πιθείς.
δὴ πάντα τῆς σῆς ἀρετῆς οἶδα ἡττώμενα.

Εὐστοχίῳ Σοφιστῇ.

ΜΙμνῆσαί μοι τὸν Ἀλέξανδρον, ὦ θαυμάσιε, καὶ ὥσπερ ἐκεῖνος ἐν Ἀθηναίοις ἀρέσῃ, φιλοτιμού-
μενος τὴν ταύτῃ τοι καὶ θέατρον ἀεὶ τῆς αὐτοῦ βασιλείας τὰς Ἀθήνας ὠνόμαζεν, οὕτω καὶ σὺ
τὸ καθ' ἡμᾶς εἶναί τι νομίζας, εἰ καὶ μηδαμῇ, ἀλλ' ἢ τῶν * λέγων * εἵνεκα καὶ τῶν Ἀθηνῶν αὐτῶν * αὐτοῦ. * λόγων.
πρὸς δὲ καὶ τοὺς κοινοὺς πατέρας τῶν λόγων αἰδούμενος, διπλασίασαι προθυμήθητι τῷ καλῷ
C Προνοίῳ τὴν περὶ λόγους σπουδήν, πάντως ὅ, τι ἂν εἰσενέγκῃς τῷ νέῳ, ἡμῖν τοῦτο εἰσοίσεις. οἳ καὶ πα-
θεῖν εὖ ἐπιτήδειοι, καὶ λόγων ἀπαινέται ἴσως οὐ φαῦλοι. εἰ καὶ κατωτέρω Σοφιστικῶν θρόνων καθή-
μεθα σιωπῆς ἀκίνδυνον γέρας, ἡμῖν αὐτοῖς ἐπιτάξαντες.

Πανσοφίῳ.

ΤΙς οὐκ ἐπαινεῖ φυτὸν ἄρτι βρύον τοῖς ἄνθεσι; τίνα οὐκ εὐφραίνει λήϊον, ἄρτι δεσμούμενον, καὶ
στάχυν ὥριμον ὑπισχνούμενον; τίνα δὲ οὐ νεοτελὴς ψυχὴ ἄρτι Θεῷ κοσμουμένη, καὶ τὰς χοϊκὰς
ἀποσείεσθαι πέδας ἀρχομένη, ἵνα μετὰ Θεοῦ γένηται καὶ ἴδῃ τὴν ἀλήθειαν, ὧν νῦν ὁρᾷ τὰς σκιάς. χαίρω μὲν
οὕτω οὖν * διὰ ταῦτα διαφερόντως τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ καὶ συνδιακόνῳ ἡμῶν Εὐαγρίῳ, οὐκ ἀγεν- * χαίρω μὲν οὖν τὸ νῦν.
νῶς αὐτὸν ὁρῶν φιλοσοφίᾳ προσβαίνοντα. ἐπειδὴ φιλοσοφία καὶ τὸ σοφίας ἐρᾶν. χαίρω δὲ ὅτι μοι, καὶ τὴν
σὴν προξενεῖ φιλίαν, καὶ ἔτι χαρίσομαι ἐὰν ἐπιστέλλῃς πλείονα, καὶ πλείοσιν ἡμᾶς ἀμείβοιο τοῖς φι-
λίας γνωρίσμασιν.

Τῷ αὐτῷ.

Ὅσον Ἰβήρων καὶ ἡμῶν τὸ μέσον, ἡμερῶν οὐκ ὀλίγων ὁδός. ἀλλ' ἡ φιλία, καὶ τὰ διεστῶτα ποιεῖ
D πλησίον. τὰ δὲ σύμβολα τῆς ἑορτῆς ὡς ἡδέα. τὸ δὲ τῆς κλήσεως ὅσον. καὶ τὸ ποθεῖν τὴν συντυ-
χίαν τὴν ἡμετέραν. τί οὖν ἀντὶ τούτων ἐπεύξομαί σοι τοσοῦτον; Ἀγαθὸς εἴης τοιοῦτος. * εἰ δὲ δεῖ * ὤν.
τι καὶ μεῖζον εἰπεῖν, σαυτὸν ὑπερβάλλοιο.

Θεοδοσίῳ, ἢ Θεοδώρῳ.

ΜΙμούμεθα τοὺς ζωγράφους, οἳ ταῖς σκιαῖς τὰ σώματα προχαράττοντες, δευτέρᾳ καὶ τρίτῃ
χειρὶ ταύτας ἀπακριβοῦσι * καὶ τελειοῦσι τοῖς χρώμασι. πρὸς τί βλέπει μοι τὸ παράδειγμα. * ἀπακειβοῦσι.
ἡ ἡμῖν πρὸς ἀλλήλους φιλία καθαρά τε καὶ ἄδολος. πρᾶγμα τῶν σπανίων, νῦν μάλιστα καὶ παρ'
ὀλίγοις εὑρισκόμενον. καὶ ταύτην ἡμῖν ἐποίει, οὔτε συγγένεια τοσοῦτον, οὔτε κοινωνία πατρίδος. οὔτε
ὅ, φησιν Ὅμηρος, ---ὁμιλικίη ἐρατεινή,
ὅσον ὁμοδοξία, καὶ τὸ τοῖς αὐτοῖς χαίρειν. ὃ μάλιστα πήγνυσι τὰς φιλίας, καὶ βεβαιοτέρας ἐργάζεται.
νῦν καὶ τὰ γένη συνάπτεται. σὺν Θεῷ δὲ ὁ λόγος. ἵνα τῇ φιλίᾳ προσθήκη γένηται, καὶ μᾶλλον ὦμεν* * ἐρῶμεν.
E ἀλλήλων. καὶ τοῦτο πραγματεύεται φίλτρῳ δικαίῳ βοηθῶν ὁ Θεός. Ἔχε οὖν καὶ ἡμᾶς διὰ τοῦ γλυ-
κυτάτου υἱοῦ ἡμῶν Εὐφημίου. καὶ ἔχομεν ἡμᾶς * διὰ τῆς γλυκυτάτης θυγατρὸς ὑμῶν. τὸ δὲ ἑξῆς, * ὑμᾶς.
οὐκ οἶδα ὑπὲρ τίνος μᾶλλον, ἢ τίνι διαλεχθῶ. ὑπὲρ τοῦ νέου τῇ ὑμετέρᾳ τιμιότητι, ἢ τῷ νέῳ * ὑπὲρ.
περὶ * ὑμῶν. εὔνοια γὰρ πατρὸς, τέκνοις ὁμότιμος. πλὴν ἐπεύχομαι ὑμῖν ἐπὶ παντὶ βελτίστῳ γε-
νέσθαι τὴν συζυγίαν. καὶ οἵαν εἰκὸς Θεοῦ συναρμόζοντος.

Εὐδοξίῳ Ῥήτορι.

ΝΙκῶ σε τοῖς φιλικοῖς. ἐπιστέλλω γὰρ πρότερος, ὡς ὁρᾷς. καὶ οὐδ' ἂν* ἐκαλλωπισάμην, εὖ ἴσθι. * οὐδέν.
οὐ γὰρ ἐμὸν, εἰ μὴ μέγα ἐποιούμην τὴν σὴν φιλίαν. μηδὲ τῶν ἀναγκαίων ἐδόκει μοι, ὥσπερ
ὕπληγι πῶλον διεγεῖραί σε πρὸς τὸ γράφειν. μάλιστα δ' ἂν πρὸς τοῦτο παροξυνθείης, εἰ ἐκεῖνο ἐνθυ- * f. χάειν ἀγράφῳ.
μηθείης, τίς ὤν, καὶ τίνι, καὶ τὸ τίνος ἄγραφον * γράφω. καὶ ὅτι πρέπει τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας τῆς

παιδικῆς, οὕτω δὴ καὶ τῆς φιλίας κληρονομεῖν. πρὸς δὲ, κἀκεῖνο λογίζεσθαι καλῶς ἔχει. ὅτι σοὶ μὲν ἀκμὴ φιλοσοφεῖν. ἡμεῖς δὲ φιλοσόφων πατέρες. καὶ δεῖ ἐπιδείκνυσθαι ἡμῖν τὴν ἀρετὴν, ὥσπερ τῶν ἀθλητῶν οἱ γενναῖοι τοῖς παιδοτρίβαις, εἴπω τι καὶ μεῖζον τῶν εἰρημένων. οὐ μικρὰ ἡμῖν φιλοσοφίας ὅμηρα παρὰ σοὶ αἷμα ἡμέτερον ἐκπαιδεύεις. καὶ αἷμα τῶν ἐγγυτάτων. οἶδας οὓς λέγω, τοὺς τοῦ γνησιωτάτου, καὶ τιμιωτάτου υἱοῦ ἡμῶν Νικοβούλου παῖδας. τούτους ὅ, τι ἂν συμπράττῃς, ἡμᾶς μνημονεύειν οἴου. οἱ οὐδενὸς ἄλλου φαυλότεροι, εἴ τι δεῖ τοῖς λέγουσι πιστεύειν, κρίνειν τε λόγους, καὶ σπουδὴν δοκιμάζειν. καὶ διδασκάλους ὑψηλοτέρους ποιεῖν τοῖς ἐπαίνοις.

Τῷ αὐτῷ.

Πάλιν πρὸς σε Νικόβουλος ὁ ἐμὸς, καὶ πάλιν ἐγὼ παρὰ πλέος. μάλα σε σπεύδοντα καὶ αὐτὸς ὀτρύνων. ἐπεὶ δὲ, φύσεως μὲν ἔχει δεξιῶς ὁ νέος, εἰ μή με ἀπατᾷ τὸ βούλεσθαι, ὃ δὲ τοῖς εὐφυέσιν ὡς τὰ πολλὰ συνέζευκται, ῥαθυμότερός πως ἐστι, καὶ κέντρων δεόμενος. τὴν παρὰ σεαυτοῦ σπουδὴν ἀντεισένεγκε. καὶ ἵνα τι τῶν ὑμετέρων εἴπω. τὸν μυθικὸν τέττιγα μιμησάμενος. καὶ ἀντὶ τῆς ῥαγείσης νευρᾶς, ἐν νόμῳ τῷ σῷ γενόμενος, ἀναπλήρωσον τὴν ᾠδήν. οὕτω μοι δοκεῖς ἐν εὐδοκιμήσειν* τῷ νέῳ καὶ ἡμῖν χαριεῖσθαι τὰ μέγιστα. οἱ μὴ πολλὰ σοῦ καὶ τῆς σῆς λογιότητος ἔμπροσθεν ἄγομεν.

* ἐπευδοκ

Τῷ αὐτῷ.

Τί φῶμεν πεπονθέναι σε πρὸς ἡμᾶς, ὦ θαυμάσιε; τίς ἡ τοῦ μὴ γράφειν αἰτία; οὔτε ὑπεροψίαν ἐγκαλέσομεν, οὔτε ἀγροικίαν, οὔτε τὸ μὴ ἔχειν ὅ, τι γράψεις. οὐ πρὸς σοῦ τὸ ταῦτα παθεῖν. ἤπου τῶν ἰάμβων ἡμῖν μνησικακεῖς. ὧν ὁ κακῶς ἀπολούμενος Οὐαλεντῖνος προσέπλυσε, καὶ ταῦτα σοῦ θέλοντος. οὐ γὰρ τὴν ῥήτορος ἀνδρὸς καὶ δεινοῦ ἀνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὁπότε τις πρότερος ἰαμβοποιεῖν τοιαῦτα κατετόλμησεν,

Ἀλλ' Ἀχιλεῦ, δάμασον θυμὸν μέγαν, —

καὶ κίνησον αὖθις ἡμῖν τὴν γραφίδα. τὴν σὴν μελίαν. μὴ δόξῃς μικρὰ πεπονθὼς, ἀπαντᾶν εἰς μείζω τὸν ἐπισκοπικὸν θρόνον. ἵππευε. θήρα. βάδιζε ὡς ἂν ἐθέλῃς ἐμοῦ γε ἕνεκα. οὔτε τι γράφομεν ἔτι, οὔτε προσπαίζομεν. καὶ ταῦτα ἱκανῶς. τοσοῦτον τιμώμεθα τὴν σὴν φιλίαν. ἡ μὲν οὖν παιδεία, τοσαύτη, καὶ ἐπὶ τοσοῦτον. ὁ δὲ, οὐκέτι παιζόντων ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ λίαν σπουδαζόντων. τὸν γλυκύτατον υἱὸν ἡμῶν Νικόβουλον, αὖθις ἐγχειρίζομέν σοι. καὶ δέχοιο παρ' ἡμῶν τοῦτον. ὡς παρ' ἑαυτῷ σοι, τὸ πρᾶγμα ἐπίδρομον. τοῖς δὲ θαυμασίοις σοφισταῖς τὴν ὀφρὺν μόνον ἀφήσεις, καὶ τὸ περὶ τοῦ πλείονος μάχεσθαι.

Φωτίῳ.

Αἰτιᾷ τὸ μὴ γράφειν, οὐδὲ αὐτὸς ὢν οἶμαι τῶν πλεῖστα ἐπεσταλκότων. εἰ μή γε ἡ νόσος λῆρον ποιεῖ, καὶ ὧν εὖ πέπονθα ἐπιλήσμονα, καίτοι γε εἰ μή τι ἄλλο, ὡς ἀποθανοῦσιν ἡμῖν παρὰ τῶν σῶν λόγων ὠφείλετο ἐπιτάφιος, ὧν τέχνη τὸ λέγειν καὶ γράφειν. Ὁ μὲν οὖν ἔλεγχος, οὗτος. οὐδὲ γὰρ δεῖ φιλικῶς ἐγκαλοῦντας, ἔξω τῶν τῆς φιλίας ὅρων τοῦτο ποιεῖν. Ἃ δὲ περὶ τοῦ γλυκυτάτου υἱοῦ Νικοβούλου γράφεις, μεγάλα μὲν σφόδρα καὶ ἱκανὰ καὶ θαυμαστὰ συναρπάσαι πατρὸς εὐκολίαν, ῥᾳδίως οἷς βούλεται καὶ πιστεῦσαι. τότε δὲ ἀληθῆ εἶναι δεξόμεθα, ὅταν πεῖραν διδοὺς ἡμῖν ὁ νέος, μὴ ἀνάξιος φανῇται, ἢ τῶν σῶν ὑποσχέσεων, ἢ τῶν ἡμετέρων ἐλπίδων.

* f. ἐρωτᾶν

Πῶς σοι τὰ τῆς ἀρετῆς ἔχει, καὶ εἰ κατὰ Θεόν τι προεληλύθαμεν. ὁ παντός σε μᾶλλον* ἁρμόζειν ὑπολαμβάνομεν. ταῦτα γὰρ ἡμῖν φίλον καὶ ἀνερωτᾶν καὶ ἀκούειν. τὰ δὲ ἄλλα, χαίρειν ἐάσωμεν, ὅπως ἂν ἔχῃ. καίτοι κἂν εἰ βουλοίμεθα, καὶ ταῦτα δεξιῶς ἔχειν δι' ἓν τοῦτο βουλοίμεθ' ἂν, ἵνα ἔχῃς ὧν ὑπερείδες, καὶ πλείω φιλοσοφῇς ἐπὶ μείζοσι. ταῦτα καὶ τηρήσω παρ' ἐμοῦ, καὶ τῷ καλῷ Νικοβούλῳ γενοῦ τοιοῦτος, οἷον ἐλπίζομεν, ἂν δὲ καὶ πλέον αἰτῶμεν, τὴν ἀπληστίαν ἡμῶν ὡς φιλότιμος κόρεσον.

Τῷ αὐτῷ.

Τί φῂς, πειθόμεθά σε τοῖς λόγοις τούτοις. καὶ μεταθήσῃ τὴν παίδευσιν. καὶ μεθ' ἡμῶν ταχθήσῃ τῶν ποτὲ κατὰ σέ. νῦν δὲ εἰ δίδως εἰπεῖν ὑπὲρ σὲ, ἢ δεῖ σου κατεπᾴδειν μακρότερα. μηδαμῶς, ὦ θαυμάσιε, μὴ τοῦτ' ἀναμείνῃς. αἰσχρὸν γὰρ τὸ πλεῖον ἔχοντα, τὸ πᾶν ἐλλείπειν. ἡ* γὰρ ἀρχὴ τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς γίνεται, τοῦ ἡμίσεως τὸ πλεῖόν τι ἄλλο γε, ἢ τὸ πᾶν. εἰ μὲν οὖν ἀρκοῦντες ἡμεῖς εἰς παραίνεσιν, ἔχει ταῦτα καλῶς, καὶ μηδὲν πλέον ἐπιζητείσθω. εἰ δὲ δὴ* σοι συμβούλου καὶ κρείσσονος, μετὰ βουλῆς μὲν οἰνοποτεῖν Σολομὼν σοι παρακελεύεται. ἵνα μὴ τῇ τοῦ βίου μέθῃ καὶ δίνῃ περιτραπῇς. ἐγὼ δέ τι φημὶ μικρὸν τῆς συμβουλῆς παρατρέψας. μετὰ θεοῦ βουλεύου. καὶ οὐ διαμαρτήσῃς τοῦ δέοντος.

* εἰ
* δεῖ

Τῷ αὐτῷ.

Πατρὸς εἷς ἀγαθοῖο, φίλον τέκος, οἷα πυνθάνομαι περὶ σοῦ. μόνον ἐπαίρου, καὶ κατευοδοῦ, καὶ βασίλευε. καὶ ἡμεῖς εὐφημήσομεν. κἂν μήπω τὴν φιλοσοφίαν ὁμολογῇς. οὐ γὰρ οἷς λέγεις προσέχομεν μᾶλλον,

A paternorum bonorum, ita etiam paternæ amicitiæ hæredes esse conuenit. Quin illud quoque reputare commodum fuerit, quòd tu apprimè philosopharis, nos autem Philosophorum parentes sumus: ac nobis virtutis specimen præbendum est, quemadmodum strenui athletæ iis præbere solent, quos palæstræ magistros habuerunt. Vis maius aliquid adiungam? Non parua nobis philosophiæ pignora penes te sunt. Consanguineos enim nostros erudis, & quidem è propinquissimorum numero. scis quos dicam? nimirum syncerissimi ac cum primis honorandi filij nostri Nicobuli filios. His quicquid opis & adiumenti attuleris, nos in animo tuo ac memoria versari puta. qui, si iis qui id asserunt, fides habenda est, non minùs, quàm quiuis alius, idonei sumus, qui de literis iudicemus: ac studium & industriam exploremus: magistrósque laudibus efferamus.

Eidem. Epist. 116.

Rursum ad te se confert meus Nicobulus: ac rursum ego superuacaneam operam sumo, qui te sponte tua currentem incitem. Quoniam autem egregia quidem indole est adolescens (nisi me cupiditas fallit) verùm, quòd iis, qui eleganti ingenio sunt, persæpe adiunctum est, segnitie quodammodo laborat, calcaribúsque indiget,
B studium tuum ac diligentiam oppone. Atque, vt de vestris literis aliquid vsurpem, fabulosam cicadam imitare, ruptáque chorda, cantu tuo inchoato, cantilenam exple. Hac ratione, meo quidem iudicio, gloriam ex adolescente consequeris, maximóque beneficio nos afficies, qui tibi tuæque eruditioni non multa præponimus.

Eidem. Epist. 117.

Quid tibi in nos accidisse dicemus, vir admirande? Quænam non scribendi causa? Non enim superbiam & contemptum obiiciemus, nec desidiam, nec quòd, quid scribas, non habeas: Neque enim tuum est his affectibus laborare. Nimirum illud est, de Iambis illis nobis succenses, quos ille malè perdendus Valentinus expuit, idque te volente? An non enim hominis Rhetoris ac facundi erat hominem vlcisci, qui prior Iambos eiusmodi fundere minimè dubitarat? At, ô Achilles, ingentem iracundiam doma, rursúmque nobis hastam tuam, hoc est, calamum, moue: ne alioqui, cùm exigua perpessus sis, in maiora, hoc est, in Episcopale solium, impetum facere videaris. Equita, venare, ingredere arbitratu tuo, quantum quidem ad me attinet, Nec quicquam iam scribemus, nec iocabimur. Ac de his satis. Tanti amicitiam tuam facimus. Hactenus tecum iocati sumus.
C Illud autem non iam iocantium, sed seriò agentium est, quòd suauissimum filium nostrum Nicobulum rursum tibi tradimus. Ac velim eum à nobis accipias, vt à nobis: Rhetoricam quidem tæniam patri, Sophisticam autem nobis largiturus. Non enim dubito, quin, si volueris, negotium fœlicem cursum habiturum sit. Admirandis autem Sophistis supercilium duntaxat relicturus es, illúdque, vt de augendis facultatibus conflictentur.

Eidem. Epist. 118.

Quòd non scribam, expostulas, cùm ipse, vt puto, non multas literas miseris, nisi fortè me morbus delirum reddit. acceptorúmque beneficiorum immemorem. Atqui si nihil aliud, certè nobis, vt morte functis, oratio funebris abs te, cuius ars in declamando ac scribendo sita est, debebatur. Atque hic arguendi finis sit. Neque enim, cùm amicè accusemur, id vltra amicitiæ limites facere conuenit. Quæ autem de suauissimo filio Nicobulo scribis, magna quidem admodum, & miranda sunt, atque eiusmodi, quæ patris facilitatem, iis rebus, quas vult, fidem facilè adhibentem abripere queant: nos autem tum denique vera ea esse credemus, cùm adolescens,
D documento nobis præbito, nec tuis promissis, nec nostra spe indignum se præbuerit.

Incerto. Epist. 119.

Quónam pacto virtus tua se habet? nunquid, quantum ad Deum attinet, progressus fecimus? quod quidem, meo iudicio, potiùs quàm quiduis aliud, ex te perscrutari conuenit. Nam hæc sunt, quæ lubenter sciscitari atque audire solemus. Cætera, quoquo modo se habeant, valere sinemus. Quanquam, vt etiam ea te prospera habere cupiamus, hoc vno nomine cupiamus, vt habeas quæ contempsisti, ampliúsque ob ampliora philosopheris. Hæc & salutationis causa à nobis accipe: & egregio adolescenti Nicobulo talem te præbe, qualem speramus. Quòd si plus etiam postulemus, nimiam nostram cupiditatem, vt liberalis & munificus, exple.

Eidem. Epist. 120.

Quid ais? num te his verbis permouemus, & eruditionem commutabis, atque ad nos, qui quondam tui
E similes eramus, nunc autem, si per te ita loqui liceat, te superiores sumus, te aggregabis? An tu longiori oratione demulcendus es? Ne, quæso, mirifice vir, ne id expectes. Turpe enim est, eum, qui ampliorem habeat partē, totum non adipisci. Nam si principium totius rei dimidium est, quod dimidium excedit, quid aliud, quàm totum esse queat? Ac siquidem consilio nostro contentus es, præclarè res habet: nec quicquam prætereà requiratur. Sin autem tibi præstantiore monitore opus est, illud quidem monet Salomon, vt cum consilio vinum bibas, ne alioqui huiusce temulentia & vertigine præceps agaris, ego autem, consilio isto nonnihil immutato, hoc dico, Cum Deo consilium cape, & ab officio minimè aberrabis.

Eidem. Epist. 121.

Egregio, fili, satus es patre, vt de te audio. Tantum attolle te, prosperè incede, & regna: nósque laudes tuas prædicabimus: etiamsi nondum philosophiam confitearis. Neque enim ad ea quæ dicis, magis animum

adiicimus, quàm ad ea quæ facis. Quandoquidem hoc quoque ipsum, philosophiam non profiteri, valde philosophicum est. quod de oratore Lysia censor Dionysius ait, Nempe hoc ipsum quod artificio careat, summi artificij esse. A

Vrso. Epist. 122.

SVaue quidem est amicos salutare: suauius autem per amicos. Quorum in numero est charissimus filius noster Anysius. Qui etiam de nostra sanitate læta vobis nuntiabit: siquidem sanitas appellanda est, exigua in melius inclinatio. Ac de iis rebus, de quibus rogatus est, vobiscum communicabit. Nam ad vos, vt amico ac syncero animo requiritis, proficisci, ac vestra charitate frui, mihi quidem (velim hoc credas) iucundissimum fuerit, atque ita, vt earum rerum, quarum cupidissimi sumus, nulla perinde, quemadmodum ij norunt, apud quos vestram in excipiendis amicis humanitatem prædicamus. Num autem id fieri possit, aut etiam alioqui conueniat, prudentia tua perpendat. Verendum enim est, ne importunitatis notam subeamus, ac graues & molesti esse videamur, vt qui sine ratione ac perspicua vlla causa in conspectum prodierimus. Quandoquidem multis fidem non facimus, nos citra fucum philosophari, ac res omnes nostras Deo donare.

Ellebicho. Epist. 123. B

QVanto nos detrimento morbus afficit! Accurrere ad te oportebat, téque amplexari, ac veterem amicitiam & consuetudinem in memoriam tibi reuocare. At non ea corporis valetudine sumus. Ac proinde per literas te adimus, ac salutando excipimus. Quoniam autem munus quoque aliquod offerre conueniebat, hoc offeremus, nempe Mamantem lectorem, qui cùm militem patrem habeat, Deo tamen ob morum probitatem consecratus est. Hunc, quæso, Deo ac nobis missum fac, nec inter errones numera. Atque libertatem ac vacationem ei scripto consignatam tribue, vt ne ab aliis quidem per calumniam vexetur. Sic enim faustas quoque tibi ipsi belli atque militaris imperij spes dabis. Te, inquam, obsecro, vt ea res tibi curæ sit. Nam quibus res maximæ in manu sunt, & in quibus rerum omnium summa, tanquam in trutina, nutat, his potissimùm Deus, ipsiúsque auxilium curæ esse debet.

Macedonio. Epist. 124.

NOs in beneficiis ab amicis accipiendis haudquaquam insaturabiles sumus: & si tu ad beneficia danda vberrimus & copiosissimus sis. Ac propterea Psalten quoque, vt inter nos conuenerat, ad te remisimus, virum cùm alioqui optimum (quantum breui temporis spatio perspeximus) tum etiam fortasse tibi gratum, propter psalmodiam, Dei, ac salutis memoriam perpetuò refricantem. Quòd si rursum, cùm tibi videbitur, atque occasio se offeret, beneficio nos complectaris, melius facies, idque tuo erga nos amori magis consentaneum erit. C

Asterio. Epist. 125.

QVidnam hoc est, quod nobis accidit? Relictis nobis absceditis: ac nos morbo laboramus. Nec liuor nobis tantum nobis spatij concessit, vt discessum vestrum oratione prosequeremur. O graue detrimentum! Quid bonum capere attinebat, si permansurum non erat? Nec enim res vlla iucunda tantum voluptatis affert, cùm adest, quantum mœroris, cùm abscedit. Honore à vobis gloriáque affecti sumus, fructum ex imperio & magistratu vestro cepimus, amicitia expleti sumus. Nec enim hæc obliuione hausimus: nec hauriemus: priúsque nostri quàm vestri memoria nobis elabetur. Quidnam autem pro his rebus vobis beneficij rependemus? Quid aliud quàm quòd omnium præclarissimum habemus? preces autem habemus, quibus vtinam salus vobis & gloria comparetur. Faxítque Deus, vt à nobis rursum videare: si modò nobis tandiu vitæ vsura concedatur. D

Eidem. Epist. 126.

Lætor me, & scribere, & tamen hoc nomine accusari, quòd non scribam, si quando hoc contingat. Nam suaues quoque accusationes tuæ sunt. Quanquam illud scio me sæpe ac de multis rebus literas ad te dedisse, atque adeò ea quoque, quæ precibus abs te petieram, consecutum esse. Ac si nihil aliud, certè eorum, qui beneficiis abs te affecti sunt, multitudo literis meis testimonio est. Quòd si tu quidem omnium vota liberalitate tua superas, ego contrà in petendo timidior sum, ipse sanè virtutis principatum habeas: mihi autem ignoscatur, importunitatis notam fugienti: quandoquidem optimam esse mediocritatem, sapientis sermone proditum est. Cæterùm Deo gratiæ habeantur, qui tibi illud præbuit, vt de aliis bene merearis, communémque benefactorem, imperiique socium nobis præfecit. Ac propterea nunc quoque per hanc meam epistolam fratrem ac condiaconum nostrum Georgium tibi trado, virum & nobis eximium ac selectum, & Ecclesiæ summè vtilem, dignúmque, qui in iis rebus, in quibus cum nonnullis contendit, fiduciam obtineat, nec iniqua & tyrannica potentia conuelli atque abripi sinatur. E

Eidem. Epist. 127.

Magnus inter homines Hercules, vt ferunt. (libet enim tibi, erudito ac diserto viro, tuorum quoque aliquid in memoriam reuocare:) at non tantus fuisset, nisi Iolaum certaminum socium habuisset, ac præsertim aduersus Hydram, sæuam, inquam, & multis capitibus præditam belluam: cuius ille capita desecabat, hic autem igni cremabat: quemadmodū scilicet vos improbitatē. Multos & Actoris filij curruli certamine superabāt: vt Homero placet, dū illi & corporibus & arte gemini flagellū & habenas inter se partirentur, victoriamq; alter alteri cōciliarēt. Vectores multos seruat gubernator: at nō pinde seruaret, nisi bonus proreta ipsi auxilio esset, qui & vētos obseruat,

A μᾶλλον, ἢ οἷς ποιεῖς. ἐπειδὴ καὶ αὐτὸ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν φιλοσοφίαν σφόδρα φιλόσοφον. ὃ περὶ τοῦ Λυσίου τοῦ Ῥήτορος φησὶν ὁ κριτικὸς Διονύσιος. ὅτι τὸ ἄτεχνον αὐτοῦ λίαν ἔντεχνον ἦν.

Ὀύρσῳ.

Ἡδὺ μὲν τὸ προσαγορεύειν τοὺς φίλους. τὸ δὲ καὶ διὰ φίλων ἥδιον. ὧν ἐστὶν ὁ τιμιώτατος υἱὸς ἡμῶν Ἀνύσιος. ὃς καὶ τὴν ὑγείαν ὑμᾶς εὐαγγελίσεται τὴν ἡμετέραν. εἴπερ ὑγεία τοῦτό ἐστιν ἡ βραχεῖα πρὸς τὸ κρεῖττον ῥοπή. καὶ περὶ ὧν ἠξιώθη κοινώσεται. ὡς τό γε μέχρις ἡμῶν* γενέσθαι, ὥσπερ ἐπιζητεῖτε φιλικῶς καὶ γνησίως, καὶ τῆς ἀγάπης ἀπολαῦσαι τῆς ὑμετέρας ἐμοὶ μὲν ἥδιστον εὖ ἴσθι. καὶ οἷον οὐκ ἄλλο τι τῶν σπουδαζομένων, ὡς ἴσασιν οἷς βουλόμεθα τὴν ὑμετέραν δεξίωσιν. εἰ δὲ καὶ δυνατὸν ἢ ἄλλως εὐπρεπές, ἡ σὴ δοκιμασέτω σύνεσις, μήπως ἀκαιρίαν καταγνωσθῶμεν. καὶ φορτικοί τισι δόξωμεν, ὡς ἄνευ λόγου παραφανέντες καὶ προδήλου τινὸς αἰτίας. ἐπειδὴ μὴ πειθόμεθα τοὺς πολλοὺς ὡς ἀδόλως φιλοσοφοῦμεν. καὶ πάντα δίδομεν Θεῷ τὰ ἡμέτερα. * ὑμῶν

Ἑλλεβίχῳ.

B Οἷα ζημιούμεθα παρὰ τῆς ἀρρωστίας προσδραμεῖν ἔδει καὶ περιπλύξασθαι, καὶ τῆς παλαιᾶς ἀναμνῆσαι φιλίας καὶ συνηθείας. ἔχει δὲ οὐχ οὕτως ἡμῖν τὰ τοῦ σώματος. διὰ τοῦτο σοι προσίεμεν διὰ τῶν γραμμάτων, καὶ τῇ προσηγορίᾳ δεξιούμεθα. ἐπεὶ δὲ καὶ δωροφορεῖν ἔδει τι, τοῦτο προσφέρομεν. Μάμαντα τὸν ἀναγνώστην, ὄντα μὲν ἀπὸ στρατιώτου παιδός, καθιερωθέντα δὲ τῷ θεῷ διὰ τὸν τρόπον, ἄφες τῷ θεῷ καὶ ἡμῖν. ἀλλὰ μὴ συναριθμήσῃς τοῖς πλάνησι. καὶ δὸς ἔγγραφον τὴν ἐλευθερίαν, ἵνα μὴ δὲ ὑπὸ ἄλλων ἐπηρεάζηται. δώσεις γὰρ σεαυτῷ δεξίας* τὰς τοῦ πολέμου καὶ τῆς στρατηγίας ἐλπίδας. καὶ παρακαλῶ, τούτου φρόντισον. οἷς γὰρ τὰ μέγιστα ἐν χερσί, καὶ ἐν οἷς τὸ πᾶν ταλαντεύεται, τούτοις μάλιστα φροντιστέον θεοῦ, καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἐπικουρίας. * δεξιὰς

Μακεδονίῳ.

C Οὐκ ἄπληστοι περὶ τὸ πάσχειν εὖ παρὰ τῶν φίλων ἡμεῖς, εἰ καὶ σὺ πρὸς τὸ ποιεῖν ἄφθονος. διὰ τοῦτο σοὶ τὴν ψαλτὴν ὑπεπεμψάμεθα κατὰ τὰ συγκείμενα. βέλτιστόν τε ἄλλως ὄντα, ὅσον ἐν βραχεῖ χρόνῳ καταμαθεῖν, καί σοι κεχαρισμένον ἴσως διὰ τὴν ψαλμῳδίαν, ὑπόμνησιν ἔχουσαν ἀεὶ θεοῦ καὶ τῆς σωτηρίας. εἰ δὲ καὶ πάλιν εὐεργετήσεις ἡμᾶς ἡνίκα ἂν ᾖ τοῦτό σοι φίλον καὶ καιρὸς φανεῖται, ποιήσεις ἄμεινον. καὶ μᾶλλόν τι τῆς σῆς τοῦτο φιλίας.

Ἀστερίῳ.

Τί τοῦτο πάσχομεν, οἴχεσθε καταλιπόντες ἡμᾶς, καὶ ἡμεῖς ἀρρωστοῦμεν. οὐδὲ τοσοῦτον παρὰ τοῦ φθόνου συγχωρηθέντες, ὅσον ἐφ' ἡμῖν τὰ προπεμπτήρια φθέγξασθαι. ὢ τῆς ζημίας. τί λαμβάνειν ἔδει τὸ ἀγαθόν, εἰ μὴ παραμένειν ἔμελλεν. οὐ γὰρ τοσοῦτον εὐφραίνει παρὸν τῶν τερπνῶν οὐδέν, ὅσον ἀνιᾷ χωριζόμενον. τετιμήμεθα παρ' ὑμῶν. δεδοξάσμεθα. τῆς ἀρχῆς ἀπολαύσαμεν, τῆς φιλανθρωπίας ἐνεφορήθημεν. οὔτε γὰρ ἐπιλελήσμεθα τούτων, οὔτε ἐπιλησόμεθα, πρότερον ἡμῶν αὐτῶν, ἢ ὑμῶν. τί δὲ παρ' ἡμῶν ἀντὶ τούτων ἡμῖν.* τί δ' ἄλλο γε, ἢ ὧν ἔχομεν τὸ κάλλιστον. ἔχομεν δὲ
D τὰς εὐχάς, αἷς σῴζοισθε, καὶ εὐδοκιμοίητε. καὶ πάλιν ἡμῖν ὀφθείητε, ἐὰν ἄρα τοσαύτης τύχωμεν τοῦ ζῆν προθυμίας*. * ὑμῖν * προθεσμίας

Τῷ αὐτῷ.

Χαίρω καὶ γράφων, καὶ ἐγκαλούμενος ὅτι μὴ γράφω, εἴποτε τοῦτο συμβαίνει. χρηστὰ γάρ σου καὶ τὰ ἐγκλήματα. καί τοι γε πολλὰ καὶ περὶ πολλῶν ἐπιστείλας, οἶδα. καὶ μέντοι καὶ τυχὼν περὶ ὧν ἐδεήθην σου. καὶ εἰ μή τι ἄλλο, τό γε πλῆθος τῶν εὖ πεπονθότων μαρτυρεῖ μοι τὰ γράμματα. εἰ δὲ σὺ μὲν ἀφθονώτερος ἢ* τις ἂν εὔξαιτο. ἐγὼ δὲ περὶ τὰς αἰτήσεις δειλότερος. σὺ μὲν ἔχε τὰ πρῶτα τῆς ἀρετῆς. ἐμοὶ δὲ συγγνώμη τὸ φορτικὸν φεύγοντι. ἐπειδὴ πᾶν μέτρον ἄριστον οἶδεν ὁ τοῦ σοφοῦ λόγος. πλὴν τῷ θεῷ χάρις. ὅτι σοι τὸ εὖ ποιεῖν ἐνεχάρισεν, οὕτω κοινὸν ἐπιστήσας ἡμῖν εὐεργέτην καὶ συνάρχοντα, ἐπὶ* καὶ νῦν ἐγχειρίζω σοι διὰ ταύτης μου τῆς ἐπιστολῆς, τὸν ἀδελφὸν καὶ συνδιάκονον ἡμῶν Γεώργιον. ἄνδρα τῶν ἐξαιρέτων ἡμῖν, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ χρησιμώτατον. ἀξιῶν θαρσοῦς αὐτὸν τυχεῖν ἐν οἷς πρός τινας διαφέρεται. καὶ μὴ συναρπασθῆναι τῇ τυραννίδι. * ἢ * ἐπεὶ

Τῷ αὐτῷ.

Μέγας ἐν ἀνθρώποις ὁ Ἡρακλῆς,* ὡς ὁ λόγος. ἵνα σε λόγιον ὄντα καί τινος ἀναμνήσω τῶν σῶν. ἀλλ' οὐκ ἂν τοσοῦτος ἦν, εἰ μὴ τὸν Ἰόλαον εἶχε συναγωνιζόμενον, καὶ κατὰ τῆς ὕδρας μάλιστα, τοῦ πικροῦ τούτου καὶ πολυκεφάλου θηρίου. ἧς ὁ μέν, ἐξέτεμε τὰς κεφαλάς. ὁ δέ, ἐπέκαεν. ὥσπερ τὰ τῆς κακίας ὑμεῖς. πολλοὺς παρήλαυνον οἱ Ἀκτορίωνες ἅρμασιν, ὡς Ὁμήρῳ δοκεῖ. δίδυμοι γὰρ ἦσαν καὶ τὰ σώματα καὶ τὴν τέχνην. ὁ μέν, τὰς ἡνίας. ὁ δέ, τὴν μάστιγα μεριζόμενοι, καὶ τὸ νικᾶν ἀλλήλοις συνερανίζοντες. πολλοὺς διασῴζει κυβερνήτης πλωτῆρας. ἀλλ' οὐκ ἂν ὁμοίως διέσωζε, μὴ καλῷ πρωρεῖ βοηθούμενος. ὃς καὶ διαθεῖ* τοῖς ἀνέ- * Ἡρακλῆς * f. διαθρεῖ

μους; καὶ τὰς ὑφάλους προδείκνυσι. καὶ γίνεται τῆς νηὸς οἷόν τις ὀφθαλμός. τοιοῦτον ἡμῖν καὶ τὸ ὑμέτερον. λαμπρὸν γὰρ ὄντα τὸν ἄρχοντα καὶ παρ' ἑαυτοῦ, λαμπρότερον αὐτὸς ἐργάζῃ τῇ συνεργίᾳ· ὧν πολλὰ ἐπαινοῦντες, τοῦτο θαυμάζομεν μάλιστα. ὅτι τοσαύτην τοῖς δημοσίοις εὔνοιαν σώζοντες, χώραν δίδοτε καὶ τοῖς φιλικοῖς. οὐ τραχύτητι τρόπου τὸ ἀκριβὲς ἐνδεικνύμενοι, κατὰ τοὺς πολλοὺς τῶν ἀμείζων, ἡμερότητι δὲ μᾶλλον τὸ τῆς ἀρχῆς αὐστηρὸν πιθασσεύοντες. A

Ἀδελφίῳ.

Εἶεν, τὸ εἶεν, ἀντὶ τοῦ ταῦτα μὲν δὴ οὕτως. ἔστι γὰρ ἐπίρρημα ἀφοριστικόν. ἐπὶ γὰρ τοῖς ἤδη εἰρημένοις λεγόμενον, περιορίζει αὐτά. σημαίνει καὶ τὸ ἄγε δή. ἔστι καὶ ἀναφώνησις. ταῦτα μὲν δὴ πρῶτα ἡμῖν ἔχει καὶ πάνυ καλῶς. ἀρετῆς ἐπαινοῦμεν. ἄμφω πρὸς θεὸν νεύομεν. οὐ δεδέμεθα πρὸς τὰ κάτω, ὅτι μὴ πᾶσα ἀνάγκη, τὴν κρείττω καὶ θειοτέραν φιλίαν ἀσπαζόμεθα. χεῖρας ἀλλήλων εἰλήφαμεν καὶ ἐπιστωσάμεθα, φέρε δὲ ἤδη καὶ περὶ τῆς δευτέρας οἰκειότητος πρεσβεύσωμεν πρὸς ὑμᾶς. Θεὸν προστησάμενοι τοῦ λόγου, καὶ σὺν τούτῳ κινούμενοι. ὅπερ δὴ παντὸς ποιούμεθα, καὶ ἔργου καὶ λόγου προστάτην. εἰ δὲ γράμμασι πρᾶγμα τοσοῦτον πιστεύομεν, μὴ θαυμάσῃς. μάλιστα μὲν γὰρ ἡ σὴ δεξιότης, καὶ τὸ τῶν σῶν ἠθῶν ἁπλοῦν τε καὶ ἐλευθέριον. ὅπερ ὀλίγον, καὶ παρ' ὀλίγων εὕροι τις ἄν. ἐπῆρεν ἡμᾶς καὶ ταῦτα θαρρεῖν. ἔπειτα οὐδὲ γράμμασι τὸ πᾶν ἐπιτρέπομεν. οὐχ οὕτως ἐσμὲν ἀρχαῖοι, καὶ μικρῶς τὰ μεγάλα πράττοντες, οὐδὲ τὰ σπουδαῖα παρέργως. ἀλλὰ νῦν μέν, ὥς φησι Πίνδαρος, οἷον χρυσέας ὑφίσταμεν εὐτυχεῖ θαλάμῳ κίονας. μικρὸν δὲ ὕστερον δι' ἡμῶν αὐτῶν, ἡνίκα ἂν διδῷ ὁ θεός. καὶ θεητὸν μέγαρον πήξομεν. ἔργον, ὅ φασι, λόγῳ συνάπτοντες. πολλοὶ προσῆσι τῶν ἐν ὑμῖν εὐπατρίδαι. καὶ γὰρ πείθομαι προσιέναι πολλούς. τίς δὲ οὐχ ὑμῶν ἐρᾷ καὶ τῆς συναφείας τῆς ὑμετέρας; πολλοὶ τῶν τῆς μεγάλης ὀφρύος χρήματα, συγγένειαν, φίλους, δυναστείαν ἐν πόλεσι, δυναστείαν ἐν βασιλείοις. πάντα προτείνοντες ὅσα ἐστὶ περιφορᾶς ἀλόγου καὶ χαμαὶ παίγνια. νῦν μέν, τοῖς προσπίπτοντα. νῦν δέ, τοῖς δέ, ὥσπερ ἐν πεττῶν θέσει. ἄλλοτε εἰς ἄλλους μεταρριπτούμενα. ἡμεῖς δὲ ἐναντίον* πάντων προσάγομεν ὑμῖν, ἡμᾶς αὐτούς. καὶ μέντοι καὶ ζητοῦμεν ἓν ἀντὶ πάντων, ὑμᾶς. Εἰ τοίνυν καὶ βελτίους καὶ ἐκ βελτιόνων, ὁμολογοῦμεν γάρ, ἐπεὶ καὶ τοῦτο ἡμέτερον γίνεται, ἀλλ' ἐνίγε οὐχ ὑπερέξοντας ἡμῶν. Ἐν Θεῷ δὲ εἰρήσεται, τῷ πιστῷ καὶ γνησίῳ περὶ τὴν οἰκειότητα. οὗπερ δεῖ μᾶλλον ποιεῖσθαι λόγον, ἢ πάντων ὁμοῦ τῶν ἄλλων, τούς γε νῦν ἔχοντας. ἀρκεῖ τοσαῦτα πρὸς τὴν σὴν τελειότητα. καὶ ταῦτα πέρα ἴσως, ἢ κατὰ μέτρον ἐπιστολῆς. λοιπόν τε καὶ ἐμαυτῷ καὶ ὑμῖν ἐπεύξομαι. Θεὸς ἐπὶ νῦν ὑμῖν ἀγάγοι. παρ' οὗ καὶ ταῦτα καὶ τἆλλα οἰκονομεῖται τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν, ὅ,τι ἂν ᾖ βέλτιστον καὶ σύμφορον ἡμῖν τε καὶ ὑμῖν ἐπίσης. ἄλλως τε καὶ περὶ τηλικούτων βουλευομένοις. B C

* ἓν ἀντὶ

Τῷ αὐτῷ.

Υἱὸς οὐκ ἀτιμάζεται. ἀλλ' οὐδὲ ἀπιστεῖται πατήρ. διὰ τοῦτο μὴ ἀπιστήσῃς ἡμῖν ἀπολογουμένοις. ὅτι ἀσχολία καὶ ἀρρωστία πνευματικὴ τὸ κωλῦσαν ἦν, γενέσθαι μέχρι Ναυίλων καὶ τῆς συνόδου μετασχεῖν. ἄλλως τε καὶ τοσαύτῃ σπουδῇ κεκλημένους. ἀλλ' οὐκ ὄκνος τις, οὐδὲ περιφρόνησις, ὅπερ ἴσως ὑπέλαβες. νῦν μὲν οὖν ἔτι τῇ ἀσθενείᾳ κρατούμεθα. εἰ δὲ δοίη τὸ ὑγιαίνειν Θεός, καὶ τὴν διὰ τῶν ἔργων ἀπολογίαν προσθήσομεν. καὶ δραμόντες* μέχρι τῆς σῆς εὐγενείας, καὶ πλήρεις τὰς εὐλογίας τῷ οἴκῳ ἡμῶν ἀποδώσοντες. ἡμέτερα γὰρ εἶναι τὰ σὰ καὶ εὐχόμεθα, καὶ βουλόμεθα. D

* γρ. καμόντες

Τῷ αὐτῷ.

Ἔτι σε καλῶ Τίμιον, καίπερ οὐ τίμια βουλευόμενον. καί μοι* δέξαι τὴν παρρησίαν σπλάγχνοις πατρικοῖς κινουμένου. καὶ καρτερεῖν οὐ δυναμένου διὰ τὴν εὔνοιαν. πολλῷ γὰρ βέλτιον βραχέα λυπήσαντα, μέγιστα ὠφελῆσαι, ἢ τὸ πρὸς ἡδονὴν διακονοῦντα ζημιῶσαι τῷ κεφαλαίῳ. Ἱερεὺς ἦν ὁ Ἠλεί. καὶ τοῖς παισὶν ἀσεβοῦσιν ἐπέπληττε μέν. οὐκ ἀγαθὴ ἡ ἀκοὴ λέγων, ὦ τέκνα, ἣν ἐγὼ ἀκούω περὶ ὑμῶν. ὅτι δὲ μὴ σφοδρῶς ἐπέπληττε, σφοδρῶς ἐνεκλήθη. καὶ δίκην ὑπέσχε πατὴρ εὐσεβὴς παίδων παρανομίας. τοῦτο φοβούμενος τὸ ὑπόδειγμα καὶ αὐτός, ἐπὶ ταύτην ἦλθον τὴν παραίνεσιν. Τί ἐστιν ὃ πέπονθας, ἀγνοῶ. τίς ἡ τοσαύτη περὶ σὲ σκοτομήνη. πῶς αἰσχύνεις μὲν σεαυτοῦ τὸ γένος; αἰσχύνεις δὲ τὴν ἡμετέραν πολιάν. καὶ τὰς ἐλπίδας ἃς εἴχομεν ἐπὶ σοὶ ἡνίκα ἐπέστημεν Ναυίλοις. πᾶν ἀγαθὸν καὶ διαλεχθέντες, καὶ πείσαντες ὡς ᾠόμεθα. πῶς οὐκ ἀκούεις λεγούσης τῆς γραφῆς. μὴ δὸς γυναιξὶ τὸν σὸν πλοῦτον καὶ τὰ σὰ χρήματα εἰς ὑστεροβουλίαν. εὖ ἴσθι μεταμελήσεταί σοι τούτων μικρὸν ὕστερον, ἡνίκα ἂν καταβρώσωσι σάρκες σώματός σου κατὰ τὸ γεγραμμένον. καὶ δυνηθῇ διασχὼν ὥσπερ ἐκ νέφους ὁ νοῦς, πρὸς θεὸν ἰδεῖν καὶ λογίσασθαι καθαρῶς τὰ συμφέροντα. φύλαξαι τὴν παγίδα, μὴ ἀγρευθῇς σοῖς ὀφθαλμοῖς. καὶ εἰ ἠγρεύθης, ἔκληψον*. μὴ καὶ τὸ θρυλλούμενον διαβεβαιώσῃς. ὅτι φαρμάκοις τῶν νῦν ἐκλάμπῃς*. ἐπειδὴ δεινὸν εἰς κακῶν ἐπίνοιαν ἡ ἀσέλγεια, ἀλγεινὸν μὲν γὰρ τὸ καὶ οἶκον τοσοῦτον, καὶ τοσούτοις πόνοις συνειλεγμένον, οὕτως ἐν βραχεῖ διασπεῖραι καὶ καταλῦσαι καὶ μάλιστα ἐν ἀρχαῖς βίου. ἡνίκα ἢ τὴν καλήν, ἢ τὴν πονηρὰν δόξαν ἕκαστος ἑαυτῷ καταβάλλεται. πολλῷ δὲ δεινότερον τὸ καὶ γυναῖκας παρθένους, ἃς καὶ οἱ σοὶ γονεῖς, καὶ αὐτός, ὡς ἡμᾶς ἔπειθες, καθιέρωσας τῷ θεῷ, ταύτας ἱεροσυλεῖν καὶ ἁρπάζειν. καὶ τὰς μέν, ἔχειν ἤδη. τὰς δὲ πλοεῖν ὡς τὰ αὐτὰ πεισομένας. τὸν οὖν θεὸν φοβηθείς, ᾧ λατρεύεις, καὶ ἡμᾶς αἰδεσθείς, E

* μου
* ἔκνηψον
* ἐκλάμπεις.

ἐπίσχες

A obseruat, & scopulos præmonstrat, nauisque velut oculus quidam existit. Tales nostro iudicio vos estis. Nam cùm Præses ex seipso clarus sit, tu, adiuncta opera tua & auxilio, clariorem eum reddis. Quos cùm multis nominibus laudemus, tum hoc potissimum nomine admiramur, quòd cùm tantam publicis commodis beneuolentiam conseruetis, tamen locum quoque amicitiæ officiis datis, nimirum non morum asperitate (quod multi eorum faciunt, qui modum tenêre nesciunt) seueritatem ac iuris rigorem ostentantes, verùm lenitate ac mansuetudine potiùs Imperij austeritatem mitigantes.

Adelphio. Epist. 128.

Eia. hoc, Ζεῦ, idem est ac si dicam, Atque hæc ad hunc modum se habent. Est enim aduerbium distinguens. Etenim cùm pòst ea, quæ iam dicta sunt, vsurpatur, ea circumscribit. Significat etiam idem quod, Age verò. Vim item declarandi habet. Ac prima quidem nobis perbellè se habent. Virtutem laudamus: ambo ad Deum tendimus: rebus inferis, nisi quantum necessitas cogit, haudquaquam alligati sumus: præstantiorem ac diuiniorem amicitiam amplexamur: alter alterius manus cepimus, eámque confirmauimus. Age iam de secunda propinquitate ac necessitudine legationem ad vos obeamus, Deum orationi præficientes, atque vnà cum illo impulsi & agitati: quippe quem & operis omnis & sermonis patronum atque antistitem nobis proponamus. Quòd si rem tantam literis committo, ne tibi mirum istud videatur. Maximè enim dexteritas ac facilitas tua, morúmque tuorum simplicitas & integritas (quodquidem rarò & apud paucos quispiam reperiat) ad hanc fiduciam nos extulit. Deinde ne literis quidem rem totam committimus (non enim ita stolidi sumus, ac magna demissè agentes, & seria negligenter ac perfunctoriè) verùm nunc quidem, vt Pindarus loquitur, velut aureas colùmnas fœlici thalamo subiicimus: paulo pòst autem per nos ipsos, cùm id Deus concesserit: admirandum quoque palatium extruemus, opus nimirum, vt dici solet, cum sermone connectentes. Multi inter vos nobili loco nati ad te adeunt (non enim dubito, quin multi adeant. quis enim est qui te coniunctionémque tuam non amet?) multi, inquam, alti supercilij, opes, cognationem, amicos, potentiam in vrbibus, potentiam in Imperatorum aulis, ac denique omnia ea protendentes, quæ temerariæ iactationis, & temporis ludibria sunt, núncque ad hos, nunc ad illos cadunt, ac velut in talorum situ aliàs ad alios traiiciuntur, atque immutantur. Nos autem vnum pro omnibus tibi offerimus, hoc est, nos ipsos: vicissímque vnum pro omnibus quærimus, hoc est, vos. Quòd si alios meliores, ac melioribus natos, pro amicis habiturus es (confitemur enim. quandoquidem hoc quoque nostrum efficitur) at vna re saltem (quod fauente Deo à me dictum velim) minimè nobis superiores futuros, nimirum fide ac synceritate in colenda amicitia. Cuius quidem rei maior habenda est ratio, quàm omnium aliarum rerum in vnum congestarum, iis quidem certè, qui mente præditi sunt. Pluribus verbis ad tuam excellentiam minimè opus est, Immò etiam plura fortasse diximus, quàm Epistolæ modus postulet. Superest, vt, & mihi ipsi, & vobis, aliquid optem. Deus, qui, & hæc, & alia, iis, quos sui amantes habet, procurat, id vobis in mentem inducat, quod optimum, atque, & nobis, & vobis, æquè in rem futurum sit. ac præsertim de tantis rebus consilium sumentibus.

Eidem. Epist. 129.

Nec filius contemnitur, nec patri diffiditur. Quocirca ne nobis fidem abroges, illud purgandi nostri causa dicentibus, quòd occupatio ac morbus spiritualis, quo minùs Nauilos proficisceremur, ac concilio interessemus (præsertim cùm tanto studio animique affectu vocati fuissemus) impedimento fuit, non autem pigritia quædam aut contemptio, quemadmodum fortasse suspicatus es. Ac nunc quidem corporis imbecillitate adhuc tenemur: si autem Deus sanitatem nobis dederit, illud etiam adiungemus, vt rebus ipsis tibi satisfaciamus, atque vsque ad nobilitatem tuam curramus, plenásque domui nostræ benedictiones persoluamus, Nostra enim esse, quæ tua sunt, & optamus, & volumus.

Eidem. Epist. 130.

Honorandum te adhuc voco. etiam si ea, quæ honore minimè digna sunt, consilia ineas. Ac velim hanc meam loquendi libertatem in bonam partem accipias, hoc est, eius, qui paternis visceribus incitetur, nec propter beneuolentiam patientia vti possit. Multo enim melius est breui atque exiguo mœrore illato maximam vtilitatem afferre, quàm dum ea, quæ grata & iucunda sint, sequimur, in eo, quod summum ac præcipuum est, detrimentum tibi conflare. Sacerdos erat Heli. Atque filios quidem impia crimina patrantes obiurgabat (non enim bona fama est, inquiebat, o filij, quam de vobis audio:) quoniam autem haud acriter ac vehementer obiurgabat, vehementer ipse accusatus est, scelerisque filiorum pius pater pœnas luit. Hoc exemplum ipse quoque reformidans, ad hanc admonitionem veni. Quid tibi acciderit, ignoro. Quæ hæc tanta caligo te circumfundit? Quonam pacto genus tuum dedecoras? dedecoras etiam canitiem nostram, spésque eas, quas de te conceptas habebamus, cùm Nauilos perrexissemus, atque omne boni genus, & disseruissemus, &, vt quidem nobis videbatur, persuasissemus? Quin tu Scripturam audis, dicentem, Ne des mulieri diuitias tuas, & opes tuas in serum consilium? Huius rei, mihi crede, aliquanto pòst, te pœnitebit, cùm obtritæ corporis tui partes fuerint, vt Scripturæ verbis vtar, ac mens velut diffissa & penetrata nube, Deum prospicere, atque ea quæ commoda & frugifera sunt, purè ac liquidò considerare poterit. Sagenam obserua, ne oculis tuis capiaris, Et, si captus es, expergiscere, ac meliorem mentem indue, ne illud etiam, quod rumore celebratur, confirmes: nempe quòd veneficiis quibusdam mens tibi surrepta sit. Siquidem ad comminiscenda mala mirè solers est lasciuia. Atque acerbum quidem est, tantam domum, ac tot laboribus collectam, breui adeò temporis spatio dissipare & euertere, ac præsertim vitæ initiis, cùm vel bonæ, vel malæ famæ & existimationis sibi quisque fundamẽta iacit: at longè grauius & acerbius virgines & fœminas, quas, & tui parentes, & tu etiam, vt nobis fidem fecisti, Dei cultui consecrasti, sacrilega manu rapere, atque alias quidem iam habere, aliis autem, tanquam idem perpessuris, terrorem iniicere. Quamobrem, & Dei, quem colis, metu, & nostri reuerentia

permotus, ab omni improbo & flagitioso animi instituto deinceps te reprime. Nam si fieri posset, vt velut per transennam spectans, opinionem eam, qua nos omnes perfudisti, cognitam haberes, fortasse ne alia quidem admonitione opus habuisses, verùm ipsam quoque infamiam in rerum gerendarum consilium adhibuisses. His iucundiora quidem habebam, quæ scriberem, vtiliora autem haudquaquam. Ac multo etiam plura scribere prætermittam, quòd illud sciam, nisi Dei metus te domet, ac coërceat, paruam aut nullam omnino vim sermones habituros esse. quandoquidem ferro quoque cera facilè imprimitur, ferrum autem difficilius, adamas verò ne firmißima quidem re, propter naturæ duritiam. A

Ablabio. Epist. 131.

SOphistices amore te flagrare audio, ac mirificum quiddam existimare, grauiter ac magnificè loqui, excelsum vultum præferre, altè ac sublimiter ingredi, atque ingentes tuos spiritus in Marathonem & Salaminem, illa inquam vestra ornamenta, tendere, nihilque aliud quàm Miltiadas & Cynegiros, & Callimachos, & Telemachos cogitare, ac denique omnibus rebus Sophistice, ac quam proximè ad conatum tuum & institutum tuum, instructum esse. Quod si vnà cum hac re virtutis quoque nonnulla tibi ratio est, noster es: atque, vt gloria nominisque celebritas tibi via & ordine progrediatur, velim. Sin autem nihil aliud, quàm Sophista es, nostramque amicitiam obliuisceris, eáque quæ de bono & honesto persæpe inter nos disseruimus, nihil aliud grauius ac molestius dicam. Illud autem fortasse dictu non immoderatum fuerit: scito te parumper quidem inter adolescentes lusurum: quàm plurimum autem te tibiipsi lusui ac ludibrio fore, cum ad bonam mentem veneris. Sed id serius. B

Saturnino. Epist. 132.

ET si imperij fastigium aditum omnem intercludit: at benigna tamen & facilis est amicitia: qua factum est, vt hanc precationem tibi offerre non dubitarim. Ad omnia tua erga me beneficia hunc cumulum adde. Doctißimum ac disertißimum filium nostrum Eudoxium, virum, & vita, & doctrina, virtute tua dignum, velim libenter videas, ac si qua in re probitatis tuæ ope indiguerit, præsidio tuo digneris. Nos autem preces tibi rependemus: quam vnam gratiam, iis, qui bene de nobis merentur, referre possumus.

Victori. Epist. 133.

NOn quia nunc scribimus, audaces sumus: sed, quia non citiùs, pigri. Immò ne hoc quidem. Non enim præstò sunt quibus literas demus. Et quidem quàm putas nos hoc cupere, ruri, procul à monasterio commorantes, illicque corpus curantes! Nunc autem, cùm sese offert occasio, & te salutamus, & abs te petimus, vt quem nobis præsentibus honorem habuisti, eundem quoque absentibus habeas, nec nos disiunctionem nostram permolestè ferentes per literas consolari graueris. Quoniam autem rursum Synodus cogitur, rursúmque certamen existit, idque inter medios hostes, res nostras sedulò obseruantes, communi tranquillitati manum porrige, vt qui Ecclesiæ pars sis haud minima & abiectißima: nec omnes eo incendio, quod nunc Ecclesiam inuasit, deflagrare, atque consumi sine: verùm quicquid eorum instrumentorum, quæ ad extinguendam flammam apta sunt, poteris, adhibe, alióque hortare, ita fiet, vt publicis negotiis melius se habentibus, meliori quoque statu res tuæ sint. C

Eidem. Epist. 134.

Verè Victor es tu, atque in omnibus rebus palmam obtines, vir admirande. Nam vt hostes, quandiu licuit, armis vincebas: ita nunc omnes benignitate vincis. ob eámque causam hanc quoque salutem tibi offerre non dubitauimus, atque cum salutatione charißimum filium Hyperechium. Quem te, & propter morum elegantiam, si ipsius periculum feceris, & propter nos, à quibus in omnibus rebus gratiam inire in animum induxisti, honore affecturum esse scio. Quamobrem in amicitiæ nostræ monimentum, quam, quanti facias, persuasum habeo, eum fiduciam in te collocare iube. D

Modario exercitus duci, de Ecclesiarum pace. Epist. 135.

TV nobis, & cognatus, & propinquus, ac familiaris es, & quicquid eiusmodi à quoquam dici poßit. Pietas enim nos coniunxit, & virtutis gloria, quam in te animaduertimus: hinc videlicet illud perspicuè ostendente, Græcum & Barbarum, corporum, non animorum, esse discrimen, ac locorum distantiam, non autem morum ac voluntatum. Atque vtinam multi ex iis, qui genere nobiscum iuncti sunt, probitatem tuam imitentur. Sic enim non dubito, quin res omnes nostræ, tam publicæ, quàm priuatæ, bellè habituræ sint. Te autem rogo atque obsecro, vt quemadmodum externum bellum manu tua & consilio ac prudentia extinguis, strenuo animo partes nostras tutans, ita etiam nostrum quoque comprimas: nimirum, quantum in te situm erit, contendens, vt Episcopis, qui nunc conuenerunt, pacatus finis sit. Etenim sæpe in vnum coire, nec tamen vllum malorum finem reperire, verùm tumultibus semper tumultus adiungere, maioris, vt tu quoque non ignoras, est infamiæ. E

Eidem. Epist. 136.

Præstantiam tuam salutandi iampridem desiderio tenebar. Ac Deo gratiam habeo, qui huius rei facultatem mihi dedit. Cùm autem, quonam pacto eum, qui tibi hanc epistolam reddit, possem remunerari, mecum exquirerem, hoc inueni, vt eum authoritati tuæ ac potentiæ commendarem. Quem, partim etiam nostra causa velim libenter videas, vt qui, & noster sit, & item tuus. noster, inquam, contubernalis. tuus autem miles (de hoc Theodoro loquor, qui nunc per nos ad te accedit:) vt ipse quoque honorem eum sentiat, quo abs te semper affecti fuimus, atque etiamnum afficimur.

Eutropio.

A ἐπίσχες σεαυτὸν τοῦ λοιποῦ πάσης πονηρᾶς προαιρέσεως. εἰ γὰρ οἷόν τε ἦν παρακύψαντά σε γνῶναι τὴν δόξαν, ἣν πάντων ἡμῶν κατέχεας, τάχα ἂν οὐκ ἐδεήθης ἄλλης παραινέσεως, ἀλλ' αὐτὴν τῆς αἰσχύνης σύμβολον ἐποιήσω τῶν σῶν πρακτέων. τούτων ἤδη μὲν, εἶχον γράφειν. λυσιτελέστερα δὲ, οὐδαμῶς, καὶ τὰ πλείω παρήσω γράφειν, ἐκεῖνο εἰδώς. ὡς εἰ μή σε ὁ τοῦ Θεοῦ φόβος παιδαγωγήσει, μικρὸν, ἢ οὐδὲν οἱ λόγοι δυνήσονται. ἐπεὶ καὶ σιδήρῳ, κηρὸς μὲν, εὐκόλως χαράσσεται. σίδηρος δὲ, ἐργαδίστερον. ἀδάμας δὲ, οὐδὲ τῷ στερροτάτῳ διὰ σκληρότητα φύσεως.

Ἀβλαβίῳ.

ΠΥνθάνομαί σε σοφιστικῆς ἐρᾷν, καὶ τὸ χρῆμα εἶναι θαυμάσιον. οἷον, σοβαρὸν φθέγγεσθαι, μέγα βλέπειν, βαδίζειν ὑψηλὸν καὶ μετέωρον. τὸ λῆμά* σοι φέρειν ἐκεῖσε, εἰς Μαραθῶνα καὶ Σαλαμῖνα. ταῦτα δὴ τὰ ὑμέτερα καλλωπίσματα. καὶ μηδὲν ἐννοεῖν, ὅτι μὴ Μιλτιάδας καὶ Κυναιγείρους, Καλλιμάχους τε καὶ Τηλεμάχους. πάντα ἐσκευάσθαι σοφιστικῶς. καὶ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ἐγ- *λῆμμα

B χειρήσεως. εἰ μὲν μετὰ τούτου καὶ ἀρετῆς ποιῇ τινὰ λόγον, ἡμέτερος εἶ. καὶ καθ' ὁδόν σοι πρόσιοι τὰ τῆς εὐδοκιμήσεως. εἰ δὲ ὅλον εἶ* σοφιστὴς, καὶ τὰ τῆς ἡμετέρας ἐπιλανθάνῃ φιλίας, ὧν τε πρὸς ἀλλήλους πολλάκις περὶ τοῦ καλοῦ διελέχθημεν. ἄλλο μὲν, οὐδὲν δυσχερές. ἐκεῖνο δὲ εἰπεῖν ἴσως μέτριον. ἴσθι, βραχέα μὲν, παίζων ἐν τοῖς μειρακίοις. πλεῖστα δὲ ὑπὸ σεαυτοῦ πεπλησόμενος,* ἡνίκα ἂν ἔλθῃ σοι τὸ φρονεῖν, ἀλλ' εἰς ὕστερον. *εἶ *παιχθ

Σατορνίνῳ.

ΕΙ' καὶ τὸ τῆς ἀρχῆς ὕψος ἀπρόσιτον, ἀλλὰ φιλάνθρωπον ἡ φιλία, δι' ἣν ἐθαῤῥήσαμεν ταύτην σοι προσαγαγεῖν τὴν παράκλησιν. πᾶσιν οἷς εὖ πεποίηκας ἡμᾶς καὶ τοῦτο πρόσθες. τὸν λογιώτατον υἱὸν ἡμῶν Εὐδόξιον· ἄνδρα καὶ βίῳ καὶ λόγῳ τῆς σῆς ἀρετῆς ἄξιον. καὶ τ' ἄλλα ἡδέως ἰδεῖν καταξίωσον, καὶ τῆς παρὰ σεαυτοῦ προστασίας ἀξιῶσαι περὶ ὧν ἂν δέηται τῆς σῆς καλοκαγαθίας. ἡμεῖς δὲ ἀντιδώσομεν τὰς εὐχάς. ᾧ μόνῳ δυνατὸν ἡμῖν τοὺς εὐεργέτας ἀμείβεσθαι.

C

Βίκτορι.

ΟΥ'χ ὅτι νῦν γράφομεν τολμηροί, ἀλλ' ὅτι μὴ τάχιον ὀκνηροί. μᾶλλον δὲ οὐδὲ τοῦτο. οὐ γὰρ εὐποροῦμεν δι' ὧν ἐπιστελοῦμεν, καίτοι πῶς οἴει τοῦτο ποθοῦντες. ἐν ἀγρῷ πόῤῥω ποὺ τῆς μονῆς διατρίβοντες. κἀκεῖ τοῦ σώματος ἡμῶν ἐπιμελούμενοι. νῦν δὲ ἡνίκα καιρὸς, καὶ προσφθεγγόμεθα, καὶ ἀξιοῦμεν ἣν παροῦσιν ἡμῖν τιμὴν ἐχαρίζου, ταύτην καὶ ἀποῦσι χαρίζεσθαι. καὶ μὴ διὰ γραμμάτων ὀκνεῖν παραμυθεῖσθαι ἡμᾶς, σφόδρα τῷ χωρισμῷ κάμνοντας. ἐπειδὴ δὲ πάλιν σύνοδος, καὶ ἀγὼν πάλιν καὶ τοῦτο ἐν μέσοις ἐχθροῖς πάντα τηροῦσιν ἐπιμελῶς τὰ ἡμέτερα, δὸς χεῖρα τῇ κοινῇ καταστάσει, ὡς μέρος ὢν τῆς ἐκκλησίας οὐ τὸ φαυλότατον. καὶ μὴ περιίδῃς πάντας καταναλωθῆναι τῷ ἐμπρησμῷ τῷ νῦν περιέχοντι τὴν ἐκκλησίαν. ἀλλ' ὅτι ἂν δυνηθῇς τῶν στρατηγείων ὀργάνων, τοῦτο προσένεγκε. καὶ τοῖς ἄλλοις διακέλευε, ἵνα καὶ τὸ σὸν εὖ ἔχῃ, τοῦ κοινοῦ πράττοντος ἄμεινον.

D

Τῷ αὐτῷ.

Ο'ντως νικητὴς σὺ, καὶ διὰ πάντων ἀριστεὺς, ὦ θαυμάσιε, νικῶν γὰρ τοῖς ὅπλοις τοὺς πολεμίους ἔως ἐξῆν, καὶ νῦν πάντας νικᾷς χρηστότητι. διὰ τοῦτο καὶ τὴν προσηγορίαν ταύτην ἐθαρσήσαμεν προσαγαγεῖν. καὶ μετὰ τῆς προσηγορίας τὸν τιμιώτατον υἱὸν Υ'πέχιον, ὃν οἶδα ὅτι καὶ διὰ τὸν τρόπον τιμήσεις, εἰ πεῖραν τοῦ ἀνδρὸς λάβοις, καὶ δι' ἡμᾶς, οἷς ἔγνωκας τὰ πάντα χαρίζεσθαι, καὶ θαῤῥεῖν σοι κέλευε, εἰς ὑπόμνημα τῆς ἡμετέρας*, ἣν ὅσον αὐδῇ πεπείσμεθα. *φιλίας. aut quid eiusmodi.

Μοδαρίῳ στρατηλάτῃ, περὶ εἰρήνης τῶν ἐκκλησιῶν.

ΗΜῖν σὺ, καὶ συγγενὴς καὶ οἰκεῖος, καὶ πᾶν ὅ,τι ἂν εἴποι τοιοῦτόν τις. ἡ γὰρ εὐσέβεια συνῆψεν ἡμᾶς, καὶ τὸ τῆς ἀρετῆς εὐδόκιμον, ἣν ἐν σοὶ κατεμάθομεν. δείξαντι σαφῶς, ὅτι τὸ ἑλληνικὸν καὶ τὸ βάρβαρον, σωμάτων, οὐ ψυχῶν ἐστὶ διαφορὰ, καὶ τόπων διάστασις, ἀλλ' οὐ τρόπων, οὐδὲ προδιαιρέσεων.* εἰ γένοιτο πολλοὺς τῶν ἡμετέρων τὸ γένος, τὴν σὴν μιμήσασθαι καλοκαγαθίαν, καὶ πάντα ἡμῖν οἶδ' ὅτι ἕξει καλῶς. τά τε κοινὰ καὶ τὰ ἴδια. παρακαλῶ δὲ, ὥσπερ τὸν ἔξωθεν πόλεμον τῇ σεαυτοῦ *προαιρέσεων

E δεξιᾷ καὶ συνέσει καταλύεις γενναίως ὑπὲρ ἡμῶν ἱστάμενος, οὕτω λῦσον καὶ τὸν ἡμέτερον. ὅσα γε ἐστὶν ἐπὶ σοί. εἰρηνικὸν γενέσθαι τὸ τέλος τοῖς συνελθοῦσι νῦν ἐπισκόποις ἀγωνισάμενος. τὸ γὰρ συνιέναι μὲν πολλάκις, μηδὲν δὲ πέρας εὑρίσκεσθαι τῶν κακῶν, ἀλλ' ἀεὶ προστιθέναι ταραχαῖς ταραχὰς, μείζονος αἰσχύνης, ὃ καὶ αὐτὸς γινώσκεις.

Τῷ αὐτῷ.

Ε'πόθουν διὰ πολλοῦ προσειπεῖν σου τὴν τιμιότητα, καὶ χάρις τῷ θεῷ δεδωκότι τὴν ἀφορμήν. ζητῶν δὲ ὅπως ἂν ἀμειψαίμην τὸν ἐγχειρίζοντά σοι τὴν ἐπιστολὴν, κάλλιστον τοῦτο εὗρον παραθέσθαι αὐτὸν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ. ὃν μέρος τι καὶ δι' ἡμᾶς ἡδέως ὁρᾷν ἄξιον, ἡμῶν τε ὄντα καὶ σόν. σύνοικον μὲν, ἡμέτερον. στρατιώτην δὲ σόν. λέγω δὲ τὸν νῦν* προσιόντα σοι δι' ἡμῶν Θεόδωρον. ὅπως ἂν καὶ αὐτὸς ἀπολαύσῃ τῆς τιμῆς, ἣν ἀεὶ τετιμήμεθα παρὰ σοῦ, καὶ ἔτι τιμώμεθα. *νῦν

Εὐτροπίῳ.

ΤΙ τοῦτο; Εὐτρόπιος ὁ μέγας ἐν ἡμετέροις; καὶ ἡμεῖς ἀκούομεν, ἀλλ' οὐκ ἀπολαύομεν, ὁ δὲ Τάνταλος ἐκεῖνος τί ποτε ἄλλο, ἢ οὗτος * ἦν, ἐν μέσαις πηγαῖς δίψει τηκόμενος. σὺ μὲν οὖν ποθεῖς τὴν ἡμετέραν συντυχίαν ὡς γράφεις. καὶ καλῶς ποιεῖς. εἰδέναι γὰρ ὄντα σε, ὅπερ εἶ, μὴ περιφρονεῖν τοὺς φίλους, ἀλλὰ καὶ ὁδοῦ πάρεργον εὖ ποιεῖν ἡμᾶς, καὶ ταῦτα τιμᾶν μετὰ τὴν ἀρχήν, ἃ καὶ ἄρχειν * τιμᾶν ἠξίους. ἐμὲ δὲ πῶς; οἶδε διακεῖσθαι, καὶ τίνα ἔχειν τὴν ψυχήν, ποθοῦντα μέν, οὐχ ἧττον, εἰ μὴ καὶ μᾶλλον ὡς τὸ εἰκός. τὸ γὰρ αἰδεσιμώτερον ποθεινότερον. τῇ δὲ ἀρρωστίᾳ πεπεδημένον*, σύ μοι γενοῦ τὸ Αἰγύπτιον φάρμακον. εἴτε λόγος τοῦτο ἦν, εἴτε τι ἕτερον, ᾧ φαρμακεύει τὰς ψυχὰς Ὅμηρος ἐν ταῖς λύπαις. γενήσῃ δὲ πῶς; πρῶτον μέν, συγγινώσκων. ἕτοιμον γὰρ τὸ χρηστὸν εἰς συγγνώμην, ἔπειτα παιδεύων ἡμᾶς, ἐξ ὧν ἂν ἐπιστέλλῃς. ἐπεὶ καὶ ἄρχοντά σε τῆς ἀρετῆς πλέον, ἢ τῆς ἐξουσίας θαυμάζειν εἰχόμεθα. A

* τοῦτο
* ἄρχων
* πεπεδημένῳ

Τῷ αὐτῷ.

Ἄλλος μέν, ἄλλο τι τῶν σῶν ἐπαινείτω. πάντως δὲ ἀρκέσει γλώσσαις πολλαῖς μεριζόμενος. ἐγὼ δέ, ὃ μάλιστα θαυμάσας ἔχω, τοῦτο ἐρῶ. B τοσοῦτόν σοι καλοκαγαθίας καὶ λόγων περίεστιν, ὥστε καὶ τοῦτο μόνον φίλους ποιεῖν, τὸ νομισθῆναί τινας τοιούτους. ἐμὲ γοῦν πρὸς πᾶσιν οἷς τε τετίμηκας οὖσι τοσούτοις, ἡνίκα τὸν ὑψηλότατον εἶχες θρόνον ἔχοντα τὸ ἐπίφθονον ἔτι, καὶ κατὰ τὴν Ἀσίαν περιτυχών, εἴ τι μέμνησαι. μέμνησαι δὲ οἶδ' ὅτι τηλικοῦτος ὤν, καὶ τὰ φιλικά, μετὰ τῆς ἐν πᾶσι τελειότητος, τά τε ἄλλα εἶδες ὡς ἥδιστα, καὶ γράφειν διεκελεύσω λόγοις τιμῶν τοὺς σούς. οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ γράψαι πρότερος ἠξίωσας, τοὺς ἀγαθοὺς τῶν γραφέων μιμούμενος. οἳ τῷ παραδεικνύναι τὰ πολλά, μαθητὰς ἐκπαιδεύουσι. τοῦτο δὲ νῦν πεποίηκας εὖ ποιῶν. καὶ τοῦ λοιποῦ χαρίσασθαι μὴ κατόκνει. κἂν σε ὑψηλὸν αὖθις οἱ θρόνοι φέρουσιν. οἴσουσι γὰρ τὴν ἀρχήν, οὐ τὴν ἀρετήν· οὐδὲ γὰρ ἔχεις ὅ, τι ὑψωθῇς κατὰ ταύτην ἥκων πρὸς τὸ ἀκμαιότατον. ἀλλὰ καὶ τὰ κοινὰ πράττων, μὴ ἀμέλει τῶν φίλων κατὰ τοὺς Ὁμηρικοὺς νεανίας, ἐν μέσῳ πολέμῳ φιλικὰ ἀσπάζοντας. ἐπειδὴ καὶ τούτῳ ποικίλλει τὴν ποίησιν ὁ σὸς Ὅμηρος.

Θεμιστίῳ.

ΣΠαρτιάτας ἡ λόγχη γνωρίζει. ὦμος τοὺς Πελοπίδας. λόγοι τὸν μέγαν Θεμίστιον. κἂν γὰρ ἐν πᾶσι πάντων κρατῇς, τοῦτο τῶν σῶν οἶδα τὸ ἐπισημότατον. τοῦτο καὶ ἀπ' ἀρχῆς ἡμᾶς συνῆψεν ἀλλήλοις. εἰ δή τι τὸ καθ' ἡμᾶς ἐν λόγοις, καὶ θαῤῥεῖν νῦν ἀνέπεισεν. εἰ δὲ μάθοις τὸν ἄνδρα ὑπὲρ οὗ πρεσβευόμεθα. τάχα καὶ ἀποδέχῃ * τοῦ θάρσους ἡμᾶς. Εὐδοξίου τοῦ πάνυ παῖδά σοι τοῦτον προσάγω, τὸν ἀξιολογώτατον * υἱὸν ἡμῶν Εὐδόξιον. βίῳ μὲν καὶ λόγῳ, οἷον αὐτὸς εὑρήσεις. τὰν λίθον ποτὶ τὰν σπάρτον ἄγων, ὡς ἡ παροιμία. τίς δὲ σου στάθμη δικαιοτέρα. ἡμῖν * δὲ εἰς τὰ μάλιστα φίλον οὐχ ἧττον διὰ τὴν ἀρετήν, ἢ τὴν πατρικὴν φιλίαν. ὡς οὖν ἡμᾶς εὖ ποιήσων ὅ, τι ἂν τὸν ἄνδρα εὐεργετήσῃς. καὶ λόγοις τιμήσων τοὺς σούς, ἀναγεῖν αὐτὸν εἰς τὰ ἔμπροσθεν θέλησον. δεῖται δὲ ἀπὸ λόγων γνωρισθῆναι, καὶ βίον αὐτῷ πορίσασθαι τὸν ἐκ λόγων. ὅντινα δὲ τοῦτον, καὶ πῶς, αὐτὸς παραστήσει, δοκιμάσει δὲ καὶ ἡ σὴ λογιότης καὶ σύνεσις. C

* ἀποδέξῃ
* ἀξιολογώτατον
* ἡμῖν

Τῷ αὐτῷ.

Λόγοι τὸ κινδυνευόμενον. καὶ σὺ ὁ καιρός. εἴπερ σὺ βασιλεὺς * τῶν λόγων. καὶ πρός γε, σοὶ φίλος πατρόθεν ὁ ἐμὸς Ἀμφιλόχιος. προσθήσω δέ, ὅτι καὶ τοιοῦτος, οἷος μήτε γένος πατέρων αἰσχύνειν. μήτε τὴν ἡμετέραν φιλίαν. εἰ μὴ φαῦλος ἐγὼ τῶν τοιούτων κριτής. καὶ τὸ μέγιστον, ἀνδρὶ μάλιστα κατὰ σὲ φιλοσόφῳ, ὅτι μηδὲν ἀδικῶν ἔχει πράγματα. ὅ, τὸ * μὲν ἐστὶ κουφότατον. ἡμῖν δ' αὖ βαρύτατον εἰ περιορῶντες φαινοίμεθα. ἐγὼ μὲν οὖν, ὃ μόνον δύναμαι, τοῦτο ποιῶ. δύναμαι δὲ πρεσβεύειν πρὸς τοὺς εὖ ποιεῖν δυναμένους. οὐ γὰρ ἄλλο γε οὐδὲν ἐμοὶ δυνατὸν οὕτως ἔχοντι, ὥσπερ νῦν ἔχω. σὺ δὲ τὸν τοῦ σοῦ Πλάτωνος βεβαίωσον λόγον. μὴ πρότερον παύσασθαι τὰς πόλεις κακῶν εἰπόντος, πρὶν ἂν συνέλθῃ φιλοσοφίᾳ τὸ δύνασθαι. ἱκανὸς εἶ γὰρ ἀμφότερα. δὸς χεῖρα τῷ δεομένῳ. καὶ προσκρίνας τὰ εἰκότα, καὶ βοηθήσας. ὡς οὐκ ἔστιν ὅ, τι φιλοσοφήσεις ἄμεινον, ἢ νῦν τῷ δικαίῳ συναγωνισάμενος. πρὸς τὸ * καὶ ἡμᾶς εὖ ποιεῖν τοὺς σοὺς ἐπαινέτας. D

* βασιλεὺς, vel, βασιλεύεις.
* f. τῷ
* τοῦ

Βοσπορίῳ Κολωνίας.

ΑἸδοῦμαί σου τῆς κλήσεως τὸ φιλόπονον. αἰσχυνοίμην δ' ἂν ἐμαυτὸν πλέον, μήτ' ἀληθῆ γράφων. δέδοικα μὴ πέρας ἡμῖν ἔχῃ τὰ πράγματα. οὕτως αἰσχύνομαι τὴν ἐμὴν πολιὰν καὶ τὴν κοινὴν τράπεζαν, καὶ τοῖς ἐκ νεότητος πόνους ἔλαττον παρ' ὑμῖν ἔχων καὶ τῶν κακίστων, καὶ ὑφ' ὧν ἥκιστα ἂν ᾠήθην ἀτιμαζόμενος. E

Γρηγορίῳ Ἐπισκόπῳ.

ΚΑὶ μὴ ὢν συνεκδημῶ διὰ τῆς ἀγάπης ὑμῖν. πάντα γὰρ ὁ * πόθος κοινοποιεῖ τὰ ἡμέτερα. καὶ πολλὰς ἐλπίδας ἔχω, τῇ τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίᾳ θαῤῥῶν, καὶ ταῖς ὑμετέραις εὐχαῖς, ὅτι πάντα κατὰ νοῦν ἡμῖν ἐκβήσεται. καὶ ἡ καταιγὶς εἰς αὔραν ληθήσεται. * καὶ τοῦτον ὑμῖν ὁ Θεὸς τῆς ὀρθοδοξίας δώσει μισθόν. τὸ τοὺς ἐπηρεάζοντας ὑποχεῖν. μάλιστα μὲν οὖν ἴδοιμεν ὑμᾶς ἐν τά-

* λυθήσεται

A

Eutropio. Epist. 137.

QVidnam hoc est? Magnúsne ille Eutropius in nostrorum numero est? Nos quidem etiam audimus: at minimè fruimur. Tantalus autem ille, quid tandem aliud, quàm hoc, erat, cùm in mediis fontibus siti conficeretur? Tu sanè congressum nostrum expetis, vt scribis: ac rectè facis. Neque enim te, cùm sis id quod es, amicos aspernari oportebat, verùm obiter quoque de nobis bene mereri, atque eos nobis honores magistratu defunctus habere, quibus nos, cùm magistratum gereres, afficiendos ducebas. Me autem quónam pacto affici, & quo animo esse credis, congressum tuum non minùs exoptantem, immò etiam, vt verisimile est, amplius (nam quod maiorem venerationem habet, auidiùs quoque appetitur) morbo autem, tanquam compedibus quibusdam astrictum? Tu verò Ægyptium pharmacum mihi esto, siue sermo hoc erat, siue aliud quiddam, quo Homerus animis mœrore laborantibus medetur. Quánam autem ratione id eris? Primum si ignoscas. prompta enim ac propensa est ad ignoscendum benignitas. Deinde si per literas nos erudias. Quandoquidem tu quoque, cùm imperio fungereris, virtutis magis quàm potentiæ nomine suspiciendus occurrebas.

B

Eidem. Epist. 138.

Alius aliam quandam virtutum tuarum partem laudet (omnino autem pluribus linguis sufficies; si in partes tribuaris:) ego autem, quod maximè sum admiratus hoc dicam. Tanta tibi probitatis atque doctrinæ copia est, vt hoc quoque vno nomine quosdam in amicitiam recipias, quòd tales esse iudicentur. Me quippe, præter eos omnes, quos, cùm tales essent, honore affecisti, cùm sublimißimum thronum, adhuc inuidia flagrantem, teneres, atque in Asia obuiam tibi factus fuissem, si memoria tenes, (non autem mihi dubium est, quin memineris, cùm præter tuam in omnibus rebus præstantem ac numeris omnibus absolutam virtutem, in colendis amicitiæ officiis tantus sis) cùm alioqui lætißimo animo vidisti, tum etiam doctrinam tuam ornans, vt ad te scriberem hortatus es, Nec eo contentus, priùs quoque ad nos scribendum duxisti, probos videlicet pictores referens, qui propositis exemplis discipulos vt plurimum erudiunt. Hoc autem nunc fecisti, ac rectè quidem ac commodè: & deinceps id quoque mihi largiri ne graueris. Ac si te rursum throni sublimem ferant, (magistratum enim ferent, non virtutem. Neque enim quantum ad virtutem attinet, altiùs subuehi potes, cùm ad summum vsque perueneris) at etiam publica negotia gerens, ne amicorum incuria labores, Homericos videlicet iuuenes imitans, qui in medio bello amicitiæ munera exequebantur. Nam hac quoque re poësim suam Homerus tuus exornat.

C

Themistio. Epist. 139.

SPartiatas lancea indicat, humerus Pelopidas, eruditio magnum Themistium. Nam quamuis omnibus rebus omnes superes, hoc tamen tuorum omnium maximè insigne esse scio. Hoc etiam nos primùm inter nos copulauit (si modò quiddam ipsi in literis sumus) ac nunc quoque vt animi fiduciam adhibeam persuasit. Quòd si virum, pro quo deprecamur, noueris, fortasse fiduciam quoque nostram comprobabis. Eximij viri Eudoxij filium hunc tibi offero. præclarißimum, inquam, maximéque commemorandum filium nostrum Eudoxium, vita quidem & doctrina qualem ipse reperies, lapidem, vt prouerbio dicitur, Spartæ admouens (quæ autem amußis te iustior?) nobis autem quam maximè charum, non minùs ob virtutem, quam ob paternam amicitiam. Tanquam igitur in nos collaturus, quicquid in eum beneficij contuleris, ac tuam eruditionem ornaturus, induc animum, vt eum ad ea, quæ à fronte sunt, ducas. Opus est autem, vt doctrina eum clarum atque insignem reddat, sibique ipse victum ex doctrina quærat. Ex quánam porrò hac, & quónam pacto, ipse demonstrabit: tua autem eruditio & prudentia explorabit.

D

Eidem. Epist. 140.

Sermones in periculo versantur: ac tempus tuum est, siquidem tu rex es sermonum. Huc accedit, quòd à paterno latere tibi amicus est meus Amphilochius. Addam etiam, quòd eiusmodi, qui nec paterno generi, nec nostræ amicitiæ dedecori sit, nisi ego malus huiusmodi rerum iudex sum. Quódque maximum est: homini præsertim, vt es, philosopho, quòd, cùm nihil iniqui admiserit, negotia & molestias habet. Quod quanquam per se leuißimum sit, nobis tamen acerbißimum fuerit, si dißimulare ac contemnere videamur. Et quidem ipse, quod vnum possum, hoc facio. Possum autem deprecatoris partes apud eos obire, quibus bene de eo merendi potestas est. Neque enim eo statu, quo nunc sim, aliud quicquam efficere queo. Tu verò id, quod à tuo Platone dictum est, confirma. nempe ciuitates non antè malorum finem habituras esse, quàm philosophia cum potentia coniuncta sit. Vtraque enim re polles. Egenti manum porrige, eum videlicet, vt consentaneum erit, monens, ac iuuans. Nihil certè melius philosophari poßis, quam si nunc iustitiæ patrocinium suscipias: ne dicam quòd hac quoque re nos, laudum tuarum præcones, beneficio afficies.

E

Bosporio Coloniensi. Epist. 141.

NOminis tui industriam ac laboris amorem vereor. Mei autem ipsius me magis puderet, si non ad te vera scriberem. Metuo ne res nostræ finem habeant, ita me, & senectutis iam canæ, & communis mensæ, & iam inde à iuuenili ætate susceptorum laborum, pudet, quòd inferiore apud vos, quam vel improbißimi ac sceleratißimi homines, loco sim, atque ab iis, à quibus minimè putaui, contemnar.

Gregorio Episcopo. Epist. 142.

QVamuis domi maneam, per charitatem tamen vobiscum excedo. Amor enim nostra omnia communia efficit. Atque Dei benignitate vestrisque precibus fretus, magnam spem habeo fore, vt omnia nobis ex animi sententia eueniant, ac tempestas in auram soluatur, vobisque Deus hanc rectæ de religione sententiæ mercedem pendat, vt eos, qui vobis infesti sunt, superetis. Ac maximè quidem velim vos breui

videamus, atque quemadmodum nobis in votis est, recipiamus. Sin autem, negotiis ita postulantibus, longio- A
rem moram trahatis, literis saltem, quibus de rerum vestrarum statu certiores fiamus, nos oblectare ne graue-
mini. Denique nostra causa pro vestro more precemini. Sanos vos, ac firmos, omnibúsque rebus lætos & ala-
cres Deus opt. max. in commune Ecclesiæ subsidium præbeat.

Meletio. Epist. 143.

TAnto iam tempore nec vllas à te literas accepi, tametsi maiorem in modum id expetẽs: nec ipse ad te scripsi,
minimè dubito quin id etiam expetentem. O ingentem cessationem ac desidiam, ne dicam stuporem. Penè
quoque nobis, quantum ad somnum attinet, Arganthonius rediit: ita diu dormiimus. Vbi nobis illa sodalitas?
Vbi communes sermones & cœtus, & dulcis ille ac perennis fons, vnde hauriebamus? Equidem ipse, & exur-
go, & puluerem excutio, quemadmodum Achillis equi, seriùs id licet (vereor enim dicere) ac setam succu-
tio. Ne me, quæso, cauillari existimes. Tu verò, ecquid amicitiam nostram cures, ex literis tuis conspicuum fiet.

Anysio. Epist. 144. B

REdditæ sunt nobis tuæ literæ, quæ te commoda valetudine esse, profectionémque tuam tibi ex animi
sententia cessisse significant. Quo nomine ingentes Deo gratias habeo. Quòd si nos quoque aliquid eius-
modi de nobis scribere possimus, maiores gratias habiturus sum.

Vitaliano. Epist. 145.

HAud assiduè tecum versamur. Si causam quæris, quia multi circum te sunt etiam hi quibus minimè
delectamur. Quòd si à multis te repurges, ac virtutem contubernalem asciscas, claudos quoque, vt vulgo
dici solet, currentes videbis. Hoc Deo iuuante, & pollicemur, & faciemus.

Iacobo. Epist. 146.

SI corpore ita valerem, vt laboribus ferendis par essem, ipsemet ad vos me contulissem, vt & congressus
vestri desiderium explerem, &, de quibus vellem, colloquerer. Non enim de leuibus rebus nobis sermo est. C
Quoniam autem aduersa valetudine teneor, ad literas venire necesse habui. Ornatissimam matrem nostram
Simpliciam, probi atque honesti viri Alypij, totius patriæ nostræ ornamenti, quondam vxorem, cum miseris
viduitatis atque orbitatis nominibus tibi offero, vt abs te, de his rebus, in quibus ope tua indigebit, ius suum
obtineat. Ac calamitatis magnitudinem quæso conspice. Nondum luctibus finem imposuit, & de pupillis la-
borat, ac longas peregrinationes in tam imbecilli corpore ac negotiorum insolentia, ea suscipit, quæ ne quidem
vltra domus limen progredi consueuit. Quo quid miserabilius? nempe ne luctibus quidem locum dari, ac no-
bilitatis pudorem calamitate opprimi? Hæc igitur omnia tecum reputans, atque etiam precibus nostris permo-
tus, ne expectes, vt alius tibi iudex sit, magno inquam ac probo Iacobo: nec eam in hanc necessitatem adducas,
vt longiorem peregrinationem inire cogatur, cùm æquitati causæ suæ magnopere confidat, vt quidem multis, ac
nobis item, fidem facit. Verùm literis nostris perlectis, causáque rectissimè perpensa & explorata, hilario-
rem eam ad nos remitte. Illud ante omnia cum animo tuo considerans, te Dei beneficio ingentem potentiam ob-
tinere, opésque, & famam, atque existimationem, quæ ad maiorem fœlicitatem aditum tibi muniat. Hæc tibi
per præsentem benignitatem conserua: sicq́ue cogita, tum vt liberorum pater, tum vt is, qui partim è periculis ex- D
tractus sit, partim pericula ingrediatur: lætásque ac commodas tibi ipsi per præsentem materiam spes apud
Deum effice.

Eidem. Epist. 147.

Auditione quidem ac fama duntaxat excellentiam tuam cognitam habeo: tantum autem eam suspicio, at-
que admiror, quantum pauci ex iis, qui diuturnam tecum consuetudinem habuerunt. Tanto videlicet omnium
sermone probitas tua prædicatur. Eámque ob causam ipse quoque hoc deprecationis munus fideli animo susce-
pi. Reliquit nos admirandus Alypius, communis, inquam, ille philosophorum patronus, ac pupillorum curator.
Hoc nobis haud paruæ calamitati est. Deinde illud accessit, quòd ornatissima illius vxor, pupillorum causa,
in cura & sollicitudine versatur. Hanc tu, quæso, per præsentem humanitatem ac misericordiam consolare,
tuísque liberis, per tuam erga pupillos benignitatem, securitatem præbe: atque illud ostende, meliori conditione
propinquos, quam alienos, esse. Accedet hic quoque cumulus, quòd hac ratione gratiam à nobis initurus es, in
quos quicquid honoris contuleris, in Deum contuleris: cuius beneficio id consecuti sumus, vt ipsi astemus ac mi- E
nistremus, & si tanti muneris dignitate inferiores simus.

Alypio. Epist. 148.

PRimam tibi hanc, & epistolam scribo, & deprecationem offero. Eóque etiam nomine me ea, de quibus
narras abs te consequi æquum fuerit. Quid autem narro? Domum nostram, quæ apud vos est, violentis, vt
Alia omnia beneficia, quæ consecutus sum, à tua mansuetudine me accepisse scio. Ac velim Deus pro his tibi bona sua rependat, atque inter cætera illud, vt imperij curriculum cum splendore atque gloria conficias. Quod autem nunc abs te peto, est eiusmodi, vt daturus ipse potiùs sim, quàm accepturus (nisi tamen hoc arrogantius à me dicatur.) Miseram Philumenam manu mea tibi offero, vt ad iustitiæ tuæ pedes sese prouoluat, ac vobis lachrymas eas sistat, quibus animum nostrum conficit. Atque ea quidem iniurias, quas accepit, & à quibus, ipsa exponet. Neque enim mihi quenquam accusare tutum est. Hoc vnum duntaxat dicere necesse est, quòd viduitas & orbitas, cùm omnium, qui quidem mente præditi sint, ope atque auxilio iuuari debeant, tum eorum præsertim, quibus, & vxor, & liberi, in medio sunt, magna, inquam, hæc commiserationis pignora. Quandoquidem hominibus ius dicimus, cùm ipsi quoque homines simus. Nobis autem, quòd per epistolam hæc abs te petimus, velim ignoscas. Quandoquidem ob aduersam valetudinem Præside tam dextro atque commodo priuamur, tamque admirabili virtute prædito, vt imperij quoque tui præludia gloriam eam, quam

C alij toto imperij sui tempore consequuntur, antecellant.

Eidem. Epist. 175.

Quid, multa pertulisse, & beneficia accepisse, hominibus affert? humanitatem ac misericordiam docet, efficitque vt ad eos sese inflectant, qui ipsorum ope indigent. Neque enim vllum tantum ad concipiendam miserationem documentum est, vt benignitatem prius accepisse. Hoc mihi vsuuenit. Ex iis, quæ perpessus sum, commiserationem didici. Ac vidésne meam animi magnitudinem. Cum mansuetudine tua in meis rebus egeam, pro aliis deprecor: nec metuo, ne benignitatem tuam in alienis rebus exhauriam. Hæc autem de Leuntio presbytero scribo, vel, vt sic loquar, quondam presbytero. qui, si dignas scelerum pœnas dedit, hîc consistamus; ne id, quod ad supplicij magnitudinem accesserit, in iniquitatem degeneret. Sin autem aliquid insuper pœnæ addi debet, sic quoque scelerum atrocitatem contumeliæ grauitas adequauit. Hunc nobis concede, ac Deo & sacrario, communíque sacerdotum cœtui, quorum numerum aliquando auxit, etsi nunc, tam per ea quæ patrauit, quàm quæ perpessus est, indignum se eo honoris gradu reddidit. Si te his verbis permouemus, optimè se res ha-

D bet. Sin minus, augustiorem præceptorem tibi adhibemus, eum nempe, quem & Imperij & gloriæ socium & consortem habes.

Eidem. Epist. 176.

Haud vbique properatio laudanda est. Ac propterea de viri cum primis honorandi Veriani filia responsum huc vsque distuli, vt tempori ad correctionem aliquid darem, simul etiam quòd diuortium istud minimè bonitati tuæ probari, ex eo coniecturam fecissem, quòd nobis, quos in huiusmodi rebus haud celeres ac præcipites esse sciebas, percunctationis negotium commiseras. Eaque de causa meipsum huc vsque retinui, nec, vt opinor, inconsideratè. Quoniam autem temporis angustiis premimur, téque, quid ex inquisitione à nobis inuentum atque compertum sit, certiorem facere necesse habemus, duplici quodammodo animo mihi puella esse videtur, vt quæ partim pudore parentum, partim viri consuetudine distracta sit. Atque ipsius quidem verba cum illis sunt: mens autem haud scio an non cum hoc quoque sit, vt lachrymæ indicant. Ac tu quidem id scilicet facies, quod æquitati tuæ in mentem subibit, ac Deo, qui te in omnibus regit; gratum erit. Ego autem lubentissimè hoc filio Veriano id consilij darem, vt multa eorum, quæ in medio sunt, præteriret, quo diuortium

E minimè confirmaret: quod legibus nostris prorsus improbatur, etiam si Romanæ aliter decernant. Ius enim seruari necesse est, quod vt & semper dicas, & facias, tibi optamus.

Eidem. Epist. 177.

En tibi aliud quoque literarum argumentum. Quarum tu, si verè loquendum est, causa es, nimirum per eos honores, quos mihi habes, ad petendum me prouocans. En tibi alius quoque supplex, timoris vinculis constrictus, hic inquam cognatus noster Eustratius, qui nobiscum, ac per nos, ad bonitatis tuæ pedes sese prosternit, nec perpetuò à tuo imperio per contumaciam sese abstrahere sustinens (etiam si iustus eum metus perterruit) nec per alium, quàm me, ad pedes tibi accidere in animum inducens: quò scilicet adhibitis huiusmodi deprecatoribus, quos, si nihil aliud, ipse magnos efficis, (dum deprecationes sic excipis) splendidiorem sibi benignitatem tuam conciliet. Vnum duntaxat, idque breue, dicam. Priores gratias nobis concedebas. hanc tuo ipsius iudicio dabis (quandoquidem semel nostram senectutem & corporis infirmitatem huiusmodi honoribus consolari aggressus es). Addam etiam quòd hac ratione placidius tibi diuinum numen reddes.

Eidem. Epist. 178.

Velut per somnium hilari animo fui. Nam cùm vsque ad monasterium delatus essem, vt nonnihil solatij ex balneo consequerer, ac deinde congressum tuum spe concepissem, iámque hoc bonum velut manibus tenerem, atque aliquot dies illic exegissem, repentè ob morbum, qui partim iam mihi negotium facessebat, partim minabatur, ablatus sum. Ac si huic rei, quæ mihi accidit, imaginem quandam & similitudinem inuenire oportet, idem mihi, quod polypis, vsu venit. qui cùm per vim à rupibus auelluntur, persæpe de acetabulis quoque in periculum veniunt, quippe quorum nonnihil rupibus relinquunt, aut ab illis aliquid assumunt. Atque huiusmodi quiddam nobis contigit. Quæ autem à tua probitate coràm petiissem, hæc absens quoque petere non dubitaui. Filium nostrum Nicobulum, tum cursus sollicitudine, tum assidua in monasterio commoratione valde pressum offendi, hominem & infirmis viribus, & rerum huiusmodi insolentem, & solitudinem minimè ferentem. Huius opera ad quamcunque aliam rem tibi cordi fuerit, vtaris velim (siquidem ad omnia prompto atque impigro animo tibi operam nauabit) hac autem cura; si fieri potest, eum libera: si non aliam vllam ob causam, saltem vt hoc honoris ei habeas, qui me ægrotantem curat. Quandoquidem cum multa pro aliis abs te petierimus, atque obtinuerimus, tua quoque erga nosipsos mansuetudine opus habemus. A B

Eidem. Epist. 179.

Hoc scilicet erat, quod velut ex vaticinio quodam dicebam, cùm te in omnibus rebus commodo & beneuolo vterer, ac tua lenitate atque facilitate inexplebili quadam auiditate me ingurgitarem, nempe me vereri, ne benignitatem vestram in alienis rebus exhaurirem. Nam ecce discrimen meum (siquidem meum est, quod meorum est) nec iam pari cum fiducia verborúmque libertate te alloquor. Primùm, quia meum est. nam pro seipso rogare, quanquam vtilius atque conducibilius, humilius tamen & abiectius est. Deinde quia saturitatem suspectam habeo, vt quæ suauitatem extinguat, & pulchris omnibus rebus aduersetur. Atque hæc quidem ita habent, ac perquam rectè coniicio. Nihilominùs tamen Deo, cui asto, tuáque in beneficiis dandis liberalitate fretus, hanc tibi supplicationem offerre minimè dubitaui. Sit sanè mortalium omnium sceleratissimus Nicobulus (cuius hoc vnum duntaxat scelus est, quod propter nos inuidia flagrat, ac liberior est, quàm par sit) Sit item rursum omnium hominum iustissimus is, qui nunc nos oppugnat. Pudet enim me apud tuam integritatem eum accusare, quem nuper defendebam. At haud scio an æquum existimaturus sis, de alienis peccatis pœnas ab aliis expeti: de alienis inquam, ac ne voluntariis quidem pœnam iis irrogari, qui nec famulos suos concitarunt, admissúmque facinus adeò indigno & acerbo animo tulerunt, vt eos accusatori promptiùs etiam, quàm volebat, dediderint? An propterea Nicobulum, aut eius filios, in seruitutem adduci oportet, quemadmodum iis, qui ipsi infesti sunt, placet? Núncne tribunalia augebit, cùm eum res priuatæ discruciant? Ne, quæso, vir admirande, ne hoc, inquam, puritati atque integritati tuæ in mentem veniat. Verùm pro volucri ingenij tui celeritate ac perspicacia improbitatem eam, vnde hæc proficiscuntur, animaduertens, atque honoris etiam nostri causa, qui tuarum laudum præcones sumus, benignum atque humanum te iis, qui concitati sunt, iudicem præbe: tanquam non hominibus duntaxat hodierno die ius dicens, verùm etiam virtuti ac vitio. Cuius quidem rei magis, quam singulorum hominum, ratio & cura habenda est, iis quidem certè, qui te virtute referunt, ac præfecti munere probè atque commodè funguntur. Pro his autem rebus non preces duntaxat à nobis habiturus es, (quas tibi haudquaquàm, vt plerísque aliis, contemptui esse scio:) verùm illud etiam, vt clarum ac celebre tuum imperium apud eos omnes reddatur, quibus noti sumus. C

Pientissimæ atque omnibus rebus in Christo ornatissimæ fraternitati, quæ est in Sannabadaa, beati Leucadij, inter Monachos & virgines, in Christo Iesu sanctificatos, Gregorius in Domino salutem. Epist. 180. D

ID quidem, *quod Dei consilio ac prouidentia contigit, prudentibus viris lachrymarum materia non est, nempe quòd athleta post præclarum certamen quo perfunctus est, ex arena excesserit, atque à certaminis arbitro assumptus sit, vt iustitiæ coronam accipiat, ac per eum Angelorum chorus augeatur. Hæc, inquam, atque alia eiusmodi, iis, qui ex Euangelij præscripto coniectos in veritatem oculos habent, gaudij ac lætitiæ argumentum existunt. Quoniam autem vsus quidam & consuetudo hoc obtinuit, vt ob sanctorum virorum ex hac vita discessum, & mœrore afficiamur, & ab iis, qui chari nobis sunt, consolationem accipiamus. eam ob causam triste quidem ac mæstum aliquid, nec loqui sustinemus, nec, vt huiusmodi sermonibus aures subiiciatis, authores vobis sumus: at verò eo, quod debemus, consolationis munere fungimur, illud scilicet vos monentes, vt per mutuum vestrum conspectum semper eum ante oculos propositum habeatis. Hoc enim optamus, vt quisque, & quæque ad beati illius viri vitam sese componat, ita vt, dum vos inuicem conspicitis, illud vobis persuasum sit, vos ipsius notas ac formam intueri. Vestram vitam informet ipsius puritas, lenitas, humilitas, actuosa philosophia, perpetua animi ad Deum contentio, nec ad huius vitæ fraudes suspendi ac distrahi. Sic enim fiet, vt hæc alij in aliis perspicientes ipsius monimentum in vobisipsis effingatis, nec, aut ille, aut vos, in morte sitis. Nam & ille in vestra vita perpetuò viuens ostendetur, & vos rursum per probam & honestam vitæ rationem à mortis commercio alienos vos reddetis. Sanos vos & incolumes, atque, & animo, & corpore proficientes, nostrique in precibus vestris memores, in Spiritus sancti virtute Dominus protegat.* E

Veriano. Epist. 181.

NIhil *graue carnifices agunt (legibus enim inseruiunt:) nec iniquus est gladius, quo de improbis supplicium sumimus. Nec tamen laudatur carnifex, nec cruentus gladius lubenti animo tractatur.*

A Τῷ αὐτῷ.

Ὄναρ ηὐθύμησα. καὶ γὰρ μέχρι τῆς μονῆς ἐνεχθεὶς, ὥστε τινὸς ἐκ τοῦ λόγου παραμυθίας τυχεῖν, εἶτα τὴν σὴν συντυχίαν ἐλπίσας, καὶ ὥσπερ ἐν χερσὶν ἔχων ἤδη τὸ ἀγαθόν. καί τινας ἡμέρας προσδιατρίψας, ἐξαίφνης ἀπηνέχθην ὑπὸ τῆς ἀῤῥωστίας. τὰ μὲν, ἤδη λυπούσης· τὰ δὲ, ἀπειλούσης. καὶ εἰ δεῖ τινα εἰκασίαν εὑρεῖν τῷ πάθει, ταυτὸν ἔπαθον τοῖς πολύποσιν. οἳ βίᾳ τῶν πετρῶν ἀποσπώμενοι, κινδυνεύουσι καὶ ταῖς κοτύλαις πολλάκις, ὧν τι περὶ ἀφιᾶσι ταῖς πέτραις, ἢ τι παρ' αὐτῶν προσλαμβάνουσι. τὸ μὲν οὖν ἡμέτερον τοιοῦτον. ἃ δ' ἂν παρὼν ἐδεήθην τῆς σῆς καλοκἀγαθίας, ταῦτα καὶ ἀπὼν ἐθάῤῥησα. τὸν υἱὸν Νικόβουλον σφόδρα εὗρον τῇ τοῦ δρόμου φροντίδι, καὶ τῇ τῆς μονῆς προσεδρείᾳ στενοχωρούμενον ἄνθρωπον καὶ ἀσθενῆ καὶ τῶν τοιούτων ἀήθη, καὶ τὴν ἐρημίαν οὐ φέροντα. τούτῳ περὶ ἄλλο μὲν πᾶν ὅ, τι ἂν ᾖ σοι φίλον, χρήσασθαι θέλησον. καὶ γὰρ πρόθυμος εἰς πάντα ὑπηρετεῖν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ. ταύτης δὲ εἰ δυνατὸν ἐλευθέρωσον τῆς φροντίδος εἰ μή τι ἄλλο, καὶ ὡς ἡμέτερον τιμῶν νοσοκόμον. ἐπειδὴ *δεηθέντες

B πολλὰ καὶ περὶ πολλῶν δεηθέντα*, καὶ τυχόντες, χρῄζομεν καὶ εἰς ἡμᾶς αὐτοὺς τῆς σῆς ἡμερότητος.

Τῷ αὐτῷ.

Τοῦτο ἦν ὅπερ ἔλεγον ὥσπερ ἔκ τινος προφητείας εἰς πάντα δεξιοῦ σου τυγχάνων. καὶ ἀπλήστως τῆς σῆς ἡμερότητος ἐμφορούμενος. ὅτι δέδοικα μὴ κενώσω τὸ φιλάνθρωπον ὑμῶν ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις. ἰδοὺ γὰρ ἀγὼν ἐμὸς, εἴπερ ἐμὸς ὁ τῶν ἐμῶν. καὶ οὐ μετὰ τῆς ἴσης παῤῥησίας ποιοῦμαι τοὺς λόγους. πρῶτον μὲν ὅτι ἐμός· τὸ γὰρ ὑπὲρ ἑαυτοῦ δεῖσθαι, εἰ καὶ χρησιμώτερον, ἀλλὰ ταπεινότερον. ἔπειτα ὑφορῶμαι τὸν κόρον ὡς τὸ ἡδὺ λύοντα, καὶ πᾶσιν ἐναντιούμενον τοῖς καλοῖς. ἔχει μὲν οὖν οὕτω ταῦτα. καὶ εἰκάζω λίαν ὀρθῶς. ὅμως δὲ τῷ τε θεῷ θαῤῥῶν, ᾧ παρέστηκεν*, καὶ τῇ σῇ περὶ τοῦ εὖ ποιεῖν μεγαλοψυχίᾳ, τὴν ἱκεσίαν ταύτην ἐθάῤῥησα. Ἔστω κάκιστος πάντων Νικόβουλος, ὃς ἓν ἀδικεῖ μόνον ὅτι δι' ἡμᾶς ἐστὶν ἐπίφθονος, καὶ τοῦ δέοντος ἐλευθεριώτερος. ἔστω καὶ δικαιότατος ἀνθρώπων, ὁ νῦν ἡμῖν πολεμῶν. αἰσχύνομαι γὰρ κατηγορεῖν ἐπὶ τῆς σῆς ὀρθότητος. οὐ πρώην ὑπερεμάχουν. ἀλλ' οὐκ οἶδα εἴ σοι παραστήσεται δίκαιον ὑπὲρ ἄλλων ἁμαρτημάτων, ἐν ἄλλοις ἀπαιτεῖσθαι δίκην. καὶ τούτων ἀλλοτρίων καὶ οὐδὲ ἑκουσίων τοὺς οὔτε κινήσαντας τοὺς οἰκέτας, καὶ τοσοῦτον ἀγανακτήσαντας, ὥστε ἐκδοῦναι τῷ ἐγκαλοῦντι προθυμότερον, εἴπερ ἐκεῖνος ἐβούλετο. ἀλλὰ δεῖ δουλεύειν Νικόβουλον, ἢ τοὺς τούτου παῖδας. ὃ δοκεῖ τοῖς ἐπηρεάζουσι. νῦν αὔξει τὰ βουλευτήρια ὅτε λυπεῖ τὰ ἴδια; μηδαμῶς, ὦ θαυμάσιε, μὴ τοῦτο παραστήτω τῇ σῇ καθαρότητι. ἀλλὰ σὺ μεὶς μὲν τῷ πλείονι τάχει τῆς διανοίας τὴν ἀφ' ἧς ταῦτα γίνεται κακοήθειαν, αἰδεσθεὶς δὲ ἡμᾶς τοὺς σοὺς ἐπαινέτας, φιλάνθρωπον σεαυτὸν παράσχου τοῖς κινδυνεύουσι κρείττω*, ὡς οὐκ ἀνθρώποις μόνον δικάζων σήμερον, ἀλλὰ καὶ ἀρετῇ καὶ κακίᾳ, οὗ μᾶλλον ἢ τοῖς καθ' ἕκαστον φροντιστέον τοῖς γε κατὰ σὲ τὴν ἀρετὴν, καὶ δεξιοῖς ἄρχουσιν. ἔσται δέ σοι παρ' ἡμῶν ἐπὶ τούτοις, οὐ τὸ τῶν εὐχῶν μόνον, ὧν οἶδά σε μὴ περιφρονοῦντα κατὰ τοὺς πολλοὺς, ἀλλὰ καὶ τὸ περιβόητον καταστῆσαι τὴν ἀρχὴν πᾶσιν, οἷς γνωριζόμεθα. *κρείττω

C *(margin letter C stands beside the line beginning "σεται δίκαιον")*

Τῇ ἀδελφότητι τῇ κατὰ Σανναβαδαΐδην.

D Τῇ εὐλαβεστάτῃ, καὶ διὰ πάντων κεκοσμημένῃ ἐν Χριστῷ ἀδελφότητι τῇ κατὰ Σανναβαδαΐδην τοῦ μακαρίου Λουκαδίου ἐν μονάζουσι καὶ παρθένοις ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Γρηγόριος ἐν κυρίῳ χαίνειν*. *χαίρειν.

ΤΟ μὲν γενόμενον κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, οὐ δακρύων ὑπόθεσίς ἐστιν τοῖς γε νοῦν ἔχουσι. τὸ ἔξω τοῦ σταδίου γενέσθαι τὴν ἀθλητὴν μετὰ τῆς καλῆς ἀγωνίας*, ἧς ἠγωνήσατο. καὶ παραληφθῆναι παρὰ τοῦ ἀγωνοθέτου. ὥστε ἀπολαβεῖν τὸν τῆς δικαιοσύνης στέφανον. καὶ πλεονάσαι δι' αὐτοῦ τῶν ἀγγέλων χορόν. πάντα ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης τοῖς πρὸς τὴν ἀλήθειαν βλέπουσι κατὰ τὸ εὐαγγέλιον γίνεται. ἐπειδὴ δὲ συνήθειά τις ἐκράτησεν, ὥστε καὶ σκυθρωπάζειν ἐπὶ τῇ μεταστάσει τῶν ἁγίων, καὶ τῆς παρὰ τῶν ἀγαπητῶν παρακλήσεως ἀξιοῦσθαι, τούτου ἕνεκα σκυθρωπὸν μέν τι καὶ κατηφὲς, οὔτε λαλῆσαι καταδεχόμεθα, οὔτε ὑμῖν συμβουλεύομεν ὑπέχειν τὰς ἀκοὰς τοῖς τοιούτοις τῶν λόγων. τὴν δὲ χρεωστουμένην παράκλησιν ἀποπληροῦμεν ἐν τῷ συμβουλεύειν τῇ κοσμιότητι ὑμῶν. ἀεὶ πρὸς ἐκεῖνον βλέπειν. διὰ τοῦ πρὸς ἀλλήλους ὁρᾶν. τοῦτο γὰρ εὐχόμεθα ἕκαστον καὶ ἑκάστην τῷ βίῳ τοῦ μακαρίου μορφωθῆναι. ὥστε ὅταν ἀλλήλους ὁρᾶτε, πληροφορεῖσθαι ὑμᾶς, ὅτι τῷ ἐκείνου χαρακτῆρι ἐνατενίζετε. μορφούτω τὴν ζωὴν ὑμῶν τὸ ἐκείνου καθαρόν. τὸ ἀόργητον. ἡ ταπεινοφροσύνη. ἡ ἔνεργος φιλοσοφία. τὸ ἀεὶ πρὸς τὸν θεὸν συντεταμένην τὴν ψυχὴν ἔχειν. τὸ μὴ πρὸς τὰς ἀπάτας τοῦ βίου τούτου μετεωρίζεσθαι. ἵνα ταῦτα ἐν ἄλλοις* βλέποντες, τὸ ἐκείνου μνημόσυνον ἐν ἑαυτοῖς ζωγραφήσητε. καὶ οὔτε ἐκεῖνος, οὔτε ὑμεῖς ἐν θανάτῳ γένησθε. ἐν γὰρ τῷ ὑμετέρῳ βίῳ κἀκεῖνος, ζῶν διαπαντὸς ἐπιδειχθήσεται. καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς ἀγαθῆς πολιτείας, τῆς τοῦ θανάτου κοινωνίας ἀλλοτρίους ἑαυτοὺς καταστήσετε. ἐῤῥωμένους ὑμᾶς ψυχῇ καὶ σώματι προκόπτοντας* ἐν τῇ δυνάμει τοῦ ἁγίου πνεύματος ὁ κύριος σκεπάσει μεμνημένους ἡμῶν ἐν ταῖς προσευχαῖς. *ἀλλήλοις *προκόπτοντας

E *(margin letter E stands beside the line beginning "φωθῆναι")*

Οὐεριανῷ.

ΟΥδὲν δεινὸν ποιοῦσιν οἱ δήμιοι. καὶ γὰρ ὑπηρετοῦνται νόμοις. οὐδὲ τὸ ξίφος παραδώσομεν, ᾧ τοὺς πονηροὺς κολάζομεν. ἀλλ' ὅμως οὐκ ἐπαινεῖται δήμιος, οὐδὲ ἀσμενίζεται φονικὸν ξίφος. οὕτως

οὐδὲ ἡμεῖς ἀνεχόμεθα γενέσθαι μισητοί, διὰ τῆς ἡμετέρας χειρὸς καὶ γλώσσης τοῦ ἀποστασίου βεβαιουμένου. κρεῖττον γὰρ ἑνώσεως καὶ φιλίας, ἢ διαστάσεως καὶ βίου λύσεως μέσους γενέσθαι. τοῦτό μοι δοκεῖ καὶ ὁ θαυμασιώτατος ἄρχων ἐνθυμηθεὶς, ἡμῖν ἐπιτρέψαι τὴν πεῦσιν τῆς σῆς θυγατρός. ὡς οὐκ ἀποτόμως, οὐδὲ ἀπαθῶς ἐλθεῖν δυναμένους ἐπὶ τὴν λύσιν. Οὐ γὰρ ὡς λογιστὴν, ἀλλ' ὡς ἐπίσκοπον δηλαδὴ προεβάλλετο καὶ μέσον ἐποιήσατο τῆς καθ' ὑμᾶς περιπετείας. παρακαλῶ οὖν χαρίσασθαι ἡμῖν ὑπηρέταις τῆς ὑμετέρας βουλήσεως. καὶ χαίρω μὲν τὰ τοιαῦτα ἐπιταττόμενος. εἰ δὲ τὰ χείρω τε καὶ σκαιότερα, καὶ οἷς οὐδέπω καὶ τήμερον ἐνεχειρησάμην, ἄλλον ἐπιζητεῖτε τὸν πρὸς ταῦτα ἐπιδειότερον*. ἐμοὶ δὲ οὐ σχολὴ, ἵνα τῇ ὑμετέρᾳ φιλίᾳ χαρίσωμαι, καὶ εἰ τὰ πάντα οἶδα ὑμᾶς ἐμαυτῷ τιμιωτάτους, Θεῷ προσκρούειν, ᾧ λόγον ὑπέχω παντὸς κινήματος καὶ διανοήματος. τῇ δὲ σῇ θυγατρὶ, τότε πιστεύσομεν. εἰρήσεται γὰρ τἀληθὲς, ὅταν δυνηθῇ τὸ αἰδεῖσθαι ὑμᾶς φυγοῦσα παρρησιάσασθαι τὴν ἀλήθειαν. ὡς νῦν γε καὶ τὸ πάθος ἐλεεινὸν, μείζει γὰρ ὑμῖν μὲν, τὰ ῥήματα. τῷ δὲ ἀνδρὶ, τὸ δάκρυον. A

*ἐπιτηδειότερον

Γεωργίῳ. B

ΤΟ' ἀῤῥωστοῦν θεραπεύεται, ἀλλ' οὐ συντρίβεται. πῶς οὖν ὁ συνδιάκονος ἡμῶν Εὐθάλιος, οὔτε τὸν βαθμὸν αἰδεσθεὶς, οὔτε τὴν οἰκειότητα τιμήσας, δεσμοῖς καὶ πληγαῖς συνέτριψε τὸν ἄθλιον φιλάδελφον, ὡς δείκνυσι καὶ τῶν πληγῶν τὰ σημεῖα. τοῦτο τεθαύμακα. Μὴ τοίνυν παρέργως δέξῃ τὸ γεγονός. ἀλλὰ τὸ συμβὰν ἐλθὼν διὰ σεαυτοῦ παράστησον ἡμῖν. παρέστω δὲ καὶ ὁ Διάκονος, καὶ λόγον ὑφέξων τῆς κατηγορίας. καὶ λύπην ληψόμενος περὶ τῆς τοῦ συντριβέντος ζωῆς. Οὐ γὰρ ἀνεχόμεθά τοιαύτην ἀσχημοσύνην τολμᾶσθαι. σχεδὸν ἐν ταῖς ἡμετέραις ὄψεσιν.

Νεμεσίῳ.

Ε'Παινοῦσι τινὲς Πυθαγόραν τὸν Σάμιον. ὅτι θῦσαι δεήσαν αὐτῷ, ἐπειδή γε ἄλλως οὐκ ἐπήνει τὸ θεῖον*, πηλίνῳ βοῒ τὴν θυσίαν ἀφωσιώσατο. μηδὲ γὰρ χρῆναι νεκρὰ νεκροῖς καθαίρειν. οὕτω λέγων τὰ σώματα. τοῦτόν μοι καὶ αὐτὸς μιμήσασθαι καλῶς ἔχεις, ὦ θαυμάσιε. ἐπειδὴ δὲ τὸ προστιμᾶν ἀπηγόρευταί σοι, καὶ μόνος ἀρχόντων ἢ κομιδῇ σὺν ὀλίγοις, ἀζήμιον ἐνίδρυσας τοῖς ἀρχομένοις τὸν φόβον. μηδὲ Οὐαλεντινιανὸν ζημιώσαι τὸν σὸν καὶ ἡμέτερον. ὑπὲρ συγγενοῖς γὰρ πρεσβευόμεν. ἀλλ' ὅσον φθέγξασθαι πλάσαντα τὴν προστίμησιν, ἐπισχεῖν τὴν ζημίαν. καὶ γὰρ οὐδὲ οἰκείας ῥαθυμίας ὑπέχει δίκην, εἰ δεῖ θαῤῥήσαντας τοῦτο εἰπεῖν. Εἰ μὲν οὖν ὡς δικαστὴν πείσειν λογιότητα, ὥσπερ* λέγεται πρὸς ἑαυτοῦ φίλον γεγραφέναι τις. ὅτι τὸν δεῖνα, εἰ μὲν ἀδικεῖ, διὰ τὸ δίκαιον ἄφες. εἰ δὲ ἀδικεῖ * ν ἄφες, πάντως δὲ ἄφες ἐκεῖνο πρὸς τοῖς ἄλλοις ἐνθυμηθείς. ὅτι τὸ μὲν κοινὸν, οὐδὲν ἂν μέγα ὀνήσαιεν ἵππῳ * προστίμησις. ἡμῖν δὲ ἡ χάρις ἀνάγραπτος. καὶ τοῦτο δὲ προσκείσθω, τῇ συμφορᾷ τοῦ ἀνδρὸς βοήθησον σφόδρα συντριβέντος ἀπὸ συμπτώματος. C

*θύειν,
*ὑπὲρ
*f. διὰ τὴν ἡμετέραν φιλίαν. vel, δι' ἡμᾶς.
*f. εἴπερ προστίμησις

Τῷ αὐτῷ. D

Εποίεις μὲν ἡμῖν καὶ τὴν ἀρχὴν φιλοσοφίαν, καὶ οἶδ' ὅτι ποιήσεις, εἴτι τῷ Θεῷ μέλει τῶν ἡμετέρων. ὅμως δὲ κράτιστον ἦν νῦν συγγενέσθαι σοι, ἡνίκα σχολὴν ἄγεις ἀπὸ τῶν δημοσίων. καὶ καθ' ἡσυχίαν ἔξεστι τῆς σῆς ἀπολαύειν συνέσεως, ἧς ὀλίγα γε μετασχόντες, καὶ ὅσα γε ἀστραπῆς τῆς ὄψει μὴ κρατουμένης, τοῦ πλείονος διημάρτομεν. ἀλλὰ τοῦτο εὔξασθαι μὲν, μέγα. λαβεῖν δὲ οὐ ῥᾴδιον, οὕτως ἔχοντος ἡμῖν ὥσπερ ἔχει τοῦ σώματος. εἰ μὲν οὖν καὶ τούτων τύχοιμεν, τὸ πᾶν ἕξομεν. καὶ γάρ τινα καὶ χρέως εἰς ἡμῖν συντυχίαν δι' ὑποσχέσεως περὶ τοῦ λόγου τοῦ καθ' ἡμᾶς, ὃν πως ἀτελῆ κατέλειψας. εἰ δὲ μὴ, αὐτοὶ μὲν, τὴν ζημίαν οἴσομεν ἄκοντες. σὺ δὲ ἴσθι μεθ' ἡμῶν ὢν, ὅπου περ ἂν εἴης, καὶ ὁδηγοῖο ταῖς ἡμετέραις εὐχαῖς. καὶ αὐτὸς δὲ ἴσθι παρ' ἡμῖν μένων ἕως ἂν συμπνέωμεν, οἷς σαυτὸν ἐνέγραψας, οὐδεμίας στήλης ἀτιμοτέροις. καὶ ἔτι μᾶλλον ἐγγράψας ἐπειδὰν γένῃ Θεοῦ καὶ σαφῶς ἡμέτερος. ἢ σοί* γε ἡμεῖς, εἰ τοῦτο λέγεσθαι ἥδιον.

*σοῦ

Τῷ αὐτῷ. E

Τί τοῦτο; παρέδραμες ἡμᾶς ἀγνοήσαντας. καὶ λαβέσθαι οὐκ ἦν. οὐ μᾶλλόν γε, ἢ τῆς ἠχοῦς τοὺς πλησίον ἔχειν αὐτὴν νομίζοντας, καὶ ἀπατωμένους ταῖς ἀντιῤῥήσεσιν. ἢ τοῦτο μόνον ἂν τῶν πάντων ἐτυραννήσαμεν. ἀλλ' ἐπιστέλλοις γε ἡμῖν, ὦ θαυμάσιε. καὶ τοῦτο ἕξομεν ἀντὶ σοῦ, σκίαν, ὃ δὴ λέγεται, ἀντὶ σώματος.

Πέτρῳ.

ΠΛεῖστον ἐμακρύναμεν ἀπ' ἀλλήλων. μήτε κατ' ὄψιν πλησιάσαντες, μήτε δι' ἐπιστολῶν ὁμιλήσαντες. θαῤῥῶ δὲ, ὅτι σωμάτων ἐστὶ διάστασις, ἀλλ' οὐ πνεύματος. ἀλλὰ νῦν ὅτε καιρὸς, καὶ προσαγορεύω σου τὴν εὐλάβειαν, καὶ προσεύχεσθαι περὶ ἡμῶν ἀξιῶ. καὶ γήρᾳ καὶ νόσῳ καμνόντων, καὶ ἀγωνίᾳ τῆς πολιτείας, καὶ τῆς ἐκδημίας.

Τιμοθέῳ.

A Eodem modo ne nos quidem odium nobis conflare sustinemus, dum per manum ac linguam nostram diuortiu mconfirmatur. Præstat enim coniunctionis & amicitiæ, quàm dißidij ac vitæ solutionis arbitrum esse Quod etiam mihi cumprimis admirandus Præses animaduertisse videtur, cùm filiæ tuæ interrogandæ munu. nobis commisit, vt qui ad matrimonij dissolutionem duro & rigido animo venire minimè possemus. Neque enim me, vt censorem, sed vt Episcopum proposuit, ac vestræ calamitatis arbitrum constituit. Quamobrem vos rogo, vt nobis, voluntatis vestræ ministris obsecundetis. Ac mihi quidem huiusmodi res imperari lætor. Sin autem deteriora & crudeliora, & quibus nondum ad hunc vsque diem manum adiecimus, nobis mandantur, alium ad hæc aptiorem, quàm ego sim, quærite. Mihi enim non vacat, vt amicitiæ vestræ morem geram (etiam si alioqui prorsus vos plurimi faciam) in Dei offensionem incurrere, cui omnis agitationis & cogitationis rationem reddendam habeo. Tuæ autem filiæ tum demum fidem adhibebimus (dicam enim quod res est) cùm depulso eo pudore, qui ei à vobis incutitur, verùm liberè proloqui potuerit. Nam nunc quidem miserandum quiddam perpetitur. Vobis enim verba, marito autem lachrymas tribuit.

Georgio. Epist. 182.

B QVod ægrum est curari debet, non obteri, atque confringi. Quónam igitur pacto condiaconus noster Euthalius nec gradum veritus, nec propinquitatem ac neceßitudinem honore prosecutus, miserum Philadelphium vinculis ac plagis obtriuit, quemadmodum ipse quoque plagarum notæ indicant? Hoc sanè demiratus sum. Quocirca ne id, quod factum est, susque déque accipias: verùm, quod accidit, ipsemet ad nos profectus, nobis expone. Adsit quoque Diaconus ipse, vt criminis, cuius arceßitur, rationem subeat, ac de hominis obtriti vita formam atque exemplum accipiat. Neque enim tam turpe atque indecorum facinus in nostris propemodum oculis perpetrari ferre possumus.

Nemesio. Epist. 183.

SAmium Pythagoram nonnulli hoc nomine laudibus efferunt, quòd cùm in eam neceßitatem venisset, vt ipsi sacrificandum esset (quandoquidem alioqui sacrificia minimè probabat) boue ex argilla confecto sacrificium exoluit: quod scilicet negaret mortua mortuis expianda: nam ita corpora appellabat. Hunc mihi tu C quoque, vir eximie, pulchrè imitari posse videris. Quoniam autem mulctam irrogare tibi interdictum est, tu qui solus ex omnibus præsides, aut certè cum perpaucis, iis, quibus praes, metum detrimenti expertem constituisti, ne, quæso, committas, vt Valentinianum tuum ac nostrum (pro cognato enim loquor) incommodo afficias, verum sermone tenus efficta mulcta detrimentum reprime. Nam ne propriæ quidem inertiæ ac socordiæ (si verum intrepido animo dicendum est) pœnam suffert. Ac siquidem te, vt iudicem, hac oratione permouemus, hoc sanè optimum fuerit. Sin minùs, ad amicum confugiemus: hisque ad te hominem eruditum verbis vtemur, quæ ad amicum suum quidam scripsisse dicitur. Petrum, si nihil sceleris admisit, ob ius ipsum & æquitatem absolue: si admisit, in nostri gratiam absolue: omnino autem absolue. Illud præter cætera tecum reputans, fisco quidem equorum mulctam haud magnum commodum allaturam esse: at gratiam hanc perpetuò in animis nostris inscriptam & exculptam fore. Addam illud etiam: Hominis calamitati fer opem, casu quodam vehementer obtriti atque confecti.

Eidem. Epist. 184.

D Tu quidem præturam quoque in philosophiam conuertebas, conuertésque rursum (hoc scio) si quid res nostræ Deo curæ sunt. Nunc tamen commodißimum esset te conuenire, cùm à publicis negotiis feriaris, tuáque prudentia ingeniique acumine tranquillè frui licet. Cuius cùm paulùm participes facti fuissemus, ac velut fulgetræ, quæ oculorum acie teneri non potest, maiori parte ea frustrati sumus. Verùm hoc optare quidem magnum, consequi autem haud facile est, ita videlicet nobis habente corpore, quemadmodum habet. Ac siquidem hoc consequi poßimus, nihil non habebimus. (Nam de nostra quoque religione congressum quoque quendam ex pollicitatione debes, quem inchoatum quodammodo & imperfectum reliquisti.) Sin minùs, nos quidem hoc damnum inuito animo feremus: tu verò hoc tibi persuade, te, quocunque in loco sis, nobiscum esse. Atque vtinam precibus nostris ducibus prosperum iter habeas. Quin illud quoque tibi item persuadeas, te, quandiu spiritum ducemus, apud nos mansurum esse, in quibus, nulla columna inferioribus, & contemptioribus, teipsum inscripsisti: atque etiam magis inscripturus es, cùm ad Deum te adiunxeris, perspicuéque noster fueris: aut, si ita loqui suauius est, nos tui.

E

Eidem. Epist. 185.

Quidnam hoc est? inscientes nos præteristi: nec magis arripi potuisti, quàm Echo ab iis, qui eam propinquam se habere existimant, ac per oppositas voces decipiuntur. Nam alioqui hac vna in re vim tibi adhibuissemus. At saltem ad nos scribe, vir eximie, idque pro te habebimus, hoc est, vt dici consueuit, vmbram pro corpore.

Petro. Epist. 186.

DIuturno tempore alter ab altero remoti fuimus, atque nec mutuò conspectu nobis frui, nec per literas colloqui contigit. Verùm hanc disiunctionem corporum duntaxat, ac non item animorum esse confido. Nunc autem cùm occasio se offert, & pietatem tuam saluto, & vicißim abs te peto, vt pro nobis, qui & senectute, & morbo & vita acta, ac discessu è vita metu ac sollicitudine laboramus, preces ad Deum adhibeas.

Timotheo. Epist. 187.

BOnus ego semper bonorum virorum venator sum (libet enim nonnihil iuuenum more gloriari) quippe qui A
eruditionem quoque tuam sese occultantem atque incognitam esse studentem, & ipse indagatricibus qui-
busdam rationibus inueni, & aliis cognitam reddidi, & vt aliquid ex nostra doctrina vsurpem, lumen sub
modio abditum candelabro imposui, atque in medium protuli. Vt enim alias tuas virtutes prætercam, hoc est,
doctrinam, pietatem, morum facilitatem, ac modestiam (quæ quidem omnia vt vnus obtineat, perdifficile est)
en id quoque, quod nunc facis, quanti æstimandum est? Et nostri recordaris, & per literas complecteris, &
laudes adiungis: non vt nos laudes (tuam enim philosophiam intelligo) verùm vt meliores reddas, atque ad
vlteriora promoueas, erubescentes videlicet, non tales nos præbere, quales esse arbitraris. At nostræ quidem res
finem habent. Inuidiæ cessimus: Deo tranquillè philosophamur: soli degimus, atque in precibus versamur:
mundi strepitibus ac tumultibus liberati sumus. Tu verò viriliter age & confortare, ac pro Trinitate, quan-
tum vires tuæ ferent, dimica. & qui mansuetus est, pugnax fiat (quemadmodum etiam nos facere videbas:)
Neque enim mihi placet, vt simij floreant, celebrésque sint, leones autem quiescant. Ac pro nobis, qui magnis B
ærumnis premimur, Deum precare, vt pacatum è vita discessum, ad quem iam vergimus, consequamur.

Stagirio. Epist. 188.

ERuditione Atticus es: Attici nos quoque. Adolescentibus praes, nos omni ætati. Ad sermonem infor-
mas, nos ad mores. Multa nobis inter nos communia sunt. Vnum autem pro omnibus, ac præ omnibus, sua-
uissimus noster filius Nicobulus in medio positus. cui tu, vt par est, & doctrinam tuam ostendes, & nostram
amicitiam, si modo ea tibi curæ est. Est autem, ni opinione fallor. Nam & veteribus athletis & iuuenibus
honor habetur, & quidem tantus, vt etiam victoriæ præmia ipsis offerentes, iuxta palæstræ leges grati animi
officio fungi existimentur.

Timotheo. Epist. 189.

TE calamitatem minimè philosophico animo ferre audio. nec laudo, vera enim scribere oportet, præsertim
ad hominem amicum, ac probitatis & honestatis studiosum. De his enim rebus sic sentio, & quidem,
vt mihi persuadeo, rectissimè. Nec enim nimiam indolentiam probo, nec nimiam doloris acerbitatem. Illud
enim inhumanum est, hoc à Philosopho alienum. Verùm medium ita tenere conuenit, sicq; nos comparare, vt
& iis, qui nimis effrænato dolore præcipites aguntur, sapientiores nos præbeamus. & iis qui immodicè philo- C
sophantur, humaniores. Ac siquidem ad alium quendam scriberem, longiori fortasse oratione opus habuissem,
méque partim vicem tuam dolere, partim monere, partim etiam obiurgare oportuisset. Nam & commiseratio
magnam ad leuandum dolorem vim habet; & qui æger est, eius qui integra valetudine vtitur, medicam ma-
num requirit. Quoniam autem mihi cum erudito viro sermo est, hæc dicere sufficiet, Ad te redi, atque ad eos
libros, quos familiares habuisti. In quibus & multæ vitæ sunt, & multi vitæ modi, & multæ voluptates
& leuitates. Deus enim hæc per seipsa mutuò nectit: Ob id scilicet, meo quidem iudicio, vt nec mæror medi-
cina careat, nec lætitia expers disciplinæ sit: atque vt inconstantiam & varietatem, quæ in his rebus est, con-
templantes, oculos in eum solum coniiciamus. Hæc igitur, tanquam normam ac regulam, tuo dolori admoueo.
Ac si quidem ex iis, qui rerum acerbitatibus nimium succubuerunt, laude affectum fuisse, aut etiam dolendo
aliquid perfecisse cognouisti, da te mærori, ac luctu fruere. Nemo est, cui calamitatis deploratio inuidiam con-
flare debeat. Sin autem eum vituperari ac reprehendi, vetus quidem adagium ait, Qui vulnerauit, medebitur:
nunc autem commodum fuerit dicere, Qui vulneratus est. Quin alioqui etiam nobis turpe, atque à nostra lege D
alienum fuerit, in huiusmodi rebus vulgus imitari. Quandoquidem nos præsentibus quoque rebus sublimiores
diuinus sermo reddit, monétque, vt hæc tanquam vmbras & ænigmata prætereamus. ac, nec res molestas, nec
iucundas, pro veris rebus ducamus, verùm alibi viuamus, illúcque intentos oculos habeamus, atque vnam mo-
lestiam peccatum, vnam lætitiam virtutem & cum Deo coniunctionem agnoscamus. Hæc tibi ipsi accine: ac
meliùs habebis. Imò verò non dubito, quin & iã accinueris, & rursum accinas, etiamsi ad te minimè scribamus.

Eidem. Epist. 190.

Nonnihil fructus, vir eximie, imò etiam haud parum fortasse, ex epistola mea percepi, vtpote peritus hu-
iusmodi morborum medicus. Mærorem tibi obiurgatio extrusit, dolorísque locum pudor occupauit: atque ad
repugnandum excitauit, perquàm Sophisticè sanè & strenuè. Ac mihi videris, quemadmodum apud Home-
rum Achillis equi, sublato in altum capite, atque excusso puluere (quandoquidem iam tempus postulabat, vt
Patrocli mortem lugere desineret) camporum rursus & armorum, & ostentandi ingenij cupiditate flagrare.
Adeò luculentæ & ambitiosæ, ac nonnihil etiam aculeatæ tuæ ad me literæ sunt: si quid tamen te intelligo.
Verùm illud modò tibi curæ sit, vt aduersus mærorem, fortem & philosophicum animum adhibeas: & nos E
illud æquo animo accipiemus, haud magnum esse, è terra de nauigantibus iudicium ferre, maiusque esse dimi-
care, quàm ad perferendas calamitates alios cohortari. Nisi quis illud dicat, quòd tibi ne dimicare quidem, aut
mare conscendere necesse erat: si quidem philosophia præstantior quædam res est, quàm ea sint, in quibus nunc
versaris. Nobis contrà aduersus multa, & sæpe, imò per totum, vt puto, vitæ tempus dimicatio est, in quibus,
num inscitè atque ignauè alios ad pugnandum acuamus, aut etiam ipsi pugnemus, multi explorant.

Eidem. Epist. 191.

Liberiùs aliquanto ad te loquar. sic enim natura comparatus sum, ac volo. Quòd si hanc libertatem mini-
mè concedas, & mihi & Nicobulo iniuriam facies. Nam & amici animum offenderimus, & nihil amplius
abs te habuerimus. Sin autem, quantum speramus, dederis, probi candidiq; viri officio fungêris, atque vtrumque

nobis

A Τιμοθέῳ.

Α'Εὶ καλὸς ἐγὼ τῶν καλῶν θηρευτής. ἵνα τι καὶ νεανιεύσωμαι, ὃς καὶ τὴν σὴν λογιότητα κρυπτομένην καὶ τὸ λανθάνειν φιλοσοφοῦσαν, ἀνεῦρον τε λόγοις ἰχνευτικοῖς, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐγνώρισα. καὶ ἵν᾽ εἴπω τι τῶν ἡμετέρων, τὸ ὑπὸ τῷ μοδίῳ φῶς ἐπὶ τῆς λυχνίας ἐδημοσίευσα. ἵνα γὰρ ἐάσω τἄλλα τῶν σῶν καλῶν, τὴν παίδευσιν, τὴν εὐσέβειαν, τὸ δ᾽ ἦθος ἐπιεικές τε καὶ μέτριον. ἃ πάντα ἑνὸς γενέσθαι, τῶν λίαν ἐστὶ χαλεπῶν. ἰδοὺ τό γε παρὸν τηλίκον, καὶ μνημονεύεις ἡμῶν, καὶ δεξιοῦσαι τοῖς γράμμασι. καὶ προστίθης ἐπαίνους. οὐχ ἵν᾽ ἐπαινέσης (συνίημι γὰρ σοῦ τῆς φιλοσοφίας) ἀλλ᾽ ἵνα κρείττους ποιήσῃς. καὶ προσαγάγῃς εἰς τὸ ἔμπροσθεν, αἰσχυνομένους μὴ τοιούτους φαίνεσθαι, οἵους ὑπολαμβάνεις. τὰ μὲν οὖν ἡμέτερα, πέρας ἔχει. ὑποχωρήσαμεν τῷ φθόνῳ· φιλοσοφοῦμεν ἐφ᾽ ἡσυχίας τῷ Θεῷ. καθ᾽ ἡμᾶς αὐτοὺς συγγινόμεθα ταῖς εὐχαῖς. τῶν ἐν μέσῳ κλόνων καὶ θορύβων ἠλευθερώμεθα. σὺ δὲ ἡμῖν ἀνδρίζου καὶ κραταιοῦ καὶ ὑπεραγωνίζου τῆς Τριάδος εἰς δύναμιν. καὶ ὁ πραῢς ἔστω μαχητής, ὃ καὶ ἡμᾶς ἑώρας ποιοῦντας. οὐ γὰρ βούλομαι κέρκωπας μὲν εὐδοκιμεῖν, ἠρεμεῖν δὲ λέοντας. καὶ ἡμῖν ὑπερεύχου
B σφόδρα καμνόντων, ἵν᾽ εἰρηνικῆς τύχωμεν τῆς ἐξόδου, ἤδη πρὸς τοῦτο νεύοντας.

Σταγειρίῳ.

Α'Ττικὸς σὺ τὴν παίδευσιν, Ἀττικοὶ καὶ ἡμεῖς. νέων προκαθέζῃ; πάσης ἡλικίας ἡμεῖς. τύποις πρὸς λόγον· ἡμεῖς πρὸς ἦθος. πολλὰ κοινὰ πρὸς ἀλλήλους ἡμῖν. ἓν δὲ ἀντὶ πάντων καὶ ὑπὲρ πάντων, ὁ γλυκύτατος υἱὸς ἡμῶν Νικόβουλος ἐν μέσῳ κείμενος. ᾧ σὺ καλῶς ποιῶν, ἐπιδείξῃ καὶ τὴν παίδευσιν, καὶ τὴν ἡμετέραν φιλίαν, εἴπερ σοι μέλει ταύτης, οἶμαι δέ, καὶ γὰρ ἀθληταὶ παλαιοί, νέοις τιμῶνται. καὶ τοσοῦτον, ὥστε καὶ τὰ τῆς νίκης ἆθλα προσφέροντες τούτοις, εὐγνώμονες εἶναι νομίζονται περὶ νόμοις ἀθλήσεως.

Τιμοθέῳ.

Π'Υνθάνομαί σε πρὸς τὸ πάθος ἀφιλοσόφως ἔχειν, καὶ οὐκ ἐπῄνεσα. δεῖ γὰρ τἀληθῆ γράφειν. ἄλλως τε καὶ πρὸς ἄνδρα φίλον καὶ καλοκαγαθίας μεταποιούμενον. ἔχω γὰρ οὕτω περὶ
C τούτων. ὡς δὲ ἐμαυτὸν πείθω, λίαν ὀρθῶς. οὔτε τὸ λίαν ἀπαθὲς ἐπαινῶ, οὔτε τὸ ἄγαν περιπαθές. τὸ μὲν γάρ, ἀπάνθρωπον. τὸ δέ, φιλόσοφον*. ἀλλὰ δεῖ τὴν μέσην βαδίζοντα, τῶν μὲν ἄγαν ἀχθομένων, φιλοσοφώτερον φαίνεσθαι, τῶν δὲ φιλοσοφούντων ἀμέτρως ἀνθρωπινώτερον. καὶ εἰ μὲν πρὸς ἄλλον τινὰ ἐπέστελλον, ἴσως ἄν μοι μακροτέρων ἐδέησε λόγων. καὶ τὰ μέν, συμπαθεῖν ἔδει. τὰ δέ, παραινέσαι. τὰ δὲ ἴσως ἐπιτιμῆσαι. τό, τε γὰρ συναλγεῖν, ἱκανὸν εἰς παραμύθειαν. καὶ δεῖται τὸ ἀῤῥωστοῦν τῆς ἐκ τοῦ ὑγιαίνοντος θεραπείας. ἐπεὶ δὲ πρὸς ἄνδρα πεπαιδευμένον ποιοῦμαι τοὺς λόγους, ἀρκεῖ τοσοῦτον εἰπεῖν. γενοῦ σεαυτοῦ καὶ τῶν βίβλων, αἷς καθωμίλησας, ἐν αἷς πολλοὶ μὲν βίοι, πολλοὶ δὲ τρόποι. πολλαὶ δὲ ἡδοναὶ καὶ λειότητες. πλέκει γὰρ ταῦτα δι᾽ ἀλλήλων ὁ Θεός. ἐμοὶ δοκεῖ ἵνα μήτε τὸ λυποῦν ἀθεράπευτον ᾖ, μήτε τὸ εὐφραῖνον ἀπαιδαγώγητον. καὶ ἵνα τὸ ἐν τούτοις ἄστατον καὶ ἀνώμαλον θεωροῦντες πρὸς αὐτὸν μόνον βλέπωμεν. ταῦτα οὖν ὥσπερ κανόνα καὶ γνώμονα προσάγω τῷ σῷ πάθει. καὶ εἰ μὲν ἐπαινούμενόν τινα ἔγνως τῶν λίαν ὑποπεσόντων τοῖς ἀλγεινοῖς, ἤ τι τῷ ἀλγεῖν κατορθώσαντα χρὴ
D τῷ λυποῦντι καὶ τοῦ πένθους ἀπόλαβε*. οὐδεὶς φθόνος συμφορᾶς θρυλουμένης. εἰ δὲ κακιζόμενον καὶ ψεγόμενον, ἡ μὲν παροιμία φησίν, ὁ τρώσας ἰάσεται. νῦν δὲ καλῶς ἔχει λέγειν, ὁ τετρωμένος, ἡμῖν δὲ καὶ ἄλλως αἰσχρόν, καὶ παρὰ τὸν ἡμέτερον νόμον, μιμεῖσθαι τοὺς πολλοὺς ἐν τοῖς τοιούτοις, ἐπειδὴ καὶ τῶν παρόντων ὑμᾶς ὑψηλοτέρους ὁ λόγος ποιεῖ. καὶ πείθει ταῦτα μέν, παρατρέχειν. ὡς σκιὰς καὶ αἰνίγματα. καὶ μήτε τὸ λυποῦν, μήτε τὸ εὐφραῖνον νομίζειν ἀλήθειαν. ζῆν δὲ ἀλλαχοῦ, κἀκεῖσε ὁρᾶν. καὶ μόνον μὲν λυπηρὸν εἰδέναι κακίαν. μόνον δὲ ἡδύ, τὴν ἀρετήν, καὶ τὴν πρὸς θεὸν οἰκίωσιν*. ταῦτα κατέπαδε σεαυτοῦ, καὶ ῥᾴων ἔσῃ. μᾶλλον δὲ οἶδ᾽ ὅτι κατεπῇσας τε ἤδη, καὶ κατεπῄσθης, κἂν αὐτοὶ μὴ γράφωμεν.

* ἀφιλόσοφον.

* ἀπόλαυε.

* οἰκείωσιν.

Τῷ αὐτῷ.

Ε'χω τι τῆς ἐπιστολῆς, ὦ θαυμάσιε, ὄφελος. καὶ οὐ μικρὸν ἴσως, ὡς δεινὸς τῶν τοιούτων θεραπευτής. ἐξέκρουσέ σοι τὴν λύπην ἡ ἐπιτίμησις, καὶ τοῦ πάθους τὸ ἐρύθειαν ἀντεισῆλθε. καὶ πρὸς ἀντίῤῥησιν διαγωνίσασθαι εὖ μάλα σοφιστικῶς καὶ γενναίως. καί μοι δοκεῖς καθάπερ οἱ Ἀχιλλέως ἵπποι παρ᾽ Ὁμήρῳ τὴν κεφαλὴν
E διάρας, καὶ τὴν κόνιν ἀποσεισάμενος, ἐπειδὴ τοῦ ἀποπενθεῖν Πάτροκλον καιρὸς ἦν, αὖθις πεδίων ἐπιθυμεῖν, καὶ ὅπλων καὶ ἐπιδείξεων. οὕτως σοι τὸ γράμμα τὸ πρὸς ἡμᾶς λαμπρὸν καὶ φιλότιμον καί τι καὶ πληκτικόν. εἴ τι ἐγὼ σοῦ συνίημι. ἀνδρίζου μόνον καὶ φιλοσόφει κατὰ τοῦ πάθους καὶ ἡμεῖς δεξόμεθα μὴ μέγα εἶναι τὸ ἀπὸ γῆς κρίνειν τοὺς πλέοντας. καὶ μεῖζον εἶναι τὸ ἀγωνίζεσθαι, ἢ ἀλείφειν πρὸς συμφοράς. εἰ μή τις ἐκεῖνο λέγοι. ὅτι οὔτε σοὶ τοῦ ἀγωνίζεσθαι, ἢ ἀναγκάσθαι ἀνάγκη τις ἦν. εἴπερ κρεῖττόν τι φιλοσοφία τῶν ἐν οἷς* ἐστὶ νῦν. ἡμῖν τε πρὸς πολλὰ καὶ πολλάκις καὶ ὅλον οἶμαι τὸν βίον ἡ παράταξις. ἐν οἷς εἰ μὴ λίαν ἀμαθῶς. μὴ δὲ ἀνάνδρως ἀλείφομεν, ἢ ἀγωνιζόμεθα, πολλοὶ δοκιμάζουσιν.

* f. ἐξ

Τῷ αὐτῷ.

Παῤῥησιάζομαί τι πρὸς σέ. καὶ γὰρ πέφυκα οὕτω καὶ βούλομαι. εἰ δὲ μὴ μεταδοίης ἡμῖν, * τὸν Νικόβουλον ἀδικήσεις· φίλῳ τε γὰρ ἐσόμεθα προσκεκρουκότες, καὶ

* ἐμέ τε καί, addenda videntur.

* καταθέσθε

παρὰ σοῦ μηδὲν ἔχοντες πλέον. εἰ δὲ δοίης ὅσον ἐλπίζομεν, εὐγνωμονήσεις καὶ ἀμφότερα ἡμῖν ὡς κάλλιστα ἕξει. ἐκείνῳ μὲν γὰρ ἀπολογησόμεθα. σὲ δὲ ἐπαινεσόμεθα. εἰ δὲ δίδως ἡμῖν καὶ παραινέσαι σοι παιδικῶς, ἀλλὰ μὴ τῇ συνηθείᾳ τοῦ ἀρχὴν τοῦ βιβλίου διαπτύσῃς. δέξαι λόγον ἀνδρὸς τὰ τοιαῦτα οὐκ ἀμαθοῦς. καθάθεσθέ* ποτε τὰ ὅπλα, καὶ τὰς σφενδόνας, καὶ τὰς ὀξυτέρας μελίας τὰς γλώσσας, αἷς κατ' ἀλλήλων βάλλετέ τε καὶ τιτρώσκεσθε. καὶ ταῦτα ἐν ἐπαινέταις τοῖς σπουδασταῖς, καὶ κατάθεσθε τοσοῦτον μᾶλλον, ὅσον αἰσχρότερον τοῦτο τῶν ὅπλων ἐστίν. ἵνα μὴ κακίας μᾶλλον, ἢ ἀρετῆς ἐξηγεῖσθε τοῖς νέοις. καὶ εἰ μὴ τοῖς λόγοις, ἀλλὰ τοῖς πράγμασιν, οἷς γάρ τις χαίρει γινομένοις, ταῦτα συμβουλεύει καὶ σιωπῶν. Ἂν οὕτω ποιεῖτε, ὑμᾶς τε αὐτοὺς ὀνήσετε καὶ ἡμᾶς φίλους ἕξετε. καὶ οὐ ψεύσεσθε τὰς τῶν πεπιστευκότων ἐλπίδας. Οὗτος μοι τῶν ἐπὶ Νικοβούλῳ πόνων μισθός. εἰ δὲ πεῖραν τελεωτέραν λάβοιμεν, τελεωτέραν καὶ τούτων ἀντιδώσομεν τὴν εὐφημίαν. A

Ὑπατίῳ.

* ἐχούσης

Πολλὴν ἐζημιώμεθα χρόνον οὐκ ἔχοντες* τὸ πρῶτον ἐν ἀνδράσι τῆς πρώτης ἐν πόλεσιν. ἔδει γὰρ οἶμαι χυθῆναι τὸ ἀγαθόν, καὶ κοινὸν γενέσθαι τὸ πάντων ὄφελος. ὡς ἂν ἀπείρης τῆς εὐνομίας ἐξ ὕψους, καθάπερ τὰ σπέρματα οἱ τὰς τροφὰς ἡμερώσαντες. ὡς γοῦν τοῖς μύθοις δοκεῖ καὶ τοῖς πλάσμασιν, ἐμοὶ δὲ καὶ πλεῖον ἀλγεῖν πάρεστιν, ὅτι τοσοῦτον ἀπολαύσας μόνον, ὅσα καὶ ἀστραπῆς ὀλίγα τὴν ὄψιν περιλαμπούσης, ἔπειτα ἡττήθην τοῦ φθόνου καὶ εἰς ἐμαυτὸν συνεστάλην, ἄλλοις τοῦ κράτους τῆς ἐκκλησίας παραχωρήσας, καὶ τῆς εὐπρεπεστέρας σκηνῆς, ἵν' οὕτως εἴπω, διὰ τοὺς παίζοντας εὐκόλως τὰ μὴ παιδιᾶς ἄξια. Σὺ δέ, ὦ πάντων ἄριστε, τὴν αὐτὴν σῷζε πρὸς ἡμᾶς διάθεσιν. ἥτις κατὰ τὴν μαγνῆτιν, πρὸς αὐτὴν ἕλκει τὰ σιδήρια. B

Διοκλεῖ.

* f. κεκλήμεθα

* ἢ

Οὔτε κεκληρώμεθα* πρὸς τοὺς γάμους τῆς θυγατρὸς ἡμῶν καὶ πάρεσμεν. καὶ συνεορτάζοντες καὶ συμπροθυμούμενοι, καὶ ἐπευχόμενοι πᾶν ὑμῖν ὃ κάλλιστον. ἓν δὲ τῶν καλῶν, παρεῖναι Χριστὸν τοῖς γάμοις. οὗ δὲ Χριστός, εὐκοσμία, καὶ τὸ γενέσθαι οἶνον τὸ ὕδωρ. τὸ δὲ ἐπὶ πάντα μεταποιεῖσθαι εἰς τὸ βέλτιον οὕτως, ὡς μὴ τὰ ἄμικτα μίγνυσθαι. μήτε εἰς ταυτὸν ἐπισκόπους ἄγειν, καὶ γελωτοποιούς. εὐχάς, καὶ κρότους. ψαλμῳδίας, καὶ συναυλίας. δεῖ γὰρ ὥσπερ τἄλλα πάντα. οὕτως καὶ τοὺς γάμους Χριστιανῶν ἔχειν τὸ εὔκοσμον. κόσμον δέ, τῆς* σεμνότητος. ταῦτα δωροφοροῦμεν τῷ γάμῳ. σὺ δὲ ἡμῖν ἀντιδοίης τὴν εὐπείθειαν. τὸν δὲ γαμβρόν, εἰ μὲν ἕπεται τούτοις, ἔχεις υἱόν. εἰ δὲ μή, στρατιώτην. C

Κανδιανῷ.

* κόπτω μὲν οὖν

* κιγκλῖδος

* ἐμπομπεύων.

* σὺν

* οὐ τῷ

* ἐπαινείτωσαν

* τὸ

Πόθεν νῦν οἱ Σοφισταί· τί σιωπῶσιν οἱ περὶ τὴν ποίησιν, τίνας λόγους ἀμείνους ἐπιζητοῦσιν, ἢ τίνα λαμπροτέραν ὑπόθεσιν; νῦν ἔδει, πᾶσαν μὲν ἐπὶ σοὶ κινηθῆναι γλῶσσαν μουσικήν τε καὶ ἐναρμόνιον. πᾶσαν δὲ ὑψηλόν τι καὶ διαπρύσιον, ἠχῆσαι ῥητορικήν, οὐ ταύτῃ μόνον ὅτι χρέος ἁπάντων χρεῶν δικαιότατον. ἄρχοντα δεξιὸν ἀνυμνεῖσθαι τοῖς λόγοις, ἀλλ' ὅτι καὶ τὸν ἐν ἀμφοτέροις ἄκρον, ἀμφοτέροις κοσμεῖν οἰκειότατον. καὶ εἰ μὴ πρὸ χειρὸς τοὺς λόγους ἀνέπαυσα, Νῦν γὰρ δὴ τοῦτο αἰσθάνομαι. καὶ ἐβουλευσάμην ἔφη τις ταχυτέρα, ἢ σοφωτέρα τὸ μὴ πανηγυρίζειν. μηδὲ φοιτᾶν εἰς μέσους φιλοσοφήσας. ὡς τάχα ἂν καὶ τὰς τυρρηνικὰς ὑπερφωνῆσαι σάλπιγγας. ἐρῶ γὰρ μηδὲν τὸν βαιὸν τοῦ Μώμου λίθον εὐλαβηθεὶς κατὰ Πίνδαρον· εἰ μὲν τῆς σιωπῆς ἄδειαν κατεψηφισάμην. D νυνὶ δὲ ὃ πέπονθα ἐπὶ σοί. καὶ ὁποῖόν τι τοὐμὸν χρῆμα, τάχα ἂν γνοίης ἀπ' εἰκόνος τινός. κόπτων μὲν οὖν οἷον* τοὔδαφος τοῖς ποσὶ κατὰ τοὺς θερμοτάτους τῶν ἵππων, καὶ διεσθίω τὰ χαλινά, καὶ τὸ οὖς διανίστημι. πνέω τε θυμὸν ἐκ μυκτήρων, καὶ βλέπω δριμὺ καὶ ἀφρῷ βάλλομαι. μένω δὲ ὅμως εἴσω κιγκλίδος*, οὐκ ἀφιέντος μοι τοῦ νόμου τὸν δρόμον. τί οὖν ἐπειδὴ ταύτῃ δοκεῖ. τί δράσομεν; ἢ παντάπασι καταβαλοῦμεν τοὺς λόγους. καὶ σιωπῇ τὰ σὰ θαυμασόμεθα, παρέντες ἑτέροις τὴν εὐφημίαν. οὐ μὲν οὖν. ἀλλ' ἄλλοι μέν, τἄλλα τῶν σῶν εὐφημούντων. ὅ, τι ἂν ἕκαστος βούληταί τε καὶ δύνηται πάντως δὲ πολλοῖς ἀρκέσεις λόγοις καὶ πανηγύρεσιν. ἐὰν μέρος ἕκαστος τῶν σῶν ἀπολαβὼν εὐφημῇ. οἱ μέν, τὴν διοίκησιν τῶν κοινῶν καὶ τὸ ἐν τούτοις εὐσύνετόν τε ὁμοῦ καὶ φιλόπονον. τίς γάρ, εὑρετὴς τοῦ δέοντος ποριμώτερος, ἢ ἐπιτελέσαι τὸ εὑρεθὲν ἐνεργέστερος; οἱ δὲ τῆς δίκης τὰ τάλαντα καὶ ὡς ὑπὸ λαμπρῷ τῷ φωτὶ διακρίνεις τὰς ἐείδας. ὑψηλός, ὑψηλῶς ἐμποπεύων* τῇ θέμιδι. E τὸ δὲ σοὶ* ξίφος, φοβερὸν μέν, ὡς πλῆξον. ὡς δὲ οὐ πλῆσσον, ἀνάθημα. κρατεῖς γάρ, αὐτῷ* κολάζειν ἁμαρτάνοντας, ἀλλὰ τῷ σπουδάζειν ὅπως οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἁμαρτήσονται. καὶ τῷ πάντας ἡττᾶσθαι τῆς σῆς διανοίας πλέον. ἢ τῆς τῶν ἄλλων δυναστείας, ὧν ἡ θρασύτης τὸ ἔννομον. ἄλλοι θαυμαζέτωσαν τὸ τοῦ λόγου κράτος. εἰ δὲ βούλει, λόγου πᾶν εἶδος ὅσον τε εἰς κρίσιν ἥκει τῶν λεγομένων, καὶ ὅσον εἰς τὴν τοῦ λέγειν δύναμιν. ὁ γὰρ αὐτὸς κρίνειν τε ἱκανὸς λόγον, καὶ εἰπεῖν δυνατώτερος. ὡς τὸ μὲν αὐτῷ καὶ τῶν χρυσῶν εἰκάζεσθαι ψῆφον, ἢ τὸν Ὁμηρικὸν σταθμόν, ὑφ' ἧ κρίνεσθαι συμβαίνει τῶν εὐμηλείων ἵππων ἰσότητα. τὸ δὲ ὑπὲρ τὰς χειμερίους εἶναι νιφάδας ἀγωνοθετοῦντά τε ὁμοίως, νῦν καὶ ἀγωνιζόμενον. πρότερον. ἄλλοι δὲ τὸ αὐστηρὸν ἐπαινείτωσαν* τῷ πράῳ συγκεκραμένον. καὶ τῷ* ἐν τῷ μειλιχίῳ μὴ συμπεπλακὸς οἷα τὰ τῶν λεόντων σκιρτήματα. ἄλλοι τὸ εὐμαθὲς ἢ χρυσὸν καὶ τιμήεντα, μετὰ τῶν

σεμνῶν

A nobis præclarißimè se habebit. Nam & illi satisfaciemus: & te laudabimus. Quòd si etiam hoc nobis concedis, vt te quoque paternè moneam, nec tu pro tua imperandi consuetudine consilium nostrum aspernaris, viri in huiusmodi rebus haud rudis & imperiti sermonem accipe. Tandem aliquando arma deponite, ac fundas, & atrociores hastas, hoc est, linguas, quibus vos mutuò inceßitis & vulneramini, idque applaudentibus ac laudantibus iis, quos vestri studiosos habetis: & quidem eas hoc magis deponite, quòd promptiùs paratiùsque armis telum istud est: ne alioqui vitij potiùs, quàm virtutis, duces adolescentulis existatis, si non verbis, at certè rebus ipsis. Nam quibus rebus, cùm fiunt, quisque delectatur, easdem, etiam tacens, suadet. Hoc si feceritis, tum vobisipsis proderitis, tum nos amicos habebitis, nec spes eorum, qui fidei vestræ se commiserunt, falletis. Atque hæc mihi pro laboribus, Nicobuli causa susceptis, merces sit. Quòd si plenius experimentum sumpserimus, pleniorem etiam his laudem tibi persoluemus.

Hypatio. Epist. 192.

B Diuturno detrimento mulctati sumus, dum scilicet vrbium prima virorum primum non haberet. Oportebat enim, ni fallor, bonum diffundi, omniúmque vtilitatem omnibus communicari: vt ex alto æquitatem spargeres, quemadmodum semina, ij, qui hominum cibos mitigarunt, vt quidem fabulis ac figmentis placet. Mihi verò amplior quoque hinc dolendi causa existit, quòd cùm tantulum duntaxat te potitus essem, quantum fulgetra, strictim duntaxat oculos collustrante, posteà inuidiæ ceßi, & meipsum contraxi, Ecclesiæ imperio, ac speciosæ scenæ (vt ob eos, qui in rebus minimè ludicris facilè ludunt, his verbis vtar) aliis cedens: Tu verò, omnium præstantißime vir, eundem erga nos animum retine, qui magnetis instar ferrum ad se trahit.

Diocli. Epist. 193.

Et si ad filiæ nostræ nuptias minimè vocati, adsumus tamen, & festum simul agitantes, & animi alacritatem præferentes, & vobis optima & pulcherrima quæque optantes. Vnum autem bonorum illud est, vt Christus nuptiis intersit, (porrò vbi Christus est, modestia quoque est) atque aqua in vinum conuertatur, hoc est, vt cuncta in melius immutentur. sic nimirum, vt quæ misceri nefas est, inter se minimè
C misceantur, nec Episcopi cum Sannionibus copulentur, nec preces cum plausibus, nec psalmodiæ cum tibicinum cantibus. Operæpretium enim est, vt, quemadmodum cætera omnia, sic etiam Christianorum matrimonia modesta & composita sint. Modestia porrò in grauitate sita est. Hæc nuptiis munera offerimus: tu verò pro his obedientiam nobis repende. Generum autem, si his obsequitur, filium velim habeas: sin minùs, militem.

Candiano. Epist. 194.

Vbi nunc Sophistæ? Quid tacent Poëtæ? Quos meliores sermones requirunt? aut quam splendidiorem materiam? nunc & linguam omnem musicam & modulatam tua causa moueri, & omnem dicendi facultatem altum quiddam & clarum tinnire oportebat: non hoc tantùm nomine, quòd debitum omnium debitorum iustißimum est, præsidem dextrum atque commodum oratione concelebrare, sed hoc etiam, quod eum, qui summam vtriusque scientiam obtinet, vtroque exornare maximè conuenit. Ac nisi præmaturè studio eloquentiæ finem imposuissem (nunc enim hoc sentio) atque, vt cuiusdam verbis vtar, celeriùs quam sa-
D pientiùs consilium cepissem, hoc scilicet summo studio secutus, vt ne declamatorem agerem, nec in medios hominum cœtus me conferrem, fortasse Tyrrhenicas quoque tubas cantu superassem (dicam enim asperum Momi lapidem, vt cum Pindaro loquar, nihil veritus) nisi effœtas meas vires silentio mulctassem. Nunc quod tua causa mihi accidit, & cuiusmodi sit res mea, per imaginem quandam fortasse intelliges. Ego enim ferocißimorum equorum in morem pedibus quidem solum ferio, ac frænum exedo, & aures erigo, atque furorem è naribus spiro, acrémque vultum præfero: ac spuma impellor: nihilominùs tamen intra cancellos maneo, lege nimirum currendi potestatem mihi minimè faciente. Quid igitur: quoniam ita placet, quid faciemus? An omnino sermones abiiciemus, tacitique tuas virtutes admirabimur, laudationis munere aliis relicto? Minimè profectò. Verùm alij sanè, prout cuiusque voluntas aut facultas tulerit, alias virtutum tuarum partes laudibus vehant. Omnino autem multis sermonibus atque concionibus suffeceris. si quisque partem tuarum laudum celebrandam ac prædicandam assumat: alij nimirum publicorum negotiorum administrationem, atque in his ingenij acumen simul & industriam (quis enim est, qui id, quod in rem futurum sit, aut ingenioſiùs & acutiùs inueniat, aut, quod inuentum est, maiore diligentia & industria exequatur?) alij iustitiæ lances, &
E quo pacto velut sub clara luce controuersias disceptas, altus altè Iustitiam, non secus atque pompa ostentans. Tuus autem gladius terrorem quidem affert, tanquam percussurus: tanquam autem non percutiens, votiuum donum est: Dominaris enim, non tam in peccantes animaduertens, quàm id agens, vt ne omnino quidem peccent: & quia omnes tuæ potiùs menti cedunt, quam aliorum, quibus audacia pro lege est, authoritati ac potentiæ. Alij rursum eruditionis vim admirentur, vel, si mauis, eruditionis genus omne, tam quod ad eorum, quæ dicuntur, censuram ac iudicium attinet, quam quod ad dicendi facultatem. Idem enim ipse iudicium de rationibus ferre potes, & maiorem etiam in dicendo vim obtines: ita vt alterum aureo calculo conformari queat, aut Homericæ amußi, sub qua equorum Eumelij æqualitatem censeri ac perpendi contigit: alterum autem hyemes superet. Pari enim cum laude, nunc certaminis arbitrum agis, ac prius ipse certabas. Alij item seueritatem lenitate temperatam laudibus efferunt, suauitatémque nihil abiectum & consternatum habentem, cuiusmodi scilicet sunt leonum saltus. Alij viribus pollens, & honore præditum aurum, vnà cum

magnificis nominibus, contemptum, atque in effusam fugam à iustitia tua conuersum: res sanè vna ex omnibus auditione ac fide sublimior. Quin Poëta quoque quispiam atque arte liberior & solutior, agricolarum choro coacto, rusticum carmen accinat, demessáque matura spica quàm iucundissimam corollam nectat, vitibúsque hedera & vuis intertextis caput cingat. Agriculturæ nimirum hæc festiua sacra sunt, tuo beneficio rursum ad homines reuersæ. Rupes etiam lac fundant. & fontes mel: ac planta omnis, tam culta, quam agrestis, mitibus fructibus redundet: cuiusmodi scilicet Poëtarum figmenta sunt, cùm terram benignitate aliqua vtentem inducunt. Hæc, inquam, vt dixi, alÿ sanè dicant & effingant. Etenim omne id, quod quemque propriè attingit, non solum premit, vt Lyrico videtur; sed etiam quam maximè oblectare solet. Ego autem, quòd in tuis virtutibus singularem in modum admiror atque amplector, hoc dicam, nimirum quòd temporis difficultate ac molestia sublimiorem te præbeas. Nam cum religione Gentilis sis, ac præsenti Imperatori ea quæ imperÿ sunt præstes: non tamen ita ipsi inseruis, vt temporis adulatores, sed vt ÿ, qui probitatis & honestatis amici sunt, altáque & excelsa mente præditi: atque ita Imperatori quidem defunctoriè obsequeris: patriæ autem beneuolentiam seruas, immortalémque in re mortali gloriam consequeris. Quin illud etiam in tuarum laudum numero ponendum est, quòd in tanta Imperÿ amplitudine, amicitiæ quoque aliquid honoris ac reuerentiæ tribuis, ac tibi à tot tantisque rebus, quas geris, hoc otÿ superest, vt non modò amicorum memineris, sed etiam eos per literas honore afficias, amoremque ac desiderium confitearis, omnésque ad te pertrahas. Pro quibus omnibus rebus hoc tibi à Deo opto, non vt tibi ad gloriam nominisque celebritatem cumulus aliquis accedat (quamuis enim incrementum accipiat Imperium: tamen ad virtutem nihil addi potest) verùm pro omnibus id vnum ac maximum, vt ad nostras Deique partes aliquando te conferas, atque ab iis stes, qui persecutionem patiuntur, non autem ab iis, qui eam inferunt. Quandoquidem hoc quidem temporis cursu distrahitur: illud autem immortalem salutem habet. A B

Lolliano. Epist. 195.

Optimè verò, quòd ad nos te recipis: longo quidem interuallo, sed ita tamen (quod hoc præstantius est) vt res tuæ se habeant ex animi sententia: & quia nos iis curis, in quibus tua causa versabamur, liberasti. Siquidem omnia nobis communia tecum esse ducimus, tam tristia, quam læta & iucunda. Ea enim amicitiæ natura est. Quoniam autem ad nos reuerteris, fac fœlicitatem tuam, vt cuiusdam verbis vtar, amicis tuis impertias. Imperties autem, si dominos consobrinos meos, Helladium & Eulalium, cùm in cæteris rebus familiariter intueri animum induxeris (familiariter autem dico, nisi tu nos pro alienis habes, neque enim maius quicquam habeo, quod dicam) tum etiam, vt alÿ ipsis patroni requirendi sint, minimè patiaris. verùm eis quiduis te præbeas, probum amicum, commodum vicinum, fortem adiutorem, & ne singula enumerem, generosum Lollianum, ac probitatis nomine insignem & nobilem. Illud autem tibi polliceor, si diutius cum eis verseris, ac philosophiæ ipsorum sublimitatem perspicias, fore, vt ipse pro illis alios depreceris. Vsque adeò moribus tuis confido, ac tam ingentem spem habeo, me de iis rebus, de quibus tecum ago, repulsam minimè laturum. C

Valentiniano. Epist. 196.

Carbala per summum scelus eiicimur. Atque, vt Tragœdiæ verbis nonnihil immutatis vtar, eiicimur, non quidem sermone, sed certè reipsa. Multo enim melius erat, tabula publicè proposita nobis secessionem indicere, quam per mulieres, quas è regione nostri collocasti: vitæ grauitatem, & sanctitatem intercidere, ac quotidianum dedecus & maledicentiam adiungens, ab iis proficiscentem, qui libenter faciunt, vt iis, qui ita sibi viuendum proposuerunt, vt nos viuimus, obtrectent. Ac, nisi hoc dictu audax est, nos quoque per Euam è paradiso expulisti. Est quidem facile speciosum aliquem prætextum inuenire, téque excusare, atque æqua dicere videri, nempe nos à te minimè eiici, verùm hinc potiùs honore abs te affici, quòd nobis vicinos esse cupias: addes etiam fortasse, quòd nos amicè, &, vt cognatos decet, complecti, atque etiam aliquem ex amicitia nostra fructum capere. Hoc autem merus sermo est, non res. Vos enim, cùm ad hunc locum acceditis, & excipimus, & amplectimur. Ad domesticum autem fœminarum imperium ita nos proripiemus, vt ad viperinos impetus. Ac nostræ quidem res finem habent. Circumscripti sumus, nosmet colligimus, atque honore afficimus, relictis & manuum nostrarum laboribus, & iis rebus, quarum spe ducebamur, longáque ad sanctos Martyres, excusandi nostri causa, oratione habita. Omnino, & si hæc grauia & acerba sunt, attamen modo superiori nostræ vitæ consentaneo à nobis perferuntur, nec grauiora & molestiora sunt, quàm (quod ferre iussi sumus) ex vrbibus in vrbes migrare. Tu verò, locum quidem velim diutius incolas, quam ÿ, qui priùs eum incoluerunt: castiùs autem ac pudiciùs, quam speramus: vt nec Martyribus contumeliam inferatis, nec ipsi huiusmodi incolatu percutiamini. Illud autem ante omnia prouidete, ne quid durius in eos, qui Martyribus sese consecrarunt, statuatis: ne alioqui, & vobis, & rebus vestris malè consulatis, facultatibus vestris per malam accessionem labem ac perniciem afferentes. D E

Ad eos, qui in Republica versantur. Epist. 197.

Vos mihi ne à Diogenis quidem Sinopensis pera, si vestra tempestate esset, temperaturi esse videmini, verùm ipsi quoque manum iniecturi, artem ipsi obiicientes, philosophicum pallium, baculum, & hoc ipsum, quod ex Philosophiæ præscripto nihil possideret, verùm nunc in hanc, nunc in illam domum commearet, temerè, atque vt sors ferebat, victitans: quippe cùm fratri quoque Theotecno damnũ ex artibus irrogare conemini. Quid primum, aut quid maximum dicam ex iis, quæ iustè pro eo proferri possunt? An quòd Diaconus est? An quòd inops? An quòd extraneus? atq; ad alios potiùs, quã ad nos attinens? An quòd vita & moribus venerabilis, ac Martyrũ sacerdos & inquilinus? Quin ne illud quidẽ vos fugit, quòd etiã vltra vires hospitalitatis studiũ colit. Atq; hoc vnũ fortasse peccat, quòd vnus ex omnibus, qui illic sunt, benignitatis officia, sibi per vim arrogat.

Horum

A σεμνῶν ὀνομάτων ἀτιμασθέντα, καὶ προσβοπάδην εἴξαντα δίκῃ τῇ σῇ. πρᾶγμα μόνον δὴ πάντων, καὶ
ἀκοῆς καὶ πίστεως ὑψηλότερον. ποιητικὸς δέ τις ἀνὴρ καὶ τὴν τέχνην ἄφετος, καὶ αὐτόνομος, καὶ μέλος
ἀγροικὸν προσαδέτωσαν, * γηπόνων χορὸν στησάμενος. καὶ ἀμησάμενος στάχυν ὡραῖον πλεκέτω στέ- *προσαδέτω σοὶ
φανον ὅτι ἥδιστον. ἡμερίδας τε περὶ κεφαλῆς ἐγειρέτω κισσῷ διαπλοκοὺς καὶ βότρυσι. γεωργίας ταῦτα
θαλύσια, διὰ σοῦ πάλιν ἀνθρώποις ἐπανελθούσης, πέσσειν τε γάλα ναόντων, καὶ μέλι κρίνειν. καὶ φη-
σὶν * ἅπαν ἡμέροις κομάτω καρποῖς συμβοφόν τε ὁμοίως καὶ ὥριμον. * οἷα τὰ τῶν ποιητῶν πλάσμα- * φυτὸν * γρ. ὥριον
τα, ὅταν τινὰ ποιῶσι χαριζομένην τὴν γῆν. ταῦτα μὲν, ὅπερ ἔφην, λεγόντων τε καὶ πλαττόντων ἕτε-
ροι. τὸ γὰρ οἰκεῖον ἅπαν, οὐ πεζῇ μόνον ὡς τῇ λύρᾳ δοκεῖ. ἀλλὰ καὶ εὐφραίνειν μάλιστα πέφυκεν. ἐγὼ
δὲ ὁ διαφερόντως, τῶν σῶν ἄγαμαί τε καὶ ἀσπάζομαι, τοῦτο ἐρῶ. ὅτι τῆς οὐ χαιροῦ δυσκολίας, κρείττονα
σεαυτὸν παρέχεις. Ἕλλην μὲν ὢν τὴν θρησκείαν, καὶ τῷ παρόντι κρατεῖ τὰ οὐ κράτους. * ὑπηρετούμενος δὲ, * ὑπηρετούμενος addendum.
οὐχ ὅσα οἱ τοῦ χαιροῦ κόλακες. ἀλλ' ὅσα οἱ τοῦ καλοῦ φίλοι, καὶ μεγαλόφρονες. καὶ τὴν μὲν, τὴν θεραπείαν
B ἀφοσιούμενος. τηρῶν δὲ τῇ παιδὶ τὴν εὔνοιαν. καὶ ἀθάνατον ἐν θνητῷ πράγματι τὴν δόξαν καρπού-
μενος. κἀκεῖνο δέ σου τῶν ἐπαινετῶν, ὅτι καὶ φίλια * τι νέμεις αὐτοῖς ἐν τοσούτῳ τῆς ἀρχῆς ὄγκῳ. καὶ χο- * φιλίᾳ
λὴν ἄγεις ὑπὸ τοσούτων ὧν πράττεις μὴ μεμνῆσθαι μόνον, ἀλλὰ καὶ τιμᾶν διὰ γραμμάτων τοὺς φί-
λους, καὶ τὸν πόθον ὁμολογεῖν, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἕλκειν ἅπαντας, ἀνθ' ὧν ἐπεύχομαί σοι, τῶν μὲν, εἰς εὐδαι-
μονίαν, μεῖζον οὐδέν. κἂν γὰρ προσθήκην ἡ ἀρχὴ λάβῃ, τὴν γε ἀρετὴν λαβεῖν οὐκ ἔνεστιν. ἐν δὲ αὐτῇ
πάντων καὶ μέγιστον, γενέσθαι μεθ' ἡμῶν ποτε καὶ θεοῦ. καὶ τῆς τῶν διωκομένων εἶναι μερίδος, καὶ μὴ τῆς τῶν
διωκόντων. ἐπειδὴ τὸ μὲν, χαιροῦ φορᾷ παρασύρεται. τὸ δὲ, ἀθάνατον ἔχει τὴν σωτηρίαν.

Λολλιανῷ.

Εὖγε ὅτι ἐπανήκεις ἡμῖν. διὰ μακροῦ μὲν, ἀλλ' ὅμως καὶ ὃ τούτου κρεῖττον, ὅτι κατὰ νοῦν πράττων.
καὶ τῶν ἐπὶ σοὶ φροντίδων ἡμᾶς ἠλευθέρωσας. πάντα γὰρ κοινὰ ποιούμεθα πρὸς σὲ, καὶ λύπας
καὶ εὐφροσύνας. τοιοῦτον γὰρ ἡ φιλία. ἐπειδὴ δὲ ἐπανήκεις, μεταδὸς φίλοισι σοῖσι σῆς εὐπραξίας, φη-
σὶν ὁ εἰπών. μεταδώσεις δὲ, εἰ τοὺς κυρίους μου τοὺς ἀνεψιοὺς Ἑλλάδιον, καὶ Εὐλάλιον, καὶ τἄλλα οἰκείως
C ὁρᾷν προθυμοῖο. οἰκείως δὲ λέγω, εἰ μὴ ἄλλους ἡμᾶς πρὸς ἑαυτὸν νομίζοις. οὐ γὰρ οἶδ' ὅτι μείζονα
εἴποιμι, καὶ μὴ ἑτέρων δεηθεῖσαν προστατῶν ἀνάσχοιο. ἀλλὰ πάντα σεαυτὸν παράσχοιο φίλον χρη-
στόν. γείτονα δεξιόν. παραστάτην γενναῖον. ἵνα μὴ καθ' ἕκαστον λέγω τὸν εὐγενῆ Λολλιανὸν, τὸν ἐπὶ κα-
λοκαγαθίαν * γνώριμον, ὑπισχνοῦμαι δὲ εἰ ἐπὶ πλεῖον αὐτοῖς ὁμιλήσαις. καὶ τῆς φιλοσοφίας τὸ ὕψος * καλοκαγαθία
κατίδοις, ὅτι πρὸς ἀλλήλους * ὑπὲρ αὐτῶν πρεσβεύσοις. τοσοῦτον θαρρῶ τῷ σῷ τρόπῳ. καὶ οὕτω * ἄλλους
πολλὰς ἐλπίδας ἔχω μὴ διαμαρτήσασθαι περὶ ὧν αὐτὸς ἐπρέσβευσα.

Οὐαλεντινιανῷ.

Ἐξελαυνόμενα * Καρβάλης ἀνοσιώτατα συγχωρήσομαι γὰρ τὸ τῆς τραγῳδίας μικρὸν ἐναλλά- * Ἐξελαυνόμεθα
ξας. ἐξελαυνόμεθα λόγῳ μὲν, οὐδαμῶς. ἔργῳ δὲ, καὶ πάνυ σφοδρῶς. πολλῷ γὰρ βέλτιον ἦν προ-
γράμματι κηρύξαι τὴν ὑποχώρησιν. ἢ ἐν γυναιξὶν ἡμᾶς ἀντιπροσώπους ἡμῖν συνῳκίσας. τὸ σεμνὸν τοῦ
βίου περικόπτων. καὶ καθημερινὴν ἀσχημοσύνην καὶ βλασφημίαν παραζευγνὺς, παρὰ τῶν ῥᾳδίως ἐ-
D πηρεαζόντων τοῖς οὕτω ζῆν ἑλομένοις, ὥσπερ ἡμεῖς. εἰ δὲ μὴ τολμηρὸν εἰπεῖν, καὶ ἡμᾶς οὐ παραδεί-
σου διὰ τῆς Εὔας ἐκβέβληκας. ῥᾴδιον μὲν γὰρ εὑρεῖν εὐπρεπές τι καὶ ἀφοσιώσασθαι, * καὶ δόξαι δί- * ἀφοσιώσασθαι
καια λέγειν, ὡς οὔτε ἐξωθούμεθα παρὰ σοῦ, καὶ τιμώμεθα γειτνιᾶν ἡμῖν θέλοντος, προσθήσεις δὲ ἴσως,
ὅτι, καὶ δεξιοῦσθαι φιλικῶς τε καὶ συγγενικῶς, καὶ τι παραπολαύειν τῆς φιλίας τῆς ἡμετέρας. τὸ δὲ λόγος
οὐκ ἔργον ἐστίν. ὑμᾶς γὰρ ἐπιδημοῦντας τῷ τόπῳ, καὶ δεχόμεθα, καὶ ἀσπαζόμεθα. οἰκαρχίκης δὲ γυ-
ναικῶν οὕτως ὑποχωρήσομεν, ὥσπερ ἐχιδναίοις ἐπιδρομαῖς. τὸ μὲν οὖν ἡμέτερον, ἔχει πέρας. κατεσοφί-
σθημεν. συνεστάλημεν. ἡμᾶς αὐτοὺς τετιμήκαμεν. * ἀφέντες καὶ πόνους χειρῶν ἡμῶν καὶ ἐλπίδας. καὶ * τετιμωρήκαμεν
πολλὰ τοῖς ἁγίοις ἀπολογησάμενοι μάρτυσι, πάντως εἰ καὶ βαρέα ταῦτα καὶ δύσφορα, ἀλλὰ
καθ' ὁδόν γε οὐ καθ' ἡμᾶς βίου φιλοσοφούμενα. καὶ οὕτω * τοῦ πόλεις ἐκ πόλεων ἀμείβειν. ὃ φέρειν ἐ- * γρ. οὐκ ᾧ
κελεύσθημεν, φορτικώτερα. σὺ δὲ τὸν τόπον οἰκεῖς * μακρότερα μὲν, ἢ κατὰ τοὺς περιοικήσαντας. * οἰκοίης
σωφρονέστερον δὲ, ἢ ἐλπίζομεν, ὡς ἂν μήτε τοὺς ἁγίους ὑβρίζοιτε μάρτυρας. μήτε αὐτοὶ πλήσσοισθε
E τῇ παροικίᾳ. ἐκεῖνο δὲ πρὸ πάντων ἀσφαλίσασθε. τῶν καθιερωμένων τοῖς μάρτυσι φείσεσθε. ἵνα
μὴ κακῶς περί τε ὑμῶν αὐτῶν, καὶ τῶν ἡμετέρων βουλεύσησθε πονηρῷ τῷ ἐπεισοδίῳ τὰ ὄντα φθεί-
ροντες.

Πρὸς τοὺς πολιτευομένους.

Ὑμεῖς μοι δοκεῖτε, μὴ δ' ἂν τῆς Διογένους πείρας, εἰ καθ' ὑμᾶς ἦν, ἀποσχέσθαι τοῦ Σινωπέως, ἀλ-
λὰ κἀκείνῳ τὰς χεῖρας ἐπιβαλεῖν, τέχνην ἐπικαλοῦντες αὐτῷ τὴν βίβωνα, καὶ τὴν βακτηρίαν,
καὶ αὐτὸ τὸ κεκτῆσθαι μηδέν. ἐκ τῆς φιλοσοφίας. ἄλλοτε δὲ ἄλλῃ θύρᾳ προσφοιτῶν εἰκῇ διαζῶν-
τα καὶ ὅθεν ἔτυχεν. ὁπότε καὶ τῷ ἀδελφῷ Θεοτέκνῳ ζημίαν ἐπιβαλεῖν ἐπιχειρεῖτε τὴν ἐκ τῶν τεχνῶν.
τί πρῶτον, ἢ τί μέγιστον εἴπω τῶν ὑπὲρ αὐτοῦ δικαίων. ὡς διάκονός ἐστιν. ἢ ὡς ἄπορος, ἢ ὡς ξένος, καὶ
ἄλλοι * μᾶλλον ἡμῶν προσήκων. ἢ ὅτι τὸν βίον αἰδέσιμος, καὶ τῶν μαρτύρων ἱερεὺς καὶ πάροικος. ἴστε δὲ * ἄλλοις * ὅτι
ὅγε * καὶ ξενοτροφεῖ παρὰ δύναμιν. καὶ τοῦτο ἴσως ἀδικεῖ μόνον. ὅτι μόνος τῶν αὐτόθι βιάζεσθαι * εἶναι Χρη- * βιάζεται

φύς. τούτων ὅ,τι μὲν μέγιστόν ἐστιν, αὐτοὶ κρίνατε. τῷ δὲ ἀνθρώπῳ διὰ πάντα συγχωρήσατε. μὴ δόξῃ τε A
μικρὰ τὸ κοινὸν ὠφελοῦντες· μεγάλα ζημιοῦσθε αὐτοί. γυμνὸν, ὃ δὴ λέγεται, μὴ ἀμφιέννυντες, ἀλλ᾽
ἀποδύοντες.

Θεοτέκνῳ.

* μὴ addendum vel οὐ ἢ leg. pro ἐπὶ

Οἴδαμεν ὅτι χαλεπόν ἐστι προσφάτου τῆς ἀδικίας οὔσης, καὶ τοῦ θυμοῦ ζέοντος, ἐπὶ * παραθῆναι
τοὺς λογισμούς. τυφλὸν γὰρ ὁ θυμὸς καὶ ἡ λύπη. καὶ μάλιστα ὅταν τὸ δικαίως ἀγανακτεῖν πα-
ρῇ. ὅμως ἐπειδὴ καὶ αὐτοὶ τῶν συνηδικημένων ἐσμὲν καὶ συνυβρισμένων, καὶ οὐχ ἧττον ἀγανακτούντων,
διὰ τοῦτο ἐσμὲν δίκαιοι καὶ συμβουλεύοντες μὴ ἀτιμασθῆναι. δεινὰ πεπόνθαμεν. εἰ δὲ βούλει προσ-
θες οἷα μηδεὶς ἄλλος ἀνθρώπων. ἀλλὰ μὴ διὰ τοῦτο καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς ἀδικήσωμεν, μηδὲ τοσοῦτον
εὐσέβειαν μισήσωμεν, ὅσον ἡμῖν οὐ συμφέρει. μέγα ἐστὶ γυνὴ, καὶ τίμιον θυγάτηρ. ἀλλ᾽ οὔπω ψυχῆς τι-
μιώτερον. ἐνθυμήθητι ὅτι νεωστὶ μὲν τῆς χάριτος ἠξιώθης. κίνδυνος δὲ οὐχ ὁ τυχὼν, αἵματι μολῦναι τὴν
δωρεὰν καὶ πάλιν ἄλλης δεηθῆναι καθάρσεως. μὴ τοίνυν ἐπιβουλεύσωμεν ἡμῖν αὐτοῖς. μηδὲ τὴν
παῤῥησίαν τὴν πρὸς Θεὸν ἀποβάλλωμεν, πικροὶ τοῖς ἠδικηκόσι φανέντες. καὶ ὑπὲρ τὸ μέτρον ἀγα- B
νακτοῦντες. ἀφῶμεν τῷ Θεῷ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τοῖς ἐκεῖθεν κολαστηρίοις. ἡμεῖς δὲ φιλάνθρωπον κτη-
σώμεθα τὸν κριτὴν, αὐτοὶ φανέντες φιλάνθρωποι. καὶ συγχωρήσωμεν, ἵνα συγχωρηθῶμεν. καὶ μή σε

* γρ. ἀπατάτω

ἀπάτω * μάταιος λογισμὸς. ὅτι τὸ δικαίως ἐπεξελθεῖν ἀνεύθυνον. καὶ τὸ παραδοῦναι τοῖς νόμοις τὸν
παρανομήσαντα. Εἰσὶ νόμοι Ῥωμαίων, εἰσὶ καὶ ἡμέτεροι. ἀλλ᾽ οἱ μὲν, ἄμετροι, καὶ πικροὶ, καὶ μέχρις αἱ-
μάτων προϊόντες. ἡμῖν δὲ χρηστοὶ καὶ φιλάνθρωποι. καὶ μὴ συγχωροῦντες τι τῷ θυμῷ χρῆσθαι κατὰ τῶν

* ἢ addendū

ἀδικούντων. τούτοις ἐμμείνωμεν. τούτοις ἀκολουθήσωμεν. ἵνα μικρὰ χαρισάμενοι. μικρὰ γὰρ * ἐνταῦ-
θα ζωὴ καὶ οὐ μηδενὸς ἀξία, μεγάλα παρ᾽ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ ἀντιλάβωμεν, τὴν παρ᾽ αὐτοῦ φιλανθρω-
πίαν, καὶ τὰς ἐκεῖθεν ἐλπίδας.

Ἀδαμαντίῳ.

* Ἤτεις

Ἦτως * πυκτία παρ᾽ ἡμῶν εἰς Ῥητορικὴν ἀναβάσκων, ἣν ἡμεῖς κατελύσαμεν, ἐκ Θεοῦ τε καὶ
διὰ θεὸν ἄνω νεύσαντες. ἐπειδὴ ἐχρῆν ποτὲ παύσασθαι παίζοντας ἡμᾶς, καὶ τὰ μειρακίων
ψελλιζομένους, καὶ πρὸς τὴν ἀληθινὴν ἀνακύψαι παίδευσιν. καὶ δοῦναι τῷ λόγῳ τοὺς λόγους μετὰ τῶν C
ἄλλων, ἃ ποτὲ εἴχομεν. κάλλιον μὲν εἰ θεϊκὰς ᾔτεις βίβλους, ἀλλὰ μὴ ταύτας. ἐπεὶ καὶ λυσιτελεστέ-
ρας σοι καὶ οἰκειοτέρας ἐκείνας οἴδαμεν, ἐπειδὴ δὲ τὰ χείρω νικᾷ καὶ μεταπείθειν οὐκ ἔστιν, ἰδού
σοι καὶ τὰ πυκτία παρ᾽ ἡμῶν ἅπερ ζητεῖς. ὅσα τοὺς σῆτας διέφυγε. καὶ τὸν καπνὸν, ὑπὲρ οὗ κατέ-
κειτο, καθάπερ τοῖς ναυτικοῖς τὰ πηδάλια μετὰ τὸν πλοῦν καὶ τὴν ὥραν. σὺ δέ μοι προσεισένεγκε τῆς
Σοφιστικῆς μὴ μικρολόγως, μηδὲ ἀνάνδρως, ἀλλὰ καὶ λίαν ἐπιδεικτικῶς, καὶ γενναίως. ἐπειδὴ καὶ
πολλοῦ ἄξιον ὑμῖν οἱ Κυναίγειροι, καὶ οἱ Καλλίμαχοι, καὶ τὰ τρόπαια Μαραθών τε καὶ Σαλαμὶς.
ὑφ᾽ ὧν αὐτοί τε εὐδαίμονες εἶναι νομίζετε, καὶ ποιεῖν τοὺς νέους. ταῦτα μὲν εἰς τοσοῦτον ἡμῖν παιζέ-
σθω. εἰ καὶ ἔξω τοῦ καιροῦ καὶ τῆς ἡμετέρας προαιρέσεως, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς παλαιᾶς συνηθείας. σὲ δὲ εἴη καὶ
κτήσασθαι ταῦτα, καὶ χρήσασθαι εἰς καλὸν τοῖς κτηθεῖσι. χρήσῃ δὲ οὕτως τοῦ θείου φόβου νικῶντος
τὴν μαλακότητα. ὃν πᾶσι καὶ πανταχοῦ τιμητέον, ὅσον ἐνδέχεται, εἰ καὶ μὴ παντελῶς αὐτὴν ἀπο-
σκευαζόμεθα. εἰ δέ σοι ταῦτα μὲν ὀρθῶς δοκεῖ λέγεσθαι, οὐ φιλόσοφον δὲ εἶναι τὸ τιμὴν τῶν πυ- D

* πάρεχε vel λῦε addendum

κτίων αἰτεῖν, σύ μοι τὰ χρήματα * λύσουσι δὲ οἱ πέμποντες τὴν ἀντίθεσιν.

Θέκλῃ.

* μικρὰν
* ἐμοῦ

Τὴν μακρὰν * σου προσθήκην τοῦ γράμματος ὡς μεγάλην ἐπιστολὴν ἐδεξάμην. ἐμοὶ * γὰρ
ὑμεῖς. καὶ ὑμῶν ἐγὼ, τοῦ πνεύματος οὕτως ἡμᾶς ἁρμόζοντος. τοῦτο εἰδότες, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ

* οὐδένας
* ἡμῶν

ἡμῶν, καὶ περὶ πάντων θαῤῥεῖτε, ὡς οὐδένα * γνησιωτέρους ὑμῶν * εὑρίσκοντες, οὐδὲ μᾶλλον τὰ ἡμέ-
τερα κινδύνους. εἰ καὶ μήπω, μήτε συνήθεια πολλὴ, μήτε πεῖρα τοῦτο ἐδίδαξε. περὶ δὲ τῶν λυπη-
ρῶν τι χρὴ γράφειν, ἢ ὅτι βούλομαι τῆς ἄκρας φιλοσοφίας καιρὸν τοῦτο νομίσαντες, ἐγκαρτερεῖν τοῖς
πάθεσι καὶ οὕτως ἀγωνίζεσθαι πρὸς τοὺς λυποῦντας, ἐπειδήγε ἄλλως οὔτε δυνατὸν, οὔτε ὅσιον.

Τῇ αὐτῇ.

* ἴδομεν
* εἰς
* ὡς

Ἀλγεῖς ὑπολειφθέντων ἡμῶν ὡς εἰκός. ἡμεῖς δὲ πλέον ἐπὶ τῷ χωρισμῷ τῆς σῆς εὐλαβείας,
πλὴν εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ μέχρι σοῦ φθάσαντες, καὶ οὐκ ἐμεμψάμεθα τῷ κόπῳ. εἴδομεν * γὰρ
σοῦ τὸ στερέωμα τῆς ὡς * Χριστὸν πίστεως, καὶ τὴν ἐπαινετὴν ἐρημίαν. καὶ τὸν φιλόσοφον ἰδιασμόν. ὅτι πάν- E
των χωρισθεῖσα τῶν τοῦ κόσμου τερπνῶν, Θεῷ μόνῳ συνέκλεισας ἑαυτὴν, καὶ τοῖς ἁγίοις μάρτυσιν ὡς *
παροικεῖς. καὶ προσήγαγες τῷ Θεῷ, καὶ προσάξεις μετὰ τῶν ἀγαπητῶν σου τέκνων θυσίαν ζῶσαν εὐά-
ρεστον. ταῦτα οὖν ἔστω σοι καὶ παραμυθία τῶν λυπηρῶν. ἐπεὶ καὶ Δαβὶδ ὁ μέγας ἐγκρύπτει τοῖς ἐκεῖθεν
ἀγαθοῖς, εἰς ἃ πέμπει τοὺς λογισμοὺς, τὰ ἐντεῦθεν ὀδυνηρὰ, ὅταν λέγῃ· ὅτι ἔκρυψέ με ἐν σκηνῇ αὐ-
τοῦ ἐν ἡμέρᾳ κακῶν, καὶ οὐκ ἀποτίθεται μόνον τὸ ἀλγεινὸν, ὅταν μνησθῇ τοῦ Θεοῦ, καὶ εὐφράν-
θην. ἀλγοῦσι καὶ οἱ τῷ κόσμῳ προσεστηκότες. καὶ πολὺ πλείονα τῶν Θεῷ δουλευόντων. ἀλλ᾽ ἄ-
μισθον αὐτοῖς τὸ ἀλγεῖν, ἡμῖν δὲ τὸ πάσχειν ἔμμισθον, ὅταν διὰ Θεὸν καρτερῶμεν. φέρε
γὰρ ἀντισταθμήσωμεν τὰ λυπηρὰ τοῖς ἡδέσι. καὶ τὰ παρόντα τοῖς μέλλουσι. καὶ οὐδὲ

πολλο-

A Horum quódnam maximum sit, vosipsi perpendite, homini autem his omnibus de causis parcite: ne alioqui exiguum fisco commodum afferentes, magnum ipsi detrimentum accipiatis, nudum, vt dici solet, non vestientes, sed exuentes.

Theotecno. Epist. 198.

NOn quidem nos fugit, vix aliter fieri posse, quin recente iniuria, ac flagrante adhuc iracundia, ratio perturbetur: Iracundia enim & mœstitia oculo carent: ac præsertim, cùm iure ac meritò quispiam stomachatur. At quoniam ipsi quoque simul læsi & contumelia affecti sumus, nec minùs stomachamur, ob eam causam æquum etiam est consilium nostrum minimè à te contemni. Grauia perpessi sumus. Adde, si lubet, qualia nemo alius mortalium. At ne propterea nobisipsis iniuriam inferamus, nec tantum pietatis odium concipiamus, quantum nobis minimè expedit. Magna res est vxor, & chara res filia: haud dum tamen animæ anteponenda. Veniat tibi in mentem, te Baptismi gratiam recens consecutum esse. Est autem non vulgaris periculi, donum illud cruore contaminare: aliáque rursum purgatione opus habere. Quamobrem ne committa-
B mus, vt nobisipsis insidias tendamus, ac fiduciam quæ ad Deum est, amittamus, dum nosipsos iis, à quibus læsi sumus, acerbos & sæuos præbemus, ac plus æquo indignamur. Hominem Deo & futuris suppliciis relinquamus: nos autem editis benignitatis documentis, iudicis benignitatem nobis conciliemus: atque ignoscamus, vt veniam obtineamus. Nec te inanis hæc cogitatio in fraudem inducat, nempe iustam vltionem culpa carere, nec crimen in eo habere, qui sontem & sceleratum legibus dediderit. Romanis suæ leges sunt: nobis item nostræ. At illorum leges modum excedunt, & acerbæ sunt, atque ad cruorem vsque grassantur: nostræ benignæ & humanæ, nec furore aduersus eos, à quibus iniuriam accepimus, vtendi potestatem nobis facientes. His hæreamus, has sequamur: vt ob exiguum beneficium (exigua enim ac nullius pretij hæc vita est) magna ab ipso Deo, hoc est, ipsius benignitatem & spes futuras recipiamus.

Adamantio. Epist. 199.

LIbros à nobis petis, ad Rhetoricem repubescens, quam nos abiecimus, cum diuino instinctu ac Dei causa in
C cælum oculos ereximus. Siquidem nos aliquando tandem finem ludendi, ac puerili more balbutiendi facere oportebat, atque ad veram eruditionem aspirare, ac Verbo sermones vnà cum iis omnibus, quæ quondam habebamus, muneri dare. Ac pulchriùs quidem faceres, si diuinos libros, non autem hos, scires; quandoquidem illos quoque tibi vtiliores atque aptiores esse scimus. Quoniam autem deteriora superiores partes obtinent, nec à sententia deduci potes, en libros eos à nobis habes, quos postulas, eos inquam omnes, qui tineas effugerunt, fumúmque, supra quem siti erant, quemadmodum nautis gubernacula post nauigationem ac nauigandi tempus. Tu verò sophisticem adhibe, non minutè & ignauè, sed perquàm ambitiosè ac fortiter. Quandoquidem apud vos quoque magno in honore ac pretio sunt Cynægiri & Callimachi, ac Marathonis & Salaminis trophæa: ob quæ & fœlices vosipsos esse existimatis, & fœlicitatem adolescentibus afferre. Atque hæc nobis iocè dicta sint, etiam si à tempore & à nostro instituto alienè, at ex veteri nostra consuetudine. Tibi autem hæc adipisci contingat, & adeptis commodè vti. Sic porrò vteris, si Dei metus (quem ab omnibus & vbique coli oportet) vanitatem, quantum fieri potest, superet, etiam si hanc non omnino excutiamus. Quòd si hæc quidem tibi rectè dici videntur, at minimè philosophicum esse librorum pretium postulare: tu mihi pecuniam solue,
D obiectionem autem tuam soluent pauperes.

Theclæ. Epist. 200.

EXiguum tuum literarum additamentum vt ingentem epistolam accepi. Nam & vos nostri, & nos vestri sumus, Spiritu nimirum nos ad hunc modum copulante. Quod cùm vobis exploratum sit, & pro nobis preces ad Deum adhibete, & de omnibus rebus magno animo estote, ac de nobis illud persuasum habetote, quòd nullos vnquam, qui synceriore erga vos animo sint, nec qui magis res vestras communes sibi esse ducant, reperietis. etiamsi alioqui hoc nec longa consuetudo & familiaritas, nec experientia testatum fecit. De iis autem rebus, quæ vos molestia afficiunt, quid aliud scribere attinet, quàm quòd vos ita comparatos esse volo, vt summæ philosophiæ tempus hoc esse existimantes, in calamitatibus fortem ac tolerantem animum præstetis, atque ita cum iis, qui vobis mærorem inferunt, decertetis, quandoquidem aliàs nec fieri potest, nec fas est.

Eidem. Epist. 201.

E Doles, vt verisimile est, nobis relictis: nos autem magis, quòd à tua pietate disiuncti sumus. Deo tamen gratias agimus, quòd vsque ad te peruenerimus, neque nos suscepti laboris pœnituit. Siquidem tuæ in Christum fidei firmitatem, & laude dignam solitudinem, ac philosophicum secessum perspeximus; nempe quia ab omnibus mundi voluptatibus separata, cum solo Deo, ac sanctis Martyribus, apud quos habitas, teipsam conclusisti, ac Deo vnà cum charissimis filiis tuis hostiam viuentem, gratámque & acceptam obtulisti, atque etiámnum offers. Hæc igitur tuis quoque molestiis solatio sint. Quandoquidem & magnus ille Dauid in futuris illis bonis, ad quæ cogitationes suas mittit, huius vitæ acerbitates occultat, cùm ait: Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum. Nec verò dolores duntaxat & molestias deponit, cùm Deus ipsi in animo ac memoria versatur; sed etiam voluptate afficitur. Memor fui Dei, inquit, & delectatus sum. Dolent etiam qui mundo prorsus addicti sunt, ac multo quidē ampliùs, quàm qui Deo seruiunt. At dolor ipsis mercede caret: contrà dolori nostro merces sua cōstat, cùm Dei causa tolerantiam adhibemus. Age enim molestias cum voluptatibus, & præsentia cum futuris perpendamus: ac ne minimam quidem horum partem illa esse reperiemus. Vsque

adeò læta exuperant. Commodum ergo pharmacum nobis fuerit, cùm in dolore sumus, tum Deum, ac futuræ A
vitæ spes in animum reuocare, atque eodem modo, quo Dauid, affici, hoc est, in tribulatione dilatari, non autem
cogitationum angustiis premi, nec mærore, tanquam nube, obduci, verùm tum maximè spei inhærere, atque ad
cœlestem beatitudinem, quæ iis, qui res aduersas patienti animo ferunt, recondita est, oculorum aciem intendere,
Hac autem potißimum ratione adducemur, vt rerum acerbitates æquo animo perferamus, atque, cùm in dolore
versamur, supra vulgus assurgamus, si, quid Deo promiserimus, & quid, cùm ad philosophiam accederemus,
spe nobis finxerimus, cogitemus. Vtrum opibus abundare, læto & hilari animo esse, atque in hac vita florere,
an contrà, vexari, afflictari, premi, & propter rerum futurarum spem omnia perferre ac sustinere? Hæc nimi-
rum, non autem illa, expectauimus. Quocirca vereor, ne pacta quoque cum Deo inita violemus, cùm & hæc
habere studemus, & illa speramus. Ne, quæso, negotiationem deleamus. verùm hæc, vt illis potiamur, feramus.
Afflixerunt nos ij, qui nos inuisos habuerunt: at nos animum perturbationum seruitute liberum & immu-
nem conseruemus. Ita fiet, vt eos, qui nobis molestiam exhibent, superemus. Quin illud quoque considera, quás-
nam ob res diuexemur. An non propter eos, qui ex hac vita migrarunt? Quidnam autem facientes, gratiam
ab iis inituri sumus? An non illatas iniurias tolerantes? Hoc igitur in eorum gratiam faciamus. Siquidem B
illud persuasus sum, Sanctorum animas res nostras sentire: Præter omnia, & ante omnia, illud nobiscum repu-
temus, absurdum & præposterum esse, cùm nulla necessitas vrget philosophari. In calamitatibus autem phi-
losophiæ expertem apparere, non autem multitudini exemplum fieri, vt gratiarum actionis in rebus lætis &
iucundis, ita etiam tolerantiæ in grauibus & acerbis. Hæc porrò scribo, non vt ignorantem doceam: sed vt
scientem submoneam. Deus autem consolationis, tum te à calamitatibus illæsam custodiat, tum nobis illud
concedat, vt pietatem tuam rursum videamus, resque ipsæ nobis fidem faciant, laborem nostrum haudqua-
quam inanem & irritum fuisse, verùm nos maiorem, quam alios, authoritatem apud te obtinere, atque, vt nos
in calamitatis societatem tecum venimus, ita vicißim te philosophiæ ac patientiæ sociam accepisse. quod qui-
dem fortasse huic nostræ caniciei, ac Dei causa susceptis laboribus, debetur.

Eidem. Epist. 202.

Equidem ipse quoque ad pietatem tuam proficisci parabam, etiam si alioqui, infirma corporis valetudine,
tum vt te inuiserem, tum vt tolerantiæ illius nomine laudibus efferrem, quam in beatißimo fratre tuo adhi- C
bes. neque enim id dubium est. Quoniam autem casu quodam hoc meum iter impeditum est, ad literas venire
necesse habui, vt de tuis rebus tecum paucis philosopher. Vnde, quæso, præclarus noster Sacerdos, syncerus,
inquam, ille, & nunc, & priùs, Dei astes ac minister, ortum traxit? Ex Deo. vbi autem nunc Sacerdos? apud
Deum: postquàm scilicet haud illibenter (hoc probè scio) liuori sese, ac diaboli lucris subduxit. Vnde item nos
ortum duximus? An non indidem? Quónam autem migrabimus? An non ad eundem dominum? atque vti-
nam cum pari libertate ac fiducia. Eiusdem adoratores, & producti sumus, & transferemur: paucis in hac
vita ærumnis ac miseriis exantlatis. siquidem cum futuræ vitæ spe conferantur: ac fortasse vt per ea, quæ per-
pessi sumus, diuinam gratiam intelligamus. Pater, mater, frater, antecessores: quidnam hoc est? Numerus pro-
borum viatorum. Hos, Dei ancilla, & virtutum primitiæ, Thecla, paulo pòst sequetur, postquàm aliquantum
expectarit: tum vt illos per patientiam honore afficiat, tum vt permultis philosophiæ in eiusmodi rebus præ-
standæ exemplum præbeat. Quamobrem eundem dominum laudemus, ipsiusque consilium & dispensatio-
nem, sublimiùs, quàm vulgus soleat, accipiamus. Hæc nostrî loco nunc habe, atque in his cogitationibus
versare: etamsi alioqui meliores ac præstantiores per teipsam inuenias. Quòd si diuino beneficio illud nobis
concedatur, vt te quoque coram, omnémque eum cœtum, qui tecum est, videamus, ampliorem ei, à quo id D
beneficij acceperimus, gratiam habebimus.

Libanio Sophistæ. Epist. 203.

M*Ater patri filium misi. naturalis, inquam, mater, eloquentiæ patri. Vt igitur mihi curæ sit,*
tibi curæ erit.

Eusebio Samosatensium Episcopo. Epist. 204.

E*T cùm scribis, & cùm nostri memor es, lætitia nos afficis: &, quod hoc maius est, cum nobis in literis*
bene precaris. Nos verò, si pro eo atque perpeßiones tuæ, ac pro Christo & Christi causa suscepta dimi-
catio meretur, hoc nobis diuinitus concederetur, vt ad te vsque profecti, pietatem tuam complecteremur, pa-
tientiæ in calamitatibus exemplum abs te caperemus, præclarè nobiscum ageretur. Quoniam autem hoc bono
indigni sumus, vt qui multis afflictionibus & occupationibus exagitemur, quod secundum est, facimus, E
tuámque integritatem ac perfectionem salutamus: téque ne nostri recordatione defatigeris, oramus atque ob-
secramus. Neque enim tuæ literæ, cùm iis abs te donamur, nobis vtilitati duntaxat sunt, sed etiam gloriatio-
ni apud multos atque ornamento: nempe quòd apud virum tanta virtute præditum, tantamque apud Deum
coniunctionem ac familiaritatem habentem, vt alios etiam, tum sermone, tum exemplo, Deo conciliare atque
adiungere poßit, aliquo loco ac numero simus.

Gregorio. Epist. 205.

N*Egotium quidem subisti perquàm suaue atque humanum, cùm contemptoris Glycerij (sic enim adhuc*
scribimus) captiuitatẽ collegisti, communéque nostrũ dedecus, quoad eius fieri potuit, contexisti, Operæpre-
tium est autẽ, vt pietas tua priùs, quónam pacto ipse se gesserit, intelligat, sicq; eũ infamiæ nota liberet. Hic igitur
grauis

A πολλοστὸν μέρος εὑρήσομεν ταῦτα ἐκείνων. τοσοῦτον ὑπερβάλλει τὰ χρηστότερα. καλὸν οὖν φάρμα-
κον ἡμῖν, ὅταν ὀδυνώμεθα, τότε μεμνῆσθαι Θεοῦ καὶ τῶν ἐκεῖθεν ἐλπίδων. καὶ τὸ τοῦ Δαβὶδ πάσχειν,
ἐν θλίψει πλατύνεσθαι. ἀλλά μοι στενοχωρεῖσθαι τοῖς λογισμοῖς. μὴ δὲ ὥσπερ νέφει τῇ λύπῃ καλύ-
πτεσθαι. ἀλλὰ τὸ* μάλιστα τῆς ἐλπίδος ἔχεσθαι. καὶ πρὸς τὴν ἐκεῖθεν βλέπειν μακαριότητα τὴν ἀπο- * τότε
κειμένην τοῖς ὑπομένουσι. μάλιστα δ' ἂν οὕτω πεισθείημεν ἐγκαρτερεῖν τοῖς δεινοῖς, καὶ ὑπὲρ τοὺς
πολλοὺς εἶναι ὅταν ἀλγῶμεν, εἰ ἐνθυμηθείημεν τί ἐπηγγειλάμεθα τῷ Θεῷ. καὶ τί ἠλπίσαμεν ὅτε
φιλοσοφίᾳ προσεβαίνομεν; πλουτεῖν; εὐθυμεῖν; εὐημερεῖν κατὰ τὸν βίον τοῦτον, ἢ ἐκ τῶν ἐναντίων; θλίβεσθαι;
κακοπαθεῖν; στενοχωρεῖσθαι; πάντα στέγειν; πάντα ὑπομένειν διὰ τὴν τῶν μελλόντων ἐλπίδα. ταῦτα, οἶδα,
οὐκ ἐκεῖνα προσεδοκήσαμεν. φοβοῦμαι οὖν μὴ καὶ τὰς συνθήκας τὰς πρὸς Θεὸν ψευδώμεθα. ὅταν
καὶ ταῦτα ζητῶμεν ἔχειν. κἀκεῖνα ἐλπίζωμεν. μὴ καταλύσωμεν τὴν πραγματείαν. ἀλλ' ἐνέγκωμεν
ταῦτα ὑπὲρ τοῦ τυχεῖν ἐκείνων. ἔθλιψαν ἡμᾶς οἱ μισήσαντες; ἀλλ' ἡμεῖς ἀδούλωτον τοῖς πάθεσι τὴν
B ψυχὴν φυλάξωμεν. οὕτω τῶν λυπούντων κρατήσωμεν*. κἀκεῖνο σκόπει διὰ τίνα θλιβόμεθα. οὐ διὰ τοὺς * κρατήσω-
μετασάντας, τί δ' ἂν ποιοῦντες ἐκείνοις χαρισαίμεθα. οὐ καρτεροῦντες, τοῦτο οὖν αὐτοῖς χαρισώμεθα. καὶ μεν.
γὰρ πείθομαι τὰς τῶν ἁγίων ψυχὰς, τῶν ἡμετέρων αἰσθάνεσθαι. ἐπὶ πᾶσι, καὶ περὶ πάντων, ἐκεῖνο λογιζώ-
μεθα. ὅτι τῶν ἀτόπων ἐστὶν, ἔξω μὲν τῆς ἀνάγκης φιλοσοφεῖν. ἐν δὲ τοῖς πάθεσιν ἀφιλοσόφους φαίνεσθαι.
ἀλλὰ μὴ τοῖς πολλοῖς τύπον γίνεσθαι, ὥσπερ τῆς ἐν τοῖς εὐθύμοις εὐχαριστίας; οὕτως καὶ τῆς ἐν τοῖς δει-
νοῖς καρτερίας. ταῦτα γράφω. οὐχ ὡς ἀγνοοῦσαν διδάσκων, ἀλλ' ὡς ἐπισταμένην ἀναμιμνήσκων. ὁ δὲ
Θεὸς τῆς παρακλήσεως, σέ τε ἄβατον φυλάξειε τοῖς πάθεσι, καὶ ἡμῖν γε χαρίσαιτο πάλιν ἰδεῖν σου
τὴν εὐλάβειαν. καὶ διὰ τῶν ἔργων πεισθῆναι ὅτι ὁ κόπος ἡμῶν οὐκ εἰς κενὸν ἐγένετο. ἀλλ' ἐσμέν τι
παρὰ σοὶ πλέον τῶν ἄλλων, ὡς τῆς θλίψεως ἐκοινωνήσαμεν. οὕτω καὶ τῆς φιλοσοφίας κοινωνὸν
λαβόντες. ὃ τάχα τῇ πολιᾷ ἡμῶν ταύτῃ, καὶ τοῖς κατὰ Θεὸν καμάτοις ὀφείλεται.

Τῇ αὐτῇ.

C Ὥρμησα μὲν καὶ αὐτὸς πρὸς τὴν σὴν εὐλάβειαν, καίπερ ἀσθενοῦντος ἡμῖν τοῦ σώματος. ἐπισκεψό-
μενός τε ὁμοῦ, καὶ τῆς καρτερίας ἐπαινεσόμενος, ἣν ἐν τῷ μακαριωτάτῳ ἀδελφῷ σου φιλοσοφεῖς.
τοῦτο γὰρ οὐκ ἀμφίβολον. ἐπειδὴ δὲ ὑπό τινος περιστάσεως ἐκωλύθην, ἀναγκαίως ἦλθον ἐπὶ τὰ
γράμματα, καὶ συμφιλοσοφήσω σοι διὰ βραχέων τὰ σά. πόθεν ὁ καλὸς Σακερδὼς ἡμῖν ὁ γνή-
σιος τοῦ Θεοῦ παραστάτης καὶ νῦν καὶ πρότερον; ἐκ Θεοῦ. ποῦ δὲ Σακέρδως νῦν; πρὸς Θεόν. οὐκ
ἀηδῶς ὑποχωρήσας, εὖ οἶδα, τῷ φθόνῳ, καὶ τοῖς τοῦ πονηροῦ παλαίσμασι. πόθεν δὲ ἡμεῖς; οὐκ ἐκεῖ-
θεν; ποῦ δὲ ἡμεῖς ἀναλυσόμεθα; οὐ πρὸς τὸν αὐτὸν δεσπότην, καὶ εἴθε μετ' ἴσης τῆς παρρησίας. τοῦ αὐ-
τοῦ προσκυνηταὶ καὶ παρηχθημεν, καὶ μεταχθησόμεθα. ὀλίγα ἐνταῦθα κακοπαθήσαντας*, ὥς γε * κακοπαθή-
πρὸς τὴν ἐκεῖθεν ἐλπίδα. καὶ ἴσως ἵνα γνῶμεν τὴν χάριν, ἐξ ὧν ἐνταῦθα πεπόνθαμεν. πατήρ. σαντες
μήτηρ. ἀδελφὸς, οἱ προειληφότες. τί τοῦτό ἐστιν; ἀριθμὸς ἐπαινετῶν ὁδοιπόροι*. τούτοις ἀκολουθήσει καὶ * ὁδοιπόρων.
Θέκλα μετὰ μικρὸν, ἡ τοῦ Θεοῦ δούλη καὶ ἀπαρχὴ τῶν καλῶν. ὀλίγον ὑπομείνασα, ὅσον ἐκείνους τε
D τιμῆσαι τῇ καρτερίᾳ, καὶ πολλοῖς ὑπόδειγμα γενέσθαι τῆς περὶ ταῦτα φιλοσοφίας. ἐπαινῶμεν
οὖν γε τὴν αὐτὴν δεσποτείαν. καὶ δεχώμεθα τὴν οἰκονομίαν τῶν πολλῶν ὑψηλότερον. ταῦτα ἔχε
νῦν ἀνθ' ἡμῶν, καὶ τούτοις σύνεσο τοῖς λογισμοῖς, εἰ καὶ κρείττονας παρὰ σεαυτὴν ἀνευρίσκεις. εἰ δέ σε
καὶ κατ' ὄψιν ἰδεῖν καταξιωθείημεν*, μετὰ παντὸς τοῦ σοῦ καὶ περὶ σὲ πληρώματος, πλεῖον* ἡ χάρις * πλείων
τῷ εὐεργέτῃ.

Λιβανίῳ Σοφιστῇ.

ΜΗτηρ παιδὶ πέπομφα παῖδα. ἢ κατὰ φύσιν τῷ κατὰ λόγους. ὅπως οὖν μοι μελήσῃ, σοὶ μελήσει.

Εὐσεβίῳ Ἐπισκόπῳ Σαμοσάτων.

ΚΑὶ γράφων καὶ μεμνημένος εὐφραίνεις ἡμᾶς. καὶ ὃ τούτου μεῖζον, εὐλογῶν ἐν τοῖς γράμμασιν.
ἡμεῖς δὲ εἰ μὲν ἄξια τῶν σῶν παθημάτων, καὶ τῆς ὑπὲρ Χριστοῦ καὶ διὰ Χριστὸν ἀθλήσεως, κα-
τηξιώθημεν* ἂν, καὶ μέχρις σοῦ γενόμενοι, περιπτύξασθαί σου τὴν θεοσέβειαν καὶ τύπον λαβεῖν τῆς * κατηξιω-
E ἐν τοῖς παθήμασιν καρτερίας.* ἐπειδὴ δὲ ἀνάξιοι τούτου τυγχάνομεν, πολλαῖς θλίψεσι καὶ ἀσχο- θείημεν
λίαις ἐνοχλούμενοι, ὃ δεύτερόν ἐστι ποιοῦμεν. προσαγορεύομεν τὴν τελειότητά σου. καὶ ἀξιοῦμεν μὴ * Hic ali-
κάμνειν σε μεμνημένον ἡμῶν. οὐ γὰρ ὠφέλια* μόνον ἡμῖν τῶν σῶν καταξιοῦσθαι γραμμάτων, ἀλ- quid sub-
λὰ καὶ καύχημα πρὸς τοὺς πολλοὺς, καὶ καλλώπισμα, ὅτι λόγος ἡμῶν ἐστι παρ' ἀνδρὶ τοσούτῳ audiēdum.
τὴν ἀρετὴν καὶ τοσαύτην ἔχοντι πρὸς Θεὸν οἰκειότητα, ὥστε καὶ ἄλλους οἰκειοῦν δύνασθαι καὶ * ὠφέλεια
λόγῳ καὶ ὑποδείγματι.

Γρηγορίῳ.

ΠΡᾶγμα μὲν ὑπέστης ἐπιεικῶς ἥμερον καὶ φιλάνθρωπον. τὴν τοῦ καταφρονητοῦ Γλυκερίου, τέως γὰρ
οὕτω γράφομεν, αἰχμαλωσίαν συναγαγὼν, καὶ τὴν κοινὴν ἀσχημοσύνην ἡμῶν ὡς οἷόν τε συγ-
καλύψας. δεῖ δὲ ὅμως τὴν σὴν εὐλάβειαν μαθοῦσαν τὰ κατ' αὐτὸν, οὕτω λῦσαι τὴν ἀτιμίαν. Οὗτος οὖν

ὁ σοβαρὸς καὶ σεμνὸς ὑμῖν Γλυκέριος, ἐχειροτονήθη μὲν παρ' ἡμῶν τῆς κατ' Οὐηνάσα ἐκκλη- A
σίας διάκονος, ὡς καὶ τῷ πρεσβυτέρῳ διακονήσων. καὶ τοῦ ἔργου τῆς ἐκκλησίας ἐπιμελησόμε-
νος. καὶ γάρ ἐστιν, εἰ καὶ τὰ ἄλλα δύστροπος ὁ ἀνὴρ, ἀλλὰ τὰ περὶ χεῖρας οὐκ ἀφυής. ἐπεὶ δὲ κα-
τέστη, τοῦ μὲν ἔργου τοσοῦτον ἠμέλησεν, ὅσον οὐδὲ τὴν ἀρχὴν γεγονότος. παρθένους δὲ ἀθλίας
συναγαγὼν καὶ ἰδίαν ἐξουσίαν καὶ αὐθεντίαν, τὰς μὲν ἑκούσας προσδραμούσας αὐτῷ. οἶσθα δὲ
τὸ τῶν νέων περὶ τὰ τοιαῦτα πρόχειρον. τὰς δὲ καὶ ἀκούσας ἀγελαρχεῖν ἐπεχείρησε. καὶ Πα-
τριαρχίας ὄνομα καὶ σχῆμα ἑαυτῷ περιθεὶς, ἐξαίφνης ἐσοβαρεύσατο. οὐκ ἔκ τινος ἀκολουθίας δι-
καίας, ἢ εὐσεβείας εἰς τοῦτο ἐλθὼν, ἀλλ' ἀφορμὴν βίου ταύτην, ὥσπερ ἄλλως ἄλλην τινὰ προστη-
σάμενος, καὶ μικροῦ τὴν ἐκκλησίαν πᾶσαν ἀνάστατον πεποίηκε. περιφρονῶν μὲν τὸν ἑαυτοῦ πρεσ-
βύτερον, ἄνδρα καὶ πολιτείᾳ καὶ ἡλικίᾳ αἰδέσιμον. περιφρονῶν δὲ καὶ τὸν Χωρεπίσκοπον καὶ ἡ-
μᾶς, ὡς μηδενὶ* ἀξίους, θορύβων δὲ ἀεὶ καὶ ταραχῶν πληρῶν* τὴν πόλιν καὶ σύμπαν τὸ ἱερα-
τεῖον καὶ τέλος ἵνα τί λόγῳ μικρῷ ἐπιτιμηθῇ παρ' ἡμῶν* καὶ τοῦ Χωρεπισκόπου. πρὸς γὰρ τὸ B
καταφρονεῖν αὐτὸς καὶ τοὺς νέους γυμνάζων εἰς τὴν αὐτὴν ἀπόνοιαν, πρᾶγμα διανοεῖται λίαν
τολμηρὸν καὶ ἀπάνθρωπον, συλήσας τῶν παρθένων ὅσας ἠδύνατο, καὶ νύκτα τηρήσας δραπέ-
της γίνεται. πάνυ σοι δεινὰ ταῦτα φαίνεται; σκόπει καὶ τὸν καιρὸν, ἤγετο μὲν, ἡ ἐκεῖσε σύνοδος.
καὶ πολὺ πανταχόθεν, ὡς εἰκὸς, ἔῤῥει τὸ πλῆθος. ὁ δὲ ἀντεξῆγε τὸν ἑαυτοῦ χορὸν νέος, ἑπόμενον καὶ
περιχορεύοντα, καὶ πολλὴν μὲν κατήφειαν κινοῦντα τοῖς εὐλαβέσι. πολὺν δὲ γέλωτα τοῖς ἀ-
κρατέσι καὶ τὴν γλῶσσαν ἑτοιμοτέροις. καὶ οὐκ ἀρκεῖ ταῦτα, καίπερ τηλικαῦτα ὄντα τὸ μέ-
γεθος. ἀλλ' ἔτι καὶ τοὺς γονεῖς, ὡς πυνθάνομαι, τῶν παρθένων τὴν ἀτεκνίαν οὐ φέροντας, καὶ τὴν
διασπορὰν ἐπαναγαγεῖν βουλομένους, καὶ μετ' ὀδυρμῶν προσπίπτοντας, ὡς τὸ εἰκὸς, ταῖς ἑαυτῶν
θυγατράσι, περιυβρίζει καὶ ἀτιμάζει ὁ θαυμαστὸς νεανίσκος, μετὰ τοῦ λῃστρικοῦ συντάγματος.
ταῦτα μὴ ἀνεκτὰ φανείτω τῇ σῇ εὐλαβείᾳ. καὶ γὰρ κοινὸς πάντων ἡμῶν ὁ γέλως. ἀλλὰ μά-
λιστα μὲν αὐτὸν κέλευσον μετὰ τῶν παρθένων ἐπανελθεῖν. τύχοι γὰρ ἂν τινος φιλανθρωπίας, εἰ
μετὰ σῶν ἐπανήκοι γραμμάτων. εἰ δὲ μὴ, τάς γε παρθένους ἀπόπεμψον τῇ μητρὶ αὐτῶν τῇ ἐκ- C
κλησίᾳ. εἰ δὲ μὴ τοῦτο, τάς γε βουλομένας τυραννεῖσθαι*, μὴ συγχωρήσῃς. ἀλλ' ἐπανελθεῖν τύπω-
σον πρὸς ἡμᾶς ἢ μαρτυρόμεθα Θεὸν καὶ ἀνθρώπους, ὅτι μὴ καλῶς ταῦτα γίνεται. μηδὲ θεσμοῖς
ἐκκλησίας. Γλυκέριος δὲ, εἰ μὲν ἐπανέλθῃ μετ' ἐπιστήμης*, καὶ τῆς πρεπούσης εὐσταθείας, τοῦτο
ἄριστον. εἰ δὲ μὴ, ἔστω πεπαυμένως* τῆς ὑπηρεσίας.

* μηδενὸς
* πληρῶν
* ὑμῶν
* στρηνιᾶσθαι, vel σκεδάννυσθαι
* ἐπιστολῆς
* πεπαυμένος

Τῷ αὐτῷ.

Ἐπέσταλκά σοι καὶ πρώην περὶ Γλυκερίου καὶ τῶν παρθένων. οἱ δὲ, οὐδέπω καὶ τήμερον ἐ-
πανήκασιν. ἀλλ' ἔτι μέλλουσιν οὐκ οἶδα ὅθεν καὶ ὅπως. Οὐ γὰρ ἂν ἐκεῖνο σοῦ καταγνοίην,
ὡς ἐφ' ἡμετέρᾳ διαβολῇ τοῦτο ποιεῖς, ἢ αὐτὸς πάσχοντι* πρὸς ἡμᾶς, ἢ ἄλλοις χαριζόμε-
νος. Ἡκέτωσαν οὖν μηδὲν δεδωκότες*, σὺ γενοῦ τούτου ἐγγυητής. καὶ γὰρ ἀλγοῦμεν τεμνόμε-
νοι τῶν μελῶν, εἰ καὶ κακῶς ἐτμήθησαν. εἰ δὲ ἀντιτείνοιεν, ἐπ' ἄλλοις τὸ βάρος. ἡμεῖς δὲ ἀπο- D
πλυνόμεθα.

* πάσχοντι
* δεδοικότες

Γλυκερίῳ.

Μέχρι τίνος ἀπονοῇ. καὶ κακῶς μὲν, βουλεύῃ περὶ σεαυτοῦ, κινεῖς δὲ ἡμᾶς. αἰσχύνεις δὲ τὸ
κοινὸν τάγμα τῶν Μοναχῶν. ἐπάνελθε οὖν τῷ Θεῷ θαῤῥῶν καὶ ἡμῖν, οὗ τὴν φιλανθρω-
πίαν μιμούμεθα. καὶ γὰρ εἰ πατρικῶς ἐπετιμήσαμεν, ἀλλὰ καὶ συγγνωσόμεθα πνευ-
ματικῶς. ταῦτά σοι παρ' ἡμῶν, ἐπειδὴ πολλοί τε ἱκετεύουσιν ἄλλοι, καὶ πρὸ
τῶν ἄλλων ὁ σὸς πρεσβύτερος, οὗ τὴν πολιὰν αἰδούμεθα καὶ τὴν εὐ-
σπλαγχνίαν. εἰ δὲ μακρυνεῖς ἀφ' ἡμῶν, τοῦ βαθμοῦ πάντως
ἐκπέπτωκας. ἐκπεσῇ δὲ καὶ τοῦ Θεοῦ, μετὰ τῶν με-
λῶν σου, καὶ τῆς στολῆς, οἷς ἄγεις τὰς νέας,
οὐ πρὸς Θεὸν, ἀλλ' εἰς βάραθρον. E

ΤΕΛΟΣ.

Σεπτεβρ. ͵α φ π δ.

A grauis ac venerandus noster Glycerius Vumensis quidem Ecclesiæ Diaconus à nobis creatus est, vt & Presbytero ministraret, & Ecclesiæ opus curaret. Quamuis enim alioqui morosus ac difficilis sit: tamen ad manuum officia haud malè à natura comparatus est. Posteaquam autem Diaconus institutus est, opus quidem perinde contempsit, ac si ne omnino quidem extitisset: coactis autem priuata authoritate atque potentia miseris virginibus, partim suapte ad eum accurrentibus (nec enim te fugit, quàm ad huiusmodi res prompti sint iuuenes) partim inuitis & repugnantibus, gregis imperium sibi arrogare conatus est, ac Patriarchæ nomine atque habitu sibi imposito, statim insolenter se efferre cœpit. non iusta quadam successione aut pietate ad hunc gradum prouectus, verùm hanc rem, vt alius aliam quandam artem, pro victus parandi subsidio sibi proponens, parùmque abfuit, quin Ecclesiam vniuersam euerterit: tum presbyterum suum, virum, & ætate, & vitæ ratione, venerandum, tum Chorepiscopum, ac nos etiam, vt nullius pretij homines, contemnens, tumultibúsque ac perturbationibus vrbem atque vniuersum ordinem sacrum implens. Ac denique (vt leui saltem oratione à nobis atque à Chorepiscopo increpetur) præterquàm quòd ipse contemptorem agit, Iuuenes quoque ad eandem contumaciam exercens, facinus admodum audax & inhumanum excogitat. Virgines, quot-
B quot potuit, per sacrilegium prædatus; atque obseruata nocte fugam capeßit. Hæc ne tibi grauia videntur? Tempus quoque animaduerte. Celebrabatur tum illius loci conuentus, atque ingens vndecunque, vt verisimile est, hominum multitudo confluebat. At hic iuuenis chorum suum ex aduersa parte ducebat, ipsius vestigiis hærentem, ac tripudiantem, atque, vt piis magnum mœrorem, ita petulantibus, & lasciuis, & procaciore lingua præditis, magnum risum excitantem. Neque his contentus, etsi tam atrocibus, & horrendis, virginum etiam parentes, vt audio, suam orbitatem permolesto animo ferentes, atque huiusmodi dispersionem recolligere ac reducere cupientes, & ad filiarum suarum pedes cum gemitibus, vt vero consentaneum est, accidentes, admirandus hic iuuenis, vnà cum prædatoria sua manu contumeliis atque ignominia afficit. Hæc velim ne ferenda existimet pietas tua. etenim hoc ludibrium commune omnium nostrûm est. Verùm maximè quidem eum cum virginibus redire iube. misericordiam enim aliquam fortasse consequetur, si cum tuis literis redeat. Sin minùs, virgines saltem ad Ecclesiam ipsarum matrem remitte. Quòd si ne hoc quidem, at certè eas, quæ redire volunt, ne adhibita vi retineri atque opprimi patiaris, verùm, vt ad nos redeant. Alioqui
C Deum atque homines testamur, hæc minimè rectè fieri, nec ex Ecclesiæ legibus & institutis. Glycerius autem, si cum epistola tua, & congruenti modestia redeat, optimè fecerit. Sin secus, à ministerio submoueatur.

Eidem. Epist. 206.

De Glycerio & virginibus ad te nuper scripsi. At illi ne ad hunc quidem vsque diem redierunt: verùm adhuc morantur, qua de causa, nescio. Neque enim adduci queam, vt hoc existimem, te, vt nos hinc calumniam contrahamus, hoc facere, vel quia offensionis aliquid in nos conceperis, vel vt gratiam ab aliis ineas. Veniant igitur, omni metu posito. De hac re velim te sponsorem interponas. Dolore enim afficimur, membris truncati: etiam si alioqui malè præcisa sunt. Quòd si contrà pugnent, ad alios onus deuoluetur: nos autem manus abluimus.

Glycerio. Epist. 207.

D QVousque audacia & amentia præceps fereris? atque & tibi ipsi malè consules, & animos nostros concitabis, atque vniuersum Monachorum ordinem infamia & dedecore afficies? Redi igitur Deo fretus, ac nobis, qui eius benignitatem imitamur. Nam etsi paterno more succensuimus: at etiam spiritali modo ignoscemus. Ita tecum agemus: quoniam, cùm multi alij tua causa supplicant, tum potißimùm presbyter tuus, cuius & canicie, & misericordia commouemur. Quòd si diutius à nobis te remoues, gradu quidem omnino excidisti, Deo autem etiam excides, vnà cum tuis cantilenis, & stola: quibus rebus adolescentulas non ad Deum, sed ad barathrum ducis.

FINIS.

E

GREGORII NAZIANZENI TRAGOEDIA, SEV POTIVS TRAGICOMOEDIA, A CL. ROILLETO Belnensi versibus Latinis exposita.

ARGVMENTVM.



AVDITA quando post piè poëmata,
Etiam poësim tu piam audire expetis, B
Audi animo alacri nunc secundum Euripidem.
Iam passionem orbi salutarem eloquar,
Vt pleraque inde dicta discas mystica
Ex ore tanquam matris atque virginis,
Suóque Domino Apostoli charissimi.
Nam prima iam prodibit in proscenium
Confecta magnis luctibus, matrem vt decet
Prodire casus tristioris tempore,
Mortísque causam ab initio ingemens, caput
Quod verum vt ipsa dicta sit Verbi parens,
Et immerentem videat ipsum perpeti.
Nam nisi dedisset culpa causam lapsui, C
Iniecta mortis non foret necessitas:
Et ni impulisset nos vafri in fraudem dolus
Serpentis, astu bestiæ, corruptio
Non subsequuta, morbi vt inde addiceret
Nos lege iusta, & ne malum esset integrum,
Manénsque, non esset opus, vt Verbum Deus
Vitæ author, hominem indueret, & mortem innocens
Pateretur, vt contaminatum quod fuit
Integritati liberaliter asserens,
Mortale totum redderet vitæ genus.
Quòd si imminutum parte non vlla sui D
Verbum fuisset, ipsa iam Domini parens
Non extitisset, nec videns innoxium
Dira tolerantem, animi ægra flesset eiulans.
Personæ igitur hæ fabulæ huius sunt mihi:
Casta ipsa mater, castus atque Apostolus,
Quæque Domini assistunt parenti virgines.

FABVLÆ PERSONÆ.

E

Deipara. *Chorus virginum.*
Nuncius. *Semichorus.*
Christus. *Theologus.*
Ioseph. *Nicodemus.*
Magdalene. *Adolescentulus.*
Congregatio pontificum. *Custodia.*
Pilatus.

A DEIPARA.


Vtinam in horto callidus nunquã & vafer
Reptasset anguis, nec dolos in saltibus
Struxisset huius, fraudis artifex draco:
Non lateris vnquam germen, infelix parens.
Mortalium decepta, tantæ audaciæ
Ausa esset ausum, capta rami primulum
Fructu decoro, & attonita animo, ex eo
Vt spem sibi diuinitatis sumeret
Non & vocato fraudem in illam coniuge
Vt ederet ille de arboris fructu nihil
Mox profuturo, pulsa felici ex loco
Addicta sæuæ morti, & æternis malis
B Inauspicato audisset è thoro parens
Tristis sobolis: Ægrè tuum ventrem leuans
Doloribúsque implicita partus, cum tuo
Sudore terram hanc colito duram & asperam:
Accedat illis, & tui consors thori,
Vnáque, miseri & execrati liberi:
Quos sic vt olim pareret in suspiria
Tantum & dolores qui manerent posteros
Vitam in sequentem, iam Deus præscripserat,
Eximia vt esset hinc reconciliatio.
Iam non genus hominum occidisset perditè,
Nec qui mederi tam graui morbo potest,
Impulsus esset vt noua clementia
C Delapsus isthunc in locum, nouo modo
Factus homo, nostræ se cruci submitteret:
Nec mater essem virgo, nec cœlo satum,
Terráque natum, innoxium, natalibus
Purum, trahi iam ad supplicia, misera parens
Audirem, & illo lacerum eum auspicerem modo
Quo nunc inhorreo videns, illa, illa ego
Quæ porto flammam magnam, & ardentem, face
Nulla, quæ adurit, quæ meum cor traiicit
Figitque tanquam gladius alta cuspide,
Fatidico vt ore cuncta præuidens procul
Vates Symeon protulit verè senex.
Tum magna certè tutáque est salus, suo
D Si dissidens nunquam vxor à viro, omnia
Illius effert in sinum, atque vt addecet
Nullius alterius in aures quàm viri,
Concors cui sit, verba prudens excipit.
Infesta contrà cuncta nunc lethaliter
Ruunt, maritum ex quo suum & sui imperi
Decus perenne, gloriámque prodidit.
Quando vetus iniuria parere nouam solet,
Et subsequuntur lachrymas lachrymæ alteræ,
Queis nec modus sit, nec numerus vllus: malo
Nam semper aliud crescit in pugnam comes.
Hinc dedecore confecta natura ingemit
Veneranda, deflens casuum mixta agmina,
E Et non ferendam semper insurgentium
Nouam laborum plus satis propaginem,
Tabescit omni misera lachrymis tempore,
Quod, alia præter grauia duráque, ipsius
Primum parentis læsa noxa, iniurias
Sensit, colentes quæ globum istum posteros
Manent: datámque iureiurando fidem
Dextrámque clamat & Deum testem vocat:
Miseráque didicit à malis, quàm sit graue
Durúmque patrio se solo subducere:
Exosa mundum nil eo grauius videt.
Eo doloris nunc enim tota efferor,
Naturæ vt illuc omnia velim incommoda
Referre, quod habet è cœlo, & terra genus.
Nam misera nondum luctibus finem facit,
Modo ventris edens, modo repentè supprimens
Partum, modo etiam cum, misera, rursum abnuens:
Nam sic voco me eum quasi supra modum
Partum ferentem, nunc prementem te voco:
Nam partum ego sum experta non partum: quî enim
Nomine alio vocare possim, vt quæ parens
Expers laboris & doloris extiti
Integra, & incorrupta, nescia illius
Etiam voluptatis viri quæ ex copula est?
Neque magis vllam sentiens viri notam
Famam exedentem, quam exedere durum solet
Tinctura ferrum. Nemo sustulit mihi
Florem pudoris integrum: Et quî filium
Enixa credar? O stuporem maximum!
Iniuria affectum modo quo cernere
Nunc potero, cùm sim iam meis laboribus
Defuncta, quî fit vt crucier animo tamen?
Vt exilijt gaudio! quando angelus
Sese auspicatus obtulit primum mihi,
Partum futurum nuncians, atque omnium
Soluta veteris cùm genere mortalium
Vincula inimicitiæ sua voce indicans
Miráque lætitia animum exhilarans meum.
Tum non videbar huius ore decipi,
Cœleste cui fidem faceret oraculum:
Partu edituram me meo interea tamen
Non victimam præsagiens, at totius
Regem quasi terræ, polique, concita
More muliebri gaudij vocem indicem
Expectoraui, prosequuta nuncium
Et voce, & ominatione, deferens
Ignes odoros thuris accensi, pij
Quo genere se suffire mystæ prædicant
Zelum æstuantem, & spiritum Deo sacrum,
Modestum amorem charitatémque igneam,
Qua nulla superis victima cadit gratior.
At nescio quæ pectus effodit meum
In me acta cuspis, & ego vel silentio
In noctis altæ, prompta festino gradu
Eram videre quæ mihi charissimo
Iniecta nato crux, & authores mihi
Istæ fuerunt ne prius quàm se dies
Prima extulisset, hinc meum efferrem pedem.
Chorus. Compone corpus nunc, hera ocyus, vt decet.
Deip. Quidnam hoc? frequentes se viri cursũ efferũt
E porta anheli: quid rei? an quod nuncius
Venit cohortis hostium irrepentium?
Chor. Nocturna turba cum tumultu confluit:
Exercitum totam per vrbem conspicor
In nocte opaca plurima armatum face
Et ense multo. Deip. Nescio quis etiam pede
Contendit ad nos turbido, forte vt noui
Quid nunciet nobis, iuuat rescíscere
Ecquid nouarum nuncius rerum aduenit.
Chor. Pudica ô virgo, casta veneranda, ah ah ah.
Crebro quidem tu casta magni nominis
Has inter omnes dicta, quas suo è sinu
Produxit olim terra, quæq; hanc incolunt
Hoc intuentes candidum solis iubar,
Nunc iam misera, beata quæ fueras prius.
Deip. Quid ista trepidatio subita? num quod sua

Manu parat me aliquis scelesta tollere?
Chor. *Non id quidem, verum, tuus quod filius*
Misere à scelestis tollitur. Deip. *Vah, quidnam ais?*
Vt perdidisti me mulier. Chor. *Ego iam quasi*
Non amplius nato manente prospicio tibi.
Deip. *O non ferenda proferens, non impudens*
Os continebis? indecénsque desines
Efferre dictum? namque eum qui semper est,
Quonam ore dicis esse iam non amplius?
Bona verba, quæso, & si tibi est vsus datus
Aliquis loquendi, loquere sicut te decet,
Nec indecora voce dehonesta Deum.
E stirpe germen aurea hoc cedit mihi:
Nouúmque id esset, vt manu mortalium
Effunderetur sic Dei sanguis, mori
Quî possit autem, cui mori nunquam datur?
Illi vt parens sim, sorte qua tamen scio.
Chor. *Miseranda, nescis quo malorum veneris,*
Et ista verba tu tamen seris inscia.
Aurora postquam illuxerit, mortem tui
Nati videbis, nocte quam tota viri
Contaminati sanguine vnà sanciunt.
Et ecce video de grege tui filij
Sectáque quendam, turbido qui pectore
Properanter ad nos dirigit cursum suum,
Vultúque profert quid noui quod nunciet.
Deip. *Et quid noui iam, cuius hic sit nuncius?*
Age ergo, videam anhelus iste quid velit.
Nuncius. *Eheu, pudicas inter & pulcherrimas,*
Atque venerandas prima, virgo eadem & parens
Maria, ah, ah, ah, ah, nos perimus, nec tamen
Quicquid mali, hoc est, ab aliquo hostium venit.
Deip. *Quænã ista vox est? sermo quis, quem detonas?*
Age, expedi hoc mihi, ô puella, inquam, nouus
Quis terror animum sic pauentem concutit?
Chor. *Audisti? an etiam nunc misellam præterit*
Te, qui cateruæ destinatæ sanguini,
Cædique, natum prodiderit innoxium?
Deip. *Ecce aliud autem de integro referes malum.*
Quisnam eius author? num quis est ex intimis?
Cho. *Ille, ille, vita perdita, tum moribus*
Discipulus, ille, inquam, ille qui pecuniæ, &
Ærarij magister, aut potius vorax.
Deip. *Eheu, quòd hoc est, quod nouum malis malũ*
Accedit ad cumulum, si ab his quos credimus
Nobis amicos, nos dati pessum sumus?
Certè ille facinus ausus est audax miser.
Quo crimine autem agens reum illum prodidit,
Perspecta in omnes cuius est benignitas?
Aut quæ furoris causa tam magni fuit?
Cho. *Audi hunc, aperte qui tibi omnia disseret.*
Nun. *Nunc misera, paulo at ante felicissima,*
Audi tibi quæ infausta dicta nuncio.
Deip. *Occidimus, heu, quantũ ex tuis verbis liquet.*
Malorum ades, vt est verisimile, nuncius.
Nun. *Esto malorum, vera quæ noui tamen.*
Quid enim eloquar: postquam nouo pascha modo,
Vt dixit ille, edisset, apposito suis
Apostolis epulo hilari & cœna, suo
Et indicato venditore ænigmate
Verborum, & inde pedibus ablutis gregis,
Ille ex recepto more sibi, montem ocyus
Petiit oliuis consitum, cúmque omnia
Sibi ferenda enunciasset, & sacro
Firmasset omnes quotquot essent mystico, A
Vt cætera taceam, ad Deum hæc precatus est.
Nunc iam, pater mi, gloriam quæ maxima est,
Hanc exhibe: nam quæ perennis gloria,
A te illa tota profluit, mortalium
Hoste perempto clariorem consequar
Et ampliorem quas tuo beneficio
Gentes ego habeo da mihi, quas præmium
Tanquam rei gestæ bene acceptas, tuis
Reddam vicissim manibus actus in crucem,
Meáque factus clarior victoria
Inuita amicos gratus ad conuiuium
O te beatum, ter beatum, inquam, & quater
Cui datum sit omnia hæc exoluere.
At ipse vocem rursus edit vt tonans, B
Clamore cœlum permeante, gloriam
Testatus illam filium qua cingeret,
Hac voce: iam te gloria insignem prius,
Maiore multo & ampliore ornauero.
Hæc insueto cum modo comitum omnium
Aures perculissent, sæpius quo cogeret
Omnes ad hortum, parte qua torrens aquæ
Præterfluebat huc coëgit: perditus
Quem non & ipse callidúsque venditor
Oblitus, alta nocte præuertit, manum
Sicariorum cæde multa insignum
Audacidque dux trahens: qui postquam eò
Venit, vt amicus ad magistrum. Aue Rabi C
Dicens, eum ipsum est osculatus perfidè.
Deip. *Eheu, quis vnquam facinus hoc atrocius*
Patrasset? age, quidnam meus in hunc filius?
Nun. *Nil grauius in eum quicquã, at id solũ intulit,*
Amice quidnam huc aduenis? Tum protinus
Iniectæ in illum barbaræ hinc atque hinc manus.
Ipso relicto, nos alius aliò fugam
Arripuimus. Quin iste Petrus inclitus,
Audáxque, verbis abnegauit hunc suis:
Solus sequutus nil timens, qui pectori
Incubuit huius: quin mihi videor quoque
Audisse quendam clanculum qui perditum
Et veluti solum venditorem heri sui D
His conueniret vocibus demurmurans.
Vah impium scelus, ô miser, nec tu Deum
Metuis nec vllam iuris humani times
Legem, & satorem spiceæ terræ Adamum,
Et patriarchas generis antiqui viros,
Discipulus habitus, tu gregem socium nota
Inuris inhonesta, sic sacrorum principe
Aurum ob auarum vendito, vt tu proderes
Eum cruentis ad necem diram viris.
Nónne ille mentem dixit, & sciuit tuam?
Ea meditari quæ lubens propter cruces
Perfert? At animo qui tuo nullum modum
Tunc adhibuisti, postea iam senties. E
Pium ille certe sustinet patris genus.
Nam nisi is Abraham iureiurando foret
Astrictus, ista non subiret quæ subit.
Nec inde pœnas innocens exolueret,
Nisi certa magni hinc surgeret spes commodi.
At nunc quidem mox ille se terra efferet
Mirabilísque ascendet in cœlum: sile,
Iudicium & idem suscipiet vna suo
Cum patre mœrens & dolens ob noxiam
Solámque populi insaniam audacem sui,

Dauidis

A Dauidis olim vt ore prædictum fuit:
Quem non & ausum etiam ante quicquam præterit,
Qui qua patebit terra, sermone hanc potens,
Immensus opere, magnus & mirabilis
Totam replebit: patris hinc ad gloriam
Sui reuersus, ille mortuis sedens
Viuísque iudex digna factis omnibus
Aequus rependet. Ergo qui vultum illius
Et tu, & tui isti sanguine aspersi viri
Tum perferetis? iusta quæ non perditi
Soluetis illi supplicia? Quin & diem
Hunc ante, pœnas vos luetis debitas,
Nisi abluatis sanguine infectas manus,
B Quas si velitis nunc vel etiam attendere,
Hic ex fluente sibi liquore absterserit.
At tu breui nunc cum scelestorum grege
Expertus istam intelliges audaciam.
Si differendum est, vnicum differ diem
Euentum ad horum quæ metuo valdè tibi,
Verúmque vatem me omnium tibi videris.
Iam proripe hinc te dum licet, curam tui
Ipsius habe, sua ipse rectè viderit.
Tu certè, vt æquum est, iam male malus occides,
Primúmque laqueo in nexili pendens, rues
Imas in vmbras manium, saltu incito,
C Mœrore confectus graui, vt qui innoxium
Prodideris argento, ibi voracis te impetus
Sorbebit ignis, quando pœnam vindicem
Effugere non vis te manent hæc omnia.
Quin ista tibi prædico, non fulgor Dei
Qui consequetur, ora lustrabit tua,
Neque rediuiuum ex mortuis cernes miser.
Eo ipse nam procedis hinc amentiæ
In posterum vt cùm firma tibi capere & bona
Consilia liceat, & relictis omnibus
Ad genua domini procidere, largas genis
Stillare lachrymas, pensilem contrà implices
D Laqueum, viam omnem vocis vt tibi obstruas.
Vt vt sit, ille, si modo nullo excidas
Spe firma, & altum pectus insonet manu,
Seruabit, vt qui gentium nusquam sibi
Exuere poßit insitam clementiam.
Verùm, vt repugnes, non, repugnantem sibi
Adsciscet ille: non enim legem viris
Vim sancit, à quo sit procul tyrannica
Omnis libido: ruptus & fœdißimè
Etiam ipsa rumpes viscera medius crepans.
Sed ista (ne tu forte tibi persuadeas)
Non sic abibunt: te & tuos adhuc manent
Viros cruentos bella, conscios manet
E Ingens calamitas, quam scelesta sentiet
Plebs omnis, siue mortuos tumulus tegat,
Siue intuentes solis æternum iubar,
Quos rapidus ignis corripiet in posterum.
Vox illa certo fluxit ex oraculo.
Audito, Iuda, quis tui infortunij
Status sit, at qui verba nil præter perit,
Nam te, vt resipias, non Deus coëgerit:
Mortalium mens sola quæ re in qualibet
Liberè agat, & semper modestè deligat.
Hæc venditori (vt retuli) verbi, Angelus,
Incertum, an homo quis dixerit, dixit tamen.
Deip. Parens, ò tellus, lucida plagæ ætheris,
Quæ vox nefásque, quod meam aurem perculit?
Potuerit istud à tui assecla gregis
Admitti ô fili facinus, olim quem tuis
Sub inuolucro ostenderis? neque enim artifex
Horum malorum te latuit vnquam. improbe,
Scelerate, namque id liberè de te queo
Efferre, patrasti hæc, vt hunc bene meritum
Sic proderes? tua omnia hæc nequißime
Dæmon, tua hæc sunt. Nam quis à te tam ferum
Dirúmque fecit, vel animo agitauit scelus?
Male huius author quisquis est pereat, manet
Sed pœna vindex turpis & domini comes
Supplicia sceleri debita exoluet suo.
Qui sic iniqua conscius pecunia
Mactare Verbum sustines, etiámne adhuc
Admissa post hæc tam grauia vitam trahis,
Nec triste condis sub specum terræ caput?
Nam te vel imo defodi terræ aggere
Oppressum oportebat, vel igneo aurei
Solis calore & lampade ardente emori.
Proh facinus atrox, impium, infandum, & graue,
Eum alloquor, herum qui suum male prodidit.
Tu tanquam amicus non refugisti tui
Præsentiam domini, ad eum pedem inferens
Venisti, & ita venisti, vt infensißimo
Esses animo in ipsum, & patrem, ac hominum genus.
Quónam ore compulisti eum quem tu male
Iam prodidisses? corde tu piaculum
Tegens, es ore eum allocutus subdolo.
Et author horum sustines solem tamen
Terrámque, ô scelus, hanc intueri perdite.
Non ista fortem, non virum magnum decent,
Os sustinere eius merentem quem bene
Prodideris, huius sed mali primùm caput
Est ipsa, quæ longe malorum est omnium
Inter homines grauißimum impudentia.
Vt verba perdam, commodè de te tamen
Hæc dicta, Namque hæc ad tuum omnia dedecus,
Absis vt hinc tu, siue vitam adhuc trahas.
Siue occidas, animum meum his leuauero.
At tu ipse disces non licet deflens tamen:
Disces enim te digna supplicia ferens.
Iámque adeò ab illis prima quæ sunt ordiar.
Iuda, audi ab illo quæ bona tibi accesserint:
Eduxit hic te erroris è caligine,
Seruauit idem præferens vitæ facem:
Miraculorum contulit donum tibi,
Promisit olim sic futurum vt tu sedens
Cum grege suorum diceres sententiam
Israëliticam in tribum iudex: tuas
Omnem pecuniam in manus concredidit,
Prætextum & omnem sustulit inopiæ tibi,
Dum semper aliquid non eo huius inscio
Furto efferebas: verùm vt is bonus fuit
Non te arguebat voce, vel ne tunc quidem
Iniurius cùm maximè esses, scilicet
Iam te penitus ante facinus & audaciam
Noscens, pedésque lauit infestißimos,
Iurati in hostis dexteram panem ingerens.
His auctus illi rebus ingratißime,
Hunc prodidisti, & cædis eius munera
Es aucupatus, cùm tamen abunde foret.
Quod si te egestas compulisset aspera,
Poteras & illa te mouente cupidius
Tunc fortè ferri, nunc miser prætexere

Causæ nihil poßis, ratio nec ſuppetat,
Qua tu recludens os, tuum excuſes ſcelus.
Nam poſſe nunquam dabitur id tantum tibi,
Non ſi genus totum tibi malorum aduolet
Geniorum, & omnem compleas ſermonibus
Terram doloſis, quando nulli non bonus
Eſt notus, ipſo quod opere omnibus probat.
Sed ſuffocauit te pecuniæ ſitis,
Radix malorum quæ fere extat omnium,
Priórque fruſtra eſt quæ tibi periit fides
Hac mente cùm te conſtet eſſe audes miſer
Conuexa cœli cernere, an non & Deum
Tenere credis ſceptra quæ tenuit prius?
Vel iuſtitiæ etiam manum vanam putas?
O noxium germen, nec vnquam pullulans
Mortalium ex radice, verùm ex robore
Arboris amaræ, quod malus Dæmon prius,
Deinde inuidia, cædéſque, mórſque, & quas alit
Terra alma peſtes protulit: Nam te Deo
Nunquam fatebor eſſe pronatum patre,
Ignara quamuis non ſim, in hominis libero
Poſita omnia eſſe arbitrio, neque enim Deus
Seruare quemquam non volentem ſuſtinet.
Peruerſe, nequam, ſanguinem merum crepans,
Quod bene merente vendito admiſti ſcelus?
Te genitor ipſe, certa quæ ſpes, filij
Flamma peremptum tollat hinc radicitus.
Male pereas qui turpiter violans fidem
Nullius ore dignus, expuendus es.
Nam fraudis etiam reſpuit virum Deus.
Quid, nate in auro figis indices notas
Adulterini, in homine nullam qua queat
Dignoſci an is ſit prauus inſculpis notam
Has ipſe noſcens, nos latere omnes iubes.
Pereat ſceleſtus, pereat, vt petit æquitas.
Abi in malam rem perdite, effere, barbare,
Peri male: at ego filium iam videro
Viuum, licet nunc ingemiſcens plurimum,
Et icta pectus altius pungentibus
Doloribus, ego cæteras miſeras ſupra
Ærumnoſa fundam lachrymas: nam fœminam
Natura fecit promptiorem ad lachrymas.
Chor. *Ah, ah, ah, ah.*
Actum eſt, ô virgo, actum, omnis ablata eſt tibi
Viui videndi in poſterum ſpes filij.
Deip. *Eheu, quid hæc lamenta? quid ſuſpiria?*
Chor. *Neſcio, ſed iſte qui prope adſtat nuncius*
Noui aliquid affert de tuo quod nunciet.
Nun. *Scribæ iſtud vno omnes ſenéſque calculo*
Sanxere, luce hac, natus vt tuus occidat.
Deip. *Eheu, futuri quem mihi timui metus,*
Timénſque luctu intabui dudum, accidit.
Chor. *Quæ verò eum lis gentis Hebrææ, neci*
Addixit, aut quæ iuſta conteſtatio?
Deip. *O fœminæ quas caſus hic etiam manet,*
O fœminæ, inquam, non feretis, nec feram
Ego ipſa, quin proſternam, & in præceps dabo
Corpus, medque functa vita concidam.
Valete iam, valete, nulla ſum amplius.
At tu refer quo genere mortis filius
Damnatus. anne hic calculus fuit, vt manu
Saxis petente concidat miſerè obrutus?
An potior illa credita eſt ſententia
Vt ferro adacto exhalet animam innoxius?

Nun. *Ego commodum, me rure in hanc vrbē intuli* A
De filio tuo aliquid audire expetens.
Fui etenim in illum ſemper affectus bene,
Ex quo illa nota quæ edidit miracula,
Et pulſa ab oculis nocte, lumen reddidit,
Cerno inde turbam concito gradu editum
Locum occupantem, ciuium quendam rogo
Concurſu in iſto quid noui, num quæ hoſtium
Hebræorum in vrbem fama concurrentium
Trepidum excitaſſet hunc tumultum: Num vides
(Ait ille) Ieſum illum prope adſtantem, crucis
Iamiam in periculum vocatum? conſpicor
Tum præter omnem ſpem nouum ſpectaculum,
Et non ferendum: fronte demiſſa tuum B
Mœſtáque ſtantem tacitum, & hos tanquam canes
Auidè inhiantes ſanguini, circum vndique
Curſu ſtrepentes: turba Iudæorum vbi
Frequens ibi adſtitit ſibi non conſona
Pronunciabat prætor, aliena implicans
Temerè, animoque concitus, tandem tuum
Qui filium videret extra noxiam
Culpámque, ſincerum, integrum, calumniis
Prudenter occurrentem, & hos contrà minus
Probaret, vt qui morti iniquæ incumberent,
Quam nulla cauſa, nec ratio prætexeret,
Pronunciauit: Ecquis hîc veſtrum neget
Id ſatius eſſe, non cadere Ieſum, & manu
Dimittere illum, quàm cruentum cædibus C
Vinclis latronem præpeditum publicis?
Id vnum ope vna annixi vt in ligno crucis
Extrema ferre illum, at latronem perditum
Potius oporteat ſolutum emittere.
At prætor iſta cuncta contrà inſiſtere:
Non hæc tamen facundiæ vis extitit
Et gratia, vt vulgum frementem flecteret.
Alius enim clamore fretus maximo,
Et imperita audacia contrà intulit,
Minus approbante iudice tamen ac minus.
Contrà repente inſurgit ingens maximæ
Turbæ tumultus, voce quæ effreni potens D
Altum inſonabat occidendum filio.
Ac in malorum multitudine, improbi
Sententia illa euicit, in ligno, tuum
Extrema natum perpeti quæ cenſuit.
Aurora pulſa nocte vix iubar efferet
Cùm limen extra ianuæ eductum trahent,
Certatim eo turba affluente quo loco
Addictus eſt morti, dies quando hæc ei
Decreta ſumma eſt, qua ſuam exhalet animam.
Deip. *Eheu, malorum quod aperis primum caput?*
Haud dubia video pelagus ingens caſuum,
Tantúmque, quantum prætergere denuo
Non detur olim, aut calamitatis feruidum E
Traiicere fluctum: Hebræa, vah quonam loci
Mens euolabit? meta confidentiæ
Quæ iam futura illius atque audaciæ,
Audet ſceleſta ſi Dei lathum manu?
Sed huius vlla cura non habet anxiam,
Mors vincet illum nulla, qui mortem necat.
Enixa ſum illum, ſed ſcio quonam modo,
Partus dolores quæ graues effugerim:
Hos calamitoſos lugeo tantum impios,
Quos cædis huius, quam nefarie inuidi
Nunc moliuntur, vltio vindex manet.

A Ah ah ah ah.
Inuidia non nunc primùm, at altàs sæpius
Offendit innumeros, tamen non tam grauis
Plaga, ac amicos iam suos Hebraicæ
Offendet illa posteræ stirpis genus.
Chor. Quid ista verba spiritu tanto moues,
Serísque? periit filius tibi, & tamen
Tam crebra iactas. Deip. Vox ô dira quæ excidit?
An non premes os? tu putas mundi istius
Periisse seruatorem? Cho. At hinc tu paululum
Progressa non dignam tui nati crucem
Videbis, & suæ penetrantem iminens
Certamen animæ, licet in illo cernere
B Tantisper eum adhuc mortuum aut viuum semel.
Deip. Heu, quid video, mihi sate Deo, ô nate mi,
Nefariorum traheris, & raperis manu.
In vincla venisti, & volens tu duceris
Alterna soluis vincla qui mortalium.
Ah ah ah ah.
Non nate sunt hæc quæ mihi primùm angelus
Pronunciauit: non ea expectatio.
Cho. At ipsa saltem vatibus consentiunt
cecinere quondam qui scelestorum manu
Esse subeundam hanc filio tuo crucem.
Deip. Ah, misera quid agam? cor dolore deficit.
Et quonam, ô fili, quonam abis? vt ego occidi
C Cuius rei iam gratia tam concito
Cursu euolabis? nuptiæ nunquid tibi
Sunt rursus in Cana, ac eo idcircò pede
Contendis alacri? quò nouo vinum modo
Mutes aqua? ante consequar fili, anne adhuc
Te præstolabor? fare vel verbo vnico,
Tu fare saltem, qui Dei es Verbum patris,
Nec præterito cum silentio tuo
Ancillulam tuam parentem, nunc tuas
Ex ore grato cupio voces, nate mi.
Audire notas, & vicissim reddere.
Concede mihi per ipsum eum tuum patrem
Obtestor, ô fili, mea corpus tuum
D Tractare diuinum manu, sacros pedes
Deo sculari, amplexibus tuis frui.
Eheu, quid hic iam concili captem? meum
Exangue mihi cor concidit: Agite ô comites,
Agite, timorem omnem exuamus ocyus:
Accedite, amplexamini, sermonibus
Excipite vestris, prendite manum dexteram
O me miserrimam, vt fleam multo metu
Repleta: ah ah pessundata misera perij
Amicæ, ô comites, filij vt vultum mei,
Os triste vidi, me emori cupio: grauis
Est omnis illa, quam traho, vitæ mora.
Eheu, quid ego agam? quî manus misera populi
E Fugiam? rudentes hostis omnes explicat,
Tenditque, non est expedita mihi via
Meme extricandi. Quid igitur faciam? modo
Quonam tot obductos mihi laqueos premam?
Chorus. Ne istud quidem video, soror charissima,
Itaque timeo, & id propter ex oculis mihi
Oborta lachryma destuit calentibus.
Tu nos sequuta ponè, clam te proripe:
Contende ad ardua, & grauia, certamen est
Bene præparati, maximique pectoris,
Nos subsequemur te gradu timido, cohors
Nam multa circum cingit hunc animo furens:
Nec est quod illuc ore recto cominus
Nos inferamus, ipsa enim mens turbida
Non iam ferret nos, nec tuum natum sinet
Videre turba hostilis atrox sanguine,
Pronòque in odium animo nimis, acris impetu
Natura mentis barbaræ ingenium ferox.
Ego adeò vereor ne quid illa in te insolens
Statuat, acerbiúsque quidpiam struat,
Attentiúsque hunc intuita, metuo magis
Ne gladio acuto medium hepar transuerberet.
Acerbiorem hinc insolens casum vt feras,
Visceráque nati publicam spargant viam.
Nos paululum à nefariis hinc auiæ
Cernamus atrox efferæ gentis scelus.
Eamus ergo, eamus hac qua saltus est.
Deip. Quando omnibus vobis placent hæc, vincitis.
Abeamus itaque quo videbitur ocyus.
Cho. Nos inde vt è specula edita speculabimur
Deip. Sum misera planè filium nisi video
Summa tolerantem, tumulus antequam hunc tegat.
Sed me expediui plebe, ne quid perferam.
Producta verò vita quid me iuuerit?
O liceat vtinam morte quàm primùm abripi,
Si non honestè mihi datur senescere,
Sperata vt est spes suscitato filio,
Qui tus coactis reddat olim gentibus,
Hebræus ipse quem inuidus sanguis necat,
Sanguis propinquus matris infaustissimæ?
Non patris huius hominis quod carnem induit
Verbi, supra omnem quem scio mortalium
Legem ipsa mater semine absque vllo viri
Peperi dolorum nescia in partu omnium.
Sum fortis animo plurima in spe, vt nunc tamen
Multa ingemiscam cernere hunc pati impotens.
Ego huic parens sum, lege qua tamen scio.
Sed sum imperita vt efferam mysteria,
Cogit tamen me vis doloris anxij
Laxare linguam: iam loco primo eloquar,
Id vnde factum, mater vt primum integrum,
Purúmque corpus vsque in hunc diem geram:
Expers veneris omnis ego sum, quæ vel meæ
Verbo esset auri vel oculo in tabula grauis.
Auersor etenim huiusmodi omnia penitus,
Vt virgineam animam gerens, testémque eum
Facio, latere quem potest rerum nihil,
Quod nec libido me vlla cepit, nec meum
Inuasit animum: vt mentiar, peream male
Infamis atque ignobilis, non & mare,
Non terra corpus, ipse non adeò polus
Meum recipiat, non mei nati manus
Animam perinde ac expeto, & me spes alit,
Quæ vana nunquam me scio deluserit.
Hæc certa cuncta sunt mihi, neque enim loqui
Vltra ista fas est flentem vt adderet, mala
Nam perfero, quæ lachrymas iustas trahunt:
Atque haud scio, an quid preter hæc post perferam,
Primum tamen mihi bona explicanda sunt,
Miseranda magis vt sim malis tot obruta.
Expers thori, eadem virgo permanens eram,
Et quæ modestas fœminas artes decent
In his meam operam collocabam gnauiter,
Deo suam mihi semper in rebus meis
Admetiente & largiente gratiam.
Hoc itaque probrum fœminis impingitur

Siue illud insit, siue non insit, tamen
Male vt audiat quæ se domi non continet.
Hoc ego laborans effugere, primùm domi
Me continebam intra atria ipsa, mulierum
Lepidas repellens cantiunculas, eo
Contenta præceptore Christo, quem mei
Nunc ipsius doctorem habeo mihi, satis
Edocta, quàm res pulchra sit modestia,
Et quam reportet veram vbique gloriam:
Atque vt meæ linguæ silentium, meo
Sic imperabam oculo quietem, haud inscia
Quibus oculos euincerem, quibus etiam
Nonnulla rursus victa placidè admitterem.
At me maritus cùm viri expertem à Deo
Et integram accepisset, idem etiam sacri
Me vincla seruantem pudoris reddidit.
Hæc verba non sunt, testis euentus fuit.
Cùm sic haberent se meæ res, sponde or
Deo: inde miro filium peperi modo,
Quo nulla se peperisse iactet fœmina.
Cho. *Veneranda virgo, honesta, casta, te vnicam*
Has inter omnes terra matres quas habet,
Matrem absque sponso scimus & viro, suas
Hic nulla partes & suam manum obstetrix
Deprædicauit: partus hic diuinus est,
Deúmque partu te edituram nuncia
Vox angeli testata, tum quæ ille editus
Fecit, genus mortale non præ se ferunt.
Proin stupendum hoc, tale si detur pati
Huic, quale generi contigit mortalium.
Deip. *Mirum quidem istud, sed pater si sic iubet,*
Vt maius in homines bonum sese efferat:
Medicina nulla potior in mortem fuit
Qua cuncta tollens sordium contagia
Primo nitori assereret humanum genus.
Et iam optimè rem cedere indicauero.
Nam verbum id, à quo scire mortali influit,
Me matrem obumbans, gratiam omnem contulit.
Ex quo ille figulus finxit è terra patrem,
Hunc arborum cultorem amœna per loca
Errare iussit, quem polo pòst redderet.
At ipse serpens fœmina in fraudem excita
Properauit illum sic loco illo excludere,
Vt & viam omnem, spémque cœli occluderet.
Oppositus illi callido prudens Deus
Id statuit vt sic fœmina ex aluo editus
Mundum hunc subiret, vt manens idem Deus
Indueret etiam membra morti obnoxia:
Mactatus ipse hunc morte mactaret sua
Victor triumphans, & pede vrgeret suo,
Inuecta per quem mors foret mortalibus.
Hæc certa tibi fides sit, in terram excipe
Sic commeantem tu Deum, vt genus hominum
Cœlo bearet, hunc honora, suspice,
Thurísque liba odore, quem iam videris
Hic è sepulchro prosilire non secus
Ac è thoro, mox lucidum in cœlum euehi,
Vt ipse dixit, & sacer vatum chorus
Prædixit: hæc spes est mihi certissima
Hos inter omnes quibus aliqua menti insita:
Nec fallit animum iam futurum quidpiam
Quod gloriosum effulgeat: Suaue id quoque
Est cogitare. At tuta cum permanserit
Mihi spes magis, vah gaudio quanto efferar?

Vt res sit, ipsis obruor malis tamen. A
Præuideo quàm mox sint futura hæc omnia
Validior at spem mœror insurgens premit.
Cho. *O virgo, formæ quæ nitore cæteras*
Præis, puella nobilis, quæ baiulans
Infantem in vtero (vt tu refers) tuo Deum
Thesaurum eodem baiulasti maximum.
Vt noris ista, reliqua nunc etiam vide.
Nam quò præis tu cæteris prudentia,
Hoc certius te prima quæ præuideris
Est vltima æquum nosse, & omnia generi
Hominum ardua hæc sunt inuiáque, soli tibi
Quæ nota matri, scire cui datur abdita.
Deip. *Quàm misera magnis obruor doloribus!* B
Quàm nosco multa, quæ eloqui haud tamen scio:
Quàm stupeo vt illum video sublimem in cruce
Pendentem, vt ipse sponte concidat sua.
O ter, quatérque miseram, ah ah.
Semi. *Quid ergo? quid iam summa perferens ages?*
Deip. *Nescio, nisi quod vnicum solatium*
In morte sit mihi, nisi calamitatibus
Tot me prementibus modum aliquem inuenero.
Spes adeò firma crastino concluditur
Solo die, expectare quem me oporteat,
Vt cura cadat illa quæ misere me habet.
Sed tu nate mi chare, ne me deseras.
Semi. *Lamenta quorsum hæc, si nihil planum facis?* C
Nam & illa dicis quæ metu aures impleant,
Et cogis vt paueam misera, mox adiicis
Quæ me erigunt in spem, sed obscura omnia.
Deip. *At iam nouæ vos proximæ hæ clades manent.*
Semi. *Nunquam carinam ingressa sum nauis, tamen*
Picta ex tabella edocta, verbísque id scio,
Si quando nautis incubat quam perferant
Lenis procella, quisque tum pro se id studet,
Vt à periculo emergat, hic clauo insidet,
At scandit ille vela, malósque ocyus,
Sentinam alius ex haurit, at supra modum
Si pontus intumescit ira exæstuans,
Naui, procellæ arbitrio & casus data, D
Credunt se aquarum fluctibus turgentium:
Sic mala videns horrenda muta sum, & loqui
Dum conor, hæret lingua faucibus meis.
Nam vincit ille qui ex Deo non profluit
Exæstuantis calamitatis impetus.
At te, parentem cui datum est fieri Dei,
Præesse cunctis, tuta semper spes alat.
Dicto sed ex alio aliud dictum incidit:
Quisnam ille rursum quem video recta pedem
Huc ferre? vultu ah quàm seuero lachrymas
Stillante multas prodeuntem conspicor?
Nunc. *O præpotentis filia & mater Dei* E
Verbíque, me æqua mente nuncium excipe:
Inuitus, idem tibi tamen bene cupiens,
Præter vetera, malorum ero nouus nuncius.
Deip. *Quidnã hoc? Inauspicatum id est prœmium.*
Nunc. *O virgo, quid iam, quid loco primo eloquar?*
Acerba, dura, tristia, horrenda, aspera,
Et quæ tua sunt digna cura nuncio,
Puella casta, augusta virgo, quàm dolet
His me molestum lachrymis te prosequi.
Quancunque doctor perferat meus tamen
Crucem, manebit discipuli constans fides.
Deip. *Ecquid nouum de gente Iudæa indicas?*

A Nunc. *Natus tuus, si sic mihi fas est loqui,*
Nunc amplius non est, vel vno temporis
Momento is animam efflauit extremam occidens.
Deip. *Quæ verba sunt hæc? vnde scis? anne ex eo*
Ipso loco? age, dic cedo, quonam tollitur
E luce mortis genere? Christum illum ipsum ais
Patris perennis filium, quem spes erat
Semper futurum, nulla quem mors tolleret,
Iudæa quem gens sibi putaret vindicem?
Nunc. *Postquam vrbe Solymorum relicta, in editū*
Venere stratum plurimis saxis locum
Regem trahentes impiæ turbæ meum.
Statim caterua molis ingentis crucem
B *Cælo minantem egere sursum perditè,*
Egere sursum, & sustulere ad vltimum.
At ille clarum rectus os in æthera
Est actus, vno item altero ramo arboris
Dextram & sinistram extensus, & fixus manus
Clauis acutis, partéque infima pedes.
Sic cùm omnium rerum potentem altam in crucem
Illi impulissent, saxea mole editum
Locum occupantes, alij eum acri arundine
In os petebant, alij aceto spongiam
Plenam offerebant felle commixto oblitam
Hyssopo in illius siti. At verò suis
Qui facta tantum hausere, vocémque auribus
C *Neque testibus oculis fidelibus edita*
Videre magna mirâque, caput hi suum
Mouere frustra, & contudere pectora
Ignara crebro verbere & planctu eminus
Hunc ego sequebar vt mihi dominum, sedens
Saltu in virente qua locus sese dabat.
Pedibus quietus, tacitus, & lingua, omnia
Seruans, vidénsque, visus à nullo tamen
Diræ cohortis impiæque. At te simul
Vidi vt fluentem lachrymis, stantem illico
Huc veni, vt illa indigna quæ cognoscerem
Admissa, fidus indicarem nuncius.
Deip. *Hei hei mihi infelici, hei hei*
D *Ah misera, quid agam? cor mihi omne deficit.*
Ecquid ego adhuc vitam trahens hæc audio?
Et quî feram, isthæc vt misera videam parens?
Ite Galilææ fœminæ terra satæ,
Ite, ite, & illum voce vestra adducite
In terram: Agite iam vos. sodales hunc metum
Omnem exuamus. Cho. *Quin fuga te substrahis*
A plebe potius ne mali quid accidat?
Deip. *Hoccine ego sublato mihi quicquam horream?*
Eamus ergo, eamus, hinc absit pauor:
Hic vita nobis esse quæ suauis potest?
Quin efferamus hinc pedem vt videam mei
Tormenta nati, hei hei mihi miserrimæ.
E *Charæ ô sodales, cerno nil hic filij,*
Vsque adeò forma rara mutata & color.
Dilectæ, ô inquam, filij vt vultum mei
Squallore vidi plurimo & sanie obsitum,
Mors sola votum est, vita, mors tantum mihi:
Agite iam, agite vos, non fero vitam amplius
Qui vita cunctis es datus mortalibus
Communis, ô dilecte fili mi, quid hæc,
Aut quo iure nunc pateris? admissum tibi
Quale istud ob quod tam graues pœnas luis?
Maculata nullo sanguine est tibi manus
Sunt munda labra, membra singula, os doli
Expers, animáque casta, fraudis nescium
Cor omnis, & quî cum latronibus tamen
Te video in alto pendulum ligno, dolo
Non hostis alicuius tibi, aut iniuria?
Amicus heu te discipulus olim tuus
Volens volentem perdidit, quem tu tuis
In pane amicis indicasti perdito
Parcens, vt omne sic malum effugeret: quod ii
Minus etiam nouit cadens in retia.
Ac cuius huc te gratia misit pater?
Et quî te in istud mortis infamis genus
Adegit infelix? facinus heu quàm graue,
Infandum, & atrox video! verùm actum ilicet.
Iniqua, nate, ah, quàm tua hæc mactatio!
Ah, inquam, ah, ah, mi nate, quàm miserè occidis
Nullius in te conscius, verùm eluens
Quam mulier olim prima fecit noxiam.
Scio, scio ista, verùm vt eloquar haud scio.
Nec id fugit me quis breui rerum exitus
Harum est futurus: spes meas vincit dolor
Victáque molorum mole repetita ingemo
Madentque nostræ lachrymis crebris genæ,
Vt molle mulierum omnium est semper genus,
Suspiriorum & fletuum omnium capax.
Christus. *O inter omnes mulier optima, en tibi*
Qui virginali dote præditus, loco
Hunc filij chari habueris tibi. En quoque
O discipule, virgo, parentis in loco
Quam reuerearis. Quid, ô quid, ô mulier, tuos
Sic spargis oculos lachrymis humentibus?
Quid demittis os, triste tam longum ingemens?
Perplexa quid stas fronte penitus turbida,
Cùm te secunda hac sorte maneant omnia?
An me cæterorum expendis ex mortalium
Ritu modóque? congrua hæc sunt omnibus
Propheta quondam quæ ore vero protulit,
Quæque ipse prædixi: Illa nunc venit dies
Pœnas vt insons debitas terra satis
Luam hostibus. Quid ergo tanquam ob filij
Culpam, profundo è pectore gemitus trahis?
Deip. *Ego ista, fatcor, tale nihil animo agitans*
De plebe dixi, tum meo casu excita
In lachrymas prorupi, & id quod iam imminet
Triste subeundum fleui, ea notans omnia
Quæ iam hos manebunt, nate mi, qui te in crucem
Hanc extulerunt: sed dolor firma mihi
Potentior spe. Nam id quidem de te scio
Infesta nobis cuncta damnorum agmina
Facile fugabis morte mortem destruens.
Mox inferorum è tartaro vt caput efferes
Tibi perditorum hominum hoc genus pœnas dabit.
Tenera mulier ad lachrymas promptissima,
Suspiria inde sic trahens quamplurima
Magni doloris icta stimulo lugeo.
Vt peruagetur fama nominis mei
Orbata simul ac sum tuo aspectu mihi
Miro sacróque, concido. Nam ex quo accidit
Præter meam spem facinus animum exulcerans
Sensim meus mihi sanguis in vita effluit
Nil deprecata, nate, iam cupio mori
Deserta, sola extorris agitor, nec mihi
Cognatus vllus frater hic est aut parens,
Ad quem in procella vt portū ad aliquem me applicē.
Quod si videndum te mihi diu negas,

Qua mente tandem perpeti id fili, queam?
Orbam, ô nate mi, quaeso ne me deseras.
Christ. Esto bono animo, nam probè hæc curauero.
Quin tu stude id potius tuum vt semper Deum
Testere, voce qua decet eum prædicans.
Ignara certe es nacta quid tibi sis noui,
Sed dona rursum terra quæ prima & polus
Et quicquid vsquam possidet natum ingeram:
His te beabo plurimorum gratia.
Deip. Credo, tuísque maximam dictis fidem
Habeo, probè iam edocta quàm sint vsui.
Obtestor vnum hoc te tamen, per hanc tuam
Omnem fugantem filius terræ anxij
Metum doloris, & mali duram crucem,
Per hos tuos sacros pedes quos osculor
Materno amore, te misereat nunc mei.
Misereat, inquam, neue desertam omnibus
Miseram me & inopem tu vicissim desere.
Ascribe me tu iam tuæ domesticam
Regioni & ædibus ocyus. quod si haud lubet
Præstare quod tu sanxeris, te per patrem
Id quæso, detur quod scopum attingat, die
Te tertio videam resurgentem, & pede
Mortem triumphali prementem, olim vt tuis
Dixisti amicis sæpius: ita tutior
Mihi videbor, tuque gloriosior
Factus, beati filius felix patris
Tandem approbatus, omnium laudaberis
Et voce, & ore, cura sancta posteris.
Ne tristis ergo pensa vitæ longius
Ego protraham. At crudelium manus hominum
Cruenta, dominum quæ poli, & terræ neci
Demisit, ex merito suo mala sentiat
Olim illa, iusta lance quæ impios manent.
Nam non ego illos vt satos mihi liberos
Materno amore curo, ne clades premat
Qui posteri horum sunt futuri, qui impiam
Cædem suorum nuncient patrum, & scelus.
Sed ipse, ô animæ pars meæ longe optima,
Effice fruantur luce ne læta ætheris
Purum micantis, ne patere quid reliquum
Seminis amati à cæde tranquillum trahi.
Christ. Admitto mulier hæc, nec illa etiã improbo:
Et gratiam istam vt largiar tibi promptius,
Quæ vana non sit, plurimæ causæ mouent:
Hunc ad scopum me dirigens prorsus, tibi
Nusquam abero, damni videris me vindicem
Illati, ab omni libera & cura & metu.
Deip. Papè inclitam mentem tuam, altam, nobilem,
O nate, quàm te nunc grauis dolor premit,
Inuicta mentis sed manet constantia.
Vt tu vsque profers quæ mihi ad prudentiam
Faciant magis, quæ propius expendens scio
Supra modum me stultam, & hinc animum meum
Frustra dolore macerasse & lachrymis,
Dixisse frustra verba quæ dixi impotens.
Semi. Ah, qui frequentes vsqueadeò gemitus meas
Volant in aures? triste tam longum insonans
Hic vnde planctus? audio certe, audio
Vocem doloris indicem tristissimi.
Deum aliquis isthic, dira tanquam admiserit,
Implorat, aliquis dura tanquam perferens
Miserabili fletu Dei auxilium inuocat.
Atqui iste clarus Petrus olim, prosilit
Vultu horrido, atque flebili, animo saucius.
Deip. Quid Petre luges? triste dirúmque id quidem
Quod perpetrasti, non tamen venia excidit,
O nate chare, ô nate mi, ô Verbum Dei
Peccare cùm sit insitum homini, ignoscito
Quod Petrus in te admisit, admissum id metu
Turbæ irruentis, & frementis turbidum.
Christ. Iubeo nihil te hic anxiam, ô virgo parens.
Condono Petro quicquid est lapsus tua
Vel vnius causa, nam & ante etiam tibi
Es me obsequentem experta semper filium,
Quæ tui erat animi gratia integri & pij.
Hæc verba porrò à me tua hinc aufer parens. B
Hoc scito, lachrymis gratiam meam elici,
His arcta scelerum vincla dissolui omnium,
Proinde te hortor & moneo, mortalium
Ne in quenquam odia geras, vel etiam non in hos
Qui me tam iniquam sustulerunt in crucem.
Deip. O ô stupendum nobilis mentis genus
Sic compares te extrema patiens, vt tamen
Non sis iniquo animo in eos qui te neci
Dedere, nihil his excitus succenseas,
Quorum manu sis fixus in ligno crucis?
Nam quis furoris sustineat iram tui
O nate? vel quis turbidum vultum ferat?
Christ. Quin hinc abi iam, atq; hostiũ ex medio eripe. C
Peracta iam sunt de quibus mecum modo
Es collocuta, nec mihi vnquam illa excident,
Et te his molestis vocibus leuauero.
Deip. Ita video facto esse opus: O miserrima,
Ah ah, quid istam mel merum, & suauitas
Iucunda totus, tam tremendam detonas
Vocem? quid istud quod graui oppressus siti
Gustasti amarum, quod sitire te edita
Sic es professus voce? Cho. Qui me perculit
Exceptus aure clamor, omnem sustulit
Mihi pene sensum, & ego inscia id sum quod gemis:
Didicisse vellem, loquere, tum ad me respice,
Hei mihi colorem sic tui oris, & oculi D
Contabuisse quæ fuisset gratiam?
Deip. Silete ô mulieres, perimus funditus:
Comprimite vocem filium vt ego interrogem.
Nam morti eum iam proximum video, & caput
Demisit ille nobile, & linguam suam
Pressit. Age, quid video tuum ô fili, tuum
Exangue corpus mortuúmque conspicor.
Res mira, voce qui sua clamans patrem,
Penetrauit ima terræ hiantis viscera,
Vt tota tellus plena clamore, horridum, &
Triste reboaret, cuius aspectus modo
Omnium oculos vincebat aspectantium,
Vt lumen eius solis æquaret iubar, E
Repente toto lumine extincto occidit.
Quid pateris, aut quo iam modo, ô fili, peris?
Responde, id à te fac supremum vt audiam.
Nam nosse dum mens omnia expetit, in malis
Auida notatur, & satis non prouida,
Æ, æ, æ, æ.
At ista vatum congruunt sermonibus.
Ah, ah, quid inceptem, occido misera penitus.
Iam non serenum cerno vultum filij,
Sic forma rara, sic decens pulchri color
Mutatus oris, ô ferum spectaculum!
Quin corpus etiam exangue tractare horreo.

A Id ipsa luctu perdita astra me docent.
Concussa saxis erutis terræ specus.
Vos,ite,procedite:nequeo enim illum amplius
Sic intueri:casibus vincor meis.
Et vt futura post breui quæ sint sciam,
Tristitia tamen est spe mihi solida prior.
O nate summi regis,ecquid nunc abis
In ditis ædes,debita vt primo patri
Æterna mortis supplicia detorqueas?
Atque hinc repente, vt sponte dimissus tua
Quasi auolasti?audita vox tua ad patrem.
Cuius rei te gratia huc misit pater?
Cur te tam abhorrenda cruce voluit mori?
B Et cur eam quæ te dedit luci parens
Orbam esse cogis? commori liceat tibi
O chare fili:mortuo te quis locus
Excipiet?& quæ terra asylum erit mihi?
Quis hospes ædes in ruentis impetum
In me recludens,corpus istud proteget?
Nullus erit.Ergo paululum expectans diem
Hunc candidum,illustrémque tertium,excitus
Quo te è sepulchro,& morte,rediuiuus mihi
(Dixisti vt olim)appareas,fulta optima
Spe duro:quamuis in crucem actum & mortuum
Te,nate,cernam,non tua tam gratia
Nunc ingemisco quàm mea,quando tui
C Mihi carendum fuerit.hinc nam verius
Sublatus,aliqua parte quàm corruptus es.
Atque vtinam,ô nate,morte mutassem mea
Quam tu subisti.Iam occidi,ô fili mihi
Vitæ voluptas nulla restat funditus.
An oculus atra obducitur caligine?
Interij,& imas noctis æternæ domos
Expecto cupida,nunc mihi nil est prius,
Quàm quæ in obscuro manium latent specu
Terram sub ipsam obducta tenebris plurimis
Subire,quando priuor aspectu tuo.
Quam non ferendum, & quam nefandum pertuli
Misera dolorem modo!vah occidi,occidi.
D Et qui parentem me suam miserrimam
Soletur ille cui gelida mors lucidos
Occlusit oculos morte,vocem sustulit
Te,nate,larga cæteris qui suggeris
Alimenta dextra,nate mi,frustra parens
Eduxi,& olim stulta me laboribus
Non profuturis defatigaui,fuga
Vitare tentans,quos tuæ vitæ,tuum
Primum sub ortum perditi struerent viri
Enses manúsque:verùm id absit,tristius
Vt multa ducam lachrymans suspiria.
Ego tibi mater,more quo tamen scio:
Vnde erigebar maximam in spem,vt me senem
E Adultus aleres,morte defunctam manu
Pia inuolutam linteo vrnæ traderes
Quondam beatam habitam,ô supra mortalium
Natos decore,sed mihi te filio
Extincto illa spes dulcis omnis concidit.
O sermo suauis, gaudium merum mihi
Semper procurans, lumen ô lepidißimum,
O expetita,& singularis candidi
Oris venustas, nulla qua generis prior
Humani,imago picta,nunquam lineis
Ductis ad aliquem pictæ imaginis typum,
Vt nunc es ore tetro & aspectu:horreo
Te conspicata,nec pati aspectans queo.
Quid ore clauso,nate,mutus obtices?
Tu redde vocem aliquam mihi,da quod meam
Soletur ægritudinem,matrem vnico
Affare verbo,nate,miseram atque anxiam.
Agnosco te certe Deum meum,vt feras
Nunc mortem acerbam,vindicem natum mihi
A morte: Mors hæc quam subis est gloriæ
Nunquam occidentis causa, & huius gaudij
Quod maneat ingens stirpis humanæ genus.
Theol. Ponito dolori & luctui modum,ô hera,
Nam non coactus,sponte sed sua occidit,
Vt morte victa cuncta quæ prosterneret
Vindex benignus adsit,& rex præpotens
Et vase in aureo corpus hoc meum coquens
Renoua̅nsque,docta me nouum prudentia
Miráque faciat arte.vbi detergerit
Pestem senectam,carnificis accerrimi
Doloris,is me pube grata vestiet:
Nam nunc senectus peßima omnes opprimit,
Et me malorum pondere senium grauat
Noxa ex parentis veteris.At se liberum
Me redditurum dixit omnibus à malis,
Méque rediturum esse ad meam matre̅, & domum
Terrámque,quam cùm perdidisset,impiis
Diræ,efferaque bestiæ dolis,in hanc
Terram parentem luctuum venit,suo
Cum coniuge ante quem graui cùm iniuria
Notasset ipsa edocta misera casibus
Quam dura res sit fertili terra bonis
Excludi,& eius gratia rei omnia
Tolerare sese velle prædixit:lubens
Hinc passus ipse mortem & idem tertio
Sese sepulchri carcere effracto,die,
Cùm sciret ista protulit palam prius,
Fore rediuiuum,morte deuicta gregem
Charum vt suorum gaudio perfunderet
Magno.Suo iam cuncta præscripto exitu
Hæc indicantur, vna nunc superest dies
Et læta & hilaris,nos eam expectabimus:
Non fallet,aderit,vt dixit:nam tristia,
Qui vera nobis fine declarat suo,
Ostendet idem,tertius postquam dies
Cælo emicabit,gaudium solidißimum.
Túque adeò nosti certius certo omnium
Rerum futurus quis sit olim terminus.
Certe ille luctum,& lachrimas quæ te anxiam
Nunc vlcerant,honoribus clarißimis
Pensabit illa parte qua sese polus
Tellúsque pandit,fama nominis tui
Splendida per omnes orbis oras præpete
Penna euolabit,sacra delubra extruent
Tibi posteri omnes,cædis in diræ locum
Istius,olim terra solenne offeret
Festum,sacrúmque quod prophanum antè extitit
Manu piorum fiet in Solymis solum.
Sic indecentes quæ supra modum fluunt
Lachrymæ.Quid ergo tam impotentes,ô hera,
Gemitus ab imo pectore educis,neque
Oculos grauatos fletibus sursum erigis
Defixa vultus in solum,& madidas genas.
Imbre lachrymarum plurima stillantium?
Quousque tandem lachrymis rigantibus
Terram,caput sic luctuosum deprimes,

Cùm vindicem oculum cuncta cernentis Dei
Scias tibi iam ingens parare gaudium,
Ad quod oculos solùm referre oporteat?
Nam prima dura hæc, vt probè nosti, omnia
Iucunda pulchro fine concludet dies.
Vna, vna tantùm crastina est lux, quæ tibi
Expectanda superest, quæ tuæ curæ modum
Afferat, & illi quæ meum pectus coquit.
Deip. Tu natus alter es mihi ô castißime,
Vt ipse dixit, qui mihi vnus filius.
Hæc cuncta nosti, quid repetere iuuerit,
Ego vt viri expers & dolorum qui solent
In partu acerbi consequi, mater fui,
Eùmque peperi quem Dei natum angelus
Sua vocauit voce, tum facta edidit
Hæc ille genitus, solius quæ sint Dei.
Et quî feram nunc carne nuda, alta in cruce
Hunc conspicata pendulum exanguem, vagas
Qui iußit eminente terra circumagi
Aquas fluentes, cuius ad numen nitor
Obductus omnis solis, & lunæ iubar
Sparsum tenebris? præ metu durißima
Disrupta saxa, aperta monumenta omnia
Quæ numen huius indicarent, & manum
In cuius vnum corpus aliena expetunt
Admissa cuncta, vt innocens pœnas luat?
Theo. Regina verè ô omniū, & domina, & parens
Verbi, vel ipse non ferens spectaculum
Tam dirum & atrox morte sublato mihi
Rerum potente, cassum vt illum lumine
Vidi, vnde ducunt viua cuncta spiritum,
Horrore stupui, & crebra nunc suspiria
Ducens, amaras proruo in lachrymas miser.
Dura hæc, sed inter firma me spes roborat,
Neque domini vllam detraho verbis fidem.
Iam tertia illa lux micans affulserit,
Quæ grata læto spem coronet exitu:
Illa potito nulla mors veniet grauis.
Deip. Ipsum, ego quidem non inscia, diem tertium
Audio futurum qui illum ab omni vindicans
Corruptione, corpus integrum efferat.
Sed hanc acerbam iam video lucem, & diem,
Quæ me beatam olim, facit miserrimam.
Sic omnium res nunc puto mortalium
Nil præter vmbram & liberè id dicam: graui
Quos vulgus hodie ponit in sapientium
Numero, laboris, & operæ, facundiæ
In laude multum qui locant, illi incidunt
In magna damna. Lex enim hæc terra satis,
Vt nemo natura beatus debeat
Dici affluente sorte, si celebrior
Continget vni fama quàm cuidam alteri,
Non is beatus nomine hoc censebitur.
Semi. Nos omnia inter illa quæ terra edita
Animata viuunt, sentiunt, matres sumus
Et triste, & infelix genus planè, quibus
Incumbit ea neceßitas, vt liberos
Postquam pepererint conspicentur mortuos.
Nam ter ego malim funere efferri parens,
Quàm parere semel, & prolis eductæ mihi
Properata fata cernere. At te non idem
Ac me, ô beata virgo, spectat, omnium
Vt fœminarum quæ præis sexum, & genus.
Nam quæ voluptas ex viri lecto mei
Percepta, nunc iam penditur doloribus
Quos ego laborum foueo, mortalem edidi
Non inscia vt fœtum parens, sic protego:
Et nos iniqua mente non pati decet
Natura casus nostra quos nos edocet.
Tu verò, ô virgo, quæ viri nescis thorum
Quæque parituram te Deum audisti angeli
Verbis, eum ipsum mortuum quo fers modo?
Deip. Me sinite, minime grata mihi quæ ingrata sunt.
Quæ nunciauit nuncius felix mihi?
Quæ, quantàque? Illa extra notam sunt omnia
Annunciantis gloriæ lætißima.
Delusa verò an nuncio hoc sim nescio
At certa saltem pignora fidei fero.
Lugere casus lachrymis dignus tamen
Me cogit ægram, ploro multa & ingemo,
Donec resurgens redditus natus mihi
Nunc morte ademptus lachrymas premat.
Semi. Vnum te, ô virgo ignoscere istud conuenit,
Florente si quis pube, & ætate intumens
Robustiore, vana garrit impotens.
Fac istud aures vt tuas præteruolet,
Quanto praeire cæteris mortalibus
Prudentiæ te laude nosti & gloria.
Deip. Ah ah, acerba paßa sum, & luctu graui
Digna, miserandam ô cladem, & immensam, manu
Vsque adeò misera quî necem feram videns?
Egregia certe & nobilis victoria
Quæ parta vobis, pugna nobilis, manum
Totam cruore diffluentem in lachrymas
Adhibere testes, luctuosáque omnia,
Quæ vos vt illa facta quæ sunt impia
Consideretis crux manet? quod si effero
Perstatis animo, nil alentes mollius
Quàm nunc, secunda sorte vos putabitis
Affluere, quando aduersa contrà deprimet.
Non ista certe impune cessura arbitror.
Nam quæ hic honesti forma? quid non impium
Hoc facinus in se continet? quin iam male
Perite quotquot perditi & nefarij
Rerum omnium potente mactato nihil
Curatis vsquam, cuncta cum metu infremant
Ipsa superbi cæde cristas tollitis.
Cho. Hinc inde certe culpa, quis negauerit?
Mortaliúmque vita tota obnoxia est
Curis molestis, quæ licet mole ingruant
Magna malorum, viuere tamen expetunt.
Idem at dolor te non manet virgo ac genus
Mortale, quamuis non tibi id soli accidit,
Vt mors tui te à filij amplexu abstrahat:
Nam partus alius est tuus quàm qui solet
Mortalium esse proinde te ferre omnia
Forti animo oportet, & magis confidere.
Deip. Ah, ah, ah, ah,
Vidi, ô puellæ, de numero satellitum
Quendam, latronum crura qui pendentium
Fregere. stricta filij cor lancea
Tentare: timeo nequid insolens agat,
Nouáque miseram me calamitate obruat,
Vt filium etiam mortuum cernam parens
Petulentiæ expositum hominum, atque iniuriis.
Hei mihi miserrimæ.
Quàm dirum & immane istud est spectaculum

Quod

A Quod insolens video! videte, sanguinem
Videte fossi corporis, & vt fons duplex
Scaturiat eius è latere, vis sanguinis
Promicuit, & aquæ, lanceæ ictus cuspide
Iuuenis vt Ausonij fuit, quin nunc quoque
Inde geminus fons bulliens exæstuat:
Ipse adeò sacrum qui latus fixit, pauens
Horrénsque fato nescio quo, filium
Vere Dei istum mortuum voce edita
Clamauit, & iam cernere hunc licet gradum
Vt celerat ipse, & ante lignum procidit
Premitque terram victus hoc spectaculo
Pectúsque tundit, & solum ipsum amplectitur,
B Vbi fixit hastam defluentis sanguinis
Tinctam liquore: Et ecce vt vtraque è manu
Haurit, oculósque hoc vngit, hinc vt scilicet
Detergat oculum nocte quæ cæca obtegit.
Chor. Nisi meus me fallit animus, imminent
Hoc vel die ipso plurima à Deo mala:
Et iure certe, his qui manu nefaria
Hunc sustulerunt: verùm vtinam in ipsos nihil
Vindex amicos oculus æterni Dei
Tentet. at in istos sanguine aspersos viros
Festinet igne & ense districto minax
Vltio stupendum visu id est miraculum
Adegit ille lanceam in dextrum latus,
C Sed mirus è fosso latere mixtus latex
Sanguine repente effluxit. O spectaculum
Horrendum & atrox, corpus inuadit tremor
Dum cerno: rerum mihi magistra est omnium
Natura, terra euulsa ab imo viscera,
Disrupta saxa, mortuorúmque eruta
Sepulchra. Quin is qui latus fixit tremens
Ante ora fixi tristis idem procidit.
Deip. O nate, mihi charũ & sacrũ imprimis caput
Haccine tua ista est etiam in inimicos tibi
Propensa bonitas? casus hic quas non ciet
Ex ore lachrymas, mortuus quod sanguinem
Effundit illum qui genus hominum expiet?
D Etiam inimici vt ista tam mira & noua
Vident, tremiscunt misere, & horrent: filium
Dei fatentur voce te clara, timent
Et cuncta, rerum vt abditarum nescia.
At generis eius turba quæ te sustulit
Non cogitanda cæde, quæ tuum caput
Cinxisse debuit corona non modo
Quali impudenter cinxit in ludibrium,
Curam sepulchri nullam habet prorsus tui.
Et quo modo te de crucis ligno eruam?
Qua corpus vrna contegam? quo linteo
Inuoluam, & illi more patrio occinam
Lugubre carmen? cuius ô fili manus
E Tibi iusta soluent? quid misera agam? quo meæ
Tandem loco res? Sed quid ita despondeo
Animum? tuis parere me sermonibus
Factísque fas est, teste quæ longe optimo
Certissimóque id indicant, quidquid tibi
Est velle, & illud posse idem. penu Deus
Est plurimorum, nulla quæ mortalium
Spes pollicetur, multa quæ speraueris
Nunquam, ille forti sæpè dextra perficit,
Decreta porrò quæ iam erant, nondum suo
Conclusa fine: Tu rei ergo fac viam
Mihi recludas quæ supra fidem datur

Theol. At ecce celeri progreditur ad nos pede
Iosephus, & habet forte quid nobis noui
Quod nunciet: tum mirum & id, video meam
Spem præter vnà accurrere sotium via
Qui nocte tantum discipulus huius fuit:
Quin illa & humeris gestat omnia quæ iuuent
Demissum vt illum ligno ab erecto eruant.
Virum ô beatum, qui Dei iuxta sui
Arcana vitam commode sanctam exigit,
Et expiatum pectus omnino offerens,
Tum corpus omni sordium labe abluens,
Virtutum honesta cinctus omnium caput
Suum corona, colere festinat Deum.
Nam sobrium esse, & colere numen, iudice
Id omnium longe esse sapientissimum,
Pulcherrimúmque generis humani decus.
Iosep. Audita simul ac vox tua, ô charissime,
Prudente prudens ducta de viro loco
Adsum à remoto, gnauiter mecum afferens
Omnem apparatum quo mihi charissimo
Extrema soluam iusta quæ sunt funeris.
Nam nos eum olim tot viris cultum, decet
Nunc, ô amici, quantum opes nostræ ferent
Amare casum lumine, & colere. Modo
Sed quo alligatum soluere licebit cruce?
Et quo sepulchro tradere hunc? quo linteis
Inuoluere? Et tu me præi iuuenis senem,
Ætate florens, & potens prudentia.
Nam siue lucis, siue noctis nunciæ
Premet, molestus nullus accedet labor
Donec cadauer hoc loco conclusero,
Nouum sepulchrum quo mihi iussi erigi.
Quam conuenit me non genere iunctum affici
Discipulum, ego huius desleo casum, & vicem.
Deip. At iam is præibit optimus dux, & manus
Vestras iuuabit, facilia omnia faciens.
Ioseph. O rem omniũ pulcherrimã, quid tu, ô hera,
Confecta luctu filium iuxta tuum
Sic stas tuorum attonita mole casuum?
Discipulus & pudicus hic solus tibi
Adest, relicto fratre cum grege comitum
Quos nunc sacrorum cura, cultúsque occupat:
Aliorum at istum turba consectantium
Mœrore magno lachrymísque perditi
Fugere pauidi præ metu grandi, coma
Horrente, nihil vt cernerent recentium
Quicquam malorum. Tu hostium contrà, manum
Nil horruisti temeritate turbidam.
Horrore quatior turba quo vergat timens,
Ne infesta spirans sanguinem, dira, effera,
Aliquid noui tentet. Nam vt animus est grauis
Odio obstinato, hæc aure non æqua audiet,
Condi sepulchro morte functum nobili.
Theol. Sic est, furori nam modum nondum suo
Posuere, durat dira sanguinis sitis
Expleta nondum tristia audens omnia.
Iosep. Recte quidem id tu, sed mali non hic tamen
Vis æqua parte est. Theol. Ecquid autem, mi senex,
Ecquid rogo istud: nequid hic celaueris.
Ioseph. Audiui id, ipsi me inserens turbæ, loco
Quo grandiores consident natu sacram
Ad porticum Salomonis, vt nullus tamen
Audire visus, non futurum vt mortuum
Permittat istum turba seniorum dari

Tumulo illiúsque gratia rei, modo
Adiuit illum quem penes loci istius
Omnis potestas. non tamen plane scio,
An iste certa sermo sit dignus fide.
Mallem carere precibus id tamen meis,
Et tanquam amici, dedit vt extinctum efferam.
Theol. *Actum est ferendum si vetus præter malũ,*
Nouum, priusquam nos id expedierimus
Quod pollicetur tertius nobis dies,
Vt luctuosa fine læto & exitu
Inde geminato fœneremus gaudio.
Ioseph. *Non ista natum perpeti feret pater.*
Antiqua cedunt consilia nouis, procul
Cuncta hæc facessunt quæ rata voluit prius.
Persistet ille, nec aberit iustus furor
Eius quod olim dixit, vrbs vt ardeat:
Iam non amicos sed sibi hostes fecerit
Qui lance iusta vindicat pressos pater.
Theol. *Sic me illa matris quam loco habui à filio,*
Quam semper vnam filius colam, adiuuet,
Vt nemo cæde infamis illa protrahet
Iucunda vitæ pensa, nam verè Deum
Prodigia quæ tu multa vidisti & vides
Hunc indicarunt: nocte sol tota obtegens
Iubar decorum visus est tibi at simul
Efflauit animam sponte deprimens caput
Iussa venire morte nutu, quæ nihil
Iuris aliter habitura fuerat, tunc magis
Spectare dira contigit miracula,
Euulsum ab imis manibus terræ solum,
Monumenta mortuorum aperta, saxáque
Prædura vbique fracta: cum vero manu
Adesset hastam qui suam vibrans, latus
Peteret, acutum florida ætate impulit
Ferrum vir adstans (hisce nam excepi auribus
Ictum sonorum, túque adeò plagam grauem &
Sulcum profundum vulneris ducti vides)
Et ille certe lancea fixit latus:
At latere fixo fluxit illicò insolens
Non temperatus sanguis, & mirabilis
Aqua, vt flueret è fonte duplici liquor,
Res mira visu: tum pauidus omnes timor
Inuasit in contactu. At is cui lancea
Fixus erat, horrens, turbidum exclamans, ait,
Iste, iste præsens mortuus, natus Dei est.
At ipsa mater misera cominus cruci
Adstans, profundúmque ingemens, curuo genu
Procumbit, & se lignum ad erectum applicat,
Triste eiulans miserúmque, in amplexum pedum
Fertur, & vtraque haurit manu qui profluens
Geminus ab vno fonte manabat latex,
Affata verbis talibus post oscula:
Diuinum ô caput, & tu vita hac functus, tamen
Curas apertè quæ genus mortalium
Spectant, leuásque pondere imposito, expians
Quod facinus illi perpetratum: At mortuum
Te nemo curat nunc sepulchro condere.
Postquam illa finem lachrymis & luctibus
Modúmque fecit, maxime hoc vnum expetens
Vt corpus omnis labis expers redditum
Vitæ videret, non secus ei ac brachiis
Lauri hedera adhesit, functa tandem luctibus
Hæc infit: Ecquid sic dolore exulceror?
Habenda verbis filij mei fides

Factisque, quibus id testibus fidelibus A
Probauit? illi velle nil, quod non idem
Et posse detur. Quin & his ipse omnibus
Viam dat omnem quæ supra fidem locant.
Hæc elocuta est cum illico visus mihi es.
Ioseph. *Miranda narras, ipsa sed quæ res docet.*
Tu verò, ô domina, nam neque hæc scire expedit;
Nunc iam quiesce & verba comprime quàm potes:
Hæc omnia absint hinc procul, ne cominus
Vos admouete concilia ineuntibus,
Neue sociate, sed cauete denuo
Loco superbæ mentis & feræ indolem.
Deip. *O strenui heroes, salute vna, duo*
Idémque amici Nicodeme, & candide
Iosephe salute: optime vos huc quidem B
Et commode venistis. vt enim res male
Cedant amicis, ita & amicorum fide
Bona integráque pectus anxium tenent.
Agite iam, agite: demittito isthinc ocyus.
Hæc nanque video vtrunque vestrum gratia
Venisse, properè ascendite, ascendite, mihi
Reddatis illum vt mortuum, domini vt sinus
Amplectar, artus, membráque omnia, admouens
Carni oscula illi, lacte quam eduxi meo.
Iosep. *Quin hinc recede ne male aliquis cædibus*
Multis cruentus te excipiat, & non suo
Dignetur oculo. sit satis quod, vt vides,
Ascendimus iam reddituri propriis C
Manibus cadauer illico. At prior ocyus
Bone Nicodeme, scalæ in impactos gradus
Insiste, clauis ac refixis altius
Corpus leonis nacta quo prædam suam
Plebs ipsa gaudet, his trabe à sculpta erue.
Tu vero abi, inquam, sparsa fletu & lachryma
Non indecenti, non tamen mutaueris
Quæ facta, quamuis multa plorans ingemas.
Deip. *Miserrimam me filium nisi video,*
Vt mortuus sit antequam sit conditum
Corpus sepulchro. Sed quid an ne quid ferum
Contingat ego me plebis à turba eximam? D
At absque nato, cura quæ vitæ mihi?
Concede saltem filium mihi mortuum
Lugere liceat, condere vrna, tangere
Pedes, & artus osculari, agedum ô manus,
Age mea, & vt datur tibi extinctum tene.
Iosep. *Hoc absit, absit vt manum illi admoueris*
Vel mortuum attigeris: ego manibus meis
Humabo, socio Nicodemo tradito
Laboris huius, copiam qui maximam
Affert odorum, vt nullus hostium male
Proculcet illum, turpiter peplum abstrahens,
Corpúsque mole de sepulchrali eruens.
Nam quod genere non proximum etiam conuenit, E
Honoro amicum morte sublatum & colo.
Vide ergo, quî nos hoc eum efferre è loco
Poßimus, & quî mortui nil nomine
Non prouidentes facere quod tibi placeat.
Quòd si monenti mihi aliquis apud te est locus,
Ferto moderate quicquid est: Nam iam optime
Belléque cedent omnia, neque videris
Quid triste natum in mortuum admitti amplius.
Iudæa vt esse me haud negem ex gente, id tamen
Non potero tantum vt filium inficier tuum
Probum, integrúmque, non si in vnum confluant

Id dene-

A *Id denegantes quotquot hodie sunt viri,*
Cantráque clamet litteris plena omnibus
Montana silua. Nam bonum hunc virum scio.
Extende tamen huc cum tuis puellulis
Regina dextram: filium charissimum
Tibi, mortuum vlnis excipe, & lachrymis tuis
Multis rigata membra contrecta vt cupis.
Deip. *Pulchrè quidem tu me mones, in posterum*
De me inter omnes promerentes optime
Fidósque amicos arctius locaberis,
Victoriáque nobilis, famæ inclitæ
Te consecrabis. Age igitur gratissime
Senecio Ioseph mi, cape, vlnis filium
B *Amplectere, & propius ei tete applica.*
Tene, tene nunc, corpus erige, & caput
Attolle, ceruici illius cubitum inserens
Ad dexteram. Eius subdite lateri manum.
Theol. *Tu porrige manus, domina, vos puellulæ*
Excipite nunc iam mortuum, qui mortuis
Vitam procurat, ego quoque hunc pro viribus
Excipiã. Deip. *Age iam ô misera mea manus mortuũ*
Prehende: quidnam heu heu video? quid nunc manu
Gesto? quis iste est mortuum quem inter manus
Teneo? quid autem misera timidáque applico
In pectus ipsum? quomodo nunc iam eiulem?
Mi nate, nate, iam mihi hoc dones velim,
C *Vt te ipsa tanquam mortuum affari queam,*
Amplexer artus singulos. Nunc te vltimùm
Compello cernens & vale longum ingemo.
Ego ipsa quæ te mater in lucem edidi
Te perditorum scelere mactatum & manu
Cerno, quod æquum non fuit, nunc mortuum.
Cedo potentem dexteram matri, osculum
Ad dulce, suauis ô manus toties mihi
Tractata, cuique non adhæsi lentius
Quàm lenta ramus hedera quercus assolet.
Iucunda ô visus lumina, os gratissimum,
Vultúsque, faciésque generosa filij,
O pressa nostris labra labris suauiter,
D *O dignus ipso vel Deo color, halitus*
Suauissimus nati, ô odoris cœlica
Fragantia, malis sæpe quæ pressam imbuens
Percepta toto me refecit pectore.
Et quid tulisti morte tam infami emori?
Quid te parentem destitutam filio
Fecisti? ô vtinam commori detur tibi
Mi nate. Longe suauis mori mihi
Esset, iacentem quàm videre, & mortuum.
Nam qui me & impos votis, & oculos premens
Suos profunda nocte consolabitur?
Quæ vita poterit esse non grauis mihi?
O corporis dulcem, & suauem spiritum!
E *Frustra ergo, nate, præbui tibi vbera,*
Frustra laborans te puellum fascis
Innolui, & in te matris operam perdidi.
Iam prima ab illa luce, qua mirabilis
Illuxit ortus edito tibi, ô Dei
Omnia potentis nate, tu vitam trahens
Idémque descendens ad imam tartari
Sedem nigrantis pectus anxisti meum.
Ego autem ab ipso capite rem totam ordiar.
Superbia quidem quæ omnium matrem impulit
In fraudem, & antiquum patrem mortalium,
A quo propagatum genus pulcherrima
Demessa messis, fecit vt contra omnium
Spem nate parerem gloriosum te, vt tuus
Decreuit olim genitor, antequam edita
Essem, vel isto quicquam in orbe viueret.
Simulatque nata sum patris tui, vt arbitror,
Ex mente summa, me meus nutrit pater
Non inter illos quos colunt homines lares,
Sed me sacrata mater ædi destinat.
Hîc manibus eductam angeli insolito modo
Totus senatus commoda legens tempora
Viro modesto coniugem me tradidit,
In cuius vnius fide & custodia
Essem: Nec istud absque diuûm numine
Prudentiáque, vt inde tempore debito
Certissima esset filij probatio,
Et testis eius quem nouo parerem modo.
Nam partu ab ipso virgo adhuc maneo, mihi
De me ipsa testis casta nunc vt sim parens.
Túque ipse testis nota cui sunt omnia
Sic te parente me, Deo patre edito
Absurda multi & vana mihi sermonibus
Disseminarunt dictitantes ex viro
Meum esse partum, nec satis calumnia
Hæc visa, nisi me Ægyptus, etiam mox suum
Profugam videret in sinum, & laboribus
Attrita multis paterer indignissima.
Miranda vidi facta tibi, quæ dum stupens
Mecum notarem te grege ex mortalium
Vnum eximebam cui nefas esset mori.
Vt enim quod olim pactum Abrahamo patri,
Quod deprecanti multitudini datum
Patrum piorum longa quos ætas graues
Faceret, & hæc quam iureiurando fidem
Dedisti eo te perpulerunt, vt mori
Non graue putares, cuncta quo mortalium
Generi ad salutem cerneres in posterum:
Sic inde legem mortis humanæ vt prius
Partus subisti. Sed ego gestans præmium
Meis in vlnis non ferendi incommodi,
Te nate mortuum graui fletu ingemens
Plorànsque prosequor, meas in nænias
Nil artis addens præter ora lachrymis
Vda: & paratus qui decenter amiciar
Te veste Ioseph qui super tumulum extruat,
Vndque multa vnguenta fundat optima,
Quæ Nicodemus afferens huc aduenit,
Hoc vno amoris candidi in amicos sibi
Pignus relinquens non graue, at pium tamen
Vnguenta nam quid sparsa prosunt mortuis?
Quin mortuorum consulet rebus pater,
Quos ipse cunctos tanquam spolia ex inferis
Trahes in arctum carcerem, arreptos loco
Caliginoso deligatos vinculis.
Arcana pater hæc filio mysteria
Aperta voluit occidenti, haud inscius
Mysteriorum sanguine affinis tibi
Longe inter omnes mentis altæ interpretes
Te teste primus dixit, Hebræum genus
Quin destinauit in necem, ciuem grauem
Authoritate plurimos qui inter viros
Præ se tulit virum pium atque innoxium
Et nudum, eo visus qui omnibus semper fuit
Irreprehensus cibus, amictus huic vilis quidem,
Sed vilis illis tantùm & horrens, dediti

Qui sunt voluptati: ille squallore horridus,
Et sorde multa duriter vitam trahens
Qua solitudo vasta terræ panditur,
Iordanis alueo diffluit rapidissimo,
Et qui dies tres in profundo fluctuans
Fuit propheta olim, sepulturæ edidit
Signa auspicata: quæ omnia vt prudens scio
Simul & sepulti cernere expecto exitum,
Et me futuri gaudij spe recreo.
Sic ergo fili passus extrema occidis.
Hæc causa rerum nunc tibi præsentium
Morte properata dum studes mortalibus
Non ipse Iudas, non miser tamen interim
Pilatus illa supplicia vitauerit,
Quæ vtrunque certa iam manent: vindex patres
Hos iustus oculus, totam & vrbem atque efferam
Rabie cohortem lance iusta puniet.
Hæc culpa ô Ponti culpa te quoque, vt nihil
Credas latere iustitiæ oculum omnia
Penitus videntem, te premit, quanuis tuas
Tanquam huius expers cædis ablueris manus.
An non & ipse proditor pecuniam,
Quæ cædis esset præmium abiecit manu,
Quem iamiam oportet ense iugulum soluere,
Miserúmque guttur nectere laqueo, aut aqua
In fluctuante corpus absumi, cibum
Præceps in æquor piscibus eum fecerit?
Si vendidisses forte vel nulla virum
Et dignitate, (iam t e enim miser alloquor)
Si prodidisses ad necem alium quempiam,
Vt æqua lex est ciuium, periculum
Etiam subires, nunc eum qui dotibus
Te iudicauit plurimis dignum, à patre
Qui venit, esset generis vt mortalium
Assertor inuidia excitus diram ad crucem
Tu venditum etiam dedidisti, & quas scelus
Ob hoc subire non licet pœnas tibi?
Iosep. *Sententiam iam passus est æquissime*
Iniustus idem discipulus, atque impius,
Qui prodidit dominum suum, modo pensili
Pendere visus fune, mox ex ipso eo
In terram ab alto lapsus, illique incubans.
Cum mille ductis pectore eiulatibus.
Nam cùm malum illi instaret, infelix tamen
Non nouit: æqua lege sic sententia
Est lata, felix iusta cessit vltio.
Deip. *O nate. pater est quàm potens tibi, meas*
Admisit aure qui preces! bene mallens
Hunc proditorem perfidum, nefarium,
Impium, & iniquum contudit, nanque impiæ
Qui cædis author esset, & domesticus
Fur, nulla ratio quem sua deduceret
A prauitate, sic oportuit emori.
Male pereat, pereat vti meritus optime
Iure sceleratus. Ad mali fugam tamen
Medicina magna, mentis est mutatio.
Est numen aliquod, est idem magnum & potens
Diuina cura quæ futuri prouida.
Nefarium execror. Impios odit Deus.
Vos cæterùm istud prendite, & rapite recens
Factum in sepulchrum. Ite, sepelite mortuum
Tumulo beato. Nam quæ honestos addecent,
Natos honesto de loco velamina,
Leue mortuis solatium assequutus est.

Referre cuiusquam haud puto qui mortuus, A
Post fata summa quo efferatur funere,
Hæc vana tantùm pompa fit viuentium.
Velate peplis ora quàm celerrime,
Manum admouete, mortuúmque inuoluite.
Iudæa quem gens sustulit regem impie.
Efferre nunc iam morte functum conuenit,
O nate summi opificis omnium, & Dei
Rerum parentis, vita quæ mortalium
Te sine? Quid hic est, numini quod non Dei
Arbitrióque obnoxium sit? ah ah ah.
Et quomodo te rex, ô rex defleuero?
Quo nomine Deus ô Deus vocauero?
Animo ex amico quî tibi tandem canam? B
En inuolutus linteis istis iaces,
Prius inuolutus qui puer eras fasciis.
Nicod. *Age, ô senex, & iam beatum ter caput*
Accommodemus optime, nanque hic adest
Quo corpus ipsum demus vrnæ commode.
Ios. *Iucundum ô vultum, ô tenera tẽpora & genas,*
En tegmine isto muliebri obuelo caput
Partésque corporis nouis peplis tego,
Et quod cruore plurimo tinctum est latus.
Deip. *At obsecro vos quotquot hîc estis, manu*
Vna hoc in vnum incumbite omnes ocyus.
Nam res requirit, noctis & crepusculum.
Collum beatum protrahendo attollite. C
Domus ista, aliquod ad tempus est custodia
Domino optimo, hunc efferte quo palam videns
Qui filium meum locus habeat, in eo
Manens dolori & lachrymis indulgeam,
Dum tertia dies dulcis illucet mihi.
Proh nate, quale, quale, quod factum est scelus!
Quàm luctuosa pertrahit secum omnia?
Communis iste est omnibus mortalibus
Vt credo dolor, at idem vt omnes occupat.
Non opinantes, sic velim me gaudium
Commune quod sit omnibus mox occupet.
Ioseph. *Vos me sequimini, deferamus gnauiter*
Onus beatum mille post preces mihi D
Vix impetratum principis dono, tribus
Quod habeo clauis edita fixum in cruce
Nudúmque ah ah vos ego per hunc ipsum obsecro,
Estote fortes nunc viri, corpus manu
Attingite huius qui Deus & homo est simul.
At vos decenter tollite, atque æqualiter
Contentione virium trahite hunc simul:
Nam iam sepulchrum, vt vos videtis, proximum est.
Heus ô satæ de stripe Galilæa, loco
Suo datus, nunc lapide magno occluditur.
Agite, ô puellæ, ite & videte mortuum
Hunc voce vestra conuenite adducite
In ima terræ qualis olim non fuit, E
Hunc vindicem humani datum generis, ah ah
Vos hunc iacentem nunc videbitis: placent
Hæc ciuitati. Pergite & procedite.
Non hunc diutius sepulchro conditum
Tectúmque saxo cernere queo, patribus
E silice quondam profluentem qui dedit
Aquam, crucique traditus durissimos
Lapides reuulsit, mortuorum, numine
Suo sepulchra vndíque reclusit cadens.
Deip. *At paululum sistamus hîc rogo, mortuum*
Vt voce compellam mea. O fili optime,

Desiderate,

A Desiderate, nunc in inferi domos
Ditis recedis, & quod arcanum cupis
Occultum, id ipsum tu quoque occulis: At vbi
Veneris in atram nocte Plutonis domum,
Infernum acerbo speculo defixeris.
Tu mortuorum vadis in nigram specum,
Portásque noctis vt generi hominum afferas
Lucem, patrémque hinc omnium Adamum excites.
Hoc propter ipse corpus humanum induens
Opaca tenebris tartari subis loca
Ab hostibus cæsus, parente miserrima
Relicta. At ipsa te patris benignitas
Cæcidit. Istud supplicium aliis salus,
B Istud bonum ingens quod patre à tuo tibi
Morti paratur luctus & dolor grauis:
Nunc terra fili te capit, dum tu tuum
Infers in atri regna Plutonis pedem.
Tu telum acutum infigis & graue inferis,
Solus ob idipsum in ima descendis, manu
Victrici vt inde mortuos tandem eruens,
Et mortuorum exemptum à grege asseras
Omnes, vt ipse liber vnus sis, tamen
Vni reclusit se tibi audenti via.
Passi dolores qui tuæ crucis exitum
Hunc sunt morati, victoriam hinc obtines
Ex hoste veteri tartarum dum fortiter
C Serpentem & ipsum vincis, & mortem premis.
Prudenter ipse tu subisti, quæ tua
Prudentia fuit mortis istius genus:
Nam morte mortem sternis ex æquo omnibus
Et terra in ipsa permanens laudem inuehis,
Terráque rupta emergis & vitam paris
Mutatus ad patris tui formam inclitus
Post liberatum hominum genus, aderis iterum.
O rex perennis, rex, Deus tu permanens
Mortale formæ corpus innexus tuæ,
Nunc in nigrantes nocte descendis domos,
Lucere properans, lucem & inde infundere
Caligini, bene bene te terra auferas
D Hac hostium in quam tu pedem primùm inferens
Venisti, & Israelis hospitam domum
Reducere volens perditas oues, sacra
Firmare pacta quæ fuissent patribus,
Naturæ vt hominum, cælitum formam implicans.
Nanque ipse generat te patre firmum, & sine
Motu perenni: ego te vsque casta permanens
Enixa, formæ humanæ vt etiam accederet
Diuina. Sed proh quem minus decuit, tuæ
Sanguis parentis crebra te miracula
Sibi præferentem, arcana cognitu ardua
Generi profano, qui salutem ad omnium
Demissus esses, hunc negabat editum
E Deo esse, sed connubij iunctam face
Peperisse mortali ex viro, & leges thori
Et iura fallentem, mei lecti probrum
Etiam referre tanquam ad authorem Deum
Mentitus in fas omne & inuidia excitus
Et hostis astu, te mora posita abstulit.
Iam suffocato hoc callido doli patre,
Et sceleris omnis atque fraudis comprimes,
Qui cuncta miris concitat versutiis,
Versatque technis, ferreaque compede
Ipsum alligatum, nate, criminum omnium
Dirum expiatorem locabis: exiges
Hos contrà terra è patria: At dabis aliis
Et vrbem & imperium potens, vt tu tuis
Sæpe indicasti, te ducem his rebus dabis,
Et firma tua mysteria & rata facies,
Vt te Deum æque norit & terræ incola
Cœlique celsi. Quin futurum vt omnibus
His bene peractis sceptra regni transferas.
Vel istam oportet ciuitatem discere
Vt nolit etiam, se tuorum esse omnium
Mysteriorum nunc rudem, & coloniam
Quancunque barbaram, Deo quæ dissidet
In rebus his quæ ad te attinent, & te sacris
Expellit à libationibus, tui
Voto vouendo, & precibus omnino immemor.
Nam misera nondum nouit ex alto polo
In ima terræ patris æterni genus
Venisse. Proin tu fac Deum te intelligat.
Id assequeris, si suo exturbas solo
Iratus, armis impiam Iudæ manum.
Simúlque in illam quos habet sibi duces
Ausonia cogis, quos tuum stulte iugum
Pertæsa, dominos imperantes maluit.
Mortem ad salutem video cui olim sit comes
Pœna, & minantes ædibus flammas, domos
Eo redactas solus vt restet cinis,
Globósque flammæ nulla quos aqua obruat
Et destinatam vrbem sacrum in cultum Dei
Obnoxiam illi video iamiam iniuriæ.
At laudo iustam vindicis sententiam
O nate, solùm pœna quod in eos cadit
Qui polluerunt sanguine tuo dexteram,
Tuo inquam, nate, qui relinquens nobiles
Quas lydus & Phryx occupans vrbes alit
Persarum apricum campum & alta mœnia
Bactrianorum, & Mediæ præteruolans
Terram rigentem Arabúmque felices domos
Gentes remotas, & quasi obscura in specu
Mersas, & omnem Asiam vt ferunt Græcis simul
Et barbaris salsi ad maris fluctus sitam
Pulchris superbam turribus, ditem vrbibus
Hinc hinc decoris te intulisti in hoc solum
Sanguinis Hebræi qui necatum turpiter
Te cogit vrna: eheu Dei palatia,
Vrbs grata terræ regij Psalmographi,
Turrita ciuitas, prophetarum ò domus
Antiqua, quî nunc facta es illorum specus,
Qui sustulerunt impia manu Deum?
Quo misera gemitu cædem ob hanc te prosequar?
Quo te ore plangam? Sed mearum ò optimæ
Chorus sodalium relictis finibus
Quas Galileæ, ille ille qui iam mortuus
Nunc ab locatus in caua specu mihi,
Mysteriorum haud inscias comites trahit,
De more solitas occini aliis nænias
In morte vos iam omittite, at eum exilibus
Excipite tantum planctibus: lætissima
Hinc certa vt est spes voce plausaque omnium
Regem, Deúmque prosequemini inclitum.
Abcedite hinc iam, abcedite, neque amplius
Ipsum intueri, nec sepulchrum, nec super
Quod grande saxum proximum deuoluitur.
Cedamus igitur, ô amicæ virgines
Cedamus omnes. Agite, agite placido gradu
Domum petamus fœminis fidissimis

Sociisque nobis hospitam, vbi Marci parens
Maria agit, & quo vt credo, concursus frequens
Chori futurus sacra qui professus est.
Ibi operiemur lucis optatæ exitum.
Aut potius hinc nos conferamus in domum
Eius, quem adoptatum mihi meus vnicus
In filium iuuenem esse voluit filius.
Chor. Probè mones tu, nec secus quàm dixeris
Fiet, eò nunc nos, ô hera, ire conuenit,
Vt à sepulchro non remotæ longius
Quicquid erit obseruemus, & totum diem
Demus quieti crastinum, vt lex præcipit,
Lætúmque lucis tertiæ crepusculum,
Crepusculum inquam nos moremur, clanculum
Cernite profectæ hinc vos vt obsequamini
Mori recepto, eamus, & demus locum
Prius sepulchro quàm hostium aliquis proximus
Nos deprehendat: indicemus quo loco
Nox transigenda tota nobis integra.
Deip. En te relicto, nate, solo excedimus
Eam ipsam in ædem destinatam fœminis,
Et filij ædem, cuius in prouinciam
Me tradidisti, nate, cùm nos æquius
Esset sepulchro in valle iuxta adsistere.
Iosep. Charissime ô vir mortuus licet, tamen
Longe inter omnes qui mihi charissimi
Sunt, es futurus: dico supremum vale.
Theol. Non hîc quàm honestis ortus est natalibus
Sermone longo edisseram: iste certe homo est,
Idem & Deus Deo satus: nanque hunc Deum
Ex rebus his quas ipse gessit iudico.
Quod spectat autem mortem, ego causam illius
Esse sapientem prouidentiam arbitror,
Vt vindicetur morte ab æterna genus
Mortale. Quin & noxius serpens humi
Qui repit, hostis generis humani occidit
Calcatus, & iam traditus neci ruit.
Iugulauit ipsum rex poli gemini inclitus
Iesus, hominum qua genus contrà euehat,
Supplicia fratrum tollet & primi patris
Senisque, seuit qui genus mortalium,
Deditque terræ expulsus astu callidi
Serpentis ora, quem beabit mox loco
Situm in beato. Mortis huius hoc opus,
Hæc vis. Id ipsum propter ipse natus est
Miraculis vir obstupendis inclitus,
Quæ tu ipse nosti mundum in hunc: cúmque optimus
Vir visus esset, interemptus occidit.
At iam resurgens se Deum probauerit.
Quod si beato à cælitum solum choro
Celebratus hymnis perstitisset incola
Cæli, excidisset hoc quod est præsens bonum,
Tacitáque celso gloria in cœlo fruens
Ignotus esset, causa nascentis fuit
Hæc, & cadentis: vtque summatim efferam,
Prima & suprema generis humani salus.
coniectus ille in verba subsannantium,
Et vincla ab illis à quibus non debuit,
Mactatus idem: populus huic charus prius
Liuore motus hæc bene merenti dedit.
Lubens quidem ista passus ille, sed pati
Quæ contrà oporteat mala populum, nihil
celabo: cedens is coactus barbaris
Vrbem relinquet seruus extorris: ratum
Hoc fata statuunt multa post mala profugi
Armis subacti, deferentur exteros
In barbarorum limites. Istud manet
Omnes patratæ cædis authores suæ
Vt vrbe pulsi generis omnis incolis
Pulchrè referta sceleris infandi & viri
Cæsi per inuidiam graues pœnas luant.
Omnis videndæ spes adempta patriæ
Quando in sepulchris qui ciciderint, omnium
Eos manere qui peremerunt nefas.
Multas in vrbes pertrahentur, & iugum
Seruile miseri perferent, manu hostium
capti, huc & illuc diuagantes vt Dei
Vox certa cecinit: nulla iam spes amplius
Futura redditus aut regressus, Ausonum
Dux ex quo in illos agmine infesto irruens
Magnóque deprædabitur eos insolens
Non patre natus ista mortali edidit.
At ex Deo ipso natus, ipse idem Deus
Qui mortuus prædixit omnia edocens
Longe ante vates non ab ipsis vatibus
Edoctus. At quam turpis iste venditor
Stipator vnus perferet cladem, id quoque
Dicam. futurum vt è dolore insaniens
Is fune collum pendulo & stricto implicet:
Tum deinde lapsus medius infelix crepet,
Diémque videat luctuosam. non miser
Quiescet vnquam viscera effractus locum
Ingressus atra nocte nigrantem inferum
Semper agitatus, ingemens semper graues
Propter dolores triste clamabit, vorax
Quem flamma rapidis carpet æternum ignibus.
Iosep. Quam grauia amice nos manent omnes mala
Méque adeò, vt ipse dicis, atque omnes meos!
Etiam subibo barbaras gentes miser.
Quod iam redacta patria in prædam hostium
Iter capessam? ô vrbs gerens in barbaros
Olim haud subactum pectus, antiquo excides
Illóque magno, quod parasti nomine.
Vale ô palatium, vale ô vrbs patria,
Iam te relinquam turpiter serui iugum
Subiens, relinquam victus armis, barbarum
Solum videbo, nisi senem præuenerit
Me mors, quam, ô vtinam, olim mea videam manens
In patria potius. Id ex oraculo
Denunciari sic futurum intelligo.
Theol. Tua quidem, ô mi senex, voluntas optima,
At iste populus qui tibi cognatus est,
Pœnas luet se non quidem indignas, tamen
Plenas doloris, quicquid & mali luet,
Non huius ipse se sibi negauerit
Caput esse primum, nec aliquid causæ afferet,
Quod forte non venerit, opem negauerit,
Nusquam se ad ipsos liberalis flexerit
Olim merendo, nunc quoque benignissime.
Quis non ad illos missus est præco prius?
Quo non adauxit ille munere populum?
Quem eductum acerba gentium è tyrannide
Regem potentem fecit & magnum, manum
Cum gente forti conserentem, quo loco
Basam est & Amorrhæus & Pelta, adiuuans
Perfregit hostem & seruituti subdidit:
Hæc ille tanta contulit, quorum immemor
Calcans inauditam pede suo gratiam,

Illum

A *Illum cruentis posuit in cædem viris,*
Qui postea venit tamen vt oportuit
Nanque & propheta, & lex graui vt certamine
Longáque pugna dimicantes nec modum
Finémue repererint, tamen lux vnica
Solis satis erit Christo vt inferni ædibus
Penitus reuulsis, & sua è sede erutis,
Terras reuisat, & hominum mortalium
Omnem dolorem perimat, horum gratia
Indutus ille pauperis vestem, pedem
Infert in imas tartari sedes, & hinc
Spolia reportans multa vindex inferi
Lustrator antri visus, isthinc efferet
B *Sese subactis portitoribus omnibus*
Custodiisque, tum iuuans vere pater
Et liberalis iudicabitur, suus
Quem populus olim gentis eiusdem inuidus
Mactarit. At qui gente non iuncti tamen
Vrnæ hunc dederunt & sepulturæ, edita
Partim in sepulchri mole montéque arduo,
Specúque partim in abdita & voragine
Terræ profunda frigidum afflatum, & Dei
Ignem calentem concupiscent, non thoro
Dulci incubantes, vestibus vel mollibus
Operti in auro lucidis tectis suum
Somnum trahentes, ense gladio alij vt cadent:
C *Sic & fidem illi sancient verißimam*
Firmißimámque, non eam quam scilicet,
Venditor, & idem carnifex bene meriti
De se habet: Eum æquum luere pœnas, te quidem
Facilè resurgens ille liberauerit,
Nouo sepulchro quem decenter clauseris,
Ac excitatum à mortuis tubæ sono
Clangentis, olim te beatorum in gregem
Ascribet: vrbe nam relicta cædibus
Fluente, felix fas piorum vt incolas
Solum, solutus mole qui humana exuens
Mortale quicquid ipse mortalis dolo
Serpentis olim obnoxium morti attrahis,
D *Fies Deus iam. Horum omnium mihi nihil*
Præceptor ex vatum canebat vocibus
Verùm recumbens huius ad pectus sacrum
Didici futuros sic Deo charißimos.
Ego ista domini pectori cùm inniterer
Cognoui, abysso ex maxima multa hauriens
Quæ sunt sacræ & reconditæ sapientiæ
Iosep. *Sapientis è penu nihil nisi sapiens.*
At, tune speras id futurum vt redditum
Terris videri detur? Theol. *Id spero, Dei,*
Quæ lux sequetur, lumen indicauerit,
Hanc vnam oportet me manere crastinam.
Iosep. *At nos quidẽ illũ magnũ vt aliquẽ & à Deo*
E *Ipso profectum morte sublatum virum*
Et matre mortali editum, atque hinc debitum
Morti inuolutum linteo atque vnctum, damus
Ipsum sepulchro. Si Deus tanquam, imperet
Morti, ille posthac vt Dei censebitur
Filius, & idem his omnibus qui nouerint
Deus colendus vnus. At matre editum
Mortali, eundem consequi luctum addecet
Paruum iacentem, vt qui parente illa satus
Sit, ipsa cui lex mortis olim incumberet,
Nos eum vt amicum quo decuit excepimus
Honore functum. At vt Deus, si quid volet
Pòst agere, promptum est illi, & instat iam dies,
Prope tertia est lux quæ rei dabit exitum.
Spero futurum vt libera omnibus dies
Tertia, nitentis proferat solis iubar.
Videam diem istam cupio iucundißimam,
Videam vtinam vtinam amicus ego miraculum.
Nunc Nicodeme adiutor operis optime,
Abeamus hinc propere, & huic populo licet
Sæuo impióque, patriæque ipsi optime
Precemur, aliquid ne Deus struat noui,
Vterque saltem dum trahit sua diem
Vita mordámque cum iuuene castißimo,
Tu chara virgo nos amicos adiuua
Confecta luctu sis licet, domina tamen
Et mater eius cui datum vnam atque alteram
Habere naturam, vt tui olim filij
Discipulus ipse mihi suadet, adiuua.
Deip. *Ito comitatus Nicodemo, qui antea*
Discipulus illi nocte visus, omnium
Nunc quotquot extant in fide notißimus
Tecum probatur: ito iam, atque enuncia
Miram omnibus mortalibus potentiam.
Theo. *Læti ite, nec vos aliquis inuadat pauor.*
Nam vitæ honestæ nec metu vllo turbidæ,
Et charitatis integræ, & placidißimæ
Concordiæ, & sapientiæ, & modestiæ
Dux, cuncta seruat concuti vt nullo modo
Frangique poßint omnia vt nouit Deus,
Sapienter idem semper omnia iudicat.
Ioseph. *Mihi persuades, & tuis dictis fidem*
Habeo, metu iam liberor seruans modum.
Theol. *Ite vt videtur res amicorum interim*
Curatum: At ipsa re, mea experiemini
Iam verba. Sed vos ô puellæ cum mea
Matre sequimini & in Christo animo hilari excitæ,
Et pectus armatæ, nihil pauescite.
Quin me sequimini, his indicauero domum,
Qua tota nobis transigatur nox, manum
Ad dexteram illa in proximo hic sita est domus.
Diuertite huc iam, nam vt video pars maxima
Præterita noctis, ipsáque aurora emicans
Tenebris fugatis aurea luce appetit.
Deip. *Eheu mihi heu*
Exulcerata anima mea & tot anxia
Curis, dolore turbidum pectus gerens
Captare somnum quî queam? aut quonam modo
Influat in oculos luctibus tantis graues?
Heu dira fili atróxque tua mactatio!
Quàm misera non sum, præter optata, omnia
Cui contigere: nam licet consentiant
His quæ prophetis ante dicta sunt, tamen
Fallunt eam spem quam prius conceperam.
Acerba nate passa sum & grauia prius
Iam luce ab illa qua dies mirus tui
Natalis illuxit sed hæc dura omnia
Lætitia subita consequebatur, meas
Dum præsto curas & dolores solueres.
At nunc dolorem tam grauem quî perferam?
Quid igitur hinc iam moliar? vah quæ incidi
In perferenda quæ leuari non queant
Vel consulendo vel iuuando! & nunc meas
Somnus aliquis tandem genas demulceat?
Semi. *Nos certe, ô domina, nos humi stratæ, senes,*
Iuuenésque, virginésque, & innuptæ simul

Membris relaxatis reclinatæ, caput
Aliæ aliarum fulcientes corpore,
Aliæque nixis dexteram in suam genis,
Somni aliquid ad tempus aliquod percepimus:
Te nulla contrà cepit afflictam quies,
Nullúsque somnus membra laxauit tua.
Quin nocte tota triste longúmque ingemens,
Dolénsque vigiles huc & huc oculos agens,
Sedisti: At vsquequo misera tandem aßidens
Expérsque somni, nilque conniuens tuis
Oculis manebis? Ecce iam emicat aurea
Aurora, populus publicam viam terens
Sursum ac deorsum fertur, & terram ambiens
Phœbus, suáque luce lustrans exerit
Iubar, colorem rebus infundens suum.
Deip. Natum in sepulchro mortuum cernens meum
Quin in dolores, lachrymas, suspiria
Grauésque luctus debeam prorumpere,
Donec sepulchri mole fracta appareat
Victor resurgens? somnus autem quî mihi
Tot inter anxios metus irreperet?
Semi. Etiam ego pectore anxio, sommo carens
Humíque fusa iaceo seruili in thoro
Gramineo & herbido, sopor nullus tamen
Cibo grauatæ obrepsit, ô virgo, neque
Dormiui vt aures ad meas luctus tui
Volant frequentes, planctibúsque verberant.
Deip. Iam surgite, ô vos, surgite, inquam fœminæ,
Vnde mora tanta? exite, abite qua via
Tenditur ad vrbem quam licet procedere:
Forte aliquid excipietis insolentius:
Vos vulgus ipsum nesciet, proin nihil
Est quod metus vos habeat hac in re anxias.
Cho. At at, videre videor ex sectantium
Quendam caterua tetrico vultu, & gradu
celeri citóque huc se ferentem: nuncius
Quantum videtur, is nouæ rei aduenit.
Nunc. Quo iam ibo? quã insistam viã vt charißimã
Inueniam Iesu matrem? at ô vos fœminæ
Si modo potestis scire, dicite, & mihi
Iamiam indicate, nonne in istis ædibus?
Sem. Vt ipse cernis, ipsa ea est intus domi.
Nunc. Doctoris ô mei parens charissimi,
Et domina, cura nunc tibi & tuo huic gregi
Apporto dignum, & prouidendum nuncium.
Deip. Metuenda quamuis nuncies, bene aduenis.
Quid autem? an aliqua calamitas noua ingruit?
Nunc. Armata prodit ad sepulchrum maxima
Phalanx virorum, cuius autem gratia
Non coniicere planè queo: aduenio tamen
Non ipse certe nuncius rei auribus
Perceptæ, at eius, fama quam in vulgus serit,
Adesse iamiam qui ad sepulchrum filij
custodientes excubent vnus quidem
Id dicit vt non viderit tamen, alius
Qui vidit illuc recta euntes, ne id quidem
Dicere potest: At rursus ille qui asserit
Se scire, non vult quod scit eloqui: vnus est
Tantum istud addens, Pontij scribas domum
Petiisse, & illum quem penes ius est loci
Istius, eo impulisse, quo obsignans suo
Signo sepulchrum, illius & custodiam
Decerneret, ne discipuli ea forsitan
cadauer aliquò nocte clanculum efferant.
Hoc propter huius nuncius veni tibi. A
Deip. O mihi malorum non ferendorum omnium
Consutor audax, turba scribarum & senum
Læthalis author, perditæque audaciæ,
Cædisque Domini dire confector, graui.
Ictus dolore, quàm subibis pectore
Tunc telum acutum cùm scies quantum nefas
Patraris. At si pergis hæc, quo tu pede
Cæpisti, eodem praua quæ nunc sunt sequi,
Vt stulta tibi mens planè & auersa, integra
Tibi sinistrè iudicabis omnia.
Sed ipse tandem postea damno tuo
Nil inde fructus esse senties tibi.
Nam quo modo furto cadauer efferant
Hi qui cruentas vix manus effugerint? B
Aut quis propius hos ad sepulchrum accedere
Impellet, horror quos trepidus habet & pauor?
Abi iam abi tu, & quàm voles phalanx sede
Custos sepulchri: abi iam & illi prospice
Tuto, futurus testis eius forsitan
Molem sepulchri qui resurgens dißipet.
Sem. At nos moremur interim hîc charißimæ,
Moremur hîc, inquam, quietè, nec domo
Pedem efferamus ad sepulchrum, progredi
Tantùm in tenebris noctis altæ iuuerit.
Deip. Caligo certe subita noctis labitur,
Quod restat id discamus à custodibus.
Nam quo modo aliquis nocte tam obscura hostium C
Per arma penetrans progredi tuto queat,
Vnguento amica vt corpus imbuat manu?
Quin ad sepulchrum aliquem grege ex sectantium
Quondam magistrum diligentem ire expedit,
Qui cuncta rectè exploret: & certè expedit.
Hunc ire propere, qui subesse si dolum
Non norit aliquem, mane nos summo ocyus
Petamus vrnam vita qua concluditur
Vt condiamus more solito aromate
Corpus sepulti eamus: hæc sententia
Mea est. At hîc nos si dolum deprendimus
Aliquem hostium, clarißimum lucis iubar D
Nos clanculum expectabimus, nam nec iacens
Etiam opus vnguento vllo habet, corruptio
Cùm nulla terræ sub nigræ caligine
Verbi in cadauer ingruet: nec qui vorat
cuncta orcus animam carceris claudet specu.
Mortem ille passus nullius sceleris reus
Est sponte, tenebris vt quod inde est debitum
Coërceatur. Nam satum illo qui nequit
corrumpi, & illum nescius qui sit quoque
corruptionis, quomodo vmbrarum locus
corrumpet orcus promus & condus, manu
Victrice quem iam spolia tracturum puto
Quotquot hominum conclusit & rapuit sibi E
Tectique struxit in nigrantis vinculis.
Semi. Cauta sit oportet omnis exploratio:
Iam mitte quàm celerrimè, quando mones
Probe, videbis me hîc tibi sociam vt iubes.
Deip. Et quæ mearum hic quas video sodalium,
Onus hoc subibit, noctis vt silentio,
Petens sepulchrum, exploret optime omnia?
Quæ me beneficio hoc sibi deuinciet,
Discipuli vt absunt hinc magistri, qui fuga
Vitant furentem perditorum in se impetum?
Nam non furorem illi æquo in omnes spiritu

Perflant

A *Perflant habentes despicatui genus.*
Nostrum, feruntur in gregem sectantium
Furore cæco stulto & audente impetu.
Magd. *Ego istud à vestro capite periculum,*
Parata abire speculer vt tumulum sacrum,
Propulso iamiam cognito rerum statu
Omni reuisam vos priusquam redditus
Terris sit almæ lucis illustrans nitor.
Atque adeò citius rediero. Subeo lubens
Istum laborem, haud immemor eorum omnium
Periculorum, quibus is olim liberam
Me fecit, atque hinc fortè & idem mortuus
Me clariore munere exornauerit.
B *Quin mortuum illum non puto verùm mihi*
Adhuc videtur dormiendum, & paululum
Hic immorandum plena dum nocte omnia.
Iam dormiamus, dormiamus, non abest
Aurora longe, quam, ô omnium rex, ocyus
Vtinam ego videam verùm vbi diluxerit
Properanter ibo, forsitan etiam incidam
Cursum in sororum quibus id officium fuit
Prius, vt manerent & sepulchrum cernerent.
Illæ enim in id omnes mente concordi mihi
Tantum studebant, corpus vt sanctum vngerent
Noctémque totam sic simul traducerent.
Semi. *Abi ô virilem quæ mulier audaciam*
C *Æquas, abi iam propere vt aliquid rescias:*
Nos consequemur cum puellarum hoc grege
Aliæque Galilæa satæ quàm plurimæ.
Nam credo, comites quotquot illæ sunt tui
Cursus futuras ad sepulchrum, ita expetunt
Videre quis sit insitæ spei exitus.
Nunc excitemur paululum, aurora haud procul.
Magd. *Labore mihi opus strenuo, quo præmium*
Dignum laboris ante cæteros queam
Videre: namque cuilibet quod ponitur
Præmium ad opus geminam parit sibi gratiam,
Quam sæpe percepi ante, quamque denuò
Percipiam. Deip. *Et æquum est id quoque, nec vnquam secus*
D *Videbis, & probe mones & commodè.*
Vis autem id, vt quod præmij atque gratiæ
Adepta es ante tuos labores, denuo
Tibi reponat. Verùm age, & quod grandius
His postulabis munus? At dabit tamen
Hæc dona primas quæ tenent facile, omnia
Hæc inter homini quæ feruntur maxima.
Non falsa dico, noui ego hæc, in posterum
Quod est supremum munus, illud auferes.
Magd. *Ecce id procurans, virgo, quod tua interest,*
Curram, puella sic resurgentem omnium
Videbo prima: præmium hoc solum expeto
E *Mei laboris: videris iam, videris*
Quàm pes citus sit vt capessam quod iubes.
Deip. *At tu caueto, nocte ne lusa incidas*
Illorum in arma qui excubant ad mortuum.
Magd. *Istud cauebo tum gradum placide premam,*
Bene cedat vtinam quod iubes, & id assequar
Quod expetis id autem scio primum, expetis
Natum videre quàm citissime: & idem ego
Dum cupio, curro vel metu periculi
Spreto imminentis. Deip. I, citò, & *mihi nuncia*
Fac expetitæ sis rei læta ocyus,
Vt quicquid erit id assequar. Magd. *Iussis tuis*
Obtemperauero lubens, nam cùm mihi
Sis plurimi, hac re non deero. quare obsequor.
Deip. *Quin ego tibi me Maria dabo sociam viæ.*
Nam cor dolore dum graui tota vlceror,
Vsque adeò sollicita manere quî feram
Nunc misera tandem virgo, vbi discesseris?
Magd. *Quod restat, abeamus, ô amicæ virgines.*
Te comite sola gaudeo supra modum.
At hæ soporem non ab oculis eximunt.
Surgite, quid istud est moræ, inquam, ô fœminæ?
Surgite oculorum palpebras resoluite.
Non hunc nitorem qui micans est omnibus
Lunæ in nitore vos videbitis, prope
Aurora lucis nuncia est, prope lucifer:
Demulcet interim tamen oculum sopor
Dulcis suauis ille gratus palpebris
Insedit, & subrepsit altius graui, &
Dolore magno lancinatis cordibus.
Cho. *Sollicita corde turbido noctem integram*
Vigilem oculum huc & huc circunfero:
Celeremus ocyus gradum, ô charissima
Magd. *Nos pectore exeso, anxióque grauissimis*
curis, eamus ad sepulchrum ocyssime,
Aliæ vbi somnum palpebris excusserint,
Nos mox quietis consequentur passibus.
Properemus omnes ocyus, cursu assequi
Percommodum erit: ego omnibus credo diem
Hunc emicare qui iubar clarum exerens
Solis nitentis libera faciat omnia.
Eamus ergo, eamus: illæ quæ viam
Premunt sequentes pone, simul aliquantulum
Exceperint vocem, celeritate vt puto
Pares columbæ concito cursu pedum
Current: & iterum voce summissa excito
Clare cohortans vt sepulchrum nos simul
Omnes petamus. Sed video eas excitas
Stantésque. papæ quàm iuuat pulchrum ordinem
Hunc, & decorum conspicere miraculum!
He, he, he, he,
Desiderate ô nate, tertius en dies
Lux spes amicis tertia est, non effluat,
Vel tu me eidem commori simul iube.
O nate mihi charum & sacrum imprimis caput,
Ecquando misera ego te, aut vbi videbo parens?
O vtinam, ô fili, tu mihi in lucem cito
Venias, relictis mortuorum ianuis,
Specúque, quam nunc lucis expertem colens
Pluto micare luce vidit maxima.
Primùm vt subisti: Ades, ades, appare, & prai
Iubar aureum auroræ, Deum quando te habent
Omnia. Deum inquam cœlitus missum. Magd. *Ah, ah, ah,*
Deserta cerno cubilia vigilum omnia.
Deip. *Hoc quid sit? anne aliquo abiit custodia?*
Excessit autem forte, nobis vt dolum
Aliquem struat? populus enim fidens, vbi
Rebus potitur, redditur fidens magis.
Magd. *Quid facto opus, ô soror, neque enim ita iam accidit*
Res, vt voluimus, cuique spes sua excidit.
Deip. *Confide, rursum longius firmo pede*
Pergamus. Vtinam reperire mortuum
Bene præparato pectore liceat: Deo
Quicunque se committit, is sese optimo

Custode seruat. Quin eundem protinus.
Sed vnde nobis qui sepulchri maximum
Lapidem reuoluat? Mag. *ah, ah, ô rex & Deus*
Æterne! quænam hæc subita motio? aut lapis
Qui tam repente de sepulchro voluitur?
Quin & sepulchrum cernitur vacuum meo
Domino, abeo iam, & nuncio charissimo
Apostolorum cœtui sublatio
Quæ facta domini, mox reuertar, & grege
Cum fœminarum hîc virgo te iam inuenero.
Deip. *Bene, bene sane quàm celerrimè redis*
Amica: Ego autem deuolutum sic videns
Lapidem, etiamnum stupeo inhorrescens, & id
Miror, repentè qui sepulchri ab ostio
Sic sit reuulsus. Ah sile, mea tu, sile,
Quem credis hunc cui forma fulget splendida
Vt ignis, & qui nunc super lapidem sedet
Totus decorus veste pulcher candida?
Niuem recentem & candidam suo refert
Candore: & ecce qui excubant omnes humi
Fusi huc & illuc mortui tanquam iacent.
Ange. *Vos ne pauete, sit procul animis timor.*
Nam quem petitis, hoc in sepulchro nullus est.
Iesus ille rex, cruci modo qui datus
Non in hac vrna clauditur iam mortuus,
Verùm resurgens ille Galileam petit
Vt præmonuit olim, suis eo in loco
Videndus idem luce clara apostolis.
Accedite, & vacuum sepulchrum cernite.
Abite igitur, abite, & ipsis dicite
Cuncta hæc apertè, quæ ipse vobis nuncio:
Vos dicite, inquam, hæc omnibus, primo loco
Petro, subactum tartarum, Christum excitum
Suo ex sepulchro, tum reuulsum ab ostio
Magno impetu saxum, inferorum principes
Metu solutos, iam relictis ostiis
Cessisse, vt vmbras lucis ad terram alacres
Salire, quæ nunc & potentem & maximum
Deum canentes prædicant, cuius cruce
Manúque fracta sponte vincula omnia.
Deip. *O lucidum hoc solis iubar, nunc iam vt fuit*
Spes nostra, curis omnibus finis datus.
Mactatus hostis cecidit, è tumulo caput
Christus triumphans & resurgens extulit.
Et quæ die ista lætior fuit dies?
Quid euenire gratius possit mihi?
Quonam ergo fili sic subactis inferis
Contendis? vbi te nate, vbi, & quo tempore
Videbo? ades, ades, & mora posita tuæ
Offer parentis te videndum aspectui.
Mag. *Citius videbis vt puto quàm cæteræ.*
Sed veste amictus candida vt monuit, viam
Carpamus, hoc vt gaudium ingens omnibus
Denunciemus apostolis charissimis.
Abeo itaque hinc primo loco ad Petrum, atque eum
Iuuenem pudore qui suo notissimus,
Lætum ferens illis amicis nuntium.
Nam & ipse nobis qui modo hîc apparuit,
Id indicari iussit & Petro. ocyus
Abeo igitur, vt & corpore vacuum locum
Dicam sepulchri, & candida visum angelum
In veste, & eius verba Idmque illi tamen
Sese ad sepulchrum conspicandum concito
Cursu tulerunt. Credo ego illos omnia
Lustrasse pulchre. Sed, rogo, quem conspicor A
Dominúmne forma mihi noua? Deip. *Haud planè scio*
Conicere tamen. istud licet. nanque haud quaquam
Accedere aliquem nullius pretij virum
Vilémque, vel forma ipsa, vultúsque indicat.
Christ. *Saluete.* Deip. *Salue tu, optime ô fili optimi,*
Rex omnium rector supreme, cui datum
Cum perdito hoste mortem & vnà perdere.
Sincere Rex, Rex integer, Deus potens,
Permitte saltem vt cum metu pedes tuos
Tractemus: ecce enim simul procumbimus,
Et gaudio attonitæ, & metu, ad pedum oscula.
Christ. *Ponite timorem, nihil & expauescite.*
Quin potius ite, nunciate fratribus
Meis, vt in Galileam iter flectant, ibi B
Vt antè dixi postea me viderint.
Deip. *O splendor alme solis, & fulgens decor*
Quàm grata nunc aurora diluxit mihi.
O, ô stupendum splendidæ lucis diem,
O orbis ingens gaudium, ô suauissimam
Lætámque cunctis hanc voluptatem, modo
Quis possit vllo dicere, aut verbo assequi.
Perfusa quo mens gaudio mea exilit?
Sed nos vt ipse Dominus edixit, pedem
Hinc efferamus. Magd. *En tibi charissimæ*
Adsunt, ô domina virgines quàm plurimæ,
Aliaque Galilææ puellæ, quæ cito C
Gradu ad sepulchrum se ferunt, vt mortuum,
Quem morte victa non adhuc intelligunt
Esse excitatum, corpus vngant: nos simul
Comites eamus ad sepulchrum denuo:
Nam nulla nobis satietas possit dari
Illis videndis, adeò quæ mira & noua
Nunc contigere, & animus omnia expetens
Nouisse, totus his datus quæ prodiga
Natura profert mira cum luxu, frequens
Spectare gaudet. At at, o, quisnam hic candida
Qui veste amictus ore formoso puer
Dextrum sepulchri considens cornu occupat?
Stupore tota exhorreo vultum videns D
Fulgore nitidum. Adolesc. *Ne quid expauescite,*
Procul omnis absit terror, hoc enim scio:
Vos ô puellæ Nazarenum queritis
Illum illum Iesum: sed sepulchri se exerens
E mole surrexit: Locum ecce cernite
Vacuum, ergo abite, & nunciate apostolis
Petróque, Galilææ illum in oris se obuium
Ipsis daturum. Magd. *contremiscens, ac metu*
Correpta, Petrum nunc adeo, & hinc cæteros
Huic amicos, iam secundò deferens
Lætum quod ipsa nunc habeo mihi nuncium.
Nam qui ante paulo apparuit, iussit quoque
Petro indicari. Semi. *Nos stupore territæ,* E
Animísque consternatæ amicæ, ob insolens
Spectaculum, cursu cito nos ocyus
Hoc à sepulchro distrahamus, quicquid est
Et visum, & auditum tegentes, nec viro
Effugientes cuipiam, alto pectore
Dolos prementes illius qui vendidit
Verbum, & timentes gutture eliso exitum
Dignum sepulchrum perditæ itæ, cadens
Quo mortuum ornat, qui sacras res, hostium
Exposuit ad ludibrium in medio fugam
Carpamus hinc iam, & ista pellamus procul

Properemus

A Properemus, hosti nil penitus horum omnium
Quæ nota nobis detegentes, sed gregi
Apostolorum, nullum enim cuiquam malum
Priuatum, at aliquod forte commune est tamen
Ad veritatem nuncij lætissimi
Veri atque amici. Nullum hîc est mendacium,
Quando illud omnes odimus, animum bene
Exutæ eorum vana qui & mortalia
Sapiunt, Stupore concitæ pulchro ex metu,
Quo cum Deo ipso pectus armatum gerens
Prudentia, omne defugit vitium & scelus:
Efferre tale cuipiam nos nunc nefas,
Vt ipsa dixi, dum sepulchrum linquimus,
B Nefas & his efferre quoque, qui mortuos
Modo quo oportet pectore excipiunt suo.
Grati bene & memores: sed eius gratia,
Qui viuit & cuncta aspicit multo metu
Tremoréque affectas pauere ad omnia
Quæ dixit ipse, proinde, nos ô virgines,
Hoc à sepulchro submouentes nos fuga,
Nil insolenter dixerimus cuipiam,
Nullo modo hîc vt insit aliqua vis mali,
Vnde & malum esse disco nullum, non tamen
Arcana fas est sacra temerè prodere:
Nam quis suo hosti proferet quod abditum est?
Honesta pugnant turpibus semper, dies
C Vt nocti, & ipsa lux tenebris, vanitas
Et veritati. Verùm eamus ocyus
Ad apostolos, ipsis amicis nuncio
Vt ingeramus gaudium lætissimo.
At, at, quis hic est nocte quem cerno gradum
Rectà huc ferentem?. Nun. O domina, mater filij,
Qualem vlla numquam mulier enixa est parens.
Deip. Tune aliquis ex nostro grege es nocte ambulans?
Num visus infirmus mihi, nec te optimè
Agnosco? Nun. Amicus & tibi, & tuo, modò
Qui cæsus est nato, integram atque innoxiam
Ob vitam, & illa quæ edidit miracula.
D Deip. Ecquid noui adfers? quid? loquere celerrime,
Nun. Hoc dico primum nunc tibi. læta exili,
O domina, gaude gestiens: proœmium
Sermonis hoc est: nemo te mortalium
Compellat alio dignius, nam nuncius
Ad sum, stupenda miraque omnia adferens.
Deip. Nempe reducem natum nigra ex ditis domo
Mihi nunciabis? Nun. Nosti & hoc leuaueris
Sermone nuncium. Tuus venit, tuus
Vt fama constans filius presto, inferi
Specu relicta figit in terris pedem:
Hæc ipsa propter venio tantùm nuncius.
Deip. Nos scimus vt quidem: sed vnde tu id tenes
E Agedum loquere, quid dicis, aut quonam modo
Id scis? quid huius ad fidem certam dabis?
Nun. Qui nocte tota perstitit custos vigil,
Et diligenter prouidens tumulo adstitit,
Modo per tumultum nocte densa confluens,
Sese ad sacerdotes citissimo intulit
Cursu, nouum tunc nescio quid creditus
Aperire amicis: quin & ipse maximo
Horrore tactus excubitor, & quæ cohors
Assedit omnis non quidem abs re expalluit:
Palloris autem causa quæ foret, meam
Spem præter ipse ingressus vrbis mœnia
Cognoui, eaque cognita placido gradu
Veni, cohortis omnia à tergo audiens
Quæ verba firma non satis fiducia,
Ambage multa, præ stupore illa implicans
Proferret. Ergo hæc ad sacerdotum gregem
Senumque turbam cædis authorem locum
Coactam in vnum vt quidpiam decerneret
Effatus: O vos turba scribarum & senum,
Qui cæde dira perpetrata sanguine
Vos polluistis, adsum, vt & vobis, & huic
Vrbi recludam multa inaudita, & noua,
Et mira, morte quæ modo extinctus dedit:
Is cuius ego sum nocte delectus vigil,
Custosque quem nunc propter etiam exhorreo:
Quòd si adfuisses, tu quidem cui vt mortuo
Nos compulisti adsistere ad tumulum, & eum
Seruare, cernens quod nouum est atque insolens,
Adortus esses hunc precibus. At id volo
Audire primùm, libere an detur mihi
Narrare quæ illic facta sunt: an quicquid est
Silentio premere: metuo enim dicere
Coram tyranno pertimescens impetum
Subitum, & ferocem pectoris superbiam,
Iramque nimiam. hæc ad senum turbam phalanx.
At hi susurro colloquentes mutuo
Hæc inserebant expauentes, leniter.
Iniusta Iesu insontis hæc mactatio,
Ingens vt ignis nunc quasi succenditur,
Non paruus vnde nos maneat omnes timor
Ergo mora omni nunc adempta, exercitus
Prensandus omnis. Rursus ad vigilium manum
Ora referentes ista dixere: O phalanx
Audito quod ego te velim: si dicere
Quæ grata nobis sunt potes, ne detege
Rem: quicquid inde poterit esse incommodi
Damnique nos præstabimus, si dixeris
Apostolorum clanculum ablatum manu
Cadauer: Addam dona quæ tu censeas
Æquanda nullis proinde non est, principi
Quod efferas aliquid quod ad laudem queat
Verti sepulti, & omnibus nobis paret
Quod ad dolorem vergat & populi animum
In nos furentem & turbulentum concitet.
custodum ad illa sic cohors. Quando id placet,
Et apud tyrannum quidquid hinc culpæ est mih
Præstas, eorum nota quæ mihi, nihil
Narrabo: Nam mox illa dicentur tibi.
Hic qui sepultus non Deo ipso creditur
Minor, vel illis rebus omnibus prius
Quas fecit olim, vel recens miraculis
Nunc editis, qui de sepulchro se exerens
Quod grande saxum obstruxerat, manentibus
Etiam sigillis obsidentibus locum
Vigili oculorum lumine in gyrum, omnia
Fulgore compleuit, nouo tum nos metu
Exanimauit omnes, terra ab imo funditus
Conuulsa fundo contremuit, ingens lapis
Statim à sepulchro deuolutus corruit.
Quodque adeò verisimile, quantumque assequi
Possum & videre, vrnam videbam, ex æthere
Mox sparsa quædam vox & vt ego suspicor
Deus ipse sonuit voce non solita pater.
Cæleste tonitru vocis auditæ comes,
Et flamma fulsit ignis in terram sacri.

Concussit æther spiritum, densum nemus
Repressit omnem frondium auram, vt nuspiam
Obortus esset strepitus. Hunc ergo virum
Recipite quisquis est amici, numine
Quantum videtur qui potest quàm plurimum.
Quin hoc & aiunt, ipse vt audio, hominibus
Hunc vim dare illam quæ mala premat omnia
Quo sine secundum nil sit, olim nec fuit.
Si certa fama teste vero spargitur,
Ego sacra facerem potius illi, quàm Deo
Pugnans, furore percitus, contra datum
Stimulum agerem calces. Congreg. Pont. *Profundus te sopor*
Tunc occupauit: ista sunt mera omnia
Somnia: sepulto te sopore, mortui
Clam corpus ipsi sustulere apostoli:
Sic est, & istud te tyranno dicere
Tantum vnum oportet. Ergo tu tace interim.
Accepta nobis, quæ minus sentis tacens,
Munus etiam grande auferes, licet tamen
Tu sponte corpus vendideris, at si palam
Feceris id à te iam tyrannus audiet.
Custod. *Vt multa dicam, non tibi persuadeo:*
Ego tamen à te nunc licet male audiam,
Hoc dico, iam non esse quod in posterum
Sic efferas te, paululum sed comprimas.
Nam quis ferat te? corpus autem venditum
Non esse nobis vel palam istud indicat,
Vt nil reprendas, integrum quod cernitur
Sigillum. Eo ipso nam integro, & lapide super
Posito, stupendum ô omnibus miraculum.
Surrexit è sepulchro. Cong. pont. *omitte plurima.*
Hæc verba, dona quæ tibi dantur cape.
Custo. *Quando meis tu non finis dictis locum,*
Tuis, vt ipse dicis, obsequar: vide
Sed gnauiter, qui me à tyranno liberes.
Con. pon. *Hæc cura nil te reddat hac in re anxium.*
Efficiam vt in te fratris affectum induat,
Gentilis vt qui sit tibi terra Ausonum
Pronatus. Ergo abeamus ocyus, interim,
Ne quid timeto, verùm id vnum dicito,
In nocte multa clanculum, & tacito pede,
Me nescio, corpus tulere apostoli.
Custo. *Hei mihi misero, ah ah ah.*
Pilat. *Quis ille qui flens ad fores sic ingemit?*
Con. pont. *Illa ipsa certè est mortui custodia,*
Adest, ô princeps, & metu præ maximo
Suspirat. Pil. *opportune ades, licet indicans*
Nescio quid ore. Quidnam ea eiulans, dolet.
Gemitque, fare: causa quæ tanti metus?
Con. pon. *Quin illi vt adsunt quicquid est edisserãt.*
Custo. *In nocte multa apostoli, ô rex, clanculum*
Me nesciente sustulerunt mortuum.
Pilat. *Et quomodo istud perditi, tantum mali*
Vos intulistis? quis sepulchrum, apostoli
Ingressi vt inde clanculum vi mortuum
Efferre possent? qui neque sepulchrum ingredi
Vidistis aut exire? cuius in viri
Tergum istud omne, nisi in tuum tandem expetet?
Nam te sepulchri dico custodem, facis
Adeò me eo ipso fabula dignum omnibus
Quin præter ipsam quæ fuerit infamiam,
Accedet illud, mortis vt pœnas luam.
Et sic habentes despicatui mea
Imperia fures te fefellerunt? age A
Quæ causa tandem clam efferendi mortui,
Custode posito tam frequente? qui, rogo,
Quos ferre dicunt splendidis flammis faces,
Quos ipsa præter luna nocte splendida
Detegeret, ausi istud fuissent, vt locum
In hunc venirent, & manu deuoluerent
Saxum, quod ipsa tota vix turma addidit,
Et cœtus ipse plurimus mecum senum
Suo sigillo obduxit? Haud apostolos
Noui, quibus tu clam cadauer asseris
Raptum: Tua hæc fraus, nil eorum admisero.
Tu vana fingens, me mea sententia
Deiicere tentes? At tibi longa, atque acri B
Oratione opus fuerit, vt tu mihi
Non falsa te narrare persuadeas:
Nam veritatis sermo non constans tibi,
Sed sermo mutat consilia, neque permanet
Consilio in vno quod semel cœptum est loqui.
Custo. *Recte quidem tu Rex putas, vt res habet.*
Nam noctem ego insomnem integram vigil,
Nihilque stertens, testor hoc tuum caput,
Et cuncta vidi, & nuncius veni illico,
Nec non paratus nocte multa veneram
Vt rem tibi omnem detegens, pœnam quoque
Vitarem: At hi qui plus sacra prudentia C
Possunt apud te, me impulere vt splendidam
Lucem operirer solis. At non me tamen
Oppressit altus lucidi phœbi nitor,
Quin cursu anhelo protinus me contuli
Illos ad ipsos, indicans quicquid mihi
Et visum & auditum fuisset: nil mihi
Tamen acquiescunt vera cùm narrem omnia.
Pilat. *Vereor, ô custos, ne mihi vanam hîc seras*
Inutilémque fabulam: nam non adhuc
Id constat etiam sitne corpus apostolis
Sublatum, & ipsa res tamen valde mihi
Suspecta: sed quid ad fidem huius adferes?
Cust. *Præceps nimis es, ô rex, priusquam rem audias* D
Vt gesta: nocte qualibet nil non potest
Fur grande: verùm id vt reor primùm expedit,
Vt si quis ex his celeritate maxima
Pedum suorum fretus in silentio
Noctis, phalangem præterierit, vinculis
Astrictus & cæsus frequenti verbere,
Ediscat inde quid sibi facto est opus.
Nam turpe nobis illud, atque, infamiam
Vt omnem omittam, maximum malum, Deo
Id iam sinente vt supplicia facili manu
Merita exigamus, qui graue adeò admiserint
Facinus inultos leniter dimittere. E
Pilat. *Fures ego illos quos mihi cadaueris*
Tu dicis esse nescio, planè inquam ego
Nescio, animo suspecta res valde meo,
Suspecta certe. Nam fugam qui carperent,
Et quomodo illi sustulerunt mortuum,
Quem viuum & ipsi maximo trepidi metu
Liquere? Quid quod non adeò grauis sopor
Custodiam habuit, vt sepulchri sperneret
Curam: nec illi quos vel vna ancillula
Audita tantùm eo impulisset vt metu
Ipsum abnegarent, id sua ex audacia
Sumpsere tatum. Con. Pon. *Mirũ quod nũc fluctues*
In rebus aliis firmus, atque hac audiens,

A Suspecta nullam ob rem tamen habes omnia,
Vtinam vir esses prouidus animo, ac manu
Agendo promptus. Sed viro non cuilibet
Natura ab ipsa id est datum vt queat omnia,
Ast aliud alij alij munus est datum, tibi
Pugnare, at aliis nosse quæ rerum abdita.
Iratus ecquid audiens vultu cies
Ignem furentem, nec putas aliquem ex grege
Sectantium, illum sustulisse clanculum
Et vafrum & astutum, manu vt tu vindice
Vtaris istud hostibus tantum expetit.
Pilat. Tu cùm cohortem luseris, id etiam studes
Me abducere: horum causa tu sola omnium:
B Quæ reliqua nunc sunt, ipse iam cognoueris.
Cong. Quantum voles tu crede, quãdo istud placet,
Atque vt loquendi sic tibi hîc primùm data
Æqua atque agendi quod voles potentia.
Nunc. Hæc cuncta fidis cùm recepissem auribus,
Et perditorum audaciam, qui supprimunt
Astu doloque ex mortuis Christum excitum,
Vitæque certæ redditum, accurri illico
Vt indicarem, ô domina quicquid est tibi.
Ergo tibi id tu nuncio quod me excipis
Id persuade quo nihil sit verius,
Quod credo & ipsam vel per vrbem spargere
Famam frequentem, quando custodum ex grege
C Non desit & qui vulgus in multum efferat,
Totúmque factum prædicans, miraculum
Efficiat illud publicum quod contigit,
Quin ciuis ore qui frequens huc venerit,
Rem omnem audies iam: Nam primus veni rei
Nuncius, vt essem re noua acceptissimus,
Et gaudio te maximo perfunderem.
Deip. Bene tu quidem aduenis, & eius nomine
Habebo gratiam tibi quàm maximam.
Ades optimè, inquam, maximi quamuis mali
Nuncius, at eius improbos quod in senes
Magis redundet, falsa qui quàm plurima
Et vana frustra cogitarunt perdite.
D Nam qui sepulchrum turma vigilum, aut additum
Saxo sigillum premeret, & verbi capi
Quod mente nulla possit ad patris sui
Cognationem corpus vnctum, quod mari
Visum ire in ipso, non aliter ac in solo
Firmo, ferenti ex se satum patrem omnium
Suóque alentem quicquid vsquam est numine?
Qui natus ex me virginis claustro integro
Emicuit illo qui Deum spirat modo?
Nam nec mihi ille virginis nexum abstulit:
Peperi ego eum, at quonam modo peperi scio.
Excubitor autem morte qui tandem excitum
Sensisset illum, qui vel ipsos angelos
E Latet? satúsque sanguine ex mortalium
Quî corpus ipse fingat? aut quonammodo
Verbum caro ille visus, expers qui fuit
Carnis, suo qui cum patre in cælo manet,
Quî ventre totum baiulans tuli meo?
Hoc propter ipsi exæstuantes perdito
Liuore scribæ frenduerunt. Nos tamen
O charæ amicæ, nos ad vrnam denuò
Properemus: accedamus ad tumulum prope,
Timore posito cuncta noscamus, sinum
Quæ in amiciorum congeramus postea
Vt sese habent. At nos suo cursu quoque
Ipsi anteuertunt. Cho. Quin & ipse apostolo
Cùm iuuene charo Petrus ad tumulum ocyus
Vitalem vt accessere, & omnia gnauiter
Videre, amicis indicarunt omnibus,
Vt Maria nobis rettulit, cui fides
Est habita, prima quæ cucurrit omnia
Scrutata, deinde nunciauit corpore
Vacuum sepulchrum. Deip. Et illa certè præuio
Præuertit omnes cursu, ego illi protinus
Socia adstiti, vacuúmque vidi vnà locum
Sepulchri, & ille qui ad sepulti corporis
Caput sedebat, mortui charissimi
Iámque rediuiui signa certa protulit.
Nos ergo primùm vt nouimus quo se modo
Res ipsa haberet, Maria festino gradu
Properans, idem hoc apostolis dixit, simul
Et Petrus ipse cum iuuene casto excitus
Contendit ad sepulchrum, vbi haud alio omnia
Videre, quàm quo Maria dixerat modo.
At nos euntes pone, rursus assequi
Dabamus operam. Sed Maria nunc optimè
Illa ipsa prope adest, quæ quod auditum simul
Visúmque dicet. Mag. Quid ais, ô castissima,
Virgóque generis lætitia nostri, & salus?
Deip. Quæcunque dixti te ante vidisse, & prius
Dixisse amicis, virginum effer in chorum.
Magd. Vt dicis, ita se, domina, prorsus res habet,
Et testis ipsa, testis es mihi optima
Venisse mane me ad sepulchrum, & tu tenes
Quæcunque dixi, quæ repetere nil iuuet.
Certè beatam sola cùm primo vrnulam
Cursu attigissem virgine vna atque altera
Comitata fundens lachrymarum copiam
Ingentem, & illic assidens, atque altius
Scrutata cuncta, candidis stolis duos
Aperta summa tumuli & infima angelos
Vidi sedentes: hunc quidem ad caput, alterum
Pedes ad ipsos, quos sine Dei numine
Cùm non putarem luce tanta splendidos,
Perculsa simul & gaudio & metu astiti:
Ibi aure vocem non sonantem quidpiam
Mortale penitus hausi, & ad vocem illico
Conuersa, Christum conspicor vultu nouo:
Ego forma ab ipsa quidpiam non iudicans
Vile æstimandum, procido in terram; pedes
Prehendo: At ipse me statim ablegans, suos
Mittit ad amicos, non tamen ab ipso rudem
Eorum, ab eius ore quæ contenderim
Audire, nempe quòd sit in cœlum ad patrem,
Vt ipse dixit, iam efferendus: nondum enim
Ascendit ille, sed vt amicos antea
Monuit, futurum cursu vt anteuerteret
Galilæa in ora, vnáque degeret, pede
Hæc ima figens: omnia hæc apostolis
Detexi: at illi verba nihil pendere
Mea venientes ad sepulchrum præpete
Celerique cursu, & hæc videntes omnia
Quæ resciisti: nam quid illa iuuerit
Repetere, quæ tu noris antea optime
Audita? & ipsa tu tenes quæ videris.
Nam prima quando cum tibi charissimis
Illa audiisses, attonita mirabili
Hac re, nouáque, me tibi comite, adhibitis
Mariis duabus tu cucurristi illico

Visura certò quæ ante tantum audiueras.
Hinc visa cuncta, visus & tibi tuus
Vt addecebat filius: Quin & duos
In agrum amicorum ex grege alios audio
Se contulisse, vt quicquid est intelligant,
Cernant, & animi de sui sententia
Discant. Et ecce iam futuri nuncij
Ipsis amicis, concito cursu euolant.
Omnes eo nos conuenire commodum.
Nam fortè nobis dominus iterum se offeret
Etiam videndum. Et ecce iam micat Hesperus,
Instántque tenebræ, ergo ocyus quin tendimus
Quo nunc amicos noctis in caligine
Puto coactos? En domum peruenimus
Mariæ, vbi charos audio occlusa fore.
Adesse apostolos, timentes scilicet
Adhuc latronum barbaram & diram manum.
Quin & seræ omnes ianuæ obductæ, & fores.
Et quo modo autem foribus occlusis domus
Patebit aditus? audiit certè, & sine
Strepitu reclusit Maria chara clanculum,
Vtque subeamus prouocat. quare domum
Suspensa paulatim pedum vestigia
Sensim ferentes ne metu iam perditos
Turbemus, ingrediamur. En not vndecim
Nobis amicis, & aliis qui se gregi
Immiscuerunt congregatæ venimus.
Tu denuò ipsas Maria communi fores.
Itaque silentium imperans volo Cleopham
Nunc audiamus, namque adest & plurima
Vt video narrat quæ dominus ipsis palam
Et dixit & fecit, vt eum ipsum nouerint,
In fractione panis. Ais tace, tace.
Stat ecce dominus. Has fores intra: nouum hoc
Dignumque verè maximo miraculo,
Et quo modo autem foribus occlusis adest.
Quin fortè & idem sic sepulchro condito,
Clausóque surgens exiit, velut antea
Virginis ab aluo prodiit matris suæ
Infracta seruans claustra quàm castissimæ.
Christ. *Pax omnibus vobis. Quid obstupescitis?*
Iam vos manus has, iam pedes hos cernite:
Videte propiùs quod mihi est fossum latus,
Certúmque habete, quod ego sum ipse. spiritus
Sine carne & osse, quæ tamen mihi omnia
Manum admouentes vos adesse cernitis.
Vt huc pater me misit, ego sic vos quoque
Amando in orbem, & spiritu sancto imbuo.
Illo recepto, vos in omnes spargite
Et me, & patrem ipsum, & spiritum sanctum: ite iam
Vos ite chari buccinatores, sinus
Per orbis omnes, regiásque per domos
Canite epicenia & triumphi lauream,
Dauidis vrbem rumor hic totam impleat:
Vt norit illum, cuius in manu est salus,
Victo sepulchro, & morte, vitæ redditum.
Vos eritis huius cuncta per terræ loca
Testes mihi. Qui verba vestra audiuerit,
Qui sacra aqua se lauerit baptismatis,
Quæ purgat omni sorde, se tandem locum
Is vindicabit in beatorum & gregem.
At qui recusans, verba vestra spreuerit,
Hic infidelis, in locum amandabitur
Atrum & calentem continentibus ignibus

Hoc propter in vos spiro sancti spiritus A
Cœleste numen: cuius, hoc, cunque loco
Vincla scelerum solueritis, hic liber quoque
Tunc est futurus. cuius autem vincula
Premetis arcta criminum, idem vinculis
Astrictus erit his, quæ resolui non queant.
Vinclis ab illis quæ manu nulla queant
Solui, supreme Rex, salus certa omnium,
Qui vincula ipse solueris, me libera,
Quibus mea negligentia miserum, ô dolor!
Innexuit me: callidus verò inuidens
Seductor impulit altius me munere
Tuo benigno per fidem in te maximam
His cùm videret ante firmis liberum. B
Salue, bone ô Rex, sate bono, rex omnia
Regens, mali omnis capite calcato inuido
Serpente, mortem qui hostium summam opprimis,
Ne me iugo horum rursus indigno premi
Permitte. Tu Rex integer, Rex & Deus
Tu solus æquus huc mei iudex venis.
Et quo modo, ô verbum, te ego illo tempore
Intuear? oculos quos tuum in thronum erigam?
Qui me polo terráque non dignum, & tua
Miser fabrica prodidi: ille perditus
Infensus hostis me profundum in tartarum
Foueámque misit & chaos vastum: improbus
Impostor vbi me nactus est, sic iugiter C
Est persequutus, vt me in orci pallidam
Sedem tenebris, improuidum merserit.
Miserere mei, ô Deus, manus cape, & rege:
Ludibrium me non sine hominum pestibus.
Figmentum ego tuum sum, ô Deus, tu me quoque
Punito solus, tu feri me leniter
Viuentem, & hinc me ne relegari sinas
Æternum ad ignem: Te, ô Redemptor poscimus,
Egimus inique, mente, corpore, & animo,
Grauissimum istud quod tibi peccauimus,
Quod sæpius nos deuij te offendimus.
Serò didicimus quid deceret inscij,
Neque tamen illo ex tempore edocti, tibi D
Præstitimus vnquam grata quæ cognouimus.
Lapsum fatemur, tu remittens parcito.
Nam quæ ira pectus concoquit mortalium,
Hæc nulla (scimus) te premit talis. mei
Miserere, ô seruator Deus, néue in meis
Perire sinito noxiis: Nam filius
Tuus ego sum, ancillæque filius tuæ.
Quin tu ipse, Verbum, gratia mea vnius
Mortem tulisti: proinde ne ludibrium
Permitte me hosti, sed tua virga tamen
Humaniter me corripe: & matrem tuam
Venerandam, ô Verbũ, admitte, & hos omnes quibus
Vt vincla soluerent dedisti gratiam. E
Veneranda, ô virgo, casta, felicissima,
Quando beata nunc beatorum in polo
Exuta quicquid fecis humanæ sedes
Æternitatis pallio ornata, vt dea
Habita, senectæ expers supremo ex æthere
Benigna adesto vocibus meis: preces
Admitte virgo, ô inclita hic quando tibi
Verbi parenti, sed supra modum tamen
Legémque solus inter omnes contigit
Honor. Ego fretus his tibi me audentius
In verba supplex offeram, & suauissimo

Contextam

A *Contextam ab horto qua tuum exornem caput*
Coronam, ô domina, proferam, vt quæ gratia
Modum supra omnem me tua semper leuans,
Me genere quouis casuum eruis omnium,
Hostes apertos, quódque longe maius est,
Illos latente machina qui me petunt,
Auertis. At tu quod precor summum, id mihi
Concede, vita sic vt excedam, illius
Vt tantum habens te præsidem semper, velut
Ingentem opum vim, te tuum erga filium
Mihi patronum sentiam acceptißimam.
Ne me ergo tradi tu sinas tanquam ad crucem,
Ludibrióque illius exponi, omnium
Iuratus hostis qui sit, & mortalium
Pestis, tuere me atque ab æterno assere
Igne, & tenebris, per fidem qua iustior
Sum factus, & per gratiam tuam inclitam,
Qua nusquam vlla notior nobis fuit.
Hoc propter, ecce, texo nunc tibi memor,
Gratúmque carmen. O puella, gratia
Æquanda nullis, mater, & virgo supra
Omnes decora virgines, & maxima,
Quæ vincis omnes cælitum ordines,
Regina, domina, generis humani bonum,
Amica semper esto tu mortalibus,
Maximáque quouis in loco mihi salus.

B REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO CARDINALI SIRLETO, IACOBVS BILLIVS, S. MICHAELIS in eremo Cœnobiarcha. S. D.

POëtica illa D. Gregorij Nazianzeni opuscula, erudito Cyri commentario illustrata, quæ tu, doctißime atque omni virtutis genere ornatißime Cardinalis, Vincentiano fratri meo ad me preferenda dederas, eò maiore cum animi voluptate legi, quòd in iis elegantes quosdam de grauißimis materiis tractatus reperi, nondum, quod sciam, nec Latinos ab vllo factos, nec Græcè vsquam in lucem editos. In quibus vir ille, verè ἀμφιδέξιος, quæ fusiùs in Orationibus suis, & cum admirabili quodam verborum splendore atque ornatu pertractarat, ea hîc in poëticos numeros cogens, quicquid de sanctißima Trinitate, de Mundo,
C *de Angelis, de Anima, de Prouidentia, de Baptismo, vel in his concertationibus, quas cum Eunomianis habuit, vel in panegyricis Orationibus disseruit, velut ὑπὸ σιώπην ἄγει: & quidem ita, vt quemadmodũ illic nihil quod redundet, ita in hac Carminum breuitate nihil quod desit, inueniri poßit. Id quod præstare, non nisi singularis cuiusdam artificis esse apud eos constat, qui de dicendi ratione libros condiderunt. Quare, ne frustra abs te huiusmodi carmina vtenda accepisse viderer, cùm primùm mihi per valetudinem licuit, nil mihi antiquius fuit, quàm vt ea quoquo modo Latina facerem. Neque enim me fugit inter nostra & Græca craßiorẽ, vt Politiani verbis vtar, quàm inter Pyramum & Thisben, parietem interiectũ esse. Quæ etiam ipsa causa fuit, cur Græca vnà emittam, ne pro thesauris carbones duntaxat à me offerri Lector queri poßit. Reliqua etiam opuscula, quæ Cyrus explanauit, versibus item reddidi. Atque, quicquid ille ad locorum obscuriorum illustrationem attulit, breuibus scholiis complexus sum. Nam vbi poëtica tãtùm vocabula per alia notiora*
D *& vsitatiora exponebat, quid erat quamobrem inutili translatione Lectorem, non tam iuuarem, quàm obtunderem? At verò integrum in Tetrasticha commentarium Latinitate donandum idcirco duxi, quòd iis optima vitæ præcepta regulásque contineri viderem. Quanquam apud hunc enarratorem loca quædã sunt, in quibus mihi cum eo non planè conuenit: rectène an contrà, ipse iudicabis, cuius censuram nemo, nisi admodum peruicax & impudens, aspernari queat. Quid enim hæc ætas eruditius, quid sanctius, quid in omni virtute insignius habet? Nam quid de propẽsißimo isto tuo in rem litterariam, eiúsque cultores studio dicam? quippe qui thesauros tuos, hoc est libros, quos opum omniũ instar semper habuisti, tam benignè, cum exteris etiam, idque vltro ac tua sponte cõmunicas: quibus tamẽ plerique, tãquam canes fœno, incubãt, vt qui nec ex his fructũ vllum capiant, nec alios capere sinãt: digni profectò qui cũ libris suis à blattis exedãtur. Quò magis humanitatẽ tuã suspicio atque exosculor, qui nõ contẽtus ad me hanc Gregorij appendicem misisse, simulátque me vertendo Damasceno operam dare intellexisti, statim doctißimã eiusdem aduersus Manichæos disputationem*
E *vnà cũ duabus de D. virginis Mariæ Assumptione Oratiunculis ad me mittẽdam curasti: tuóque, vt opinor, exemplo, ac precibus, illustrißimũ Cardinalem Caraffam adduxisti, vt ex instructißima sua bibliotheca Neapolitana se mihi Parallela (cuius libri mira cupiditate iampridem teneor) breui missurũ reciperet. Quod si cõtigerit, cùm magnum ad tua erga me merita cumulũ accesßisse, tumme ingẽti beneficio eidem Caraffæ obstrictũ esse iudicabo. Interim autẽ versiunculã hãc, exilẽ quidem illã, ac tãto viro prorsus indignã, cæterùm ab addictißimo tibi animo profectã, tuóque illustrißimo nomini, pro multis ac præclaris tuis erga me beneficiis, tãquam χαριστήριον quoddam, dicatam atque consecratam, eo animi cãdore ac beneuolẽtia quæso accipe, quam in reliquis Gregorij operibus, à me pridem de Græco in Latinum conuersis, præstitisti. Optime vale litteratorum decus: ac me in eorum album ascribe, quos tibi deuinctißimos habes. Lutetia Parisiorum Nonis Iunij,* 1575.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑ- A
ΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙ- ΣΚΟΠΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ,
τοῦ θεολόγου, λόγος α.


ΙΔΑ μὲν ὡς σχεδίῃσι μακρὸν πλό-
ον ἐκπεράωμεν,
Ἢ τυτθαῖς πτερύγεσσι πρὸς οὐρα-
νὸν ἀστερόεντα
Σπεύδομεν, οἷσιν ὄρωρε νόος θεότητ' ἀναφαίνειν,
Ἣν οὐδ' οὐρανίοισι σέβειν σθένος, ὅσσον ἔοικεν,
Ἢ μεγάλης θεότητος ὅρους, καὶ οἴακα παντός.
Ἔμπης δ', οὐδὲ θεὸν γὰρ ἀρέσσατο πολλάκι δῶ-
ρον,
Πλειοτέρης ἀπὸ χειρὸς ὅσον φιλίης ὀλίγης τε,
Τοὔνεκα θαρσαλέως ῥήξω λόγον, ἀλλ' ἀπὸ τῆλε
Φεύγετε, ὅστις ἀλιτρός· ἐμὸς λόγος, ἢ καθαροῖσιν,
Ἠὲ καθαιρομένοισιν ὁδ' ἔρχεται· οἱ δὲ βέβηλοι,
Ὡς θῆρες Χειστοῖο κατ' οὔρεος ἀκροτόμοιο
Λαμπομένου, Μωσῇ νόμον ἐνὶ πλαξὶ γράφοντος,
Αὐτίκα ῥηγνυμένοισιν ὑπὸ σκοπέλοισι δαμεῖεν.
Κεῖνοι μὲν δὴ τοῖα· καὶ ὡς λόγος ὦσε κακίστους
Ἡμετέροιο χοροῖο θεημάχον ἦτορ ἔχοντας.
Αὐτὰρ ἐγὼν ὅπα τήνδε προοίμιον ἐν σελίδεσσι
Θήσομαι, ἣν τὸ πάροιθε θεόφρονες ἄνδρες ἔηκαν,
Λαῶ ταγῶ ἄγοντες ἀπηνέϊ μάρτυρε μύθων,
Μωσῆς, Ἠσαΐας τε, ἐπισταμένοις δ' ἀγορεύσω.
Ἤτοι ὁ μὲν νεόπηγα διδοὺς νόμον, ὃς δὲ λυθέντος,
Οὐρανὸς εἰσαΐοι, χθὼν δέχνυσο ῥήματ' ἐμοῖο.
Πνεῦμα θεοῦ σὺ δ' ἐμοῖγε νόον καὶ γλῶσσαν ἐγείροις B
Ἀτρεκίης σάλπιγγα ἐρίβρομον, ὥς κεν ἅπαντες
Τέρπωνται κατὰ θυμὸν ὅλῃ θεότητι μιγέντες.
Εἷς θεός ἐστιν ἄναρχος, ἀναίτιος, οὐ περίγραπτος,
Ἤ τινι πρόσθεν ἐόντι, ἢ ἐσσομένῳ μετέπειτα,
Αἰῶν' ἀμφὶς ἔχων, καὶ ἀπείριτος, υἱέος ἐσθλοῦ
Μουνογενοῦς μεγάλοιο πατὴρ μέγας, οὔ τι πεπονθὼς
Υἱέϊ τῶν ὅσα σαρκὸς, ἐπεὶ νόος. εἷς θεὸς ἄλλος,
Οὐκ ἄλλος θεότητι θεοῦ λόγος, οὗτος ἐκείνου,
Σφρηγὶς κινυμένη πατρώϊος, υἱὸς ἀνάρχου
Οἶος, καὶ μούνοιο μονώτατος ἰσοφέριστος,
Ὥς κεν ὁ μὲν μίμνῃ γενέτης ὅλος, αὐτὰρ ὅγ' υἱὸς C
Κοσμοθέτης νωμεύς τε παῤῥόος, σθένος ἠδὲ νόημα.
Ἓν πνεῦμ' ἐξ ἀγαθοῖο θεοῦ θεός. ἔῤῥετε πάντες,
Οἷς μὴ πνεῦμ' ἐτύπωσεν ἑὴν θεότητ' ἀναφαίνειν,
Ἀλλ' ἢ βένθος ἔχουσι κακῶς, ἢ γλῶσσαν ἄναγνον,
Ἠμιφαεῖς, φθονεροί τε, νοήμονες αὐτοδίδακτοι,
Πηγὴ κευθομένη, λύχνος σκοτίοις ἐνὶ κόλποις.

D. GREG. NAZIANZENI D
DE PRINCIPIIS SEV PRINCIPIO.

Carmen primum.

ARGVMENTVM CYRI DADYBRENSIS EPISCOPI.


Vi mundanæ sapientiæ arcem tenere sibi visi sunt, omnia ea, quæ oriuntur, ad tres præcipuas ac primarias causas & principia retulerunt, nimirum ad mentem, & materiam, ac formam. Has porro coæternas rerumque omnium causas esse censent, eáque natura præditas, vt nulla omnino ratione aut principium aut finem vnquam habuerint, aut sint habituræ. Ac menti quidem Dei quoque nomen imposuerunt, vt quæ omnia penetret ac perspiciat. Per materiam autem, elementorum quaternionem, ac quintum præterea corpus, cæleste nimirum, acceperunt. Denique formæ vocabulo peculiarem cuiusque rei proprietatem, & qua ipsius essentia velut numeris omnibus absoluitur, intellexerunt. Quam nonnulli substantialem qualitatem, nonnulli ideam appellarunt. Atque has tres rerum omnium, quæ oriuntur, causas coæternas atque originis omnis & finis expertes, seiunctim ac sigillatim considerari asserunt. Ex quibus tanquam ex efficiente, & materiali atque formali causa, tum homines, tum animantia omnia, atque adeo stirpes omnes per generationem in mundum semper producantur, ac per corruptionem rursus intereant (iuxta fortuitam quandam & infinitam, ac nullis terminis inclusam ex successione reuolutionem) atque ita & sine principio & sine fine in perpetuum efficiantur. Huiusmodi, vt paucis complectar, hominum falsa sapientiæ opinione sese efferentium, est vanitas: digna profecto impietate ac confusione sua dogmata constituens, & vnà cum principe atque antiquissimo rerum omnium principio & causa informem labem, hoc est materiam, & formam minimè consistentem, pari robore præditas semper esse tradens. Quorum inanis atque à ratione auersæ sapientiæ turpitudinem & absurditatem, vtpote à viris diuinarum rerum cognitione præstantibus euersam atque confutatam, omittentes, veræ magni Gregorij sapientiæ assentiamur. E

IMMEN-

A MMENSVM exigua pelagus sulcare carina,
Paruísque æthereum pennis volitare per axem
Aggredimur (non me fugit hoc) quicunque Tonantis
Tendimus arcanum verbis expromere numen:
(Quod neque sat digno chorus immortalis honore
Cœlicolûm cumulare potest)[1] Triadísque referre 1
Dogmata, quæ totum moderatur legibus orbem.
Sed tamen intrepido mea vox erumpet ab ore.
Quandoquidem & Christo non tam sunt grata frequenter Quænam munera Deo grata sint.
Munera, quæ grauida diues largitur ab arca,
Quàm quæ (sit modo chara) manus pauperrima fundit.
B Ergo procul, procul extemplo scelerata caterua
Hinc fuge. Namque meus puras tantummodo mentes
Sermo petit, vel quæ sese purgare laborant.
Quod si quisquam animo, si moribus atque prophanis
Huc veniat, densa[2] saxorum mole peribit 2 Exod.19.
Obrutus: vt quondam cùm summo in vertice montis
Omnipotens claro radiaret lumine Christus,
Mosique in tabulis sanctissima iura notaret.
[3] Atque ita fecerunt Hebræi: nósque perinde 3
Sacrilega à nostris submouimus agmina verbis.
Ast mihi scribendi exorsus vox illa futura est,
C Quam prius, vt duram quaterent formidine gentem,
Per sancti misere viri (dum quærit vterque
Quos testes sermonum habeat) Mosésque piúsque Deut.32.
Esaias, Legem ille nouam cum prodidit, iste Esa.1.
Cum sacrata Dei plebs impia iura resoluit:
[4] Audite æthereæ sedes, túque excipe terra 4
Quæ dicam. Ac mihi tu quæso, cum pectore linguam
Pneuma moue, quæ sit tanquam tuba persona veri:
[5] Vt cunctos supero penitus cum numine iunctos 5
Non leuis ex nostro capiat sermone voluptas.
[6] Vnicus omnino Deus est,[7] ab origine nulla, 6. 7 Patris descriptio.
Causæque ignarus, quem circunscribere quicquam
D Quod queat haud vnquam fuit, aut quandoque futurum est:
Æuum ipse amplectens, immenso robore, nati
Vnigenæ magnus genitor.[8] quem dicere passum 8
Grande nefas quicquam fuerit, dum gignit, eorum,
Quæ carnis natura capit. nam spiritus ipse est. Filius.
[9] Vnus item est alius Deus alti Sermo parentis, 9
[10] (Non alius deitate tamen) qui manat ab illo, 10
[11] Ac viua est Patris effigies, atque vnica proles. 11
Solus & è solo, planéque æqualis:[12] vt ille 12
Duntaxat Pater, hic maneat tantummodo natus: 13
Mens Patris & robur[13], mundi moderator & auctor.
E [14] Vnus item Deus est ex summo numine manans 14 Spiritus.
Spiritus. Este procul cuncti[15] fœdéque perite, 15 Insectatur eos, qui Spiritus diuinitatem aperte profiteri non audent.
Vos quibus hoc medio non ille in pectore fixit,
Pneuma Deum vt clara dicatis voce, palámque.
Sed malè vel vobis sceleratum perfida morbum
Corda fouent, vel lingua timet, languétque prophana,
Ac tantum media lucetis parte, malúsque
Vos nimis exagitat liuor, doctique penes vos
Estis, & abstrusi latices, hominúmque negati
Vsibus, atque sinu tenebroso tecta lucerna. Mat.5.

SCHOLIA.

A

1. *Triadísque referre dogmata)* θεότητος ὅρους, hoc est, vt Cyrus exponit, αὐτῆς τῆς σοφίας τὰ ἔσχατα, i. velut extremos ipsius sapientiæ limites. Ego tamen hîc per ὅρους doctrinæ diuinæ per certa capita traditionem potius accerimis perim, quemadmodum apud Græcos sæpe vsurpatur hoc vocabulum.

2. *Saxorum mole)* ῥηγνυμένοισιν ὑπὸ σκοπέλοισιν. Allegoricè exponit Cyrus σφοδροτέροις ῥήμασιν ἐλλεγκτικοῖς, i. acerrefutationibus.

3. *Atque ita fecerunt)* Sic enim Græca verba exponit Cyrus, κεῖνοι μέντοι τοῖα.

4. *Audite ætheræ)* Ob eam causam his verbis vsus est Moses, quia minimè æquum erat ex eorum numero testes adhibere, quos iamiámque peccaturos mortémque obituros esse compertum habebat. Ac proinde cœlum & terram attentas aures præbere admonet: per cœlum videlicet cœlestes ac spiritales virtutes intelligens, per terram homines eos, qui intellecturi erant, quíque ad æternam vitam ordinati erant.

5. *Vt cunctos supero* ὅλῃ θεότητι μιγέντες, hoc est, vt Cyrus exponit, veritati totius diuinitatis assentientes, eíque mente per fidem coniuncti. B

6. *Deus vnus est)* Possunt quidem hæc quoque de tribus Personis piè atque orthodoxè intelligi, quemadmodum ea exponit interpres Græcus: tamen si contextũ diligenter quis animaduertat, de Patre solo hîc potius verba fieri existimabit: hoc potissimum argumento motus, quòd non dubium est, quin Gregorius, auctor accuratissimus, diuinitatis doctrinam tradens, τὸ ἄναρχον καὶ ἀναίτιον, quæ apud Græcos auctores, quemadmodum & τὸ ἀγέννητον, Patri propriè tribuuntur, in propria significatione posuerit.

Principij & causę voces duplici modo accipiuntur.

7. *Ab origine nulla)* ἄναρχος καὶ ἀναίτιος. Diuerso autem modo Pater Filius & Spiritus sanctus, originis seu principij, causæque expertes sunt. Pater enim hac ratione ita dicitur, quia nullam substantiæ suæ antegressam causam habet. Antiquissimum quippe omnium rerum principium ipse est, primariáque ac πρωτουργός, i. prima efficiens causa. At verò Vnigenitus & Paracletus principij causę quæ expertes prædicantur, non quòd antecedens principium aut causa non cum ipsis consideretur (ad principium enim & causam, hoc est ad Patrem, ambo referuntur: ille nempe, vt citra controuersiam omnem ex eo genitus, expreßúmque eius sigillum, hic velut ab eodem progrediens ac procedens) sed quòd nec tempori, nec æui causæ ac principio subsint. Quemadmodum enim Pater ipse ab omni circunscriptione remotus est, vt qui nec antiquiore quoquam, nec posteriore contineatur, iuxta illud Scripturæ, Ego sum α & ω: ita etiam Filius & Spiritus sanctus nec tempore, nec æuo, nec procreatæ cuiusquam mentis cõprehensione circumscribuntur. Infinitus quippe est Deus, siue eum iuxta sublimius principij profundum, siue iuxta inferius, ac finem contempleris. C

Apoc. 22.

8. *Quem dicere passum)* Tempus generationem illam haudquaquam antecessit, nec substantiæ ratione gignens genito antiquior est, quemadmodum nec productor procedente ex eo Spiritu. verùm simul atque Pater est, simul quoque Filius gignitur, simúlque collucet Spiritus. Non voluntas illic, non fluxio, non quicquam aliud rerum corporearum simul consideratur, cum de generatione illa, quæ omnem orationis mentísque facultatem superat oratio habetur: quandoquidem mens est is qui gignit: spiritalitérque, vt solus ipse nouit, & sine passione, tẽpore, & fluxione, ac supra omnem corporis speciem ea, quæ ex ipso sunt, pullulant.

9. *Est alius Deus)* Est quidem vnus Deus principij & causæ, vt dictum est, expers Pater, qui etiam vnum est, principio omni sublimius principium, rerúmque omnium causa, causam omnem exuperãs. Atque est vnus alius Deus, vnus quidem, quia vnigenitum est illud Patris Verbum, Deus autem, quia ex Deo est, ex ente ens ex viuente viuens, ex vero verus: alius verò ac diuersus, quantum ad Personam notæque proprietatẽ attinet, non item aliud est Filius quàm Pater, quantum ad diuinitatis naturam spectat. D

10. *Non alius deitate)* Sola enim ea proprietate, qua genitus est, ab ingenito differt. Est enim paternum sigillum, paternæque substantiæ nulla omnino in re dissimilis imago, principij expers principio carentis, immortalis mortem nescientis, sempiternum sempiterni. Hic est principium ex principio, vita ex vita, lumen ex lumine.

11. *Viua est)* κινουμένη σφραγίς, i. motus præditum sigillum. Sic alio loco κινουμένους πίνακας mulieres eas vocat quæ fuco ac picturis vtuntur. Billius

12. *Vt ille)* hoc est eiusmodi qui nunquam à sua proprietate dimoueri queat.

13. *Mundi moderator)* Gr. κοσμοθέτης hoc est, & mundum eum qui intelligentia percipitur, & eum qui in sensum cadit, vt robur & cogitatio. i. potentia Patris & sapientia, concinnans, exornans atque constituens, vt rerum omnium architectus & arbiter.

14. *Vnus item Deus (* Arcana illa natura, immmensa illa bonitas, illa quæ nullis nominibus exprimi potest, superessentialitas, illa denique maiestas, pro eximia sua atque excellẽti benignitate mortales quoque, pro ipsorum captu, illustrare ex se cupiens, per vocabula apud ipsos maximè propria, ad ipsorum imbecillitatem sese indulgenter accommodans, magnificentiam suam exiliter ac subobscurè, vt licet, conspiciendam præbet. Ac nunc quidem Entem sese vocat, non vt vnũ aliquod eorum, quæ ab ea vt sint acceperunt, sed vt sola propriè ac verè, ac præstantissimè existens, vniuersúmque id quod est superessentiali modo in se antè complexa: nunc autem Deum rursus ac Dominum, vt rerum omnium spectatricem aut effectricem, ac pro potestate omnia dextra sua omnipotente gubernãtem. Quin nonnũquam etiam primum & nouissimum, principium & finem se esse pronunciat, id videlicet his verbis indicans, quòd principio careat, sempiternáque & immortalis sit. Interdum item sapientiam & potentiam, ac vitam & lucem, pacem etiam & charitatem, & iustitiam & veritatem per Scripturas diuinitus inspiratas se esse docet: vt nimirum per varia huiusmodi ac multiplicia diuinitatis nomina laudis, ac certæ veritatis cognitionis materiam iis, qui ea se dignos præstant, suppeditet. Ac quidem ea nomina, quæ com- E

παρ' αὐτοῖς lego nõ αὐτῆς.

Θεὸν enim ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι quidã deducunt. Ante τούτων pono ὅσα.

A *quæ communia sunt, cuiusmodi sunt ea, quæ proximè commemorauimus, eodem modo cuilibet Personarum accommodantur: at ea quæ propriè in vnaquaque Persona considerantur, non naturæ communitatem, sed Personarum trinitatem ostendunt. Pater enim & Filius & Spiritus sanctus, seu mens, verbum, & spiritus, aut, ingenitus, genitus, & procedens, non vnius diuinitatis naturam, sed tres ipsius proprietates declarant. Vnus proinde est Pater ac perfectus haud dubiè, principiique expers, vt increata mens, principiorúmque principium omni principio sublimius. Vnus Filius & Verbum Vnigenitus ille, perfectus ex perfecta illa & increata mente ac Patre: quique ante omnia secula supra omnem cogitationem sermonísque facultatem extiterit, sítque ipse primogenitus omnis creaturæ, causáque originalis & principium. Eodémque modo vnus Spiritus sanctus perfectus, à paterna superessentialitate sine vllo principio procedens, vtpote qui & principium sit cum principio, sempérque cum Verbo velut cognato, itidémque principij experte, condeoque ac simul bono sit, cunctáque benigna* ὁμοθέῳ *Patris voluntate vnà cum eo fabricetur & efficiat. Quemadmodum igitur Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus, verè vnus Deus sunt, non tres, ob deitatis vniformitatem: ad eundem quoq; modum dominus, dominus & dominus, sanctus, sanctus & sanctus, non tres domini nec tres sancti sunt, sed vnus verè dominus & vnus sanctus, propter dominationis & sanctitatis identitatem. Consimili etiam modo principium Pater, principium Filius, principium Sp. sanctus, in diuisionis omnis expertem principatum coguntur ac complicantur.*

B *15. Fædéque perite) Postquam vnum quoque Spiritum sanctum esse dixit, atque ex bono bonum, ex Deo Deum cecinit, Patrique & Filio* ὁμόθεον; *id est, simul Deum aperta ac libera oratione prædicauit, iam eos, qui aliter sentiunt, insectatur, valere nimirum ac plorare in séque ipsis corrumpi atque interire eos iubens, quos Spiritus sanctus, vt indignos à quibus ipsius diuinitas sanctitásque prædicaretur, ablegauit ac repulit. Hi enim, partim intimo quoque pectore ægrotantes, quòd videlicet indigna Spiritus sancti diuinitate sentiant, partim timiditati suæ ignauiæq; consulentes, atque sana quidem & incolumi mente se esse existimantes, caterùm sanctitatis expertem linguam suam seruantes (quòd nempe veritatem libera voce profiteri vereantur) dimidia tantùm parte clari esse conuincuntur, inuidiæq; morbo laborare, quòd scilicet per liberam fidei prædicationem & de* μὴ lego nō *se, & de aliis bene mereri recusent: prudentésque apud sese & in oculis suis esse atque eruditi. Ob eámque cau-* μετὰ. *sam fonti in tenebrosis terræ recessibus abstruso, aut lucernæ sub modio, vt diuinis literis proditum est, collocatæ,* Mat. 5.

C *ac delitescenti, eos similes esse dicit.*

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ,
τοῦ θεολόγου, περὶ τοῦ υἱοῦ, λόγος Β.

Υἱέα δὲ πρώτιστον ἀείσομεν, αἷμα σέβοντες
Ἡμετέρων παθέων τὸ καθάρσιον. ἦ γὰρ ἀνάγκη
Καὶ βροτοὶ οὐρανίοισιν ἀρηγέμεν εἵνεκα γλώσσης
Μαρναμένης θεότητι, κακόφρονος, αὐτοφόνοιο.
Οὐδὲν ἔην μεγάλοιο πατρὸς πάρος· ὃς γὰρ ἅπαντα
D Ἐντὸς ἔχει, καὶ πατρὸς ἀπήορος οἶδεν ὁ παιδὸς
Ἐκπεφυὼς μεγάλοιο θεοῦ λόγος ἄχρονος υἱὸς,
Εἰκὼν ἀρχετύποιο, φύσις γεννήτορος ἴση.
Παιδὸς γὰρ κλέος ἐστὶ πάϊς μέγας· ἐκ δὲ φαάνθη,
Ὡς μόνος οἶδε πατήρ τε, καὶ ὃς παιδὸς ἐξεφαάνθη.
Οὐδὲν γὰρ θεότητος ἔην πέλας· ἀλλὰ τόδ' ἔμπης
Πᾶσιν ὁμῶς μερόπεσσιν ἀειφραδὲς, ὥσπερ ἔμοιγε,
Οὐδὲν ἐμῆς θέμις ἐστὶ φέρειν θεότητι γενέθλης,
Οὐ ῥύσιν, οὐδὲ τομὴν κακοαιχέα· εἰ γὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἀπαθὴς γενέτωρ, καὶ γὰρ δετὸς οὔτι παθητὸς,
E Ὅς τι πάμπαν ἄπηκτος, ἀσώματος· ὧν γὰρ ἄπωθεν
Εἰσὶ φύσεις, τί τὸ θαῦμα καὶ εἰ γεννήσιες ἄλλαι;
Εἰ χρόνος ἐστὶν ἐμοῖο παροίτερος, οὐ περὶ λόγοιο
Ὁ χρόνος οὐ γενέτης ἐστ' ἄχρονος. ἦμος ἀνάρχου
Ἠὲ πατὴρ θεότητος ὑπέκτερον οὔτι λελοιπὼς,
Τῆμος καὶ παιδὸς υἱὸς ἔχων πατὲρ ἄχρονον ἀρχὴν,
Ὡς φάος ἠελίοιο μέγαν περικαλλέα κύκλον.
Εἰ καὶ εἴδεα πάντα κάτω μεγάλοιο θεοῖο,
Ὄφρα κε μήτι παιδὸς καὶ υἱέος αἰὲν ἐόντων
Μεσσηγὺ στήσαντες ἀπορρήξωμεν ἄνακτα
Υἱὸν παιδὸς ἄνακτος. ὁ γὰρ πάρος ἐστὶ θεοῖο,
Ἢ χρόνος, ἠὲ θέλησις, ἐμοὶ τμῆξις θεότητος.
Ὡς θεὸς, ὡς * γενέτης μέγας. εἰ δὲ μέγιστον
Παιδὶ τὸ μή τιν' ἔχειν κεδνῆς θεότητος ἀφορμὴν
Οὐχ ἧσσον μεγάλοιο παιδὸς γεννήματι σεπτῷ.
Τοίην ῥίζαν ἔχειν. τῷ μὴ θεὸν εἶργε θεοῖο.
Οὐ γὰρ ἀπόπροθι παιδὸς ἔγνως παῖν. ἡ δ' ἀγένητος
Φωνὴ, γέννησίς τε παιδὸς ἄπο οὐ θεότητος
Ἔπλετο, εἴδεα δισσά τις ἔπλασεν· ἀμφὶ δ' ἐκείνην
Ἀμφότερ' ἐκτὸς ἐόντα, φύσις δ' ἀκέαστος ἔμοιγε.
Εἰ μὲν δὴ γέννησιν ἔχει λόγος, οὔτε πατήρ τι
Σαρκός; ἄσαρκος ἐὼν ἐπιδέξεται οὔποτε τόσσον
Ἀνθρώπων νόος ἐστὶν ἀτάσθαλος ὥστε νοῆσαι,
Καὶ θεὸν υἱὸν ἔχειν, γεννήτορος ἄξιον εὖχος.
Εἰ δ' ἐπίηρα φέρων παιδὸς μεγάλου θεότητι
Μαψιδίως κενεόντε δέος πραπίδεσσι χαράσσων,
Τὴν μὲν ἀπαρνήσαιο, βάλοις δ' ἐς κλίσματα Χριστὸν,
Ἀμφοτέρων θεότητα καθύβρισας ὦ κενεόφρων,
Τὸν μὲν παιδὸς ἀμέρσας, ὁ δ' οὐ θεὸς, εἴπερ ἐτύχθη.
Πᾶν γὰρ ὃ μήποτε ἦν αὐτὸ, τὸ δὲ κ' ἀντὶ θεοῖο
Τοῖς μεγάλοισι λόγοισι μένοι, καὶ ἔμπεδον εἴη.
Τίς δὲ λόγος σε μὲν ἔνθεν ἀφορμηθέντα φέρεσθε,
Τοῖς Χριστοῦ παθέεσσι θεὸν μετέπειτα γενέσθαι,
Τὸν δ' ὑπὸ δεσμὰ φέρειν, καὶ σὸν καλέειν ὁμόδουλον
Δουλοσύνης γεράεσσι τιμώμενον ἀντιθέοιο;
Εἰ μὲν ἔτευξεν ἔπειτα θεὸς μέγας ὄργανον ἐσθλὸν
Χαλκεὺς ὡς ῥαιστῆρα ποιησάμενος δι' ἄμαξαν,

Ὥς κεν ἔμ' ἀρχεγόνοιο θεὸς χερὶ κλεαπίασῃ.
Ὧδ' ἂν, καὶ Χριστοῖο πέλοι κτίσις οὐρανίοιο
Πολλὸν ἀρειοτέρη, κείνης λόγος εἴπερ ἔκηπτι,
Οὐ κείνη Χριστοῖο. τίς ἂν τάδε μυθήσαιτο;
Εἰ δ' ὅτι σῶμ' ὑπέδεκτο τεοῖς παθέεσσιν ἀρήγων,
Τοὔνεκα καὶ θεότητι μεγακλέϊ μέτρ' ἐπιθήσεις,
Ἤλιτεν ὅς σ' ἐλέηρεν, ἐμοὶ δέ γε πλεῖον ἀγητός.
Οὔτε τι γὰρ θεότητος ἀπέξεσε, καὶ μ' ἐσάωσεν,
Ἰητὴρ δυσόδμοισιν ἐπικύψας παθέεσσιν.
Ἦν βροτὸς, ἀλλὰ θεός. Δαβὶδ γένος, ἀλλ' Ἀδάμοιο
Πλάστος σαρκοφόρος μὲν, ἀτὰρ καὶ σώματος ἐκτός·
Μητρὸς παρθενικῆς δὲ περίγραφος, ἀλλ' ἀμέτρητος.
Καὶ φάτνη μὲν ἔδεκτο, μάγοις δέ τε ἡγεμόνευεν
Ἀστὴρ δωροφόροι δ' ἄρ' ἔβαν, καὶ γούνατ' ἔκαμψαν.
Ὡς βροτὸς ἦλθ' ἐπ' ἀγῶνα, ὑπερχέθε δ' ὡς ἀδάμαστος, A
Πτέρνης τρισσοῖσι παλαίσμασιν, εἶδαρ ὑπέστη,
Θρέψε δὲ χιλιάδας, ὕδωρ τ' εἰς οἶνον ἄμειψε.
Λούσατο, ἀλλὰ κάθαρεν ἁμαρτάδας. ἀλλ' ἐβοήθη
Πνεύματι βρονταίης φωνῆς ὕπο, υἱὸς ἀνάρχου.
Ὡς βροτὸς ὕπνον ἔδεκτο, καὶ ὡς θεὸς εὔνασε πόντον.
Γοῦνα κάμεν, παρέτοις δὲ μένος, καὶ γοῦνα ἔπηξεν.
Εὔξατο. τίς δ' ἐσάκουσε λιταζομένων ἀμενηνῶν.
Ἦν θύος, ἀρχιερεὺς δέ. θυηπόλος, ἀλλὰ θεός περ.
Αἷμ' ἀνέθηκε θεῷ, κόσμον δ' ἐκάθηρεν ἅπαντα.
Καὶ σταυρὸς μὲν ἄειρε, πάγη δ' ἥλοισιν ἁμαρτάς.
Ἀλλὰ τί μοι τὰ ἕκαστα λέγειν; νεκύεσσιν ἐμίχθη. B
Ἔγρετο δ' ἐκ νεκύων, νεκροὺς δ' ἀνέγειρε πάροιθεν
Ἐκεῖνα βροτέοις πενίης, ὅδε πλοῦτος ἀσάρκου,
Μή σύ γε βορτείοισιν ἀτιμάζειν θεότητα,
Κείνη δὲ χθονίην μορφὴν ἐεικυῖα τεύχειν,
Ἥν σοί γ' εὐμενέων μορφώσατο ἄφθιτος υἱός.

D. GREG. NAZIANZENI
DE FILIO.
CARMEN SECVNDVM.

C

ARGVMENTVM CYRI.



Postquam Gregorius de principiis siue de principio, hoc est, de vno sanctæ Trinitatis principatu compendiosissimè pertractauit, atque eos quidem, qui disputandi ac contendendi libidine flagrant, omnino missos fecit, puram autem atque ab omni controuersia remotam de rebus diuinis cognitionem præstantissimè exposuit, quemadmodum de Patre prius, ita nunc quoque deinceps de Filio, ac postea de Spiritu sancto tractat. Quæ quidem in re ita se comparat, vt verum & firmum ac constans veritatis dogma egregiè magnificéque tradat: quicquid autem præter id cogitari aut dici potest, vt vanum ac superuacaneum, aut etiam falsum, quódque facilè refelli queat, ad eos qui contendendi studio impelluntur, reijciat.

1 AC primùm Nati præconia sancta canemus,
2 Mortem, qua vitij macula est detersa, colentes. D
[2] Cœlicolis etenim mortalem ferre necesse est
Auxilium aduersus linguam, quæ perfida bello,
Séque ipsam iugulans, numen cœleste lacessit.
Hæretici se ipsos iugulant.
3 [3] Nil erat ante Patrem magnum. nam cuncta coërcet
Complexu ille suo. A magno pendétque parente
Editus ex illo Sermo, qui temporis expers
Effigiem in sese Patris exprimit vndique, & illi
4 Par est natura [4] namque inclyta gloria Patris
Filius est, & grande decus. Fuge quærere quonam
Sit pacto genitus: soli cum prole parenti
5 Cognitus hic modus est [5] quis enim mortalis adesse
Tum potuit, Triadémque oculis spectare beatam? E
Sed tamen id nulli dubium est quin sectio nulla,
Nulláque sit supero prorsus tribuenda parenti
Fluxio, quæ nimiùm spurca est, nec denique quidquam,
Quod cadat in nostros ortus, quos cæca libido
Prægreditur. nam si idcirco me passio tangit,
Haud simplex quia sum, sed mente & corpore consto,
Qua iam fronte Deo tribuetur passio, cùm sit
Corporis, & rerum, propriæ quæ corporis, exors?
Nam quorum sunt dissimiles longéque remotæ

Naturæ,

A Naturæ, similes quisnam horum dixerit ortus?
[6] Si prius est tempus quàm sim, prius attamen haud est 6
Quàm Verbum, cuius Pater est sine tempore. cúmque
Nil penitus deitate sua maiúsue priúsue
Esset habens Genitor, Natus quoque tunc erat, atque
Principium ipse Patrem, qui tempus nescit, habebat:
Non secus ac magnum Phœbi lux ignea discum:
Sit licet exemplum diuino numine quoduis
Inferius. nec enim debet committere quisquam,
Vt Patris ac Nati, quorum est æternus vterque,
Quicquam interiiciat medium, sobolémque nefando
B Crimine dissociet, charóque à Patre secare
Audeat. Ille etenim deitatem dissecat audax,
Ante Deum, aut tempus quicunque, aut velle locarit.
[7] Ac sanè magnus Deus est, [8] orbísque creator. 7. 8
[9] Quòd si non vllam causam deitatis habere 9
Ad decus est amplum Genitori: non minus hercle
Illustre est Nato tali fluxisse parente,
Ducerèque hinc causam. [10] Quocirca à numine numen 10
Truncare, & stolida disiungere parcito mente.
[11] Nam neque tu sobolem nosti vnquam à patre remotam. 11
[12] Ingeniti porro ac geniti vocabula, quæ tu 12
C Incassum metuis, non sunt ea verba, patescat
Queis nobis natura Dei, certísque notetur
Indiciis [13] (nam si species hinc bina probatur, 13
Dic age quis genitor fuerit, quis fictor earum?
[14] Ast ambo circa naturam, extrinseca cùm sint, 14
Versantur, manet autem omnino insectilis ipsa.
[15] Quòd si ortum Verbo tribuas, duo lucra sequentur, 15
Nam neque propterea, careat cùm corpore, quicquam
Admittet carnale Pater (non tam impius vnquam
Vllus erit, scelus vt tantum vel pectore verset)
Et (dignum genitore decus) Deus insuper ipse
D Natus erit. Sin, dum [16] patriæ deitatis amore 16
Afficeris nimis, atque metus tibi fingis inanes,
Perfidus hanc tollas, redigásque ad condita Christum,
Amborum numen stultus violabis eodem
Crimine. namque Patri soboles tam chara peribit:
Ac rursus propria Natus deitate carebit,
Si modò conditus est [17] nam quicquid tempore cœpit, 17
Hoc etiam prorsus statui inter condita debet.
Quòd verò certum ac stabile est, & temporis expers.
Id colito, ídque Deum lingua haud trepidante vocato.
Quæ porro hæc ratio est, vt cùm per vulnera Christi,
Atque salutiferos [18] Deus efficiare dolores, 18
E [19] Deprimere hunc contrà & seruili classe locare 19
Non dubites, noménque illi Domini que Deique
Eripias, sat habens [20] meliorem dicere seruum, 20
Quíque gradu primas tantùm mereatur in isto?
[21] Iam si instrumenti Genitor vice condidit ipsum 21
(Non secus atque faber gnauus, dum condere currum
Destinat, aut aliud quicquam, prius organa condit)
Vt per primigenam ipsius tum denique dextram
Efficere, Christo multis quoque partibus esset
Condita res potior, si quidem non propter honorem

Nullis similitudinibus exprimi potest diuinæ generationis mysterium.

Eunomianos tacitè perstringit.

In eos qui Christum propter homines creatum fuisse asserebant.

Extiterit Christi, ſed contrà Christus ob illam. A
Quiſnam autem, niſi ſtultus, in has prorumpere voces
22 Suſtineat?[22] Quòd ſi, quia carnem aſſumpſerit, vt te
Eximeret grauibus vitiis, morbíſque leuaret,
Inferiore putas idcirco ſede locandum,
Diuinæque gradus naturæ figere pergis,
Scilicet errauit, tua quem flexere malorum
Agmina, quique tulit tantis medicamina morbis.
At contrà illius magis hoc quoque nomine numen
Suſpicio & veneror, quia nec deitatis ab ipſo
Facta vlla eſt prorſus iactura. mihíque ſalutem
Attulit, vt facilis medicus, dum fœtida tractat
Vlcera, pallentes ſeſéque inclinat ad ægros. B
23 [23] Ipſe quidem mortalis erat: verùm & Deus idem.
Dauidica de ſtirpe ſatus: ſed qui tamen ipſe
Condiderat primæuum hominem. carnalis: at idem
Carne vacans, de matre quidem, ſed virgine natus.
Incluſúſque loco, ſed quem menſura nequiret
Finire. exceptus ſtabulo: duce ſidere verùm
Acceſſere Magi, flexíſque haud parua dedere
Munera poplitibus puero. Certamina, tanquam
Mortalis, ſubiit: triplici ſed marte tyrannum
Fregit, vt indomitus. Sumpto ieiuna refecit
Membra cibo: verùm numeroſæ pabula turbæ C
Præbuit, & vinum liquidis expreſſit ab vndis.
24 [24] Tinctus item eſt, verùm maculas & crimina mundi
Abluit, & grandi ipſius ſanctiſſima voce
A patre teſtata eſt deitas, Natúſque vocatus.
Quin, vt homo, dulci recreauit membra ſopore:
At, velut omnipotens, compeſcuit æquoris æſtum.
Laſſos ipſe pedes ſenſit, cùm longa viarum
Conficeret ſpacia: [25] at laſſis fractíſque refudit
25 Vim genibus, fixitque recens in corpore robur.
Incubuit precibus: ſed quid? nónne ille precantum
Supplicibus votis attentam præbuit aurem? D
Victima erat: ſed & antiſtes, magnúſque ſacerdos.
Sacrificus: verum ſimul & Deus. Ipſe parenti
26 [26] Obtulit hunc, quem ſæui homines fudere, cruorem:
At totum obſcœnis luſtrauit ſordibus orbem,
27 Inque crucem eſt actus: verùm in cruce [27] fixa pependit
Noxa hominum, nobíſque ſalus hinc parta. Quid autem
Singula commemoro? Tenebroſæ ſpicula mortis
Senſit: at ipſe breui iugulata morte reuixit,
Atque prius multos ſuperas reuocauit ad auras.
Quidnam igitur? Nempe illa parit mortalis egeſtas:
Hæc opibus tribuenda Dei, quem carne vacare E
28 Non dubium eſt. Ideóque caue [28] ne dum anxius hæres
Humana expendens, minuas deitatis honorem.
Quin ob eam potius martalem extollere formam
Eſto memor, quam chara, tui dum flagrat amore,
Ætherei aſſumpſit proles æterna parentis.

Ingratitudo errũ qui Chriſtum ob paſſionem deprimũt.

SCHOLIA.

1. *Qui de vna quapiam ex tribus Perſonis tractare ag greditur, facere non poteſt quin de iis quoque, quæ eiuſdem claßis ſunt, ſermonem vnà contexat. Et quemadmodum qui de Patris diuinitate diſſerit, huic neceſſariò*

& Filius

A *& Filius & Spiritus sanctus, ut qui unà cum eo considerentur, in mentem veniunt: ad eundem modum is quoque, qui Filium in Spiritu celebrare in animum induxerit, huic Patrem quoque luminum unà laudare necesse est. Consimilique ratione, qui de Spiritu sancto in eo ipso Spiritu verba facit, quî tandem aut Patris aut Filij obliuisci queat? Quemadmodum enim, cùm essentiæ ac diuinitatis ratione vnum sint, cohærent inter se atque vniti sunt, altiúsque in alio semper manentes, nullo omnino modo diuelli sustinent, hoc vno excepto, quòd tres personæ sunt: ita etiam ab excelsis mentibus, ac speculandi vi præditis considerantur.*

2. *Cœlicolis)* δόγμασι τοῖς οὐρανίοις *exponit interpres Græcus, id est, cælestibus doctrinis. Ego tamen hîc per* οὐρανίους, *angelos potius acceperim.*

3. *Nil erat ante) Nihil magnum Deum & Patrem, nihil principiorum omnium principium antecessit. Nam nec tempus nec æuum antiquius est eo, qui & æuum omne & tempus procreauit. Omnia porro quæ sunt, ab eo qui verè atque essentialiter, imò omni essentia præstantiore modo est, vt essent acceperunt. Atque adeò ipse cuncta in vniuersum complexu suo tenet, vel etiam antè cæpit: nec Pater duntaxat, sed & is qui ex Patre pendet, vt qui eiusdem cum eo naturæ sit, atque ob omni æternitate ipsi cohæreat, vt ex ipso natus, aut vt sine tempore genitus* συνειληφὼς ἢ περιειληφώς.

B *filius, aut denique vt imago viua ex archetypo irradians, prorsúsque cum causa sua eadem. Vt ergo magnus Pater omnia complexu suo coërcet, omniáque quæ condita sunt, antequàm efficerentur, cognita atque explorata habet: ita etiam magnus Patris Filius ac Verbum omnia ea in se continẽs, quæ Pater, eodem modo omnia cernit, atque de Patris consilio ac sententia omnia condidit.*

4. *Namque inclyta gloria) Ab iis, quæ apud nos augustissima sunt, Theologus per indulgentis cuiusdam demissionis modum ansam arripiens, Gloria, inquit, magni Patris est magnus Filius. Ex Patris enim maiestate, gloria quoque Filij consentanea ratione declaratur. Atque vt intelligas quàm arcanus, atque omnem comprehensionem excedens cœlestis huius generationis modus sit, quámque, tum angelorum, tum hominum cognitionem superet, Solus, inquit, Pater modum eum quo gignit perspectum habet, ac solum item Verbum, quod ex ipso gignẽte Patre sine tempore oritur.*

5. *Quis enim mortalis) Posteaquàm dixit nemini, excepto Patre ac Filio, supernæ generationis modum exploratum esse, consentanea ratione hoc confirmat. Nihil enim, inquit, aliud erat diuinitati vicinum, hoc est, nec principij expers, nec procreata vlla essentia, in propinquo inter Ingenitum Patrem & Genitum Filium, ac Spiritum*

C *videlicet illum, qui eiusdem naturæ est, intersecta aderat: vt generationis illius ab omni fluxione remotæ, ac principio omni antiquioris, modum compertum habere queat. Cæterùm illud omnibus, vt opinor, æquè ac mihi perspicuè liquet, nefas omnino esse quicquam eorum, quæ in hominis generatione considerantur, velut fluxionem, aut fœdam quandam sectionem, aut denique libidinosam vllam affectionẽ, in illa incorporea atque impassibili, atque adeo essentia omni præstantiore natura cogitari debere. Etenim si quod non sine libidinoso motu pater efficiar, eò fit, quia carnis vinculis astrictus sum, profectò qui supra corpoream omnem naturam aut speciem, altissimè omnino situs est, idem quoque natura ab omnibus iis passionibus, quæ corporis propriæ sunt, remotissimus sit, necesse est.*

6. *Si prius est tempus) Quemadmodum alterius naturæ est corpus passionibus obnoxium, quàm id cuius essentia corpore ac passione omni vacat: eodem modo id quod in tempore fit, alterius etiam naturæ est. Proinde si tempus me antecessit (tempori quippe subsum) non ideo tamen Verbo quoque ipso, cuius Pater temporis expers est, antiquius fuerit. Vna etenim eadémque gignentis & geniti natura est, iisdémque naturalibus proprietatibus vtitur. Quamobrem, vt Pater libidinis stimulis obnoxius, atque in tempore ortus, libidinosè quoque atque in*

D *tempore similem gignit: eadem ratione mens illa libidinis & temporis expers sine vllo libidinis motu ac tempore Verbum suum producit. Quòd si tu, contentionis, studio ductus, quæras, Ecquando igitur Pater genuit? hoc habeto, quòd ex quo Pater, qui extra tempus est, nihil diuinitate sua prius antiquiúsque liquit, ex eo quoque Verbum originem temporis expertem Patrem habens, coæternè apud ipsum est, non secus ac forma quædam ex paterna substantia irradians, instar videlicet lucis huius in sensum cadentis ex orbe solari sublucentis. Verum enimuerò cùm ad exprimendum Patrem, orbem solarem, ad Filium autem, Solis lumen accepisset, ne quis prorsus inter se æqualia hæc exempla esse existimet, omnes, inquit, rerum conditarum formæ atque imagines diuinæ maiestati cedunt. Etenim cùm Pater & Filius æuo omni superiores sint, periculum est, ne per hæc nobis nota & familiaria exempla huc adducamur, vt quicquam inter Patrem ac Filium collocantes, hoc est, vel tempus, vt in sole ac lumine (prius enim lumen est, atque ita demum sol) vel voluntatem (vt in iis qui corporeo modo gignunt atque gignuntur) tum Patrem à charissimo & Vnigenito, tum Filium à Patre abstrahamus aut diuidamus. Nam siue tempus, siue voluntas ante Filij generationem, vt dementibus hæreticis placet, excogitetur, nihil aliud meo quidem iudicio, ait Theologus, hoc erit, quàm diuinitatis sectio, ac distinctio superessentialitatis*

E *& gloriæ Filij à Deo.*

7. *Ac sanè magnus) Magnus in diuinis Scripturis Deus prædicatur, atque adeò magnus, vt nec modus ac finis, nec vllus magnitudinis ipsius numerus excogitari queat, Magnus porro verè prædicatur, non hoc tantùm nomine, quòd & mundum eum, qui intelligentia percipitur, & eum qui in sensum cadit, ex nihilo condiderit ac produxerit: verùm ob id multò magis, quod magni ac superessentialis, & consubstantialis atque coæterni, eiusdémque etiam naturæ ac potentiæ, ac denique rerum omnium parentis & architecti Filij Pater est. Proinde si maximum hoc atque ad laudem amplissimũ est Patri, quòd ex se suáque essentia Filium singulariter genuerit, nulla videlicet alia ad diuinitatis Filij productionem causa insuper accedẽte, non minus certe præclarum est vnigenito Deo verbo ex huiusmodi paterna radice promanasse.*

8. *Orbísque creator) Desideratur in Græco versu vna dictio. sic enim legitur,* ὡς θεὸς, ὡς γενέτης μέγας, εἰ δὲ μέγιστοι *Post* ὡς *legendum vel* κόσμου *vel* ἠδ᾽ κόσμου *vt malim, facit interpres Græcus, cuius expositio hanc lectionem comprobare videtur.*

9. *Quòd si non vllam*) τὸ μὴ τί ἔχειν κἀν τῆς θεότητος ἀφορμήν. *Quæ verba non eum sensum habent, quem ex interprete Græco proxima annotatione. 7. attulimus: verùm idem prorsus valent ac si dixisset,* τὸ μηδεμίαν αἰτίαν θεότητος ἔχειν, *id est,* τὸ ἀναίτιον εἶναι. *Idq; perspicuè colligi potest ex nonnullis Gregorij orationibus, in quibus eodem modo argumentatur. Bill.* A

10. *Quocirca à numine numen*) τῷ μὴ θεὸν ἄειρε θεοῖο, *id est,* τέμνε *scinde, hoc est, Noli eum, qui Patri honore æqualis est, aspernari, atque ignominia afficere, eóque temeritatis prorumpere, vt rerum omnium conditorem ad rerum conditarum classem deprimas.*

11. *Nam neque tu*) *Quid enim? inquit, An tu vel in humanis rebus Filium à paterna natura disiunctum atq; alienum vnquam cognouisti? Natura enim ita comparatum est, vt in omnibus etiam animantibus Pater similem sibi, quod ad essentiam attinet, gignat.*

12. *Ingeniti porro*) *Voces ingeniti & geniti, siue* ἀγεννησίας, *id est, innascibilitatis, & generationis, non naturæ diuersitatem ac disiunctionem indicant. neque enim per eas essentiæ seu diuinitatis, verùm personarum discrimen exprimitur: quemadmodum videlicet per Patris & Filij vocabula. Quocirca vox hæc, Generatio, Filium ab Ingeniti diuinitate, haudquaquam submouet.* B

13. *Nam si species*) *Gr.* εἴδεα διοσὰ, τίς ἔπλασεν. *Quorum verborum hic est sensus. Si aliud essentiæ genus Ingenitum, aliud Genitum significant, quemadmodum immortale & mortale, incorporeum & corporeum, suntq; duplices hæ species natura inter se contrariæ, hoc iam inuestigemus, quis tandem eas effinxerit, atque inter se opposuerit? Neque enim hoc quisquam dixerit, contrarium ex contrario gigni, nec item illud, priuationem habitus, aut contra habitum priuationis causam esse. Quid igitur afferri potest, cur Ingenitum, si naturam & essentiam, vt iis, qui contendendi libidine flagrant, placet, significat, non simile sibi ingenitum, sed genitum gignat? Nisi fortè alium rursus Deum effingant, ingeniti ac geniti fontem atque auctorem, non secus atque incorporeæ & corporeæ essentiæ. Verùm hi quidem procul ablegentur. Nos autem Theologicam vocem amplectentes, indiuiduam atque inseparabilem, vt simplicem ac singularem, atque vnitate omni coniunctiorem, diuinam naturam scimus ac profitemur. At verò hæc duo, hoc est, Ingenitum & Genitum, de quibus hoc loco sermo habetur, addam etiam Procedens, extra diuinitatis essentiam sunt, ac Personarum trinitatem distinguunt & exprimunt.*

14. *Ast ambo*) *Perspicuus est sensus ob parenthesim, qua præcedentia verba inclusimus. Voces, inquit, Ingeniti & Geniti, non naturam ipsam diuinitatis nobis exprimunt, sed circa eam considerantur. Idem sæpe inculcat Gregorius in orationibus. Interpres Græcus non satis Gregorij mentem hoc loco assecutus fuisse videtur. Billius.* C

15. *Quòd si ortum*) *Conferamus, inquit Gregorius, sententiam nostram cum vestra, ô Arriani, quantúmque inter vtramque intersit, perspiciamus. Etenim si, vt nostra fert fides, ex Patre, tanquam ex mente, citra tempus vllum ac libidinem Filius gignitur, nec Pater ipse, cùm carne vacet, ac supra omnem corpoream speciem superessentialiter assurgat, quicquam eorum, quæ corporis sunt, patietur (absit enim vt mens hominum in tanta impietate versetur, vt quicquam absurdi de eo cogitet:) & tu Deum verum, vtpote è vero Deo progenitum, Filium habiturus es, decus atque ornamentum, paternæ maiestati omnino par.*

16. *Patriæ deitatis amore*) ὅπῃ ἐς φέρων, *id est,* χάριν χαταπθέμενος, *vt exponit Cyrus. i. gratificari studens Patri.*

17. *Nam quicquid tempore*) *Sensus horum verborum talis est: Omnia quæ non temporariè in Deo Verbo considerantur, vt sermones de assumpta ab eo humanitate, sed semper ei affuisse prædicantur, hæc, æquè ac magni de Deo sermones, in ipso manent, ac firma & stabilia sunt. Hæc Cyrus Nicetas: quem hoc loco fefellit, quid velit Theologus noster. Hæc enim verba,* πᾶν γὰρ ὃ μή ποτε ἦν, αὐτῷ, *nihil aliud significant, quàm, si factus sit Filius, eum Dei nomen obtinere non posse, quandoquidem quicquid ortus principium habuit, in rerum conditarum numerum ascribendum sit. At verò generationis vocabulum æquè amplum atque honorificum censendum est, ac quoduis aliud quod diuinitati tribui possit. Horum verborum hæc mihi genuina sententia esse videtur.* D

18. *Deus efficiare*) *id est, Deus per gratiam efficiaris, ac nuncuperis.*

19. *Deprimere hunc*) *Ad verbum, vinculis subiicere, hoc est, in creaturarum ordinem cogere.*

20. *Meliorem dicere*) *Gr.* δὺ λεούτης γεγάοσι τιμήσομεν ἀντιθέου, *hoc est, si aliis quidem creaturis præstantiorem, per summam nimirum atque omnibus numeris perfectam & absolutam virtutem, eum concelebres, non tamen vt Deum verum, sed vt probum seruum, omnes diuinis muneribus antecellentem. In Græco tamen legendum duabus dictionibus.* ἀντὶ θεοῖο.

21. *Iam si instrumenti*) *Si Deus, inquit, Filium tanquam commodum quoddam atque concinnum instrumentum idcirco fabricatus est, vt sibi ad rerum omnium procreationem inseruiret, quemadmodum faber forcipem propter currum elaborat: si, inquam, ob eam causam Filius procreatus est (vt vos Arriani contenditis) vt me Deus primigenij, hoc est, primogeniti Christi, manu postea conderet, operæpretium est considerare quanta inde absurditas emanet. Ita enim ipso quoque Verbo creatura per eum facta, etiam quæ ratione caret, melior planè longéque præstantior sit necesse est: siquidem Christus illius causa, ac non creatura propter creatorem condita sit. Neque enim dubium est, quin id quod alterius causa fit, deterius eo sit, propter quod efficitur, quemadmodum quoduis instrumentum vilius despicabiliúsque est eo opere, propter quod assumptum est. Quocirca si verbum mea causa extitit, causæ vtique ratione superior sum. Et quis hoc dicere audeat, aut dicentem sustineat?* E

22. *Quòd si quia carnem*) *Ecquam, ô hæretice, aliam causam afferre potes, cur Filius corpus assumpserit, quàm quòd magna nostri commiseratione affectus sit, vt videlicet nos ab omni diaboli peruersitate liberaret? Ergo si propterea in diuinitatis maiestatem offendens, paterna diuinitate inferiorem eum esse ais, ipsiq; humanæ vilitatis modulos imponens, eum in classem tuam redigendo, ac tibi æquando imminuis, hoc ergo nomine ipse peccauit, quòd calamitate tua commotus est, atque inenarrabili quadam indulgentia humi iacentem in altum erexit. Ita pro eo quòd tam eximio atque incredibili beneficio accepto, gratias agere debebas, contumeliam amoris atque honoris*

A *honoris loco rependis. Mihi verò vel ob hoc maximè, inquit, admiratione ac gloria dignus occurrit, quòd nec ob demißionem eam, qua se ad corpus animiq́; mei morbos inclinauit, ex diuinitatis priuilegiis quicquam ipsi decreuerit, & interim mihi vitia mea absterserit, instar optimi medici, ad eos qui aduersa valetudine conflictantur, humanè se inflectentis ac demittētis, ac plerumq; insuauißimos odores perferentis, vt ægrotātis morbū propulset.*

23. *Ipse quidem mortalis erat*) *Hîc Spiritu sancto maiorem in modum afflatus, eas quoque hæreses, quæ post ipsius tempestatem emersuræ erant, hoc est, Nestorianam diuisionem, Eutichianámque naturarum confusionem, actionúmque ac voluntatum permixtionem prospiciens, ac sermone ancipiti gladio penetrabiliore amputans, vnum quidem, personæ ratione, Dominum esse astruit: duplicem autem, quantum ad naturas, ac naturales proprietates spectat. Ac proinde eundem & hominem & Deum esse ait: ex Dauide genus ducentem, cæterùm Adami effictorem: carnem ferentem, verùm extra carnem interim manentem: matre editum, sed virgine: circumscriptum carne, sed cuius diuinitas mensuram omnem circumscriptionémque respuat.*

24. *Tinctus item est*) *Ablutus est Christus in Iordanis vndis, quemadmodum & promiscua turba: sed idē ipse mundi peccata de medio tollit, ac purgat, ac voce Patris per Spiritum intonante, quòd charus Filius esset, in-*
B *clamatum est, atque illustre inde testimonium accepit.*

25. *At laßis*) *Gr.* παρέτοις, *id est,* παρειμένοις τὰ μέλη καὶ παραλελυμένοις, *id est, iis qui membris capti, fractique erant, ac Paralysi laborabant.*

26. *Obtulit hunc*) αἷμ' ἀνέθηκε θεῷ, *id est, Cruorem suum Patri obtulit, in quo ad eum in interiora velaminis ingressus est.*

27. *Fixa pependit*) πάγη δ' ἥλοισιν ἁμαρτάς. *Sic enim legendum non* πάντη, *vt in codice Sirletiano:*

28. *Ne dum anxius hæres*) *Gr.* μὴ σύγε βροτέοισιν ἀτιμάζειν θεότητα. *Vbi tamen fortasse legendum,* μὴ σύγε τοῖς βροτέοισιν. *Ne eo audaciæ proruas, vt per ea quæ in carne humilia abiectáque sunt, diuinitati ignominiam inferas: quin potius in ea terrenam formam, quàm Filius amore ac beneuolentia erga te ductus, sibi indidit, celebra & laudibus extolle.*

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ,

C τοῦ θεολόγου, περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, λόγος Γ.

Θυμὲ τί δηθύνεις; καὶ πνεύματος εὖχος ἄειδε,
Μηδὲ τέμῃς μύθοισιν, ὃ μὴ φύσις ἐκτὸς ἔθηκε.
Πνεῦμα μέγα τρομέωμεν, ὁμόθεον, ᾧ θεὸν ἔγνων,
Ὃς θεός ἐστιν ἔναντα, καὶ ὡς θεὸν ἐνθάδε τεύχει.
Πανσθενὲς, αἰολόδωρον, ἁγνῆς ὕμνημα χορείης,
Οὐρανίων χθονίων τε φερέσβιον, ὑψιθόωκον,
Πατρόθεν ἐρχόμενον, θεῖον μένος, αὐτοκέλευστον,
Οὔτε πάϊς, μοῦνος γὰρ ἑνὸς πάϊς ἐσθλὸς ἀρίστου.
D Οὔτ' ἐκτὸς θεότητος ἀειδέος, ἀλλ' ὁμόδοξον.
Ὅς τις δ' ἐν σελίδεσσι θεοπνεύστοιο νόμοιο
Πνεύματος οὐρανίοιο λαβεῖν ποθέει θεότητα,
Πολλὰς μὲν πυκινάς τε τρίβους εἰς ἓν ξυνιούσας
Ὄψεται, ἣν ἐθέλῃσι, καὶ εἴ τι πνεύματος ἁγνοῦ
Εἴρυσεν ἡ κραδίη, καὶ οἱ νόος ὀξὺ δέδορκεν.
Εἰ δὲ γυμνὴν ποθέεις φωνὴν θεότητος ἐραννῆς,
Ἴστω μὴ πινυτὸν ποθέων λόγον. οὐ γὰρ ἐῴκει,
Μήπω τῆς Χριστοῖο βροτοῖς πλεόνεσσι φανείσης,
Ἄχθος ἄγειν κραδίῃσιν ἀφαυροτάτοισιν ἄπιστον.
Οὐδὲ γὰρ ἀρχομένοισι τελειοτέροιο λόγοιο
E Καιρὸς ἔην; δ' ἀμυδροῖσιν ἔτ' ὄμμασιν ἢ πατρὸς αὐγὰς
Δεῖξεν ὅλας, ἢ φωτὸς ἀπληστοτέροιο κόρεσσεν;
Λώϊον ἦν κατὰ μικρὸν ἄγειν πυριθαλπέας αὐγάς.
Μή πως καὶ γλυκεροῖο φάους πηγάς τι χαλέψῃς.
Ὡς γὰρ πατρὸς ἄνακτος ὅλην θεότητα προφαίνων,
Πρόσθε λόγος Χριστοῖο μέγα κλέος αὐγάζεσκε
Παύροισιν πινυτοῖσι φαεινόμενον μερόπεσσιν,
Ὡς καὶ παιδὸς ἔπειτα φαεινοτέρην ἀναφαίνων,
Πνεύματος αἰγλήεντος ὑπήστραψεν θεότητα.
Βαιὸν τοῖς δ' ὑπέλαμψε, τὸ δὲ πλέον ἡμῖν ἔλειπεν,
Οἷς ῥα καὶ ἐν γλώσσῃσι πυρὸς μετέπειτ' ἐμερίσθη,
Σῆμα φέρον θεότητος, ὅτ' ἐκ χθονὸς ἄλτο σαωτήρ.
Καὶ γὰρ πῦρ θεὸν οἶδα κακοῖς, ὡς φῶς ἀγαθοῖσιν.
Οὕτω σοι θεότητα συνήγαγον. εἰ δὲ τέθηπας
Υἱόν τ' οὐχ υἱόν τε μιῆς θεότητος ἀκούων,
Μύθοις τ' ἀντιθέτοισιν εὐστρεφέεσσι πέποιθας
Δώσει κἀνθάδ' ἔμοιγε θεὸς λόγον αὐτὸς ἐπελθών.
Ἐξ ἑνὸς ἀρχεγόνοιο δάμαρ καὶ Σὴθ ἐγένοντο,
Ἡμίτομος, δυάδος τε γόνος θεσμοῖο γάμοιο,
Οὐ τεκτὴ, τεκτός τε, βροτοί γε μὲν ἔσκον ὁμοίως.
Τῶν σὺ μνωόμενος μηδὲν θεότητος ἀτίζειν,
Πρόσθε φέρων τὰ δ' ἔνερθεν, ἵν φύσις ἐστὶν, ἄμειβον,
Ἄκτιστον, ἄχρονον, ἐσθλὸν, ἐλεύθερον, ἠδ' ὁμόσεπτον,
Εἷς θεὸς ἐν τρισσοῖς ἀμαρύγμασι κόσμον ἑλίσσων.
Τοῖσιν ἐγὼ νέος ἄλλος ἐγείρομαι, εὖτε λοετροῦ
Θαπτόμενος θανάτοιο παλίσσυτος ἐς φάος ἔλθω.
Τρισσὴ γὰρ θεότης με φαεσφόρον ἐξανέτειλεν,
Οὔτε κάθαρσι φίλη οὐ ψεύσομαι, εἰ θεότητι
Λυσάμενος θεότητα διαλλάξαιμι φαεινήν,
Λώϊον ἦν, τρομέω δὲ κακοῦ μύθοιο τελευτήν.
Ἐλπωρὴ θείοιο χαρίσματος ἠὲ λοετρῶν.
Εἴ μ' ὅλον ἐξεκάθηρεν, ὅλος καὶ σεπτὸς ἔμοιγε
Ἐστὶ θεός. τὸ δ' ἄνισον ἔχει βροτὸς ὅστις ἀλιτρὸς,

Αὐτὸς ἑὴν θεότητα θεοῦ γέρας ἄνδιχα τέμνων.
Εἴ τινα δ' ἢ περὶ παιδὸς ἀκούομεν, ἢ ἀγαθοῖο
Πνεύματος ἐν θείοισι λόγοις καὶ θειοφόροισιν
Ἀνδράσιν, ὥς ῥα θεοῖο τὰ δεύτερα πατρὸς ἔχουσιν,
Ὧδε νοεῖν κέλομαί σε λόγοις σοφίης βαθυκόλπου,
Ὡς εἰς ῥίζαν ἄναρχον ἀνέρχεται, οὐ θεότητα
Τέμνει, ὄφρα κεν οἷον ἔχῃς κράτος οὐ πολύσεπτον.
Ἐκ μονάδος τριάς ἐστι, καὶ ἐκ τριάδος μονὰς αὖθις,
Οὔτε πόρος, πηγή, ποταμὸς μέγας, ἕν τε ῥέεθρον,
Ἐν τρισσοῖσι τύποισιν ἐλαυνόμενον κατὰ γαίης,
Οὔτε δὲ πυρκαϊῆς λαμπὰς πάλιν εἰς ἓν ἰοῦσα,
Οὔτε λόγος προϊών τε νόου, καὶ ἔνδοθι μίμνων.
Οὔτε τις ἐξ ὑδάτων κινήμασιν ἠλιακοῖσι,
Μαρμαρυγή, τοίχοισι περίτρομος, ἀστατέουσα,
Πρὶν πελάσαι φεύγουσα, πάρος φυγέειν πελάουσα.
Οὐδὲ γὰρ ἄστατός ἐστι θεοῦ φύσις, ἠὲ ῥέουσα,
Ἠὲ πάλιν συνιοῦσα, τὸ δ' ἔμπεδόν ἐστι θεοῖο.
Ἀλλ' ὧδ' ἂν φρονέων καθαρὸν θύος ἔνδοθι ῥέζοις,
Ἐν τρισσοῖς φαέεσσιν ἰῇ φύσις ἐστήρικται.
Οὔτε μονὰς ἀνέλθμος, ἐπεὶ πλοῦτον ἴσατ' ἐν ἐσθλοῖς.
Οὔτε τριὰς πολύσεπτος, ἐπεὶ φύσις ἔστ' ἀκέραστος. A
Ἡ μονὰς ἐν θεότητι, τὰ δ' ὧν θεότης τρισάριθμα.
Εἷς θεός ἐστιν ἕκαστον, ἐπὴν μόνον ἐξαγορεύῃς.
Εἷς θεὸς αὖθις ἄναρχος. ὅθεν πλοῦτος θεότητος.
Εὖτε βιαζ τινὰ μνῆστιν ἔχῃ λόγος, ὡς τὸ μὴ εἴη
Τῶν τρισσῶν φαέων σεπτὸν κήρυγμα βροτοῖσι,
Τῷ δὲ μονοκρατίῃ ἐριλαμπέα κυδαίνωμεν,
Μηδὲ θεῶν ἀγορῇ τερπώμεθα τῇ πολυάρχῳ.
Ἶσον γὰρ πολύαρχον ἐμοί, καὶ πάμπαν ἄναρχον
Μαρνάμενον. δῆρις δὲ διάστασις. ἡ δ' ἐπὶ λῦσιν
Σπεύδει. τῷ θεότητος ἑκὰς πολύαρχον ἔμοιγε.
Τρεῖς δὲ θεοὺς καλέοιεν, ὅσους χρόνος, ἠὲ νόημα,
Ἢ κράτος, ἠὲ θέλησις ἀπ' ἀλλήλων ἐκέασσεν,
Αὐτοῦ ταυτὸν ἕκαστον ἀδήλητον οὔποτ' ἐόντα.
Τῆς δ' ἄρ' ἐμῆς τριάδος ἓν μὲν σθένος, ἓν δὲ νόημα,
Ἓν κλέος, ἓν δὲ κράτος. τῷ καὶ μονάς ἐστιν ἄρευστος,
Ἁρμονίῃ θεότητος ἰῇ μέγα κῦδος ἔχουσα.
Τόσσον ἐμοῖς φαέεσσι τριὰς σέλας ἐξεκάλυψεν
Ἐκ πτερύγων θείου τε πετάσματος ἔνδοθι ναοῦ,
Τοῖς ὑπὸ κεύθετ' ἄνασσα θεοῦ φύσις. εἰ δὲ πλέον τι
Ἀγγελικοῖσι χοροῖσι. τὸ δὲ πλέον ἡ τριὰς ἴστω. C

D. GREG. NAZIANZENI
DE SPIRITV SANCTO,
CARMEN TERTIVM.

ARGVMENTVM CYRI NICETÆ.

Posteaquàm de Patre ac Filio admirabili quadam atque ineffabili vehementia ac breuitate disseruit, nunc deinceps de Spiritu sancto verba facit.

D



1 MENS [1] mea rumpe moras, etiam præconia pande
Pneumatis, & verbis ea quæ natura ligauit
Dissociare caue. Sanctus pia corda tremore (ἐμὸς θεὸς)
Spiritus afficiat, qui Patri condeus atque
Est Nato, per quem mihi summi numinis orta est
Notitia, & qui nos diuina in numina vertit.
2 Omnipotens, variúsque in donis, [2] cantio cœtus
Angelici, atque hominum, pietas quibus insita cordi est:
A Patre progressus, diuino robore pollens.
3 [3] Viuificus, celsæ residens in culmine sedis.
4 [4] Arbitriíque sui liber. non Filius (absit: E
Vna etenim est superi soboles tantummodo Patris)
Nec rursus deitate carens, ab eáque remotus:
Sed patri & Nato vnigenæ par prorsus honore.
5 [5] Quòd si quis sacris testatum fortè libellis
Hoc reperire cupit, quòd sit Deus ille, ducentos
Perspiciet calles, qui congrediantur in vnum,
Si volet, atque aliquid si flatus pectore traxit
Ætherei, viget atque animis, & cernit acutum.
Sin cupit, & vocem poscit deitatis apertam,

Aduersus eos qui in asserenda Spiritus diuinitate Scripturam nimis vrgent.

A Haud satis est prudens. Nam, Christi numine nondum Cur Spiritus diuinitas in Scriptura nõ ita clarè contineatur.
Humano generi patefacto, imponere pondus
Infirmis humeris aliud, quod ferre nequirent,
Quisnam æquum, nisi mentis inops, hoc diceret esse?
Nam neque doctrinam pueris proponere plenam
Conuenit, vt nec adhuc teneris ostendere totum
Solem oculis, nimiáque illos perfundere luce. Simile.
Flammiuomos etenim radios inducere sensim
Præstiterit, quàm, dum plus æquo cernere gestis,
Perpetuam læsis oculis offundere noctem.
[6] Nam velut ante Patris totum diuinus apertè 6
B Numen pandebat sermo, contráque micabat In veteri lege Patris diuinitas apertè prædicatur.
Gloria perpaucis Christi, qui mente valerent:
Sic etiam pòst, Vnigenæ dum clarius orbi
Exereret numen, tamen almi parcius idem
Pneumatis, & tecta prodebat imagine numen.
[7] Namque parum antiquis fulsit, nobísque reliquit 7
Splendidius lumen, quibus est diuisus in igne
Linguarum in formam effícto (quo sancta patebat
Ipsius deitas) tum cùm Seruator ab imis
Sedibus æthereas cœli remeauit ad arces.
C Nam velut ille [8] malis vindex est flamma, proborum 8
Sic contrà lætum est lumen, dulcísque voluptas.
[9] Ac mihi sic paucis deitas collecta superni 9
Pneumatis est. Quòd si mirum tibi fortè videtur Aduersus eos quibus mirũ videtur ex vno Patre Verbũ gigni & Spiritum procedere.
Ex vno gigni hunc, illum procedere Patre,
Oppositísque paras fidens contendere verbis,
Hic quoque quid dicam (dabit id mihi Christus) habebo.
[10] Primigeno ex vno coniunx Sethúsque parente 10
Fluxerunt, secta nimirum fœmina costa,
Iure thori Sethus. licet autem haud illa fuisset,
Hic velut, ex Adamo genita, at mortalis vterque
D Æquè erat. [11] Hæc animo memorans tecúmque reuoluens, 11
Ne Triadis sanctæ quicquam aspernere, caueto,
Celsius inferiúsue locans. Namque vnica tantùm
Natura est, immensa, incondita, temporis expers,
Optimáque, atque sui iuris, paritérque colenda,
[12] In triplici radio voluens Deus vnicus orbem. 12
[13] Atque ego personis prorsus nouus excitor hisce, 13 A baptismi forma Spiritus diuinitas asseritur.
Tum cum rore sacro rediuiuus morte sepulta
In lucem venio. Deitas nam trina fugatis
Me clarum efficit tenebris. Non mentiar ergo,
Non, inquam, tibi chare latex, quo pellitur omnis
Spurcities scelerum. Triplici nam numine lotus,
E Si pòst aggrediar deitatem incidere, nónne
Præstiterat. sed ne peragam, tremor impedit, & spes
Muneris egregij, quod ros mihi lustricus affert.
Cúmque salutifera [14] totum me sordibus vnda 14
Purgarit, quidni totum quoque numen adorem?
Dissimile ast habeat, pietas cui sancta nefando Anomœi.
Est odio, quíque ipse suum discindere numen,
Diuino accepit quod munere, perfidus audet.
[15] Quòd si de Nato, quòd si de Pneumate, sacra 15 Occurrit obiectioni.
Pagina, scriptorésque pij quid fortè loquantur,
Tanquam quæ supero sint inferiora parente,

Hoc tu,quicquid erit,prudens sic accipe dictum. A
Hinc etenim id demum monstratur,ducat vterque
A patre quòd causam,non autem vtriusque diremptum
Numen ab hoc:vt sint tibi non permulta,sed vnum
Imperium, quod non venereris dispare cultu.
16 [16] Ac Trias ex monade est,trinóque ex numine rursus
17 Sancta monas,vitrei non tanquam [17] fontis ocellus,
Fónsque ipse,atque ingens fluuius, quæ,fluxio cùm sint
Vna,tamen triplici voluuntur concita forma:
Non vt fax geminata rogi, quæ rursus in vnum
Cogitur,aut ratio,quæ mentem prosilit extrà,
Internéque tamen semper cum mente moratur: B
Non etiam vt radius (commotis ortus ab vndis
In quas æthereus vibrat sua lumina Titan)
In murum intortus,tremulúsque & mobilis vsque,
Non prius accedens,quàm defluat atque recedat,
Nec prius effugiens,quàm confluat,atque propinquet.
Haud etenim fluxa est natura incertáque summi
Numinis,aut rursus coïens,sed fixa per æuum.
18 [18] At verò purè sic demum in corde litabis,
Si firmo teneas animo mea dicta,fidéque.
Vna ergo in triplici natura est lumine fixa.
Nec monas est expers numeri(namque in tribus illa
Consistit:) vario nec rursus honore colenda est C
Sancta Trias.diuina etenim natura secari
Respuit.In deitate monas duntaxat:in illis,
Ex quibus est,rursum tria conspiciantur oportet.
Quisque trium Deus est vnus,cum non nisi de vno
Verba facis:rursus Deus vnus originis expers,
Vnde fluunt deitatis opes,Scriptura sacrata
Cùm tria commemorat. Irini nos luminis illud
Edocet obsequium & cultum:contráque per istud
Imperium amplecti tantummodò discimus vnum,
Et confusa procul falsorum arcere Deorum
In Trinitate monarchia est,nō polyarchia. Agmina multorum imperium namque haud minus esse D
Credo malum,quàm si sine principe cuncta ferantur.
Hinc etenim lites,ex litibus aspera pugna,
Ex pugna interitus sequitur.Procul ergo beato
Multorum imperium regiménque à numine distat.
19 [19] Tres autem liceat (nam sunt hi tres quoque verè)
Dicere cuique Deos,quos mens tempúsue diremit
Inter se,aut robur varium,dispárque voluntas:
Quíque ipsi secum nunquam vlla pace fruuntur.
At contrà nostræ Triadis mens, gloria,robur,
Imperiúmque vnum.Quocirca haud labilis ipsa
Est monas,vnius nexu deitatis honorem E
20 Esa. 6. Maximum habens [20] Hæc sunt deitas quæ sancta retexit
Trans pennas verúmque sacræ mihi sanctius ædis,
Regia quo tegitur summi natura monarchæ.
Si quid præterea est,superis id linquo sciendum
Mentibus.At quicquid superest, Trias optima norit.

SCHOLIA.

1. *Mens mea rumpe) Quid est,ô anima,cur de Spiritus sancti diuinitate verba facere differs? Age iam abiecta omni mora ac dilatione gloriam illius cane. Atque vt vna eadémque trium Personarū diuinitas cōsideratur:ita eodem gradu*

A eodem gradu atque ordine Theologia subsequatur. Et quemadmodum Patrem & Filium metuere iubemur: sic & Spiritum sanctum formidemus & expauescamus. Cur ita? Quia mihi Deus hic est: & quia in eo Deum agnosco. Neque enim quisquam potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Hic & perspicuè Deus est, & Deum verè eum efficit, qui ipsius fidem amplectitur. 1. Cor 12.

2. Cantio cœtus) Gr. ὕμνημα, ὑμνολογίας ὑπόθεσις, vel ὑμνήσεως χορηγός. i. laudationis materies, vel laudum argumentum suppeditans.

3. Viuificus) Φερέσβιον, i. ζωοποιόν.

4. Arbitriíque sui liber) αὐτοκέλευστον. i. αὐτοδέσποτον καὶ αὐτεξούσιον, liberè ac pro arbitrio suo omnia agẽs. Hoc autẽ dicit ob eos qui Spiritum sanctum nihil, nisi velut seruum, ex heri imperio agere contendebant.

5. Quòd si quis) Quoniam Theologus Spiritum sanctum perspicuis ac sublimibus verbis Patri ac Filio ὁμόθεον, i. condeum, eiusdémque gloriæ esse dixit, ad eos iam orationem confert, qui ipsius verbis aduersari poterant, ac dicere, Vndénam, quæso, atque ex quo Scripturæ loco tibi de Spiritu sancto adeò magnificè verba facere licuit? Si quis ergo, inquit, Spiritus sancti diuinitatem ac maiestatem per legem diuinitus inspiratam, hoc est, per vetus ac B nouum Testamentum, consequi cupit, multas vtique ac prudentes veræ cognitionis semitas ad vnam Spiritus sancti gloriam coëuntes cernet, si modò nonnullam ipsius gratiam pertraxerit, animóque perspicaci fuerit, rectúsque ac simplex, ac non praua ac liuore infecta mente præditus. Quòd si nudam hanc vocem, Deus, de Spiritu sancto in Scripturis accipere quærit, velim hoc sciat qui talis est, se haud prudenter id postulare. Neque enim summi Dei sapientia quicquam intempestiuè patefacit. An igitur, cùm Filij gloria ac diuinitas nondum multis hominibus patuisset, verùm perpaucis omnino prophetis, iisque omnibus virtutis numeris absolutis atque perfectis, obscurè aperiretur, par erat ac tempestiuum, Spiritum Deum proclamari, ac Patri & Filio consubstantialem prædicari, pectoribúsque in fide imbecillis intempestiuam sarcinam imponi.

6. Nam velut) vt Scriptura priscis temporibus totam Patris diuinitatem declarans, magnificis verbis eum Deum magnum ac Dominum esse prædicabat, filij autem magnificentiam ac diuinitatem paucis omnino mortalibus, iisque prudentibus atque ingenij sagacitate præditis sensim ac perexiguè ostendebat: sic rursus Euangelica doctrina Filij diuinitatem postea perspicuè ac dilucidè detegens, Spiritus sancti diuinitatem paulatim indicabat. C

7. Namque parum antiquis) βαιὸν τοῖς δ' ὑπέλαμψε. Parum, inquit, atque obscurè veteribus illucebat Spiritus sanctus: nobis autem posteris, quíque in nouo Testamento sumus, vberior pleniórque cognitio reseruata est: vtpote quibus in igneis linguis impertitus ac donatus est. Etenim post Christi in cœlos ascensionẽ perspicuum diuinitatis signum ostendens Paracletus in speciem ignis ad Apostolos è cœlo descendit. Sic Cyrus exponit. Ego tamen id potius intelligendum arbitror de iis qui Christi tempestate viuebant, ac de contextu Euangelico, in quo multò apertius Christi diuinitas prædicatur, quàm Spiritus sancti.

8. Malis vindex) Deus ignis est, vt qui vitium omne in malis absumat & adurat: lux contrà bonis ac sanctis, vt qui eis sanctitatem afferat, mentísque eorum abdita illuminet.

9. Ac mihi sic) Ad hunc modum Spiritus sancti diuinitatem etiam à Scriptura collectam tibi ostendo. Quòd si tu versatilibus & aduersariis contentiosorum hominum aut hæreticorum sermonibus fretus, Filium ac non Filium, hoc est, Vnigenitum & Spiritum sanctum, vnius esse diuinitatis audiens, stupore perculsum te sentis, ac veritati assentiri dubitas, Deus ipse Filius præsto mihi erit, dabítque hîc quoque sermonem ad fidem plenè faciendam iis quibus credere libebit. D

10. Primigeno ex vno) Adam etenim non ex carne ortum traxit: manu quippe Dei effictus est. Ex ipso autem & Eua & Seth extiterunt: illa quidem ἀπότομος. i. truncata (ex costa enim à viro secta, vel sumpta, efficta est) hic verò vtriusque fœtus extitit. Ita Seth ex vtroque progenitus est: Eua ex Adamo haud genita extitit: & tamen ambo, vtpote homines, vnius eiusdémque naturæ cum eo erant, ex quo fluxerant.

11. Hæc animo memorans) Hoc exemplum in memoria habens, caue ne quid ex diuinitate contemnas ac dedecore afficias, aliud videlicet primum essentiæ ratione esse dicens, aliud secundum: vel, aliud per comparationem maius, aliud minus, aut magnum maius, maximum, velut in disparibus gradibus, prorsúsque à diuinitate remotis Trinitatem considerans. Vna enim proculdubio in tribus Personis natura est, æquè immensa & infinita, &c.

12. In triplici radio) i. quasi in triplici Sole, Patre ac Filio & Spiritu sancto, orbem vniuersum voluens, spiritualémque omnem ac sensibilem creaturam gubernans, cunctáque sapienter regens & administrans.

E 13. Atque ego personis) In his, inquit, tribus radiis ac splendoribus, hoc est, in Patre & Filio & Spiritu sancto, per regenerationis lauacrum ego regenitus, alius nouus Dei filius venio, tum videlicet cùm per Baptismũ Christo consepultus, simúlque ad vitam rediens, morte ac peccato in eo sepultis, ad vitæ ac lucis nouitatem rediuiuus prodeo, à Patre luminum in filium adoptatus. Triplici namque luce fulgẽs diuinitas me ex sacra piscina, vt lucis filium, eduxit. Nec verò tibi mentiar, nec te abiurabo, ô chare Baptisme, ac pure & lucidissime. Etenim si triplici diuinitate lotus, atque initiatus, impiè eam à seipsa discindere aggredere, satius mihi fuerat Baptismo quoque prorsus caruisse. Hoc enim ad orationem concludendam sequebatur. Quodquidem, inquit diuino numine afflatus Gregorius, vereor eloqui, ob spem gratiæ diuinæ, sanctitatísque illius, quæ per Baptismum comparatur.

14. Totum me) Si me totum, inquit, triplici radio fulgens Deus purgauit, ac diuinitate effecit, totus proinde mihi æquè colendus ac venerandus est. At impius & prophanus homo inæqualitatem ac dissimilitudinem sibi habeat, suam ipse diuinitatem, hoc est, Dei donum ac gratiam, quam ex Baptismo consecutus est, bifariam secans, atque impia contumelia diuidens, vicissimque ab ea diuisus ac distractus.

15. Quòd si de nato) Tacitæ obiectioni occurrit Theologus. Si quid, inquit, de Filio ac Spiritu sancto, aut in literis sacris, aut in patrum diuino numine afflatorum libris audiamus, quo Filium ac Spiritum sanctum Patre

inferiores esse tradant, hoc ita intelligendum esse admoneo, quòd cum Pater anarchus sit, hoc est, origine careat, A
radixque causæ expers verè sit, ab eóque vterque causam habeat, ille nimirum vt ab eo genitus, hic vt procedens, hac nimirum ratione Pater ipsis maior est, non natura scilicet, sed causæ ratione. Quicquid enim alicuius rei causa est, maius est eo à quo causam trahit. Proinde non essentiæ aut diuinitatis respectu hæc diuiduntur: quò videlicet vnum principium atque imperium, ac non multa principia multósque Deos colas atque adores.

16. *Ac trias ex monade*) Ex vnitate, hoc est, ex vna, quantum ad naturam attinet, ac singulari deitate Personarum Trinitas existit. Ac rursus ex tribus Personis vnica deitas completur, ductis nimirum ad Patrem, tanquam ad suam radicem ac principium, diuinis ramis ex eo ortis.

17. *Fontis ocellus*) Gregorius per has quatuor similitudines superessentialitatis vel consubstantialitatis illius, quæ in Trinitate est, mysterium exprimere studet. Primum igitur πηγὸς, hoc est, aquæ oculus, & fons (ex Patre enim tanquam ex oculo, instar cuiusdam fontis, Vnigenitus est) ex quo, vel per quem, Spiritus sanctus, vt ingens quispiam amnis intelligitur, hæc, inquam, tria in vna aquæ natura simul considerantur. Etenim cùm vnus tantum & idem latex existat, in tribus formis per terram voluitur. Proximum exemplum est rogus ac duplex fax ab eo, tanquam à causa, exiens, atque ad eundem sese rursus conuertens, non secus ac radius & lux ad Solem. B
Postea mentem ac sermonem qui & intus manet, & foras per locutionem progreditur, ad adumbrandam Trinitatis vnitatem assumpsit. Postremò, siue hoc exemplum primus adhibuerit, siue ab antiquioribus mutuatus fuerit, splendorem affert in pariete subsultantem, ac velut palpitantem, quiquidem ex aquarum agitatione contingere solet, radio nempe Solari ipsum subeunte & propinquum parietem illustrante, ac per reuerberationem compresso. Huiusmodi itaque splendor, qui ad imaginem quandam speciémque triplici luce fulgentis diuinitatis assumptus est, non vnus magis quàm multi, nec rursus multi potius quàm vnus cernuntur. Antequàm enim appropinquent, atque in vnum cogantur, motus celeritate distinguuntur ac multiplicantur: rursúsque priusquàm distinguantur ac diffugiant, appropinquant & vniuntur. Atque hæc omnia exiguæ quædam sunt ac tenues è rebus inferis sumptæ imagines, quæ obscuram quandam speciem, ac non ipsam planè perspicuéque veritatem ob oculos ponant. Ad hunc porro modũ hæ res nobis consideranda sunt. Oculus enim & fons & amnis, & si tempore haudquaquam inter se dirimuntur, atque vniusmodi naturæ ratione identitatem habent: at, vnum licet sint numero, variè tamen efformata plenam atque omnibus partibus absolutam diuinæ Trinitatis similitudinem, perpetuámque ac fluxionis expertem constantiam, atque adeò Personarum inconfusam per se subsistentiam haudquaquam ita ostendunt. Adde quod nec rogus ac fax, nec Sol ac radius, & lux, nec denique C
mens ac λόγος, id est, ratio, vel sermo, eiusmodi sunt, quæ superessentialitati conferri queant. Etenim rogo, aut Soli, aut menti, Patrem gloriæ comparare, facem autem aut radium & lucem, & rationem siue sermonem Filium ac Spiritum sanctum imaginari, absurdum sanè fuerit. Indigna enim tota diuinitate hæc sunt, prouidendúmque est, ne diuinitatem, quæ comprehendi non potest, ita se habere existimantes, Patrem quidem gloriæ (sic enim in Scriptura nuncupatur) vt Solem ac rogum ac mentem essentia donemus, Filium autem ac Spiritum sanctum, vt facem & radium ac lucem, & sermonem, aut defluxiones quasdam paternæ essentiæ, aut essentiales qualitates & actiones esse suspicantes, procul à veritate aberrare deprehendamur. Quin ne ipsum quidem, de quo locuti sumus, splendorem, vt nobis ad adipiscendam veritatis cognitionem sufficientem, assumemus. Illius quippe causa generationis perspicua est: at Patris quámnam tandem causam quisquam fingere atque excogitare queat, cùm eo nihil sit antiquius? Huc accedit quòd compositio & confusio atque exuberans quædam instabilitatis copia hîc perspicitur: contrà à Dei natura omnis fluxio ac diffusio, omniáque, quæ mortali conditaq; essentiæ conueniunt, omnino remota atque aliena sunt, ac solummodo id quod certum ac stabile est, sémperque eodem modo se habet, omnísque omnino mutationis expers est, Deo propriè competit. Quocirca in inferis hisce exemplis ac D
similitudinibus eam rationem adhibere debemus, vt posteaquàm ex his, quicquid ad speciem quandam & imaginem veritatis comparandam vtilitatis aliquid afferre potest, collegerimus, quæ incommoda atque impropria sunt, candido animo reiiciamus.

18. *At verò purè*) Improbatis ac repudiatis superioribus exemplis, vt quæ ad exprimendam naturæ omni essentia præstantioris similitudinem haudquaquam pertingerent, ad fidei doctrinam rursus se confert, aitque: Ita sentiens ac credens, purum Deo sacrificium in corde offeres. Permulta quippe ac varia sunt tam corporalia quàm spiritualia sacrificiorum genera. Vt enim extero homini congruentes cibi ad tuendam ac propagandam vitam assumpti, quasi congruentes quædam victimæ, per vim eam, quæ alendi causa tributa est, offeruntur: ita etiam intestino homini, qui iuxta mentem creatur, atque ad mensuram ætatis spiritualis secundum Christum prouehitur, sanctæ fidei dogmata syncera atque ab omni labe pura in proba ac Deo grata vita, quasi sacrificia quædam, oblata, eum perficiunt atque omnibus numeris absoluunt. Ecquod igitur purum dogma atque sacrificium est, quod spiritaliter in intimo pectore Deo offers? Nimirum si hoc minimè dubia fide teneas, quòd in Patre E
& Filio & Spiritu sancto quasi in triplici Sole vna natura ac diuinitas fixa sit, mutationísque omnis expers in æternum maneat: quódque nec vnitas numero vacet, prorsúsque vniusmodi sit, talísque vt diffundi ac multiplicari nequeat, (in tribus enim iisque perfectis personis stat) nec rursus Trinitas ita conspicitur, vt interim variè colatur atque adoretur: hoc est, vt alio modo Pater colatur, alio Filius, alio denique Spiritus sanctus, aliísque alij anteponatur aut postponatur. Absit enim vt præposteras inæqualitates in vnam & omnino parem atque indiuisibilem honoréque æqualem naturam inducas. Porrò vt iuxta diuinitatis naturam vnitas consideratur: ita iuxta Personarum diuersitatem Trinitas. Et quidem vnaquæque ex tribus Personis, si separatim de ea sermo habeatur, Deus, & est, & pronunciatur. Vnus enim Deus est Pater, vnus Deus Filius, vnus Deus Spiritus sanctus. Rursus hæc tria recolligentes, dicimus, vnus Deus principij expers, ex quo diuinitatis opes explicantur, quando mentionem aliquam trium personarum facimus. Quamobrem vnumquodque horum Deum confiteri, Trinitatis venerandam prædicationem atque doctrinam esse demus: cùm autem dicimus, Vnus Deus principio carens,

Fort. θεῶν legendum non νεῶν

A *carens, tum demum splendidissimam imperij vnitatem apertè prædicamus. Nec verò Deorum multitudini variè ac multipliciter imperanti Gentilium in morem assentiamur.*

19. *Tres autem liceat*) *Postquàm impium polyarchiæ, hoc est, multiplicis imperij dogma, per eam, quæ hinc sequitur, absurditatem compreßit (hinc enim & pugna & dißidium, & denique interitus consequitur) iam his verbis id soluit, quod ex Deorum multitudine obiici poterat. Etenim si vnaquæque ex tribus Personis, Deus nuncupata est, quid afferri queat, quominus tres quoque Dij apud nos dicantur, quemadmodum & tres homines & tres angeli, aliáque in quibus vna natura perspicitur, naturæq́; nomine variè ac multipliciter appellantur? Huic argumento ita occurrit Theologus, aitque: Illi sanè dij multi dicantur, in quibus & tempus, quo extiterunt aut generata sunt, diuersum est, & mens siue animi conceptio varia, & imperium, & vis, & voluntas, & actio: quemadmodum & in singulis animantibus, discrepantia conspiciuntur, non tantùm quod ad speciei vnitatem attinet, sed eo etiam nomine, quia vnusquisque etiam sæpenumero secum ipse pugnat, voluntatibúsque & actionibus sibi ipse aduersatur. Vnde & Dij multi appellantur, & homines multi. Etenim multiplex ac varia indiuiduorum sub eandem speciem cadentium proprietas commune quoque omnibus indiuiduis nomen*
B *vnà scindit ac dirimit: ita vt & multi Dij, & multi angeli, & multi homines appellentur. At verò meæ Trinitatis, quæ simplex & vna est, rerúmque omnium præstantißimum principium, vt vna natura atque essentia est, sic & vis & sapientia & voluntas atque sententia, atque item gloria & omnipotentia & regnum vnum est. Ex quo efficitur, vt cùm sine vlla omnino varietate consentaneis diuinitati proprietatibus copuletur, vnitas quoque ipsa fluxionis ac diuisionis expers sit, vna diuinitatis coniunctißima concinnitate illustrem, ex eo quòd Deus vnus dicatur, gloriam supra omne æuum habens.*

20. *Hæc sunt deitas*) *Hoc perinde est ac si diceret, Internè ex supercœlesti ac spiritali templo, ac primo velamine, regium imperium obtinens diuinitas ac Trinitas sancta hoc lumen oculis meis iniecit, ex pennis, hoc est, per mentes illas sex alis præditas, quibus operta atque obtecta, omnium mortalium obtutum fugit. Quod si quid amplius contemplari licet, id in angelicorum duntaxat ac cœlestium cœtuum captum cadit. Quod autem eorum cognitionem ac captum superat, ipsi solùm Trinitati purè cognitum esse credendum est.*

C
ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ, τοῦ θεολόγου, περὶ κόσμου, λόγος Δ.

Εἰ δ' ἄγε καὶ μεγάλοιο θεοῦ κτίσιν ὑμνείωμεν,
Δόξαις ψευδομένῃσιν ἐναντία δηριόωντες.
Εἷς θεὸς, ὕλη δ' αὖτε καὶ εἴδεα μῦθος ἀφαυρὸς,
Ἑλλήνων πινυτοῖσι νοεύμενα ὡς συνάναρχα.
Τῶν μὲν ὅσα πλάσσουσι θεοὺς μορφώματα σεπτὰ,
Οὐκ ἔσαν, ἀλλὰ γένοντο, θεοῦ μεγάλοιο θέλοντος.
Τίς δ' ὕλην ποτ' ὄπωπεν ἀνείδεον; ἢ τίς ἄϋλον
Μορφὴν, καὶ μάλα πολλὰ νόον στροφάλιγξι μιγήσας,
D Οὐδὲ γὰρ ἄχροον εὗρον ἐγὼ δέμας, ἤ τιν' ἄσωμον
Χροιήν. τίς διέκρινεν ἃ μὴ φύσις εἰς ἓν ἄγουσα;
Ἀλλ' ἔμπης τέμνωμεν. ἄθρει δέ μοι, εἰ μὲν ἄμικτα
Πάμπαν ἔην, πῶς εἰς ἓν ἐλήλυθεν; ἢ τίς ὁ κόσμος
Ἔστακεν ἄνδιχα πάντα διαμπερές. εἰ δ' ἐπίμικτα,
Πῶς μίχθη; τίς ἔμιξε θεοῦ δίχα; εἰ δὲ κεραστὴς
Ἔστι θεὸς, τοῦτον καὶ κτίστορα δέχνυσο πάντων.
Εἶδος καὶ κεραμεὺς πηλῷ βάλε κύκλον ἑλίσσων,
Χρυσῷ χρυσοχόος, λαοξόος οἷσι λίθοισι.
Δὸς πλέον ἡμετέρης τι θεῷ φρενὸς, ὦ φιλάναρχε.
Ὕλη τὸ πλέον ἐστὶ σὺν εἴδεσι κινυμένοισι.
E Νώσατο, καὶ τὰ γένοντο ἐνείδεα θεία νόησις,
Ἡ πάντων γενέτειρα πολύπλοκος. οὐ γὰρ ἔοικε
Ζωγράφον ὥς τιν' ἐοικὼς ἀπ' εἴδεος εἶδος ἐγείρειν
Δερκόμενον προπάροιθε τὰ μὴ νόος ἔγραφεν οἷος.
Καὶ σὺ μανιχαίοιο κακὸν σκότος οὐ πάρος ἦες
Ἀκροτάτοιο φάους ἀντίθρονον, εἰ θεὸς ἦεν,
Οὐ σκότος. οὐ γὰρ ἔοικε θεῷ κακὸν ἀντιφερίζειν.
Εἰ σκότος, οὐ θεὸν οἶδας. ὁμοφρονέειν μὲν ἄκοσμον.
Μαρναμένων δὲ τὸ κάρτος ἀρείονος. ἰσοπαλεῖς δὲ,
Τίς τρίτος εἰς ἓν ἄγων σοφίῃ καὶ νείκεα λύων;
Καὶ τόδε θαῦμα μέγιστον, ἐπεὶ μόθον αἰνὸν ἐγείρεις,
Αὖθις ὁμοφρονέοντα τιθεὶς ἐπελήσαο χάρμης.
Ψυχὴ καὶ δέμας εἰμί. τὸ μὲν θεότητος ἀπορρὼξ
Φωτὸς ἀπειρεσίοιο. τὸ δὲ σκοτίης ἀπὸ ῥίζης
Σοὶ πλάσθη. τὰ δὲ πολλὸν ἀπὸ πρόθεν εἰς ἓν ἀγείρας·
Εἰ ξυνὴ φύσις εἰμὶ, λύω μόθον. εἰ μόθος αἰνὸς
Ἔμπεδος, οὐκ ἔτ' ἐγὼ πλεκτὴ φύσις ἀμφοτέρωθεν.
Οὐ γὰρ μαρναμένων ξυνὸς γόνος, ἀλλὰ φιλεύντων.
Τοῖος μὲν κραδίης τῆς σῆς ζόφος. αὐτὰρ ἔμοιγε
Εἷς θεός ἐστιν ἄναρχος, ἀδήριτος, ἓν φάος ἐσθλὸν,
Ἁπλῶν τε πλεκτῶν τε νοῶν σθένος ὑψιθεόντων,
Οὐρανίων χθονίων τε, τὸ δὲ σκότος ὕστατον ἦλθεν,
Οὐ φύσις ἑστηκυῖα περίγραφος, ἡμετέρη δὲ
Τοῦτο πέλει κακίη, κακίη δέ τε λῦσις ἐφετμῆς,
Ὡς νὺξ ἠελίοιο δύσις, νεότητος ἀφαυρὸν
Γῆρας, χεῖμα δ' ἔνεικεν ἄνω δρόμος ἠελίοιο
Φρικτόν. ὁ μὲν πράτιστος ἐν οὐρανίοις φαέεσιν
Ἧς ὑπεροπλίῃσι φάος καὶ κῦδος ὀλέσσας,
Αἰὲν ἀπεχθαίρει μερόπων γένος. ἐκ δ' ἄρ' ἐκείνου
Γεύσατο καὶ κακίης πρῶτος βροτὸς ἀνδροφόνοιο,
Καὶ θανάτου ῥιπίσαντος ἐμοὶ φλόγα οἷσι δόλοισιν.
Ἥδε μὲν ὀψιγόνοιο κακοῦ φύσις, ἧς περ ἐκεῖνος
Ἔστι πατήρ. λάζῃ μὲν ἰὸς κρατεροῖο σιδήρου.
Λάζην δ' αὐτοδάϊκτος ἐγὼ κακίην ἐφύτευσα,
Ἑσπόμενος φθονεροῖο παλαίσμασιν ἠδὲ διὰ μῆτιν.

Κόσμε. σὺ δ' εἰ μὴ ἔης τῆμος τριὰς, ἐγγὺς ἀνάρχου
Κύδεϊ, πῶς δέ σε τόσσον ἀπὸ προσθι φῶτες ἔθηκαν
Χριστοφόροι, θείων τε δαήμονες, ὥστε μετρεῖσθαι
Οὐ μάλα πολλὸν ἀριθμὸν ἑλισσομένων ἐνιαυτῶν,
Ἐξότε πῆξε μέγας σε θεοῦ λόγος. εἰ δ' ἄρ' ἔπειτα
Πήχθης, φραζώμεσθα τί κίνυτο θεία νόησις.
Οὐδὲ γὰρ ἐστὶν ἄεργητος ἐμοὶ θεὸς, οὐδ' ἀτέλεστος,
Πρὶν τόδε πᾶν στῆναί τε καὶ εἴδεσι κοσμηθῆναι
Αἰῶσιν κενεοῖσιν ὑπέρτατος ἐμβασιλεύων.
Κίνυτο κάλλεος ἑοῖο φίλην θηεύμενος αἴγλην
Τριασοφαοῦς θεότητος ὁμὸν σέλας ἰσοφέριστον,
Ὡς μούνῃ θεότητι, καὶ ὧν θεὸς, ἔστ' ἀρίδηλον.
Κίνυτο καὶ κόσμοιο τύπους οὓς στήσατο λεύσσων
Οἷσιν ἐνὶ μεγάλοισι νοήμασι κοσμογόνος νοῦς
Ἐσσομένου μετέπειτα. θεῷ δέ τε καὶ παρεόντος,
Πάντα θεῷ προπάροιθεν, ἅτ' ἔσσεται, ὅσσ' ἐγένοντο,
Ὅσσα τε νῦν παρέασιν. ἐμοὶ χρόνος ὧδε κέασσε.
Πρόσθε τὰ μὲν, τὰ δ' ὄπισθε, θεῷ δέ τε εἰς ἓν ἅπαντα,
Καὶ μεγάλης θεότητος ἐν ἀγκοίνῃσι κρατεῖται.
Τοὔνεκεν ὅσσον ἔτελμεν ἐμὸς νόος εἰσαΐοι τε.
Νοῦς ὤδινεν ἅπαντα, ῥάγη δ' εἰς ὕστερον ὠδὶς,
Ὥριος, εὖτε θεοῖο μέγας λόγος ἐξεκάλυψεν. A
Ἤθελε μὲν νοερὰν στῆναι φύσιν, οὐρανίην τε
Καὶ χθονίην πρώτοιο διαυγέα φωτὸς ἔσοπτρα,
Τὴν μὲν ἄνω στίλβουσαν ὑποδρήστειραν ἄνακτος
Πλησιφαῆ μεγάλην, τὴν δ' ἐνθάδε κῦδος ἔχουσαν
Πηγάζων θεότητα ὅπως πλεόνεσσιν ἀνάσσῃ
Οὐρανίοις, πλεόνων τε πέλει φάος ὀλβιόδωρον.
Ἥδε γὰρ ἐστὶν ἄνακτος ἐμοῦ φύσις ὄλβον ὀπάζειν.
Ὄφρα δὲ μὴ πελάουσα θεοῦ κτίσις ἀντιθέοιο
Κύδεος ἱμείρουσα φάος, καὶ κῦδος ὀπάζει.
Μέτρα φέρειν γὰρ ἄριστον, ἀμετρίη δὲ κάκιστον. B
Τοὔνεκεν ἐσσομένοισι φίλα φρονέων λόγος αὐτοὺς
Τῆλε βάλε, τριάδος μὲν ὅσον φάος ἀμφιθόωκον,
Ἀγγελικῶν τε χορῶν βροτέην φύσιν, ἀγγελικῶν μὲν
Οὐ μάλα πολλὸν ἄνευθεν, ἐπεὶ χθονὸς ἐκγενόμεσθα
Μιχθείσης θεότητι, ἁπλῆ δέ τε φύσις ἀρείων.
Κόσμων δ' ὃς μὲν ἔην προγενέστερος οὐρανὸς ἄλλος,
Θεοφόρων χώρημα μόνοις τε νόεσσι θεητὸν
Παμφαὲς, εἰς ὃν ἔπειτα θεοῦ βροτὸς ἔνδον ὁδεύει,
Εὖθε θεὸς τελέθῃσι, νόον καὶ σάρκα καθήρας,
Αὐτὰρ ὅγε θνητοῖσι πάγη θνητὸς, ἡνίκ' ἔμελλε
Στήσεσθαι φαέων τε χάρις κῆρύξ τε θεοῖο, C
Κάλλεΐ τε μεγέθει τε, καὶ εἰκόνος ἐμβασίλευμα,
Πρῶτος δ' ὑστάτιός τε θεοῦ μεγάλοιο λόγοισι.

DE MVNDO.

CARMEN QVARTVM.

ARGVMENTVM EX CYRO NICETA.

SVperioribus tractatibus de Patre & Filio & Spiritu sancto, habita oratione, de mundo iam verba facturum se profitetur. Quoniam autem Gentiles multis de mundo voluminibus conditis, nonnullis quidem in rebus veritatis scopum assecuti sunt, cæterùm magna ex parte ab ea aberrarunt, necesse videlicet habebat veritatis interpres falsitatem illorũ prius conuincere ac refutare, atque ita demum veritatem tradere. Neque enim tempestiuum est veritatis doctrinam animo falsitate occupato insculpere. D

χωρὶς lego nō καθαρός.



TE quoque, cunctipotentis opus structuráque dextræ,
Munde canam, falsis coiens in prælia linguis.
1 Vnus duntaxat Deus est: at [1] forma grauísque
Materies, ipsi veterum quas turba sophorum
Esse coæternas sensit, mera verba, & inanis
Fabula sunt. Omnes etenim, quascunque Deorum
Gentiles habuere loco, produxit in ortum E
2 Ac lucem [2] ex nihilo formas diuina voluntas.
Quísnam autem est, qui materiam perspexerit vnquam
Informem, aut sine materia qui viderit vlla
Formam aliquam, partes quamuis versarit in omnes
Ingenium, mentémque graui torquere labore
Instíterit. Nec enim corpus reperire, figura
Quod prorsus careat, potui, rursúsque figuram,
Corporea quæ mole vacet. Quísnam ergo diremit,
Quæ natura sagax vinxítque ac iunxit in vnum?

Absurditas prophanæ sentẽtiæ de mundo.

Sed ta-

A [3] Sed tamen hæc per me liceat distinguere mente, 3
Dic igitur, si materies & forma diremptæ
Prorsus erant, quánam tandem ratione modóque
Pòst rursus coiere simul? Dic insuper, oro,
Quínam mundus erat, tum cùm distincta iacerent
Illinc materies, hinc nuda orbatáque forma
Materie? Contrà, si iunctæ, quæro quis illas
Iunxerit absque Deo, quonámque hæc mistio pacto
Contigerit? Quòd si Deus est qui iunxerit: ipsum
Tu quoque cunctorum factorem admittere rerum
Ne dubites. [4] Namque & figulus, dum vascula torquet, 4
B Quamlibet argillæ formam iniicit, atque periti
Aurifices auro, saxis latomíque perinde.
Plus quiddam,[5] ô philanarche nimis, concede Tonanti, 5
Quàm nostro ingenio, quàm nostris artibus atque.
[6] Plus autem est illud, vestita agitabile forma 6
Materies: [7] Porrò varia, rerúmque parente 7
Mente Deus tantùm voluit, formáque decenti
Quidlibet ornatum confestim protulit. instar Plato tacitè
Non pictoris enim formas ab imagine duxit, perstrigitur
Propositum exemplar cernens, imitánsque, quod ipsa
Sola nequiuisset mens pingere. [8] Tu quoque tetra, 8
C Prauáque ab insano caligo inducta Manete, Tenebræ
Non luci aduersas sedes æterna tenebras Manichęorum.
Supremæ. Nam si Deus es, caligine prorsus
Ergo cares: sin tu contrà caligo, Deúmne
Dicere iure queam? Nec enim cum numine par est
Decertare malum. Iam cum caligine luci
Non pax esse potest, non vllum fœdus amoris.
Aspera sin moueant certamina, vincat oportet
Fortius. inter se sin denique viribus æquis
Concertent, quísnam sublatis fœdera rixis
Sanciet, & vinclo pugnantia iunget amico?
D Quin ego demiror, quid sit cur iurgia sæua Absurditas
Cùm moueas, eadem rursus concordia fingis, sententię Ma-
Dissidij velut oblitus, pugnæque prioris. nichæorũ.
[9] Namque ipse ex anima & crasso cùm corpore constem,
Diuinæ illa quidem lucis tibi riuulus esse 9
Fingitur, hoc verò tenebras habuisse parentes.
Túne igitur, spatiis quæ tam sunt dissita longis,
Iungere non dubitas? [10] Equidem pugnantibus ipse 10
Naturis si consto, odium litésque molestas
Comprimo: sin pugnæ funestáque iurgia durant,
His ego naturis nequeo constare duabus.
E Non etenim ex illis, quæ sunt pugnantia, sed quæ
Fœdere iuncta, potest fœtus communis oriri.
Ac tales væsane tui, Manichæe, tenebræ
Sunt animi. Ast vnus mihi contrà nescius omnis
Principij Deus est, lúxque [11] expers vnica pugnæ, 11
Compositis [12] simpléxque quibus natura tributa est, 12
Mentibus irradians, superas [13] altéque volantes, 13
Quæque etiam hîc degunt, naturas robore complens.
Horrida pòst autem [14] subiit caligo, nec illa 14
[15] Subsistens quicquam est, quod circumscribere possis: 15 Tenebrarũ
Sed [16] nostro ex vitio fluxit (cùm mente superba 16 nulla substantia est.

Impositam nobis à summo numine legem A
Fregimus.) haud aliter quàm tetram inducere noctem
Cernimus occubitum Solis, fragilémque senectam
Dulcis ab occasu viridísque extare iuuentæ,
Atque hiemem, Australes vergit dum Phœbus ad oras.
17 Ac sanè æthereа [17] qui primùm in sede, tumorem
Mentis ob horrendum, Satanas lucémque decúsque
Perdidit, æternis odiis sæuoque furore
Humanum genus insequitur, fecítque per artes
Ille suas, vt pestiferam malè prouidus escam

Peccati principiũ à nobis, incrementum à diabolo.

Et vitium exciperet, generis qui semina nostri
Fudit: at igniculos versuta perfidus arte B
Mortis in [18] ingentem flammam mihi sustulit hostis.
En quæ sit natura mali, quod serius ortum est,
18 Et cuius pater est Satanas, atque vnicus auctor.
Ac rubigo quidem labes certissima ferri est:
Contrà ego (pestiferi dum credulus obsequor hostis
19 [19] Consiliis, in me inuidiæ qui percitus œstro
Exardet) vitij labem, quæ pectora rodit,
Conserui, manibúsque meis meme ipse peremi.
20 [20] At te, munde, Trias siquidem non tempore quicquam

Quòd mũdus non sit coæternus Deo.

Exuperat, certè à summæ deitatis honore
Dissitus haud procul es. Cúrnam ergo & moribus atque C
Doctrina præstante viri, rerúmque periti
Sacrarum, non te tam longè ponere ab illa
Sunt veriti, annorúmque breuem subducere summam,

Quid antè mundũ cõditũ faciebat Deus.

Ex quo te primùm Christus produxit in ortum?
Quòd si posterius te condidit ille, quid antè
Quàm fieres, variásque tibi Deus vndique formas
21. 22 Inderet, imperitans [21] tam multa in secla [22] patrabat?
Imperfectum etenim non est mihi numen, inérsque.
23 [23] Scilicet ille suæ splendorem cernere formæ
Gaudebat, numénque suum triplicíque paríque
24 Luce nitens, soli vt notum est ipsíque [24] piisque. D
25 [25] Hoc quoque præterea, quo se exerceret, habebat,
Sancta Trias. Mundi formas namque ipsa futuri,
Iam sibi præsentis, lustrabat mente beata.
26 [26] Cuncta etenim quæ iam vel præteriere, vel adsunt,
27 [27] Quæque etiam extabunt, Triadi sunt prompta, paténtque.
Hæc etenim tempus mihi sic distinxit, vt illud
Antè sit, hoc retrò, Deus autem prorsus in vnum
Cuncta tenet, finibúsque suis collecta coërcet.
28 Quocirca quicquid vel mens mea [28] repperit vnquam,
29 Aut etiam audiuit, [29] mens parturiebat id omne
Numinis ætherei, pòst autem fœtus in ortum
Tempore maturo erupit, cùm cuncta retexit, E
Vnigenus Sermo, claráque in luce locauit.
30 [30] Ac ratione quidem pollentem & mente volebat
Condere naturam, quæ partim sedibus altis
Degeret, & terra partim, primíque referret
(Vt speculum quod labe vacat, præstátque nitore)
Luminis effigiem, sanctæq; imitamina formæ:
Sic tamen vt superæ mentes, regísque ministræ
Vndique fulgenti radiarent lumine, contrà
Hîc imæ imperium & regalia sceptra tenerent.

[31] Namque

A [31] Namque suum latè cupiebat fundere numen: 31
Scilicet vt plures, quibus induperaret, haberet Dei propriū est rebus à
Cœlicolas pluresque sua quos luce bearet. se conditis beatitu-
[32] Nam Patris hæc demum superi est natura, beare. dinē afferre
[33] Ne verò Triadi res condita fortè propinquans, Optimus modus.
Numinis æqualis correpta cupidine, [34] lumen Ephes. 3.
Perderet, acceptúmque decus (nam qualibet in re 32
Laudandus modus est, contráque ingentia damna 33
Neglectus modus vsque parit, pestémque) futuris 34
Consultum cupiens soboles æterna Tonantis
Idcirco angelicas diuino à numine mentes
B Semouit procul, atque homines procul agmine rursus
Fixit ab angelico. Quanquam non tam procul ille
Disiunxit superas mentes. His namque ministris
Vtitur. At nostram procul à deitate remouit
Naturam: quoniam è terra cum numine iuncta
Extitimus. simplex autem natura, vacánsque
Corpore compositam superat, potiórque putanda est.
[35] Iam duo sunt mundi, quorum est antiquior alter, 35
Cœlum aliud, [36] sedésque hominum tranquilla piorum, 36
Conspicuus solis animis, atque [37] vndique clarus, 37
[38] Ad quem, cùm mentem, carnem quoque sordibus atris 38
Eluerint, virtúsque illos æquarit honori
C Cœlicolûm, humanis aditus sedésque patebit.
Alter at est fluxus fluxis tum denique mundus
Conditus, Omnipotens cùm iam proferre pararet
Et Solem, Lunámque, & cætera sidera cœli.
Atque hic mole sua nobis miróque decore
Prædicat æterni nomen laudésque parentis.
Estque homini, quem nobilitat cœlestis imago,
Primus & extremus, tanquam sua regia, mundus.

SCHOLIA.

D 1. *Forma grauísque) Materia & forma simul à Deo creatæ, atque perfectæ, distinctim autem ab externis ac prophanis philosophis cogitatæ, atque, vt Deo coæternæ, celebratæ, meræ fabulæ sunt.*

2. *Ex nihilo formas) Etenim corpora omnia & formæ, tam cœlestes quàm terrestres, quas Gentiles diuinis honoribus affecerunt, cùm prius non essent, Dei voluntate ac iussu postea extiterunt.*

3. *Sed tamen hæc per me) Apud externos philosophos, ij qui eam philosophiæ partem, quæ de disserendi ratione tractat, scriptis suis illustrarunt, in duo summa genera, quæ etiam generalissima vocant, omnia colligunt, nempe in substantiam & accidens. Ac substantiam quidem per se existere, nec quoquam alio, ab hoc vt sit, opus habere statuunt. Accidens autem non quidem per se existere: verùm esse suum in substantia habere. At verò ij qui in naturæ contemplatione versantur, ad materiam & formam omnia referūt, sic nimirum, vt materia substantiæ, & forma accidenti respondeat. Deo porrò coæterna hæc fingunt. Quorum væcordiam Gregorius comprimens, primum à sensu argumentum duxit, nec corpus sine forma conspici posse dicens, nec rursus formam sine corpore. Postea per antiparastasim obiectionem tractans, Etsi, inquit, fieri non potest, vt vel materia sine forma, vel forma sine materia conspiciatur, animis tamen atque cogitatione hæc sanè distinguamus, ac seiungamus, atque ita con-*
E *sideremus: Si ab æterno seiunctæ inter se erant, quónam modo postea coniunctæ sunt? Quónam modo materia & forma vnitæ sunt, pugnantiáque in vnam naturam confluxerunt? Aut quisnam tandem hic mundus erat, cùm seorsim materia, seorsim forma esset? Nullus enim mundus nullum ornamentum erat, siquidem hæc inter se diuulsa erant.*

4. *Namque & figulus) Haud amplum ac plæclarum est Deo congruam præexistenti materiæ formam adhibere: quandoquidem & figulus subiectum arti suæ orbem voluens, quam vult formam argillæ imprimit, &c.*

5. *O philanarche nimis) φιλάναρχε. i. æternitatis nimiùm amans. Hac autem voce Gentiles perstringit, qui materiam & formam Deo coæternas esse asserebant. Billius.*

6. *Plus autem est illud) hoc est, materia ipsa cum leuibus ac mutabilibus formis à Verbo rerum omnium opifice atque architecto procreata.*

7. *Porro varia) Varia illa ac multiplex, vt Pauli verbo vtar, Dei sapiētia atque intelligētia, rerúmque omnium*

procreatrix causa, cogitauit tantummodo: & cogitatio confestim ei non materiam formæ expertem, nec formam materia carentem exhibuit, verùm omnia forma prædita cogitatione sola in ortum produxit. Vt enim ille non æternæ materiæ subiectæ congruentes postea formas indidit: ita minimè congruebat vt formis essentiali modo præexistentibus, ipse pictoris cuiusdam in morem (qui in propositas formas, vnde exempla petit, idcirco intuetur, quia mens sola ea ipsi separatim haudquaquam informauit) Deus formam è forma duceret & exprimeret. A

8. *Tu quoque tetra) Manes, qui & Manichæus aptissimo nomine nuncupatus est, duo rerum principia inter se ex diametro pugnantia esse astruxit, quæ omnium quæ sunt ac fiunt æternæ causæ sint, quæque ancipiti marte ac perpetuo bello inter se conflictentur. Quorum principiorum alterum Deum bonum ac lumen, alterum Deum natura malum ac tenebras appellauit. Hunc insanum errorem profligans Theologus, ait: Et tu mala Manichæi caligo haudquaquam à principio supremi luminis ac sempiterni Dei æmula atque aduersaria eras. Nam si ea Deus erat, proculdubio eadem caligo non erat. Illud autem planè indecorum ac præposterum est dicere, malum bono aduersari. Quod si caliginem esse dicis, quo tandem modo eam aut Deum credis aut vocas, cùm Deo vero prorsus aduersetur? Ad hunc porro modum hoc consideremus, atque hoc dilemmate vtamur. Aut enim bonum & malum inter se consentient, concordiámque colent: & hinc magna confusio consequetur. Aut si inter se* B *pugnent ac mutuis dissidiis flagrent, ab eo victoriam stare necesse erit, quod viribus præstabit: atque ita duo hæc in vnum redigentur. Quod si rursus ancipitem eorum pugnam esse fingas, tertius aliquis adhibendus erit, qui pro sua sapientia pugnam dirimat, bonúmque & malum inter se conciliet. Illud porro admodum mirum est, quod cùm perpetuum lucis ac tenebrarum, seu boni & mali, bellum, naturaléque inter vtrumque dissidium prius fingas, rursúsque consentientia atque inter se pacata statuas, imprudens tecum ipse pugnas, ac tuasmet ipse confessiones obliuione conteris.*

9. *Namque ipse ex anima) Manes inuisibilem ac diuinum mundum ex bono, visibilem autem ex malo esse impiè asserens, itidem & hominis animam ex bono & lumine, corpus autem ex malo atque ex tenebris effectum esse impudenter asserebat. Gregorius ergo aduersus eum intonans, ait: Anima & corpus ego homo sum. Atque anima quidem diuinitatis, vt quispiam dixerit, defluuium est, aut particula quædam immensi illius luminis, ac boni. At corpus tibi effictum est, hoc est iuxta tuam sententiam, qui hoc à tenebrosa radice, contrarióque principio constructum fuisse blateras. Quod si ita est, natura quoque prorsus malum erit. Et quónam modo ea quæ natura inter se contraria sunt, in vnum concinnasti?* C

10. *Equidem pugnantibus) Si, inquit, ego, vna & communis natura, ex pugnantibus, nullúmque omnino inter se commercium habentibus, luce ac tenebris, seu anima & corpore, conflatus sum, pugnam dirimo. Vbi enim iam repugnantia, vbi bellum, in eo quod iuxta naturam vnum est, reperietur? Quod si, vt ipse statuis, bellum atque atrox inimicitia in homine cernitur, quónam modo ego, qui naturæ compositæ sum, coagmentari possem, ex duobus inter se pugnantibus prorsúsque inter se infestis & inimicis conflatus? Haud dubiè enim ex amantibus pacificéque coëuntibus, ac non ex mutuo odio flagrantibus, atque hostili animo pugnantibus inter séque dissidentibus, animantium natura ac generatio conflatur.*

11. *Expers vnica pugnæ) Gr.* ἀδήριτος, *hoc est, nec aduersarium vllum habens, nec cum vllo pugnans.*

12. *Simpléxque quibus) per simplices naturas, incorporeas intelligit: per compositas, eas quæ corpore constant.*

13. *Altéque volantes)* ὑψιθεόντων. *i. sublimè currentium. Quam vocem interpres Græcus tantùm tribuit angelis, per intellectuales contemplationes altè ad Deum assurgentibus: ego tam angelis quàm hominibus conuenire existimo.* D

14. *Subiit caligo) Caligo ac vitium non à principio erat, sed postea accessit.*

15. *Subsistens quicquam est) hoc est, vel per se existens natura, vel à Deo procreata.*

16. *Nostro ex vitio) Vitium, voluntatis destinationísque animi nostri fructus est, ac recessus à diuino man-dato, hoc est virtutis defectus, atque per animi socordiam & ignauiam à vero bono aberratio. Atque exemplis id confirmans, Vt nox, inquit, non substantia quædam est, velut lumen, sed Solis priuatio siue occasus: & vt im-*
παρυφί- *becilla senectus marcescente iuuentute veluti prodit: ac denique vt Sol ad hibernum solstitium cursum suum*
σταται. *conuertens, hyemem horrendam ac gelidam efficit: quin, si ita lubet, vt morbus non in propria quadam sub-stantia, sed in quodam naturalis temperamenti & mediocritatis defectu quasi subsistit: ita vitium rectæ rationis naturalísque virtutis defectu ac prolapsione efficitur.*

17. *Qui primum)* ὃ δ᾽ ὢν πρώτιστος. *Hic ille, inquit, qui inter intellectuales archangelos, primùm illustris erat, ac deinde ob suam aduersus Creatorem superbiam à lumine & gloria excidit, hic inquam, hominum genus infesto odio semper insectatur, inuidiáque in eum æstuat. Graue enim atque intolerandum existimat, qua ipse gloria orbatus est, idque corporeæ molis expers, ea terra editum hominem vnà cum corpore fruentem cernere.* E

18. *Ingentem in flammam) Etenim cùm eum pro arbitrij libertate, qua donatus erat, ita comparatum vi-deret, vt vel ad virtutem, vel ad vitium æquè propendere posset, subdolis suis consiliis potentiæ naturalis ignem in ipso conditum ad peccati flammam exuscitauit atque accendit, sicque eum morte affecit.*

19. *Consiliis) Gr.* παλάμῃσι. *i.* βουλαῖς. *vt exponit interpres, consiliis.*

20. *At te munde) Postquam Manichæorum tenebras depulit ac profligauit, materiam etiam & formam, ex quibus constat hic mundus, Creatori minimè coæternas esse demonstrauit, nunc ad mundum ipsum ser-monem conuertit, aitque: O munde, siquidem ex quo Trinitas existebat, tu quoque ipse eras, proculdubio ad sempiterni Dei gloriam accedis. Et cúrnam igitur viri diuino numine afflati, atque operum Dei enarratores, ortum tuum ab illius infinitate tam longè collocarunt, ac non remouerunt, vt non admodum ingens an-norum numerus sit, ex quo te opifex Verbum, cùm antè non esses, in rerum naturam produxerit, atque condiderit?*

21. *Tam*

A 21. *Tam multa in secla)* αἰῶσι κενεοῖσιν ἀπείρατος ἐμβασιλεύων, *i. vt exponit Cyrus, in inanibus & infinitis seculis solus regnans.*

22. *Patrabat)* κέκυντο, *i.* ἐδημιούργει, *vt exponit Cyrus Nicetas. Ego simpliciter, quid agebat?*

23. *Scilicet ille suæ) Ea agitatio, ea actio, ea denique contemplatio ac gloria Dei ante mundi procreationem erat, quòd seipsum ac trilucidæ suæ diuinitatis fulgorem contuebatur.*

24. *Pijsque) ad verb. quorum Deus est, i. qui naturæ affinitate quamproximè ad eum accedunt, & quorum propriè Deus nuncupatur.*

25. *Hoc quoque) secunda actio siue contemplatio Dei erat formarum totius mundi, tam spiritualis quàm in sensum cadentis, hoc est, substantiarum & actionum & virtutum, quas constructurus erat, æterna antequam orirentur, speculatio, & antecedens comprehensio atque consultatio.* προβούλευσις

26. *Cuncta etenim) Omnia nuda & aperta ipsi sunt, vt ait diuus Paulus.* Heb. 4.

27. *Quæque enim extabunt) Omnia tam præterita, quàm futura, quàm præsentia, semper æquè cernit ille, qui ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, vocat: atque omnia ea, quæ vult, in ortum producit. Vnde seculum quidem primùm, & seculares mentes, vt ab æterno prænouit, ac præordinauit, ita etiam condidit: postea autem tempus omniáque ea, quæ in tempore sunt, omnipotenti ac præordinato consilio protulit. Nec verò simul ac confertim omnia, quamuis posset, protulit: verùm, vt à conspicientibus, vel, vt rectius dicam, conspecturis facilius cerni possent, certis singula congruísque temporibus in sapientia sua, quàm haud facile contemplari possumus, exerit atque ostendit. Omnia igitur ea quæ sunt, ac fiunt, vti dictum est, vniformiter atque complexim, hoc est intellectualiter atque coniunctim, in omnium rerum Creatore æternè atque indistinctè perspecta, atque, vt ait Gregorius, in vnum contracta, & in incomprehensibilis diuinitatis sinu contenta ac complicata, nobis, qui diuisibilem ac temporalem vitam nacti sumus, distinctim ac sensim cognoscenda præbentur, vtpote quibus alia prius, alia postea, non simplici atque indiuidua cogitatione, sed composita ac distincta ratione, ex imperfectione per progressum quendam ad perfectionem ascendentibus aperiuntur.*

(margin letter B stands beside the line "dem primùm, & seculares mentes")

28. *Repperit vnquam)* ἔτετμεν, *i.* τεθεώρηκεν, *vt exponit interpres, contemplata est.*

29. *Mens parturiebat) Quemadmodum homo vrbem aliquam aut turrim extruere cupiens, atque aliis, quid in animo habeat, occultans, ædificij formam ac magnitudinem, & quæ deinceps sequuntur, prius considerat, ac tacita cogitatione quodammodo parturit, atque ita postea, quod animo destinarat, maturè ostendit, ac rebus ipsis institutum suum firmat: aut, vt dilucidiore exemplo vtar, quemadmodum mulier ea, quæ parturit, quousque pariendi tempus affuerit, fœtum occultat: ita etiam mens orbis genitrix, hoc est, Deus Verbum, quodammodo res omnes parturiebat, ab æterno eas in seipso voluens ac cogitans, atque in Paterno ac Spiritali consilio eas purissimè perspectas & exploratas habens. Nec tamen paulatim, vt mulier parturiens, fœtum perficit) fac autem corporeas omnes species fugias, cùm de eo agitur, qui cogitationem omnem atque intelligẽtiam exuperat: & humiles atque abiectas suspiciones, cùm de eo sermo habetur, qui plus quàm incorporeus est) verùm vt mens mente omni sublimior, simulatque seculi creationem parturiebat, hoc est, constituebat, statim seculum ipsum aderat, & seculares mentes adstabant. Rursus simul atque temporis creationem parturiebat, & ipsum protinus mensura definiri cœpit, temporariáque omnia iuxta præscriptum ordinem producta sunt, atque ad hunc vsque diem producuntur, semperque vsque ad extremum, suis quæque temporibus, occurrent. Ad hunc modum omnia rerum conditarum elementa in principio, vt literis diuinis proditum est, quasi maturus quidam velut mentis illius mundi genitricis fœtus, maturè extiterunt, atque ita deinceps omnia quæ facta sunt, quæ fiunt, quæ fient, tam quæ naturalia, quàm quæ supra naturam, aut etiam præter naturam, partim Dei voluntate, partim permissu deteguntur.*

(margin letter C stands beside the line "tacita cogitatione quodammodo parturit"; margin letter D beside the line "tam quæ naturalia")

30. *Ac ratione quidem) Placuit, inquit, Verbo rerum omnium artifici mente præditam naturam procreare, eámque duplicem, alteram nempe cœlestem & corpore vacantem, alteram terrenam ac corpoream: eásque primariæ ac magnæ lucis specula esse constituit. Verùm cœlestem quidem illam, vtpote simplicem naturam ad Dei similitudinem accedentem, totam vndique lucidam, sursum splendentem, atque dominicis imperiis efficaciter ac promptè inseruientem condidit, terrenam autem in terra gloriam & honorem habere voluit.*

31. *Namque suum latè) Diuinitatis suæ bonitatẽ diffudit ac propagauit, vt inter plures, hoc est, cœlestes atque intellectuales angelos, & ad Dei imaginem ac similitudinem conditos homines, rex ille magnus ac Deus concelebraretur: ac munificentiæ ipsius lumen ad plures sese tam in cœlo quàm in terra spargeret.*

32. *Hæc quippe est) Infinitè bona, ac beneficia sua affluentissimè ac sine vlla satietate suppeditans.*

33. *Ne vero Triadi) Hoc idem est ac si ita diceret: Deus optimus non temerè ac sine delectu bona sua impertit. Nam cùm illud apprimè norit, quod quemadmodum immoderatione nihil peius ac perniciosius, ita contrà in omnibus rebus mediocritate nihil melius atque conducibilius sit, vt ne creatura nimiùm ad Creatorem appropinquans, liberiúsque quàm par sit sese gerẽs, atque gloriæ diuinæ cupiditate affecta, arrogantiáque elata corruat, quemadmodum Lucifero contigit: ob eam causam Verbum seruatis angelis atque hominibus illis, quorum certa salus est, illud quidem omne lumen, quod dominico throno natura vicinius est, hoc est, angelicum & intellectuale, à trilucida deitate distinguit ac secernit: eadémque ratione humanam essentiam ab angelica gloria, cœlestibúsque choris seiungit. Cæterum Deus angelicam quidem naturam, vt sibi familiarem, non admodum longè à se, verùm propè, atque adstitem ministrámque constituit. Simplex enim cùm sit, compositáque præstantior, non vsqueadeo ab incorporea natura remota est. At verò humana nostra natura, vtpote concreta, atque corporea (etenim ex terra flatui diuino immixta effecti sumus) à Conditoris diuinitate quàm longissimè remota est.*

(margin letter E stands beside the line "omnibus rebus mediocritate nihil melius")

σεσωσμένοις. puto tamẽ legendum ἐσομένοις, vt in textu.

ὑφηγεῖται in Græco sed corruptè.

34. *Lumen perderet. Sic verti, sensu ita postulante, quasi non* ἐπείξῃ *habeatur in Græco, sed* ὀλέσῃ, *aut aliud verbum huic simile. Et certè hæc lectio interpretis Græci expositione comprobatur.*

35. *Iam duo sunt)* Ex duobus, iuxta Gregorium, conditis mundis, hoc est spirituali ac sensili, alter est antiquior, A
Psal.102. cælum nimirum aliud, non autem istud quod supra caput nostrum quasi pellis extenditur, vt Dauidis verbis vtar, sed cælum nouum, ac mundano sublimius ac præstantius.

36. *Sedésque hominum)* θεοφόρων χώρημα, hoc est, locus sanctus mentes sanctißimas excipiens, ac solis mentibus excelsis conspicuus.

37. *Vndique clarus)* Atque lumen inaccessibile, quod etiam quia ab indignis hominibus comprehendi non potest, caligo à Scriptura nuncupatur.

Psal.17. 38. *Ad quem)* Ad quem postea omnes ij quoque homines, qui mentem & carnem per contemplationem & actionem perpurgarint, postquam per gratiam adoptati, dij effecti fuerint, hinc per virtutes, quasi per scalam
Psal.67. conscendentes, illic conquiescent. Atque huiusmodi quidem est primus mundus, qui etiam cælum cæli, & cæ-
Apoc.28. lum nouum, & terra noua in sacris Scripturis appellatur. At secundus mundus, hic inquam materia constans atque in aspectum cadens, corruptioni obnoxius est, ac corruptibilibus & mortalibus aptè atque accommodatè conditus est: tum videlicet, cùm duorum luminarium, ac reliquorum siderum pulchritudo procreanda esset, ac diuino præcepto excitanda. Atque hic mundus per pulchritudinem suam ac magnitudinem parentis sui atque B opificis diuinitatem prædicat, & magnitudinem annunciat. Quinetiam hi mundi, hoc est, & prior & posterior, imaginis, hoc est, hominis ad Dei imaginem conditi, regium palatium existunt. Et quidem ij qui terrena sapiunt, & caduco atque mortali mundo prorsus affixi sunt, in iis rebus, quæ sub oculos cadunt, immorantur: qui autem diuino beneficio hoc consecuti sunt, vt conuersationem in cælis habeant, per aspectabilem ac mortalem hunc mundum eruditi, ad certum ac stabile, atque spirituale & excelsum ac supra mundanum primi mundi palatium ex hac vita excedentes penetrant, in cælis regnantes cum Patre & Filio & Spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ,
τοῦ θεολόγου, περὶ προνοίας, λόγος Ε.

Ὧδε μὲν εὐρυθέμεθλον ἐπήξατο κόσμον ἀπείρων
Νοῦς μέγας, ἐντὸς ἅπαντα φέρων, καὶ παντὸς ὕπερθεν
Αὐτὸς ἐών, τί δὲ μῆχος ἀχωρήτοιο λαβέσθαι;
Αὐτὰρ ἐπεί μιν ἔτευξεν, ἄγει πρώτης ὑπὸ ῥιπῆς,
Πληγῆς ὡς ὕπο ῥόμβον ἐπειγόμενον στροφάλιγξι,
Κινύμενον μεγάλοισιν ἀκινήτοισι λόγοισιν.
Οὔτε γὰρ αὐτομάτη φύσις κόσμοιο τοσούτου
Καὶ τοίου, τῷ μηδὲν ὁμοίϊόν ἐστι νοῆσαι,
Μὴ τόσον αὐτομάτοισιν ἐπιτρέψητε λόγοισι.
Τίς δὲ δόμον ποτ' ὄπωπεν, ὃν οὐ χέρες ἐξετέλεσσαν;
Τίς νηῶν, ἢ θοὸν ἅρμα; τίς ἀσπίδα καὶ τρυφάλειαν;
Οὔτ' ἂν τόσσον ἔμεινεν ἐπὶ χρόνον εἴπερ ἄναρχος,
Καὶ χορὸς ἂν λήξειεν ἀνηγεμόνευτος ἔμοιγε.
Οὔτ' ἄλλόν τιν' ἐοικὸς ἔχειν σημάντορα παντὸς,
Ἠὲ τὸν ὅς μιν ἔτευξεν. οἱ δ' ἀστέρας ἡγεμονῆας
Ἡμετέρης γενεῆς τε βίου θ' ἅμα παντὸς ὀπάζων,
Αὐτοῖς δ' ἄστρασιν εἰπὲ τίν' οὐρανὸν ἄλλον ἑλίξει;
Καὶ τῷ δ' αὖ πάλιν ἄλλον ἀεί τ' ἐπ' ἄγουσιν ἄγοντας.
Εἷς βασιλεὺς πλεόνεσσι συνάστερος, ὧν ὁ μὲν ἐσθλὸς,
Ὃς δὲ κακὸς, ῥήτηρ τις, ὁ δ' ἔμπορος, ὃς δ' ἄρ' ἀλήτης,
Τὸν δὲ φέρει θρόνος αἰπὺς ὑπέρφρονα. ἐν δέ τε πόντῳ
Καὶ πολέμῳ πλεόνεσσιν ὁμὸς μόρος ἀλλογενέθλοις.
Ἀστέρες, οὓς συνέδησαν, ὁμὸν τέλος οὐ συνέδησε.
Κείνους δ' οὓς ἐκέασσαν, ὁμὴ συνέδησε τελευτή.

Εἰ μὲν δὴ καθ' ἕκαστον ἔχει πρώτη τις ἀνάγκη, C
Μῦθος ὅδ', εἰ δ' ἄρα τις κρατέει ξυνή τις ἀρείων.
Τείρεα τειρεσίν ἐστιν ἐναντία· τίς δ' ἄρ' ὁ μίξας;
Ὃς γὰρ δὴ συνέδησε, καὶ ἣν ἐθέλησιν ἔλυσεν.
Εἰ δὲ θεὸς, πῶς πρῶτον ὅμοι θεὸν ἐξετίναξεν.
Εἰ μὴ καὶ θεὸν αὐτὸν ὑπ' ἄστρασι σοῖσιν ἑλίξεις.
Εἰ δ' οὔ τις κρατέων, πῶς στήσεται· οὐ γὰρ ὄπωπα.
Κεῖνοι μὲν τοίοισι λόγοις θεὸν ἐκτὸς ἔχοιεν·
Ἢ γὰρ δὴ θεός ἐστιν, ἢ ἀστέρες ἡγεμονῆες.
Αὐτὰρ ἐγὼ τόδε οἶδα, θεὸς τάδε πάντα κυβερνᾷ,
Νωμῶν ἔνθα καὶ ἔνθα θεοῦ λόγος ὅσσα θ' ὕπερθεν,
Ὅσσα τ' ἔνερθεν ἔθηκεν σήμασι. τοῖς μὲν ἔδωκεν D
Ἁρμονίην τε δρόμον τε διακρέα ἔμπεδον αἰεί.
Τοῖς δὲ βίον στρεπτόν τε, καὶ εἴδεα πολλὰ φέροντα.
Ὧν τὸ μὲν ἡμῖν ἔφηνε, τὸ δ' ἐν κευθμῶσι φυλάσσει
Ἧς σοφίης, θνητοῦ δ' ἐθέλει κενὸν εὖχος ἐλέγχειν.
Καὶ τὰ μὲν ἐνθάδ' ἔθηκε, τὰ δ' ἤμασιν ὑστατίοισιν
Ἀντήσει, κείρει δὲ γενημόρος ὥρια πάντα,
Ὡς καὶ Χριστὸς ἄριστος ἐμοῦ βιότοιο δικαστής.
Οὗτος ἐμὸς λόγος ἐστὶν ἀνάστερος, αὐτοκέλευθος.
Ὡροθέτας δὲ σύ μοι καὶ λεπταλέας ἀγόρευε
Μοίρας, ζωοφόρους τε κύκλους καὶ μέτρα πορείης.
Ἀδε δέ μοι ζωῆς τε νόμους, καὶ τάρβος ἀλιτροῖς, E
Ἐλπωρήν τ' ἀγαθοῖσιν ἐς ὕστερον ἀντιόωσαν.
Εἰ γὰρ κύκλος ἅπαντα φέρει, κείνου περιωγῇ
Ῥοιζοῦμαι. τὸ θέλειν δὲ καὶ αὐτόγε κύκλος ἐποίει.
Οὐδέ τις ἐστὶν ἐμεῖο ῥοπὴ πρὸς κρεῖσσον ἄγουσα
Βουλῆς ἠδὲ νόοιο, πόλος δέ με τῇδε κυλίνδει.
Σιγάσθω Χριστοῖο μέγα κλέος ἄγγελος ἀστὴρ
Ἀντολίηθε μάγοισιν ἐπὶ πόλιν ἡγεμονεύσας,
Ἔνθα Χριστὸς ἔλαμψε βροτῶν γόνος ἄχρονος υἱός.
Οὐ γὰρ τήν τις ἔην ὅσσων φραστῆρες ἔασιν
Ἀστρολόγοι, ξεῖνος δὲ καὶ οὐ πάρος ἐξεφαάνθη.

Ἑβραϊ-

A Ἑβραϊκῆσι βίβλοισιν ὁρῶ μῦθος, ὧν ἄπο παῖδες
Χαλδαίων περιμαθόντες; ὅσσοις βίος ἀστροπο-
λεύειν,
Μοῦνον ἀπὸ πλεόνων θηεύμενοι, οἷς ἐδόκευον,
Ἀρτιφαῆ προχέοντα κατ' ἠέρος ἀντολίηθεν,
Ἑβραίων ἐπὶ γαῖαν ἐτεκμήραντο ἄνακτα.
Τῆμος ὅτ' ἀστρολόγοισιν ὁμοῦ πέσε μήδεα τέχνης,
Ἀστρολόγων τὸν ἄνακτα σὺν οὐρανίοισι σεβόντων.

Ἀλλ' οἱ μὲν περόωμεν ἑὴν ὁδὸν, ἥν περ ἔταξε
Χριστὸς ἄναξ, πτερόεντες, ἀείδρομοι, ἀστυφέλικτοι,
Ἀπλανέες τε πλάνοι τε παλίμποροι, ὡς ἐνέ-
πουσιν,
Εἴτε τις ἀστροφός ἐστι πυρὸς φύσις, εἴτε τι σῶμα,
Πέμπτον ὃ δὴ καλέουσι, περίδρομον οἶμον ἔχοντες.
Ἡμεῖς δ' ἡμετέρην ὁδὸν ἄνιμεν· εἰς λογικὴν γὰρ
Σπεύδομεν, οὐρανίην τε φύσιν, καὶ δέσμιον αἶης.

B

EIVSDEM GREGORII DE PROVIDENTIA,

CARMEN QVINTVM.

ARGVMENTVM EX GRAECO CYRI.

Postquam de duobus mundis, hoc est, de priore ac posteriore disseruit, de Prouidentia deinceps tractat.



[1] Atque ita mundorum (quos nulli includere fines, 1
Metiri res nulla queat) fundamina lata
C Mens ingens mundum hunc fixit, quæ cuncta coërcet,
Omniáque exuperat: siquidem quânam arte teneri,
Ille queat, qui captum hominis procul effugit omnem?
[2] Postquã autẽ hunc mundũ struxit semel, impete primo 2
(Non secus ac rhombum, quẽ quisquã torquet in orbẽ
Verbere) semper eum voluit mirísque gubernat
Consiliis. nec enim mundi pulcherrima moles, Asseritur prouidẽtia.
Cuíque æquale nihil mens vlla effingere possit,
Aut primùm [3] temerè exorta est, aut nunc quoque fertur. 3
Ne, rogo, tam temerè vanissima verba profunde. 4
[4] Quísnam ædes, celerem aut currum, clypeúmue, ratémue,
D Aut vnquam galeam vidit, quæ condita dextra
Non foret artificis? Quin nec per secula tanta
Mansisset, siquidem regeretur principe nullo.
Quippe nec ipse chorus, choragum si dempseris illi,
Quamlibet exiguo consistere tempore possit.
Nec verò vt mundi quisquam moderetur habenas
Conuenit, hoc vno excepto, qui condidit illum.
[5] At tu qui nostræ clauum & moderamina vitæ 5 Aduersus eos qui à sideribus mũdũ gubernari tradũt.
Sideribus tribuis, cœlum quoque rursus oportet
Inducas aliud, quod sidera temperet ista,
Atque aliud rursus, quod & hoc regat, atque gubernet.
E [6] Regem vnum inuenias, qui non sit dispare natus 6
Sidere cum multis aliis, quorum improbus ille est,
Hic bonus, ille forum sequitur, mercatur at iste,
Aut victum supplex diuersa per ostia quærit:
Hic autem imperij sedet alta sede superbus.
Contrà alios videas, dispar quibus extitit ortus:
Et tamen haud varia perierunt morte, vel vndis
Abrepti simul, aut rapidi certaminis æstu.
Atque ita, quos sidus primo sociarat in ortu,
Non fatum sociauit idem, rursúsque iugauit
Pallida mors, quos non sidus natale iugarat.

7 [7] Quòd si quemque tenent strictum fatalia vincla, A
Figmentum est istud. Sin quoddam in cætera sidus
Imperium commune tenet, sceptróque potitur,
8 [8] Ergò sideribus contraria sidera ponis.
Illa igitur quísnam iunxit? Nam qui illa ligarit,
Hic quoque confestim soluet, si fortè libebit.
Si Deus est, quónam pacto primùm asseris illud,
Quo nobis Deus excutitur? nisi tu quoque numen
Motibus imperióque astrorum subdere pergas.
9 [9] Sin tenet imperium nemo, consistere mundus
Quo tandem pacto queat, incolumísque manere? B
Atque Deum hoc illi sermone extrudere tentant,
(Aut etenim rector Deus est, aut sidera mundi)
Accipe iam quæ sit sententia nostra, fidésque.

Vera sentẽtia de prouidentia.

Omnia sermo Dei regit ista, hinc inde gubernans
10 Inferáque, & cœlo quæcunque [10] in signa locauit.
Concentum superis tribuit, cursúmque perennem
Ac stabilem: reliquis æuum mutabile, formas
Multiplicésque gerens, partim quas ipse patere
Humanis voluit, partim penetralibus imis
Abdidit æternæ sophiæ, quò monstret inanes
Esse homines, qui se doctrinæ nomine iactant.

Cur Deus non omnia patere voluerit hominũ cognitioni.

11 [11] Ac quædam hîc posuit: postrema cætera luce C
Occurrent. Vt enim durus matura colonus
Cuncta metit: sic & iudex meus æquus Iesus.
12. 13 Hæc mea doctrina est, [12] sine sidere, [13] libera prorsus.
14 Tu verò [14] Horothetas memora, partésque minutas,

Absurditas eius sentẽtiæ qua fatũ asseritur.

Signiferúmque orbem, quæq; est mensura viarum.
Frange mihi vitæ leges, absterge timorem
Sontibus, atque piis spem lætam deme futuræ
Mercedis. Nam si fert cuncta volubile cœlum,
15 [15] Voluor ego motu rapido. Quin ipsa voluntas
Non aliunde mihi, quàm cœli existet ab orbe.
Nec mihi consilij mentísque est vlla potestas, D
Qua vitio ducar studia ad meliora relicto.
Sed polus inuitum rapit huc, secúmque volutat.
16 [16] Nec verò stellam hîc quisquam mihi proferat illam,
Quæ tellure Magos ab Eoa nuncia Christi
Duxit ad oppidulum, soboles vbi temporis expers
Venerat in lucem mortali nata parente.
Non etenim ex illis, quas obseruare videmus
Astrologos, erat ipsa, recèns sed condita, necdum
17 Visa prius, tamen [17] Hebræis prædicta libellis.
Ex quibus instructi, studium quibus astra notare est,
Chaldæi, solúmque nouo splendore micare
Sidus id ex cunctis, pérque aëra Solis ab ortu E
Tendere ad Hebrææ cernentes littora gentis,
Protinus hinc magnum coniectáuere monarcham.
18 Túmque etiam Astrologis [18] solertia concidit artis,
Cùm Christum Astrologi summisso corde pióque,
19 Cœlicolûm gregibus sociis, coluere. [19] Sed ista,
Quem cursum instituit rex Christus, obire sinamus
Sidera, tam quæ fixa loco certósque ratósque
Conficiunt cursus, quàm quæ raptata feruntur
Reflexo, vt memorant, cursu, sempérque vagantur.

Ac

A Ac siue est ignis, qui nulla alimenta requirat,
Seu quintum, mos est velut ipsis dicere, corpus,
Hîc habeant iter illa suum, & moueantur in orbem.
[20] At nos, quod nobis mandatum à numine summo 20
Est iter, hoc omni studeamus obire labore.
Ad naturam etenim cœlestem & carne vacantem
Tendimus, hîc quamuis [21] terrena compede vincti. 21

SCHOLIA.

B 1. *Atque ita) Superiori carmine à Theologo dictum est, quemadmodum Deus mũdum omnem, hoc est materia carentem, & ex materia concretum, iussu solo ex nihilo procrearit. Solus enim ipse sempiternus, magnáque illa & immensa orbísque genitrix mens, sui ipsius contemplatione, rerúmque per eum futurarum formis sese oblectans, cùm ei ita visum est, prius secularem, deinde temporalem mundum omnipotenti suæ sapientia coagmentauit. Horum igitur mundorum vtrumque, vt infinita altitudine & profunditate, longitudinéque ac latitudine intellectualiter, ac citra vllam dimensionem supra visibilem hunc mundum expansum, aptissimè latum fundamentum appellauit.*

2. Postquam autem) Postquam cœlum & terram, hoc est duplicem mundum, procreauit, hunc à primo impetu, hoc est omnipotente prouidentia atque consilio ac momento regi gubernaríque præcepit. Vt enim trochus prima ferientis plaga concitatus, perdiu ocyssimis conuersionibus atque agitationibus acceleratus in orbem voluitur: ita etiam mundus vniuersus magnis atque immutabilibus Dei rationibus atque decretis iam inde à creationis suæ primordiis impulsus & agitatus, atque ad præscriptum huiusce seculi finem circumactus, omnia ea, quæ in diuinitatis arcano constituta, atque in sapientiæ penetralibus recondita sunt, suo quæque tempore producens, con-
C *ficiet atque absoluet.*

3. Temerè exorta est.) Gr. αὐτομάτη φύσις. Dicitur autem αὐτόματον id quod non ratione vlla sapientiáque præeunte, sed temerè accidere cernitur. Et quidem plerique stolidi homines sine numine propemodum omnia & fieri censuerunt, & temerè volui existimant. Ait igitur Gregorius neminem vnquam mentis compotem eò adductum iri, vt tanti ac talis mundi naturam, cui nihil simile cogitari queat, aut temerè ac fortuitò procreatam esse, aut sine ratione administrari suspicetur. Cauete igitur, inquit, ne eò audaciæ proruatis, vt naturam & tanta magnitudine, & tali pulchritudine præditam, támque admirabilem & eximiam omnium eorum quæ fiunt concinnitatem, compositúmque ordinem, vanis ac fortuitis & temerariis rationibus permittentes eum qui res omnes præclarissima sapientia mirificè operatur, abnegetis.

4. Quisnam ædes) Postquam admonuit ne rem tantam, hoc est orbis vniuersi structuram & elegantiam, fortunæ temeritati permittamus, iam omnipotentis prouidentiæ doctrinam exemplis confirmat. Quis enim, inquit, domum vnquam vidit, quam hominum manus non extruxerunt? Quis nauem compactam intuens, aut currum probè concinnatum, aut clypeum & galeam, aut denique opus aliquod humana arte elaboratum
D *vnquam aspexit, quin statim ei opifex in animo versatus sit? Quin alia quoque ratione temeritatis huius dogma prorsus falsum, atque eiusmodi quod nullo pacto consistere queat, esse perspiciemus. Etenim si detur mundum haud cuiusquam imperio, sed temerè ac fortuitò regi, quónam modo tandiu perstare, concinnitatémque eandem tueri, ac cuiusque anni in his quæ fiunt, conuersionis concordiam, ordinémque ac seriem conseruare potuisset? Nam ne chorus quidem diu concinnè aptéque moueri potest, verùm quàm celerrimè dissoluitur, si desit qui eum regat. Porro ducem ac gubernatorem mundi ecquem tandem alium quisquam fingere atque statuere queat, quàm eum à quo conditus sit? Neque enim conuenit operi vllum alium moderatorem præficere, quàm ipsum opificem.*

5. At tu qui nostræ) Postquam τὸν αὐτοματισμὸν. i. eam opinionem quæ fortunæ temeritati omnia committit, vt à ratione abhorrentem, ac communibus animi notionibus repugnantem, euertit, nunc artem eam, quæ in inuestigandis natiuitatibus versatur, paucissimis versibus confutat: atque ab absurdo argumentum ducens, variam ac commentitiam esse astrologiam ostendit, atque ita demum ad firmam ac stabilẽ veritatis doctrinam se confert. Ait itaque: Tu qui tum nostræ generationis ac natiuitatis, tum omnis hominum vitæ rationis, tam probæ, quàm
E *malæ & flagitiosæ stellas duces atque auctores esse pronuncias, atque astrorum figuram, virtutis ac vitij, opum ac paupertatis, beatitudinis ac miseriæ, vitæ denique ac mortis causam conciliatricémque necessariò esse statuis, atqueadeò ex ipsis sideribus vitæ humanæ gubernationem pendere astruis, age, dic quódnam aliud cœlum, aut quas alias stellas supra has, quas oculis cernimus, daturus es, ex quibus hæ inuisibili modo corroboratæ res humanas moderentur. Quòd si hoc dederis, deinceps tibi hoc faciendum erit, vt alias rursus stellas supra has constituas. Ita fiet, vt nunquam desinas aliis stellis inferiores gubernantibus superiores alias imponere, atque in infinitum progrediendo, vanitates eiusmodi, quæ nulla ratione consistere queant, insaniásque falsas fingere.*

6. Regem vnum) Qui ad Astrologiæ, notandorúmque natalitiorum dierum vanitatem stultè inhiant sidera partim benefica, partim malefica nuncupant, atque alia quidem in causa esse affirmant, cur nonnulli reges ac principes, & diuites sint, alia autem id efficere vt nonnulli priuati ac pauperes, aut rursus oratores ac sophistæ sint. Etenim hora ea ac puncto, atque adeò puncti tenuissima, vt ita dicam, ac momentanea parte, qua quisque nascitur, prout Sol ac Luna, aliique planetæ in hanc aut illam formam componuntur, atque hoc vel illo

modo inter se affecti sunt, tales quoque homines nasci cõtendunt. Rursúsque eos qui idem sidus natalitium nacti fuerint, idem quoque mortis genus habituros: quibus autem dispar natiuitas fuerit, iis disparem quoque è vita discessum fore. Quam vanitatem confutans Gregorius, ait, Regem vnum, &c. Hoc est, In vno atque eodem tenuissimo momento, atque eadem siderum figura sæpe accidit, vt vnus rex nascatur, complures item alij, vt verisimile est, vnà cum eo gignantur, nec tamen iisdem moribus sint, nec eandem fortunam nanciscantur, aut idem vitæ studium atque institutum habeãt: verùm alius ex illis vir bonus, alius nequam & flagitiosus sit: alius doctus sit, oratoriáque laude floreat, alius indoctus atque omnis eruditionis expers, ac mercaturam aut agriculturam pro arte habeat, &c.

7. Quod si quemque tenent) Horum verborum huiusmodi mihi sensus esse videtur. Si in singulis hominibus, qui in terra nascuntur, prima quædam est necessitas seu necessaria quædam ortus eorum aut mortis causa, id quod fatum prophani auctores appellant, fabula hæc est, ac merum deliramentum. Sin autem communis quædam, & singula complectens atque comprehendens, & vniuersis rebus imperans causa, prouidentia dominatur, hæc sanè melior firmiórque sententia est. Ad hunc modum hæc verba exponit Græcus interpres. Quam tamen interpretationem ne probem, faciunt hæc quæ aliquantò pòst sequuntur in textu, Atque Deum hoc illi, &c. Quibus ex verbis apertissimè constat eum præcedentes omnes opiniones improbare ac reiicere. Meo quidem iudicio per hæc verba hoc velle videtur Gregorius, si fatalis quædam necessitas in rebus humanis dominatur, fabulosum ac ridiculum esse, asserere hominum mores atque fortunam ex natalitiis sideribus pendere.

8. Ergo sideribus) Concursus enim earum stellarum quæ beneficæ dicuntur, vt bonorum ac fortunatorum hominum ortus causæ, improbos nonnunquam, atque extrema paupertate laborantes effecit: ac rursus maleficarum stellarum congressus, probos viros ac felices plerumque edidit. Ecquis igitur est, qui contraria sidera commiscuit, atque per benefica malos & sceleratos, per malefica bonos effecit? Liquet profectò, quod is qui ea connectit, cùm libet, etiam dissoluit. Et quemadmodum bona per bonas stellas, ac mala per maleficas (hoc enim constringendi vocabulum hoc loco significat) ita etiam bona per maleficas, & mala per beneficas idem ipse facere consueuit. hoc enim significat quod ait, soluere quæ constrinxit. Quòd si hæc facere nullius est alius quàm Dei, quónam modo primum, atque earum rerum causa id dici queat, quod mihi Deum excutit, atque expellit, obliuioníque tradit? Nisi fortè, ô astrologe, ipsum quoque astrorum effectorem astris tuis, eorúmque potentiæ subiicere velis. O horrendam impietatem!

9. Sin tenet imperium nemo) κρατέων, id est, διακρατῶν, διευθετῶν, καὶ κοσμῶν, conseruans ac moderans. Si nullius auctoritate ac prouidentia res humanæ gubernantur, sed temerario quodam motu atque impetu voluuntur, quid afferri potest, quin protinus intereant ac dilabantur?

10. In signa) Gr. σήμασι. quod exponit Interpres, τοῖς ἰδίοις νοήμασιν, ὡς μόνος ἐπίσταται, id est, intelligentia sua, quemadmodum ipse solus nouit. Mihi tamen magis placet, vt σῆμα idem hîc sit quòd σημεῖον. Solem enim &

Gene. 1. Lunam in signa posuit Deus, vt tradit Scriptura.

11. Ac quædam) Hominum peccata partim in hac vita coarguuntur ac condemnantur, nimirum vel voluntaria pœnitentia sese condemnantibus & excruciantibus iis qui peccant, vel satis graues pœnas legibus ac iudicio dantibus: partim postremis diebus in faciem occurrent, iisque qui ita peccant, vt eos scelerum minimè pœni-

Psal. 49. teat, ex aduerso stabunt crimina, eósque coarguent.

12. Sine sidere) Gr. ἀνάστερος, id est, ταῖς ἀστρῴαις αἰτίαις καὶ κινήσεσιν οὐδαμῶς ἐξηρτημένος, id est, ex astrorum causis & motibus minimè pendens.

13. Libera prorsus) Gr. αὐτοκέλευθος, id est, αὐτοκίνητος, καὶ αὐθαιρέτῳ γνώμῃ τὸν κατ' ἀρετὴν ἢ κακίαν βίον αἱρετίζων, id est, spontaneo motu prædita, ac voluntaria animi propensione vel honestam vel flagitiosam vitam amplectens.

14. Horothetas) id est, horoscopos, hoc est, sidera illa, quæ eo momento oriuntur, quo quispiam in lucem prodit.

15. Voluor ego motu rapido) Gr. κείνου ἀνάγκῃ ῥοιζοῦμαι, hoc est, vim subeo, nec voluntate animique inductione bonum aut malum facio. Quod si verum est, sublata est arbitrij libertas. Nam ipsam quoque voluntatem, quæcunque tandem illa fuerit, circularis cœlestium corporum impetus aduehet. Ex quo duplex sequetur absurditas, altera quòd malorum auctor esse stellarum opifex asseretur: altera, quòd etiam iniustitiæ opinionem subiturus est, tum quòd iniquè malos puniat, vt qui non voluntariè peccent, tum quòd temerè eos honore afficiat, qui non suopte nutu bonis operibus incumbunt.

16. Nec vero hîc) Nihil est, inquit, quod mihi stellam illam Magorum ducem in medium proferatis. Neque enim ea vna erat ex illis, quæ à primo rerum ortu extiterunt, ac cœlorum firmamento infixa sunt: nec rursus vna ex his quæ inère casu aliquo nonnunquam existunt, quarum significationem edere Astrologi solent: verùm mente præditus quidam angelus stellæ formam subiens. Ita hæc exponit Græcus interpres. Cui tamen, quod ad angelum attinet, minimè assentior. Stella enim reuera fuit, non angelus, quæ Magis in Bethleem dux fuit.

17. Hebræis prædicta) ἀγορευόμενος, id est, ἀνακηρυττόμενος, prædicata.

18. Solertia concidit) μῆδεα τέχνης, id est, τὰ τεχνολογήματα τῶν ἀστρολόγων, καὶ τῆς ματαιοτεχνίας αὐτῶν τὰ τερατολογήματα, id est, astrologorum argutiæ ac prodigiosæ vanitates.

19. Sed ista) Igneæ, inquit, ac splendidæ stellæ, quæ in cœlo sunt, tam errantes quàm fixæ, partim retrogradæ, hoc est contrariam Vniuerso viam obeuntes, (vnde etiam planetæ vocantur) partim fixæ atque constantes, eodémque semper loco insitæ, simùlque cum orbiculari poli motu circumactæ, ob idque ἀπλανεῖς dictæ, id est, minimè errantes, hæ, inquam, stellæ curriculum sanè suum, à Christo ipsis indictum & præscriptum, conficiant. Quid nobis cum iis commune est? Quocirca siue quapiam est alimenti expers ignis natura, quæ quidem æther nuncupatur, siue etiam quintum aliquod corpus appellare malunt, id quod cœlum Scriptura vocat, in his sanè circularem viam suam stellæ omnes perpetuò obeant.

20. At nos) Cœlestium, inquit, corporum vertigines missas faciamus, ac nostram ipsi viam omni studio ac diligentia

A *diligentia prosequamur. Etenim ad spiritalem ac cœlestem naturã cursus omnis noster tendit, vtpote qui, iuxta Apostolum, conuersationem in cœlis habeamus.*

21. *Terrena compede vincti) Lego* δίοςμοι, *vt interpres Græcus, non* δέσμιοι, *vt in codice quo sum vsus. Per terram autem hoc loco corpus intelligitur.*

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ,

τοῦ θεολόγου, περὶ νοερῶν οὐσιῶν, λόγος ϛ.

Οἵη δ' ὑετίοιο κατ' ἠέρος εὐδιόωντος,
Ἀντομένη νεφέεσσιν ὑποκρύφιος περὶ αὐγαῖς,
B Ἀκτὶς ἠελίοιο πολύχροον ἶριν ἑλίσσει,
Ἀμφὶ δέ μιν πάντη σελαγίζεται ἐγγύθεν αἰθὴρ,
Κύκλοισιν πυκινοῖσι καὶ ἔκτοθε λυομένοισι,
Τοίη καὶ φαέων πέλεται φύσις ἀκροτάτοιο
Φωτὸς ἀποστίλβοντος ἀεὶ νόας ἥσσονας αὐγαῖς.
Ἤτοι ὁ μὲν πηγὴ φαέων φάος οὔτ' ὀνομαστὸν,
Οὔθ' ἑλετὸν, φεῦγόν τε νόον τάχος ἐγγὺς ἰόντος,
Αἰὲν ὑπεκπροθέον πάντων φρένας, ὥς κε πόθοισι
Τεινώμεσθα πρὸς ὕψος ἀεὶ νέον. οἱ δέ τε φῶτα
Δεύτερα ἐκ τριάδος βασιλήϊον εὖχος ἐχούσης,
Ἄγγελοι αἰγλήεντες ἀειδέες, οἵ ῥα θόωκον
Ἀμφὶ μέγαν βεβαῶτες, ἐπεὶ νόες εἰσὶν ἐλαφροὶ,
C Πῦρ καὶ πνεύματα θεῖα δι' ἠέρος ὦκα θέοντες
Ἐσσυμένως μεγάλῃσιν ὑποδρήσσουσιν ἐφετμαῖς,
Ἁπλοῖ τε νοεροί τε διαυγέες, οὔτ' ἀπὸ σαρκῶν
Ἐρχόμενοι. σάρκες γὰρ ἐπεὶ πάγεν αὖθις ὀλοῦνται,
Οὔτ' ἐπὶ σάρκας ἰόντες, ὅπερ δ' ἐγένοντο μένοντες.
Ἤθελον εἰπεῖν πάμπαν ἀτειρέες. ἀλλ' ἀνέχ' ἵππον,
Καὶ μάλα θερμὸν ἐόντα νόου ψαλίοισιν ἐέργων.
Καί ῥ' οἱ μὲν μεγάλοιο παραστάται εἰσὶ θεοῖο.
D Οἱ δ' ἄρα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς κρατέουσιν ἀρωγαῖς,
Ἄλλην ἄλλος ἔχοντες ἐπιστασίην παρ' ἄνακτος,
Ἄνδρας τε, πτολίας τε, καὶ ἔθνεα πάνθ' ὁρόωντες,
Καὶ λογικῶν θυέων ἐπιΐστορες ἡμερίοισι.
Θυμὲ τί καὶ ῥέξεις, τρομέει λόγος οὐρανίοισι
Κάλλεσιν ἐμβεβαὼς, ἀχλὺς δέ μοι ἀντεβόλησεν,
Οὐδ' ἔχω ἢ προτέρω θεῖναι λόγον ἢ ἀναδῦναι.
Ὡς δ' ὅτε ῥηχαλέῳ ποταμῷ περάων τις ὁδίτης
Ἐξαπίνης ἀνέπαλτο, καὶ ἴσχεται ἱέμενός περ,
Πολλὰ δέ οἱ κραδίη πορφύρεται ἀμφὶ ῥεέθρῳ,
E Χρειὼ θάρσος ἔπηξε, φόβος δ' ἐπέδησεν ἐρωήν.
Πολλάκι ταρσὸν ἄειρεν ἐφ' ὕδατι, πολλάκι δ' αὖτε
Χάσσατο, μαρναμένων δὲ φόβον νίκησεν ἀνάγκη.
Ὡς καὶ ἐμοὶ θεότητος ἀειδέος ἐγγὺς ἰόντι,
Τάρβος μὲν καθαροῖο παραστάτας ὑψιμέδοντος
Θεῖναι ὑπ' ἀμπλακίῃ φωτὸς κεκορημένον εἶδος,
Μήπω καὶ πλεόνεσσιν ὁδὸν κακίης στορέσαιμι.
Τάρβος δ' ἄτροπον ἐσθλὸν ἐμοῖς ἐπέεσσι χαράξαι,
Μέσφ' ὅτε καὶ σκολιόν τιν' ὁρῶ κακίης μεδέοντα.
Οὔτε γὰρ ἣν ἀγαθοῖο κακοῦ φύσιν ἄμμι φυτεῦσαι,
Ἢὲ μόθον προφέρειν καὶ ἔχθεα οἷσι φίλοισιν.
Οὔτε μὲν ἀντιθόωκον ἀναστῆναι κακότητα,
Ὕστατον, ἢ καὶ ἄναρχον ἔχειν φύσιν, ὥσπερ ἄνακτα.
Ὧδέ μοι ἀχλαλόων τι θεὸς νόον ἔμβαλε τοῖον.
Πρώτη μὲν θεότητος ἁγνὴ φύσις ἄτροπος αἰεὶ,
Ἀνθ' ἑνὸς οὔποτε πολλά. τί γὰρ θεότητος ἄρειον
Εἰς ὃ μετακλίνοιτο; τὸ δὲ πλέον ὄντος ἄλυξις.
Δεύτερον ἀκροτάτοιο φάους μεγάλοι θεράποντες,
Τόσσον πρωτοτύποιο καλοῦ πέλας, ὅσσα πιόν περ
Αἰθὴρ ἠελίοιο. τὸ δὲ τρίτον ἠέρες ἡμεῖς.
Εἰς πάντ' ἄτροπός ἐστι θεοῦ φύσις, εἰς κακίην δὲ
Δύστροπος ἀγγελικὴ, καὶ τὸ τρίτον εὔτροπος ἡμεῖς,
Ὅσσον τῆλε θεοῖο, τόσον κακίης πελάοντες.
Τοὔνεκεν ὁ πρώτιστος ἑωσφόρος ὑψόσ' ἀερθεὶς,
(Ἦ γὰρ δὴ μεγάλοιο θεοῦ βασιληΐδα τιμὴν
Ἤλπετο, κῦδος ἔχων περιώσιον) ὤλεσεν αἴγλην,
Καὶ πέσεν ἐνθάδ' ἄτιμος, ὅλον σκότος ἀντὶ θεοῖο,
Καὶ κοῦφός περ ἐὼν χθαμαλὴν ἐπὶ γαῖαν ὀλισθεν,
Ἔνθεν ἀπεχθαίρει πινυτόφρονας, οὐρανίης δὲ
Εἴργει πάντας ὁδοῖο χολούμενος ἣν διὰ λώβην.
Οὐδ' ἐθέλει θεότητος, ὅθεν πέσεν, ἆσσον ἱκέσθαι
Πλάσμα θεοῦ. ξυνὴν γὰρ ἔχειν ἐπόθησε βροτοῖσιν
Ἀμπλακίην σκοτίην τε, τὸ καὶ βάλεν ἐκ παραδείσου,
Κύδεος ἱμείροντας ὁ βάσκανος ἰσοθέοιο.
Ὡς ἄρ' ὅγ' οὐρανίης ἐξ ἄντυγος ἦλθεν ἀερθεὶς,
Ἀλλ' οὐ μοῦνος ὄλισθεν, ἐπεὶ δέ μιν ὤλεσεν ὕβρις,
Κάππεσε σὺν πλεόνεσσιν, ὅσους κακίην ἐδίδαξεν,
Ὡς στρατὸν ἐκ βασιλῆος ἀπορρήξας τις ἀλιτρὸς,
Βασκανίῃ τε χοροῖο θεόφρονος ὑψιμέδοντος,
Καὶ πλεόνεσσι κακοῖσιν ἔχων πόθον ἐμβασιλεύειν.
Ἔνθεν ἄρ' ἐβλάστησαν ἐπιχθόνιοι κακότητες,
Δαίμονες ἀνδροφόνοιο κακοῦ βασιλῆος ὀπηδοὶ,
Ἀδρανέα, σκιόεντα, δυσάντεα φάσματα νυκτὸς,
Ψεῦσταί θ', ὑβρισταί τε, διδάσκαλοι ἀμπλακιάων,
Πλάγκται, ζωροπόται, φιλομειδέες, ἐγρεσίκωμοι,
Χρησμολόγοι, λοξοὶ, φιλοδήριες, αἱματόεντες,
Ταρτάρεοι, μυχόεντες, ἀναιδέες, ἀρχιγόντες,
Ἐρχόμενοι καλέουσιν, ἀπεχθαίρουσι δ' ἄγοντες,
Νὺξ, φάος, ὥς κεν ἕλωσιν ἢ ἀμφαδὸν ἢ λοχόωντες.

Τοίη μὲν κείνων στρατιὴ, τοῖος δέ τε ἀρχὸς,
Χριστὸς δ' οὔτε μιν ἔσχεν ἀϊστώσας ἰότητι,
Ἢ καὶ κόσμον ἔτευξεν ὅλον, καὶ τὸν δ' ἂν ὄλεσσεν,
Αἶψ' ἐθέλων, χαλεπὴ δὲ θεοῦ κοτέοντος ἄλυξις,
Οὐδὲ μὲν οὐδ' ἀνέηκεν ἐλεύθερον ἐχθρὸν ἐμεῖο,
Ἀλλὰ μέσον μεθέηκεν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε,
Δῶκε δ' ἐπ' ἀλλήλοισι κακὸν μόθον, ὡς ὁ μὲν αἰνὸν
Αἶσχος ἔχῃ, καὶ τῇδε, χερείονι τῷ πολεμίζων,
Οἱ δ' ἀρετῇ μογέοντες ἑὸν κλέος αἰὲν ἔχωσιν,
Ὡς χρυσὸς χοάνοισι καθαιρόμενοι βιότοιο, A
Ἢ τάχα κεν μετέπειτα δίκας τίσειεν ἀτειρὴς,
Ὕλης δ' ἀπολλυμένης ὅτε ἔμπυρός ἐστιν ἄμφις,
Πολλὰ πάροιθεν ἔοισιν ἐνὶ δρηστῆρσι δαμασθεὶς
Τειρομένοις. τὸ γὰρ ἐστὶ κακῶν γεννήτορι τίσις.
Ταῦτα μὲν ἀγγελικῆς αἴγλης πέρι πνεῦμ' ἐδίδαξε
Πρώτης θ', ὑστατίης τε. μέσσον δέ τε κἀνθάδ' ἀνεῦρε.
Μέτρον δ' αὖ θεός ἐστιν. ὅσον πελάει τις ἄνακτι,
Τοσσάτιον φάος ἐστὶν, ὅσον φάος, εὖχος ὅμοιον.

DE SVBSTANTIIS MENTE PRÆDITIS. B

CARMEN SEXTVM.

ARGVMENTVM EX GRAECO CYRI NICETAE.

Superius de duplici mundo, hoc est, spirituali, & in sensum cadente tractauit: ac deinceps de benigna Dei prouidentia, qua res omnes conditæ gubernantur, ea quæ ipsius menti occurrerunt, disseruit. Nunc iam de naturis iis agit, quæ corpore vacant.



1 VT Phœbi [1] radius, cœlum cùm forte serenum est,
In nubem incurrens, omnique ex parte repulsus,
Efficit vt variis distincta coloribus Iris
Protinus existat, totúsque effulgeat æther C
Vicinus, crebríque orbes nascantur, & vnà
Intereant: summum cœlestia lumina lumen
Haud secus illustrat radiis, mentésque minores.
Atque ille & lux est, & luminis omnis origo,
2 [2] Cui dare nec nomen, quem nec comprendere possis:
3 Mentis enim cursum [3] celer effugit vsque propinquæ:
Scilicet vt dulci correpta cupidine semper
Vlterius tendat, seséque extollat in altum.
Ast ab eo, decus eximium carpente, secunda
Lumina sunt mentes superæ, formáque carentes,
4 [4] Quæ solium stantes circum regale (leues nam D
Sunt mentes, ignísque, & pneumata dia, per altum
Æthera præpetibus pennis volitantia) promptè
Numinis æterni sanctissima iussa capessunt.
His simplex natura data est, ac prædita mente.
Nec verò aut fluxis traxerunt carnibus ortum
(Rursus enim, fluxa constant qui carne, peribunt)
Aut carnem assument, veniéntque in corpora: verùm
Incolumis status ipsarum per secla manebit.
5 Quinetiam [5] sceleri exemptas, culpæque periclo
6 Dicere gestirem: [6] sed equus retinendus habena est,
Sit licet ille ferox valde, calidúsque feratur.
7 Ac pars æthereum [7] circunstat sedula numen, E
Pronáque ad obsequium. pars altera sustinet orbem,
Auxilio seruátque suo: sic scilicet, illi
Diuersa vt curent, cœlestia iussa sequentes.
Illi homines, vrbes isti gentésque gubernent,
8 [8] Et sacra consciscant, quæ spiritualia, nobis.
Mens quid ages? mihi lingua pauet, quatitúrque tremore
Ingrediens superas mentes. caligine densa
9 Obruor. [9] incœptúmque vltrà producere carmen

Cur Deus mētem sui cupidam effugiat.

Psal. 103.

Angeli impeccabiles non sunt creati.

A Nec queo, nec rursus cœptos abrumpere versus.
Vtque parans amnem gelidum tranare viator,
Mente licet prompta, resilit tamen ipse repente,
Ac reprimit gressus, secúmque in margine ripæ
Multa agitat, voluítque animis, atque anxius hæret.
Hinc vis extimulat, robúrque in pectore condit:
Deiicit hinc contrà pauor hunc, gressúmque moratur.
Sæpe pedem tollit, gelidásque immittit in vndas:
Sæpe pedem rursus retrahit, timidúsque recedit:
Denique vis vrgens superat, pellítque timorem.
Sic ego cùm Triadi sanctæ informíque propinquem,
B Cœlicolas, puri solio quæ principis astant,
Lucéque sunt saturæ, vitio submittere mentes
Pertimeo, [10] detur ne pluribus ansa ruendi 10
In scelus: atque illas rursus formido negare
Ad mala flexibiles, vitij cùm cerno parentem.
[11] Namque bono plantare malum non conuenit, hísque, 11
Quos adamat, lites atque horrida bella creare:
Nec rursum vitij aduersas inducere sedes
Pòst orti, vel quod sit prorsus originis expers,
Haud secus ac celsi magnus dominator Olympi,
Tandem alternanti Deus intulit hanc mihi mentem.
C [12] Prima quidem Triadis pura est natura, nec vnquam 12
Flexilis, ex vno quæque in permulta secetur.
(Numine diuino quid enim præstantius esse
Omnibus in rebus queat, vt vertatur in illud?)
Nam si plus vno quis dixerit, excidit Ente.
Post illam superæ mentes, lucísque ministræ
Supremæ, quantum Soli purissimus æther,
Tantum etiam primæ luci firmæque propinquæ.
Postrema est hominum classis, velut [13] infirmus aër. 13
Inuerti deitas prorsus nequit. angelus [14] ægrè 14
Flectitur in vitium. facilis mortalibus autem
D Est flexus, lapsúsque celer: vitióque propinquant
Hoc mage, quo summo magis à genitore recedunt.
Quocirca primus male-sana mente tumescens
Lucifer (eximio nam quòd frueretur honore,
Sperabat regale Dei soliúmque, decúsque)
Corruit amisso vilis splendore, misérque:
Dum Deus esse cupit, tetra caligine totus
Obrutus est, leuis atque licet, prostratus ad ima.
Quò fit vt infestis odiis, ac feruidus ira, Diaboli inuidia.
Ob labem acceptam, [15] quotquot prudentibus vti 15
Consiliis videt, incessat, studeátque ferentem
E Omnibus ad superas sedes præcludere callem.
Mortales etenim propius cum numine iungi,
Vnde ipse est lapsus, non sustinet, atque tenebras
Nobiscum & [16] noxas communes gestit habere. 16
Ergo diuinos Adamus dum quærit honores,
Præcipitem extrusit paradiso liuidus hostis.
Sic ille æetherea, fastu dum turget, ab arce
Corruit: at quoniam fastus grauis attulit ipsi Lucifer multos secum traxit.
Exitium, haud solus cecidit, verùm agmine septus
Ingenti, sceleris cui dux fuit atque magister.
[17] Nam velut auertit commissum proditor agmen 17 Simile.

Regis ab imperio: multas sic ille cohortes A
Regis ab obsequio magni, cœtúque piorum
Abductos ad se allexit. nam scilicet ipse
Imperium in multos prauos cupiebat habere.
18 [18] Hinc generi humano noxæque & crimina mille
Fluxerunt, hinc pestiferi sæuíque tyranni
Dira cohors, hinc vmbrosæ spectacula noctis
Horrida: mendaces, petulantes, atque magistri
Cuiusuis sceleris, viníque & fraudis amantes,
Et risus, ludósque leues de nocte cientes,
19 [19] Ambigua edentes stultis oracula, pugnæ
Rixarúmque auidi grauium, fusíque cruoris: B
20. 21 Tartarei, [20] clausíque antris, [21] sine fronte, ducésque
22 Præstigiosorum [22] veniunt cum fortè vocantur:
Atque odere tamen quos ad certissima damna
23 Exitiúmque trahunt [23] nox sunt & lumen, aperto
Marte, vel insidiis vt nos superemur & astu.
Ac tale illorum est agmen, talis quoque princeps.
24 Consilio at Christus [24] nec eum compressit eodem.
De medióque tulit, quo totum condidit orbem,
Quóque illum extemplo, si vellet, perdere posset
(Ecquis enim fugiat commoti fulmina Christi?)
Nec rursus faciles hosti laxauit habenas:

Cur Christus diabolum nec plane soluit nec prorsus astringit.

Verùm intérque malos, virtutis & inter amicos C
25 Liquit eum medium, [25] violentáque prælia mouit.
Scilicet vt fracto grauius sit dedecus hosti,
Inferiore cadit præceps dum victus ab hoste:
Qui verò ærumnas subeunt virtutis amore,
Vt fuluum rapidis purgatur in ignibus aurum,
Sic illi ardenti vitæ in fornace probati,
Insignem obtineant mansura in secula laudem.
26 [26] Postea quinetiam pœnas dabit ille perennes
(Tum cùm materies tandem accendetur, erítque
Flamma vltrix scelerum) grauiter cruciatus eorum
Ante oculos, habuit quos ad sua iussa ministros. D
Namque ea pœna decet culpæ sceleríque parentem.
27 [27] Hæc me de primis, de posterioribus atque
Mentibus angelicis docuit sanctissimus ille
Spiritus. At verò quis sit modus alta petendi,
28 [28] Ipse quoque inuenit, namque hic modus est Deus ipse.
Quanto etenim Triadi propior mens quæque superna est,
Lucidior tantò est etiam: quantóque vicissim
Lucidior, tanto maiori gaudet honore.

SCHOLIA.

1. *Vt Phœbi radius) Arcus ille, quem Iridem Gentiles philosophi appellant, hoc modo conficitur. Cùm radius solaris ex transuerso per humore affectum aërem atque tranquillum permeans, ac nubium circumactu propulsatus, hoc est, in eorum orbiculariter sese condensantium obseptionem incidens, diuersicolorem Iridem in cælo semicirculari figura circumuolutum ostendit, ac circum eam vicinus æther crebris continuísque orbibus simul effectis, protinúsque dilabentibus, vndique collucet & inclarescit. Ad eundem modum, vt per res caducas & fluxas ea quæ à corruptione aliena sunt, nec imagine vlla exprimi possunt, quoquo modo repræsentare licet, ex primo ac diuino lumine, tanquam ex Sole, lumina secunda atque inferiora, hoc est, diuinæ illæ mentes collucent.* E

2. *Cui dare nec nomen) hoc est, quem certo nomine, vt propriè est, declarare nequis.*

2. *Nec comprendere) id est, oculorum obtutu, ac mentis intelligentia complecti.*

3. *Celer effugit) Mentis omnis aciē, celeritatémque fugit: ita vt cùm quispiam contemplatione ad eum propius accesserit,*

A accesserit, idemque ipsum comprehendisse sibi videatur, ipse semper se proripiens, conspectúmque sui subducens, cum, à quo cernitur, linquat. Quodquidem eò fit vt ipsius amore ac pura cupiditate incitati, ac renouati, ad sacræ cognitionis fastigium assurgamus.

4. Quæ solium stantes) Gr. βεβῶτες, id est, ἀκριβῆ ἀν καὶ βεβαίαν τὴν ἵδρυσιν εἰληχότες certã & stabilem sedẽ nacti.

5. Sceleri exemptas) ἀτρεφέες, id est, ἀκλινεῖς καὶ ἀρρεπεῖς πρὸς τὴν κακίαν, id est, inflexibiles ad vitium.

6. Sed æquus retinendus).i. reprimor ne hoc dicam, propter Luciferum, qui à bono ad malum sese inflexit.

7. Circunstat sedula) id est, proximè Trinitatem stant, ac primariis & præstantißimis muneribus apud Deum funguntur.

8. Et sacra consciscant) καὶ λογικῶν θυσιῶν ἐπίστορες. Sunt, inquit, alij diuiniores quodammodo, magísque spiritales, ij nimirum qui Ecclesiarum Christi velut præsides ac patroni & magistri sunt, quíque spiritaliũ sacrificiorũ, quæ in tẽplis ab hominibus sanctis offeruntur, ἐπίστορες, hoc est, callentes ac periti sunt, eáq; ad Deũ perferũt.

9. Incœptúmque) hoc est, ancipitis sum animi, vtrum angelos omnes ad malum inflexiles dicere debeam, an sermonem reprimere ac coërcere.

B 10. Detur ne pluribus ansa) His enim fortasse verbis vtentur: Si ij qui natura ad eum, qui summè bonus est, magnopere accedunt, non prorsus hoc consecuti sunt, vt ad malum minimè propendere poßint, quid mirum si nos, lutea natura præditi, ac procul à Deo remoti, peccamus?

11. Namque bono plantare) Haudquaquam, inquit, persuasum hoc nobis esse debet, ab eo, qui natura bonus sit, mali naturam consitam fuisse. Quonam enim modo is, qui prorsus bonus est, perpetuum bellum ac sempiternas inimicitias & simultates amicis suis excogitare atque conflare queat? quãdoquidem nec sol tenebrarum auctor & causa esse potest, cùm ipsißimum lumen sit. Nec rursus oppositam & aduersariam vitij radicem, aut serius ortam, aut etiam ipsißimæ bonitati coæternam inducemus.

12. Prima quidem) Prima & pura diuinitatis natura est. Nihil ea melius nec perfectius nec præstantius ne cogitatione quidem nuda complecti ac percipere quisquam potest. Vnde etiam eadem, vt immutabilis atque conuersionis omnis expers, vna semper est, nec vnquam pro vno multa. Nam cùm nihil habeat melius in quod flecti aut immutari queat, verùm essentiam vniuersam, ac bonitatem prorsus omnem in se contineat, si quid (vt ita fingamus) insuper inuenire quispiam vellet, nihil profectò aliud consequeretur, quàm quod ab Ente prolaberetur, & effugeret.

C 13. Infimus aër) Gr. ὕστερος ἡμῶν. Hoc autem refertur ad id quod proximè præcedit. Vt enim æther Soli propinquior est, quàm aër: ita angeli viciniores sunt Deo quàm nos.

14. Ægrè flectitur) De prima angelorum creatione hoc intellige.

15. Quotquot prudentibus) hoc est, è terra ad cœlum, vnde ipse prolapsus est, aspirare.

16. Et noxas) ἀμπλακίην. Cyrus πτῶσιν, id est, casum exponit: ego ἁμαρτίαν. Voluit enim diabolus & peccatum & supplicium nobis cum eo commune esse.

17. Nam velut auertit) Vt impius quispiam ac conceleratus homo imperium militare à rege consecutus, postea inuidia commotus regi suo insidias struit, atque imperium sibi vendicans à regio exercitu quàm maximam potest manum abstrahit, eiúsque ope ac subsidio ad tyrannidem inuadendam abutitur: ad eundem modum Satanas omnes eos angelos, qui in eadem cum ipso defectionis sententia & voluntate versabantur (quæquidem spiritalia nequitiæ in cœlestibus nuncupata sunt) secum pertrahens, atque à diuino angelorum agmine atque summi regis obsequio abstrahens, ita demum ea, qua, pro superbia sua flagrabat, regnandi cupiditate inter multos ac malos potitus est, hoc est, inter dæmones primum, ac deinde inter homines, qui ipsius fraude & versutia atque impulsione à Dominico mandato vltrò ac sponte recesserunt. Ephes. 6.

D 18. Hinc generi humano) A diaboli superbia omnia vitia mortalibus oriri ait. Hinc, inquit, perniciosi dæmones, mali regis, mali præfecti, infesti ducis infesti centuriones, mali magistri mali discipuli atque assecla.

19. Ambigua edentes) vtpote dubia responsa iis, à quibus consuluntur, edentes.

20. Clausique antris) Gr. μυχόεντες. exponit Græcus interpres, ἐκ μυχαιτάτων ἀναδύντες ᾅδου, ex abditißimis orci penetralibus emergentes.

21. Sine fronte) ἀναιδέες, id est, ἀναιδῶς ἐμφανιζόμενοι, impudenter apparentes.

22. Veniunt cùm forte) ἐρχόμενοι καλῆσιν ἀπεχθαίρουσι δ' ἄγοντες. Quæ verba sic exponit Cyrus Nicetas. Veniunt enim ad homines cùm mittuntur, atque ad fœdißima quæque flagitia eos inuitant: cùm autem ad exitium suũ miseros abducunt, non tanquam suos amant & amplectuntur, sed vt Dei figmentum acerbißimè oderunt. Mihi tamen simplicior sensus fore videtur, si καλεῦσι non ad dæmonum principem, sed ad homines, à quibus dæmones euocantur, referamus. Ac fortasse pro ἄγοντες, ἄγοντας legendum. Vt sit sensus, Dæmones, tametsi ad eos,

E à quibus euocantur, veniant, interim tamen immanißimo quodam in eos odio flagrare.

23. Nox sunt & lumen) Nonnunquam, vt nox, in caligine ac tenebris ingruunt: nonnunquam rursus in lucis speciem iis, quibus imposturam faciunt, imminent, operam omnem ac studium adhibentes, vt vel aperto certamine, vel clam structis insidiis homines interimant. At hunc modum Cyrus. Ego tamen sic potius hæc exponenda existimo, vt tum demum ad nos tanquam nox, veniãt dæmones, cùm ad perspicuum aliquod scelus nos trahere conantur: vt lux autem, cùm per obiectam virtutis cuiusdam falsam speciem callidè nos ad vitium alliciunt.

24. Nec eum compreßit) Nec eius impetum prorsus compreßit, omnipotenti consilio suo, quo orbem vniuersum fabricatus est, eum de medio tollens & extinguens.

25. Violentáque prælia) graue bellum inter diabolum & homines esse Deus voluit: vt illi hoc quoque nomine fœda ignominiæ nota inuratur, cum eo, qui deterioris naturæ est, confligenti.

26. Postea quinetiam) Non hîc duntaxat ab iis, qui ipsius impetum frangunt, Satanas contemnitur ac proteritur: verùm etiam postea, cùm extremi iudicij tempus appetierit, ac per ignem cuncta explorabuntur, accensa

materia, & colliquescente atque in flammis exardescente hominum dæmonúmque vitio, durus ille & indomitus Satan, multò atrocius ante eorum oculos, qui ipsius præceptis obtemperarint, vexatus & excruciatus in sempiternum cum ipsis ignem mittetur. Æqua enim omnium malorum parenti pœna est, sempiternũ ignis suppliciũ. A

27. *Hæc me de primis) Primos eos vocat, qui firmè atque constanter Verbo ac Deo infixi sunt. Vltimos autem, eos qui à recta ratione deflexerunt, atque vnà cum vitij auctore voluntariè à Deo desciuerunt.*

28. *Ipse quoque inuenit) Quasi dicat, Modum autem ac mensuram subiectionis cuiusque angeli ad Deum mens mea hunc inuenit. Quatenus enim mens Dei similitudinem gerens, purgatis vitæ sordibus ad Deum appropinquat, hactenus quoque pro portione lux efficitur, ac Trinitatis lumine impletur. Quatenus rursus illuminatur, eatenus quoque consentanea atque congruenti gloria à Deo afficitur.*

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ, τοῦ θεολόγου, περὶ ψυχῆς, λόγος Ζ.

B

Ψυχὴ δ' ἐστὶν ἄημα θεοῦ, καὶ μίξιν ἀνέτλη
Οὐρανίη χθονίοιο, φάος σπήλυγγι καλυφθὲν,
Ἀλλ' ἔμπης θείη τε καὶ ἄφθιτος. οὐ γὰρ ἔοικεν
Εἰκόνα τὴν μεγάλοιο θεοῦ λύεσθαι ἀκόσμως,
Ἑρπυστῆρσιν ὁμοῖα βοτοῖσί τε ἀφραδέεσσιν
Εἰ καί μιν θνητήν γε βιήσατο θεῖναι ἁμαρτάς.
Οὔτε πυρὸς μαλεροῖο πέλει φύσις. οὐ γὰρ ἐοικὸς
Δάπτον δαπτομένοιο πέλειν κέαρ, οὔτ' ἀποπνευστοῦ
Ἠέρος ἢ πνευστοῖο, καὶ οὔποτε ἱσταμένοιο.
Οὐδὲ μὲν αἱματόεσσα χύσις διὰ σάρκα θέουσα.
Ἀλλ' οὐδ' ἁρμονίη τῶν σώματος εἰς ἓν ἰόντων.
Οὐ γὰρ ἴη σαρκῶν τε καὶ εἴδεος ἀθανάτοιο
Ἐστὶ φύσις. τί δὲ πλεῖον ἀρειοτέροισι κακίστων,
Οἷς κρᾶσις ἠὲ κακοὺς τεκτήνατο ἠὲ φερίστους;
Πῶς δ' οὐ καὶ ἀλόγοισι λόγου φύσις. ἁρμονίη γὰρ
Ἡ σαρκῶν, βροτέων καὶ εἴδεος ἔστ' ἀλόγοισιν,
Εὐκραέες δ' ἄρα πάντες ἀρείονες, ὡς ὅγε μῦθος.
Κεῖνοι μὲν δὴ τοῖα, τὸ δ' αἴτιον, ὧν ἀπεόντων
Ψυχῆς ὄμμα λέλοιπε κέαρ, τάδε μυθήσαντο.
Φορβὴ δ' οὔποτέ σοι κέαρ ἔπλετο, ἧς δίχα θνητὸν
Ζώειν πάμπαν ἄπιστον, ἐπεὶ σθένος ἐστὶν ἐδωδῆς.
Οἶδα δὲ καὶ λόγον ἄλλον, ὃν οὔποτε δέξομ' ἔγωγε.
Οὐδὲ γὰρ ἂν ξυνή τις ἐμοὶ καὶ πᾶσι μερισθὴ
Ψυχὴ, πλαζομένη τε δι' ἠέρος. ὧδ' ἂν ὁμοίη
Πᾶσι πέλοι πνευστή τε καὶ ἔκπνοος, ἐν δ' ἄρα πᾶσι
Πάντες ὅσοι ζώουσι μεταπνείοντες ἔκειντο.
Εἰ δὲ καὶ ἠέρος ἐστὶ χυτὴ φύσις ἄλλοτ' ἐν ἄλλοις.
Εἰ δὲ μένει, τί μὲν ἔσχε, τί δ' ἐν πλάγχνοισι τεκούσης
Ζωὸν ἔτ' εἰ κείνη με περιέσσασεν ἔνδον ἐόντα.
Εἰ δὲ πλειοτέρων τεκέων σύ γε μητέρα θείης
Ψυχαῖς δαπτομένῃσιν ἔπι πλεόνεσσι γέρηρας.
Οὐ πινυτῶν ὅδε μῦθος, ἐτώσια παίγνια βίβλων,
Οἳ καὶ σώματα πολλὰ βίοις προτέροισιν ὅμοια,
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖς ψυχὴν δόσαν αἰὲν ἀμείβειν,
Ἢ τιμὴν ἀρετῆς, ἢ ἀμπλακίης τινὰ ποινὴν,
Εἵμασιν ὥς τινα φῶτα κατενδύοντες ἀκόσμως,
Ἠὲ μετεκδύοντες, ἐτώσια μοχθίζοντες,
Ἰξίονος κύκλοισιν ἀλιτροτάτοιο φέροντες.
Θῆρα, φυτὸν, βροτὸν, ὄρνιν, ὄφιν, κύνα, ἰχθὺν ἔτευξαν,
Πολλάκι καὶ δὶς ἕκαστον, ἐπὴν τόδε κύκλος ἀνάγῃ.
Μέχρι τίνος; θηρὸς δὲ σοφοῦ λόγον οὔποτ' ὄπωπα,
Οὐδὲ θάμνον λαλέουσαν. ἀεὶ λακέρυζα κορώνη.
Αἰεὶ δ' ἰχθὺς ἄναυδος ὑγρὴν διανήχεται ἅλμην.
Εἰ δὲ καὶ ὑστατίη ψυχῆς τίσις, ὡς ἐνέπουσι,
Κεῖνοι, τῶν οὐδ' ἔλεγχος ἐτώσιος. εἰ μὲν ἀσάρκου,
Θαῦμα μέγ' εἰ δ' ἅμα σαρκὶ, τίν' ἐκ πλεόνων περὶ δώσεις;
Καὶ τότε θαῦμα μέγιστον, ἐπεὶ πλεόνεσσιν ἔδησας C
Σώμασι, καὶ πλεόνων με δαήμονα θήκατο δεσμὸς,
Πῶς τόδε μοῦνον ἄλυξεν ἐμὴν φρένα, τίς με πάροιθεν
Εἶχε δορή; τίς ἔπειτα, πόσοις θάνον; οὐ γὰρ ἐπλεῦτει
Ψυχαῖς ὡς θυλάκοισι δέτης ἐμός. ἦ ἄρα μακρῆς
Καὶ τόδ' ἄλης, λήθην με παθεῖν προτέρης βιότητος.
Ἡμέτερον δ' αἰοῖς ψυχῆς πέρι μῦθον ἄριστον
Ἔνθεν ἑλὼν, τέρψιν δὲ μικρὴν ἀναμίξομεν οἴμῃ. D
Ἦν ποτὲ ἦν ὅτε κόσμον ἐπήξατο νοῦ λόγος αἰπὺς,
Ἑσπόμενος μεγάλοιο νόῳ πατρὸς οὐ πρὶν ἐόντα.
Εἶπεν. ὅδ' ἐκτετέλεστο ὅσον θέλεν. ὡς δὲ τὰ πάντα
Κόσμος ἔην, γαίη τε καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα,
Δίζετο καὶ σοφίης ἐπιΐστορα μητρὸς ἁπάντων,
Καὶ χθονίων βασιλῆα θεουδέα, καὶ τόδ' ἔειπεν,
Ἤδη μὲν καθαροὶ καὶ ἀείζωοι θεράποντες,
Οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν ἁγνοὶ νόες, ἄγγελοι ἐσθλοὶ,
Ὑμνοπόλοι μέλποντες ἐμὸν κλέος οὔποτε λῆγον,
Γαῖα δ' ἔπι ζώοισιν ἀγάλλεται ἀφραδέεσσι,
Ξυνὸν δ' ἀμφοτέρωθεν ἐμοὶ γένος εὔαδε πῆξαι, E
Θνητῶν τ' ἀθανάτων τε νοήμονα φῶτα μεσηγὺ,
Τερπόμενόν τ' ἔργοισιν ἐμοῖς, καὶ ἐχέφρονα μύστην,
Οὐρανίων, γαίης τε μέγα κράτος, ἄγγελον ἄλλον
Ἐκ χθονὸς ὑμνητῆρα ἐμῶν μενέων τε, νόου τε.
Ὣς ἄρ' ἔφη, καὶ μοίρας ἑλὼν νεοπηγέος αἴης,
Χείρεσιν ἀθανάτῃσιν ἐμὴν ἐστήσατο μορφήν.
Τῇ δ' ἄρ' ἑῆς ζωῆς μοιρήσατο. ἐν γὰρ ἧκε
Πνεῦμα, τὸ δὴ θεότητος ἀειδέος ἐστὶν ἀπορρὼξ,
Ἐκ δὲ χοὸς πνοιῆς τε πάγην βροτὸς ἀθανάτοιο
Εἰκών. ἡ γὰρ ἄνασσα νοῦ φύσις ἀμφοτέροισι.
Τοὔνεκα καὶ βίοτον τὸν μὲν στέργω διὰ γαῖαν,

Τοῦ δ'

A Τοῦ δ' ἔρον ἐν στήθεσιν ἔχω θείαις διὰ μοίραις.
Ἦδε μὲν ἀρχεγόνοιο βροτοῦ δέσις. αὐτὰρ ἔπειτα
Σῶμα μὲν ἐκ σαρκῶν, ψυχὴ δ' ἐπιμίσγετ' ἀΐστως,
Ἔκτοθεν εἰσπίπτουσα πλάσιν χοός, οἶδεν ὁ μίξας
Πῶς πρῶτόν τ' ἔπνευσε, καὶ εἰκόνα δήσατο γαίῃ.
Εἰ μὴ τόνδε λόγον τις ἐμοῖς ἐπέεσσιν ἀρήγων,
Θήσει θαρσαλέος τε, καὶ ἑσπόμενος πλεόνεσσιν,
Ὡς καὶ σῶμα τὸ πρῶτον ἀπὸ χθονὸς ἄμμι κεραθὲν,
Ὕστερον ἀνδρομέη ῥύσις ἔπλετο, οὐδ' ἀπολήγει
B Ἄλλοτε ἄλλον ἔχουσα βροτὸν πλαστῆς ἀπὸ ῥίζης.
Καὶ ψυχὴ πνευσθεῖσα θεοῦ πάρα. κεῖθεν ἔπειτα
Ἀνδρομέοισι τύποισι συνέρχεται ἀρτιγένεθλος,
Σπέρματος ἐκ πρώτοιο μεριζομένη πλεόνεσσι
Θνητοῖς ἐν μελέεσσιν ἀεὶ μένον εἶδος ἔχουσα.
Τοὔνεκεν ἡγεσίην νοερὴν λάχεν. ὡς δ' ἐνὶ τυτθοῖς
Πνεῦμα μέγα στεινόν τε καὶ ἔκτοπον ἴαχεν αὐλοῖς,
Καὶ μάλα ἴδριος ἀνδρὸς, ἐπὴν δ' εἰς χεῖρας ἵκωνται
Εὐρύποροι, τῆμος δὲ τελειοτέρην χέον ἠχὴν,
Ὣς ἥγ' ἀδρανέεσσιν ἐν ἅψεσιν ἀδρανέουσα,
C Πηγνυμένοις συνέλαμψε, νόον δέ τε πάντ' ἐνέφηνεν.
Αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξεν ἑὸν βροτὸν ἄφθιτος υἱὸς,
Ὄφρα κε κῦδος ἔχῃσι νέον, καὶ γαῖαν ἀμείψας
Ἤμασιν ὑστατίοισι θεῷ θεὸς ἔνδον ὁδεύσῃ.
Οὔτε μιν οὔτ' ἀνέηκεν ἐλεύθερον, οὔτε τι πάμπαν
Δήσατο. θεὶς δὲ νόμον τε φύσει, καὶ ἐσθλὰ χαράξας
Ἐν κραδίῃ γυάλοισιν ἀεθαλέος παραδείσου
Θῆκέ μιν ἀμφιτάλαντον, ὅπῃ ῥέψειε δοκεύων,
Γυμνὸν ἄτερ κακίης τε καὶ εἴδεος ἀμφιτέτοιο,
Ζωὴ δ' οὐρανίη πέλεται παράδεισος ἔμοιγε.
Τοῦ ῥά μιν ἐντὸς ἔθηκε λόγων δρηστῆρα γεωργόν.
Οἴου μιν ἀπέργε τελειοτέροιο φυτοῖο,
Ἐσθλοῦ τ' ἠδὲ κακοῖο διάκρισιν ἐντὸς ἔχοντος
Τὴν τελέην, τελέη γὰρ ἀεξομένοισιν ἀρείων,
Ἀλλ' οὐκ ἀρχομένοισιν. ἐπεὶ τόσον ἐστὶ βαρεῖα,
Ὅσσον νηπιάχοισι τελειοτέρη τις ἐδωδή.
Ἀλλ' ἐπεὶ οὖν φθονεροῖο παλαίσμασιν ἀνδροφόνοιο,
Θηλυτέροιο λόγοιο παραιφασίῃσι πιθήσας,
Γεύσατο μὲν καρποῖο παρώριος ἡδυβόροιο,
Δερματίνους δὲ χιτῶνας ἐφέσσατο σάρκα βαρεῖαν
Νεκροφόρος· θανάτῳ γὰρ ἁμαρτάδα Χριστὸς ἔκορσεν,
Ἦλθε μὲν ἄλσεος ἐκτὸς ἐπὶ χθόνα τῆς γένος ἦεν,
Καὶ ζωὴν πολύμοχθον ἐδέξατο. τῷ δ' ἄρ' ἔθηκε
Ζῆλον ἑὸν πυρόεντα φυτῷ κληῖδ' ἐρίτιμον,
Μή τις Ἀδὰμ ὁ πάροιθε παρώριος ἐντὸς ἵκηται,
Γεὶν πτόρθου γλυκεροῖο φαγεῖν διάπειραν ἐδωδὴν,
Καὶ ζωῆς πελάσειε φυτῷ κακός. ὡς δ' ὑπ' ἀήταις
Χειμερίοις παλίνορσος ἁλίπλοος ἦλθεν ὀπίσσω,
Αὖθις δ' ἠὲ πνοιῇσιν ἐλαφροτέρῃσι πετάσσας
Ἱστίον, ἢ ἐρετῇσι μόγῳ πλόον αὖθις ἄνυσσεν.
Ὣς ἡμεῖς μεγάλοιο θεοῦ ἀπὸ τῆλε πεσόντες,
Ἔμπαλιν οὐκ ἀμογητὶ φίλον πλόον ἐκπερόωμεν.
Τοίη πρωτογόνοιο νεόσπορος ἤλυθεν ἄτη
Δειλοῖσιν μερόπεσσιν, ὅθεν στάχυς ἐβλάστησε.

DE ANIMA,

D

CARMEN SEPTIMVM.

ARGVMENTVM CYRI.

Post cælestium ac spiritalium & incorporearum naturarum contemplationem, deinceps ad humiliorem & abiectiorem, materiæq; magis affixã humanæ animæ essentiam se transfert: ac propositis prius & confutatis prophanorum auctorum sententiis, ita demum veram & Ecclesiasticam doctrinam promit.



Vminis est animus flatus, qui, cœlitus ortus,
Nexum terrena subiit cum carne iugalem,
Haud secus ac lumen quod cæco obducitur antro,
E Diuinus tamen est, mortisque ignarus acerbæ.
Non etenim, vt bruta & pecudes ratione carentes,
Numinis effigiem procumbere morte decebat:
[1] Mortalem hanc quamuis nitatur reddere noxa. 1 Falsæ de anima opiniones, confutantur.
[2] Ignea porro animæ non est natura putanda.
Confecti quis enim mentem quod conficit esse
Crediderit? Nec item est aër: namque ipse vicissim
Efflatur trahitúrque nec vnquam immobilis hæret. 2
Non etiam est toto diffusus corpore sanguis.
[3] Quin neque concentus, quem humorum gignit amica Critiæ opinio.
Temperies. Neque enim est eadem carnisque animæque, Dinarchi opinio.

In quam nil iuris leto est, natura. Quid autem A
Præstiterint, decorat quos virtus pulchra, scelestis,
Si probitate graues homines, aut crimine fœdos
Temperies diuersa facit? Quin hinc quoque fiet
Vt mens & ratio brutis animantibus insit.
Bruta etenim & formæ concentum & carnis habebunt.
Adde quod hinc etiam probiores esse necesse est,
Corpore qui gaudent sano, rectéque valente.
Atque hæc senserunt homines de mente prophani,
4 [4] Scilicet ista animam statuentes esse, remota
Ethnici id animã esse existimant, sine quo homo viuere nequit
Quæ simul ac fuerint, mens frigida membra relinquit. B
Atqui non illis animus cibus extitit vnquam,
Quo tamen exempto, nullus, qui viuere possit,
Esse queat: robur nam pabula sumpta tuentur.
[5] Quin alia est etiam nobis sententia nota,
5 Quam, dum luce fruar, non vnquam admisero. Namque
Manichæorum de anima opinio: de qua vide Nem. lib. de nat. hom. cap. 2.
Haud mihi communis mens est, quæque omnibus æque
Secta sit, aërea quæque in regione vagetur.
Sic etenim cunctis eadem mortalibus esset,
Tractáque & efflata: atque omnes, vitalibus auris
Et qui pascuntur, truculentæ quique dedere
Colla neci, in cunctis essent: quod dicere stultum est.
Namque etiam nunc hos aër, nunc rursus ad illos C
Se fundit. Quod si certis mens [6] sedibus hæret,
6 [7] Dic age quidnam habuit, quid item viuebat in aluo
7 Materna, si me traxit cùm extrinsecus essem?
Quod si multiplicis quoque fingas esse parentem
Ironia. Hanc sobolis, magnos hercle à te carpit honores,
Quam multis decoras animis, qui mole malorum
Confecti intereant. Stulta hæc sunt dogmata planè,
Ludicra vanorum auctorum, qui corpora multa,
8 [8] Vel malé, vel purè transactæ æqualia vitæ,
Metempsychosis Pythagorica.
Perpetuis animo vicibus mutanda dederunt,
In sceleris pœnam, vel honestæ præmia vitæ, D
Haud secus ac variis tectum nunc vestibus illum,
9 Nunc etiam rursus spoliatum [9] Ixionis instar,
Voluere cogentes vanis conatibus orbem.
Plantam, hominem, volucrem, piscémque, canémque, ferámque,
Cœruleúmque anguem fecerunt, bísque frequenter
10 Quodlibet, id quando [10] reuolutus iusserit orbis.
Quantisper quæso has voces fundetis inanes?
Nam mihi brutorum non vox audita sophorum est,
Non etiam arbusti: sed semper garrula cornix,
Semper & in salso mutus natat æquore piscis.
11 [11] Quod si etiam, vt memorant, in mundi calce datura est E
Admissa metempsychosi extremum iudicium frustra erit.
Mens scelerum pœnas, frustra hæc censura feretur.
Nam si pendendas habeat sine corpore pœnas,
Hoc equidem miror: quod si cum corpore, quódnam
Ex tot corporibus flammis vltricibus ipse
Iniicies? [12] Quin hoc quoque miror, corpora multa
12 Cùm mihi tradideris, multarum méque peritum.
Fecerit hic nexus rerum, quî fiat vt vnum
Ignotum hoc mihi sit, quænam me pellis habebat
Antea, quæ deinceps? quótnam mihi corpora morte
13 Occiderint? [13] etenim qui me cum corpore vinxit,

Haud

A Haud animis tam diues erat, quàm follibus (istud
Credere si fas est) Quin hic quoque maximus error,
Dicere me vitæ memorem non esse prioris.
Optima iam de mente fides doctrináque nostra
Quænam sit, breuiter referam: tu sedulus audi.
Atque ego verborum ([14] quo carmina dulcius aures
Nostra tuas feriant) hinc demum exordia ducam. 14
Principiò mundum ex nihilo produxit in ortum
Consiliis parens æternus Sermo Tonantis.
Dixit, & effectum est quicquid diuina voluntas
Ipsius tulit. vt verò iam cuncta decorem
B Accepêre suum, tam cœli feruidus axis,
Quàm mare, quàm tellus, sed qui sophiámque perennem
Nosceret, imperiúmque in terrea cuncta teneret,
Deerat adhuc, tales emisit pectore voces.
Iam puri omnino serui, æternúmque futuri,
Sunt mihi, qui cœlos habitent sedésque beatas,
Angelicæ ac sanctæ mentes, quibus hoc opus vnum est
Carminibus celebrare meas in secula laudes.
Quinetiam tellus animantibus exilit illis,
Quæ ratione carent. mihi porro condere vtrinque
Conflatum genus est cordi, [15] mortalia quod sit
C Inter, & hæc rigidæ quæ non obnoxia morti, 15
Nempe hominem instructum rationis munere, quíque
Gaudeat & lustrans oculis quæcunque creaui,
Contemplánsque animo cœlestia cuncta sagaci:
Terræque imperium teneat, sitque angelus alter,
E terra noménque meum dextrámque potentem
Ore pio, sophiámque canens. Hæc [16] ille locutus,
Particulam terræ, quam paulò struxerat antè, 16 Hominis creatio.
Diuinis sumpsit manibus, formámque creauit
Protinus ipse meam, vitámque impertiit illi.
Pneuma etenim inseruit, quod numine fluxit ab alto.
D Sic ego cœlesti flatúque & puluere terræ
Sum concretus homo, patris [17] immortalis imago.
Regia mens siquidem parti dominatur vtrique. 17
Quò fit vt hanc vitam complectar corporis ergò,
Quod mihi terrenum est: ac rursus vita futura Cur simul & vitam hanc & futurã amet homo.
Diuinam ob partem stimulos mihi subdat amoris.
[18] En quæ primigeni fuerit structura parentis.
Pòst autem in reliquis carnes ex carnibus ortum
Ducunt: exterius mens verò illapsa latenter 18 Duplex de anima sentẽtia, prior tamen sequenda.
Pulvereæ moli sese coniungit, vt ille
Nouit, qui primùm effigiem cum carne ligauit.
E [19] Ni forte intrepidus quisquam, multósque secutus,
Hoc mea præsidio defendere verba laboret: 19
Nempe quòd vt corpus, quod primùm è puluere fluxit,
Pòst concretum in nos humanæ gentis origo
Extitit, ac semper prima ex radice vicissim
Ex aliis alii nascentur: sic quoque planè
Mens ea, quam primùm Deus inspirauit ab alto,
Orta recens, hinc deinde coit cum corpore nuper
Effecto, in plures diuisa ex semine primo:
Et formam in membris mortalibus vsque tuetur.
[20] Idcirco imperium diuino munere nacta est. 20

Pulchra similitudo qua ostẽditur animã nõ statim vires suas exerere.

21 [21] Ast vt, habet paruum cùm tibia longa foramen,
Angustum quiddam resonat teneríque molestum
Auriculis ingens flatus, quantumlibet arte
Præstantem aulœdum placeat tibi fingere: quòd si
Illa foraminibus latis adaperta peritum
Aulœdum inueniat, sonus est tum denique plenus:
Sic anima infirmis in membris languida primùm,
Mox cùm membra suum iam collegêre vigorem,
Collucet, viresque suas iam detegit omnes.
At quia mortales hominem cœlestis ad auras
Filius extulerat, mutatis sedibus ille B
22 [22] Vt tandem splendore nouo frueretur, & istinc
Pergeret ad superum donatus numine numen,
23 Hoc sibi proponens, non [23] omni ex parte solutum
Viuere iure suo voluit, nec rursus eundem
Constrictum prorsus tenuit, verùm optima quæque,
24 [24] Naturæ ac medio legem cum corde notasset,
Protinus in viridis paradisi sede locauit
25 [25] Ancipitem (obseruans partem inclinaret in vtram)
26 Nudum etiam, & sceleris purum [26] fraudísque malignæ.
27 Ac [27] vitæ cœleste genus paradisus, opinor,
Hic erat, in cuius media regione parentem C
Fixerat humani generis, pia sensa probósque
Vt coleret mentis fœtus, alerétque colendo.
28 [28] Vna, quæ reliquis perfectior, arbore tantùm
Interdixit ei, plenum discrimen habebat
29 Quæ recti & vitij. Namque vt conducit [29] adultis,
Sic teneris grauis est animis damnosáque plena
Cognitio, firma vt pueris solet esca tenellis:
Pestiferi at postquam sæuis insultibus hostis,
Fœmineísque leuis præbens sermonibus aures,
Nectaream dentes præ tempore misit in escam,
30 Pelliceas vestes, [30] hoc est graue corpus & atræ
31 Subiectum morti, tunc induit ipse: [31] secari D
Nam Deus immissæ voluit per spicula mortis
Crimina, ne toto se noxa extenderet æuo)
Atque etiam viridi confestim eiectus ab horto
In terram infelix venit, qua traxerat ortum,
Ac duram subiit vitam, plenámque laboris.
Quinetiam [32] ardentem zelum moderator Olympi
32 Collocat ante fores, aditum qui peruigil omnem
Occlusum teneat, ne primi more parentis
Antè quis huc præcox veniat, quàm sumpserit escam,
Qua malè demulcens animum consumitur arbor, E
Ac vitæ ligno scelerata mente propinquet.
At verò infesto iactatus turbine venti
Nauta quidem inuitus cedit, fertúrque retrorsum,
Pòst autem passis, faueant si flamina, velis,
Aut ope remigij, cursum non segnis initum
Conficit: haud aliter nos magno à numine longè
33. 34 [33] Auulsi, rursus cursum [34] non absque labore
Exequimur, superásque citi properamus ad oras.
35 Sic Adamus sceleris [35] lethalia semina iecit:
Vnde seges tandem vitiorum amplissima nata est.

Deus qualẽ hominem condiderit.

Quid Adami nuditas significet.

Scientia boni & mali rudioribus haud cõducibilis

Cur morte hominem Deus mulctarit.

Similitudo à nauigantibus.

SCHOLIA.

1. *Mortalem hanc quamuis*) Gr. εἰ καὶ μιν θνητήν γε βιάζεται ἧσιν ἁμαρτάς. *hoc est, vt exponit Græcus interpres* εἰ καὶ ἡ ἁμαρτία ταύτην ἐκβιάζεται θανάτῳ ὑπαγαγεῖν καὶ διαφθορᾷ: *hoc est, etsi peccatum hanc morti & corruptioni subiicere nititur.*

2. *Ignea porro*) *Exteri philosophi partim ignem esse animæ substantiam asseruerunt, partim aerem, partim sanguinem toto corpore fusum. Quarum omnium opinionum nulla vera est. Quónam enim modo ignis, qui corpori exitiosus est, eius, quod ab eo corrumpitur, anima esse posset? Nec verò aerem qui tum afflatur tum efflatur, nec vnquam conquiescit, animam hominis quisquam dicere queat. Tertiam opinionem vt nimis stultam & absurdam minimè confutandam censet.*

3. *Quin neque contentus*) *Elementorum, inquit, ex quibus corpus conflatum est, harmonia, hoc est, compositio ac velut concentus, anima esse non potest. Neque enim elementorum temperatio subsistens quædam per se essentia est, sed accidens, atque qualitas: ac proinde haudquaquam anima. Adhæc non vna eadémque carnis & im-*
B *mortalis formæ natura est. Quî enim? cum essentia plurimùm inter se distent. Iam qua in re boni consceleratos homines antecellent, quorum cùm vna eadémque sit temperatio, hoc est, anima, vel malos vel bonos efficit? Quod autem mox sequitur in Græco,* εὐκραέες δ' ἄρα πάντες ἀρείονες, ὡς ὅγε μῦθος, *iuxta hanc rationem, ita rursus exponit Cyrus, omnes ij meliores essent, qui meliore temperamento ac corporum harmonia essent.*

4. *Scilicet ista animam*) *Hunc locum sic exponit Cyrus, quasi alia quædam à superioribus distincta sit de anima opinio. Hæc enim eius verba sunt,* ἄλλοι δὲ τὰ ζωῆς αἴτια, ὧν ἀπιόντων ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα καταλείπει νεκρόν, ταῦτα εἶ(ναι) ψυχὴν ἀνθρώπου διωρίσαντο. *Alij, inquit, vitæ causas, quibus sublatis anima corpus mortuum linquit, hominis animam esse statuerunt. Atqui longè alia est Gregorij sententia. Hæc enim ad superiores omnes in vniuersum opiniones referenda sunt. Omnium quippe illorum errorum fontem hunc ipsis fuisse ait, quòd ea, quibus remotis homo morte occideret, animam esse existimarent, puta ignem, aerem, sanguinem, &c. Quamquidem absurditatem sequentibus verbis refellit.*

5. *Quin alia*) *Fuerunt olim qui dicerent animam ante homines in vniuersum præexistere, eámque communem esse, ac iuxta singula corporea elementa omnibus mortalibus in natiuitate impertiri: atque adeo per vniuersum* Manichæi.
C *aerem vagari, corporeæque coniunctionis desiderio flagrare. Quòd si hoc admittatur, animas omnes iisdem moribus præditas esse, (sic nimirum vt non alia melior, alia peior, alia recta, alià peruersa ac præpostera dicatur, verùm aeris in modum inspirabilis, eadem in omnibus hominibus existat) omnes vtique in omnibus erant, atque etiam omnes ij, qui ex hac vita excedunt, in omnibus esse existimabuntur: ob hoc nimirum, quòd vna rerum omnium anima esse putetur. Cuiusmodi videlicet ipsius quoque aeris est diffusio, quippe qui aliàs in aliis locis sese fundat ac porrigat.*

6. *Sedibus hæret*) εἰ δὲ μένει. *Sic legendũ, non* μέρει, *vt in Card. Sirleti libro. Sic enim hæc exponit interpres Græcus: Quod si negas eodem modo animam diffundi, vt aerem, verùm in vno eodémque loco premanere, &c.*

7. *Dic age quidnam habuit*) *Quæro iam ex te quidnam secum ipsa manens anima tenuerit, & quidnam illud sit quod in maternis visceribus gignatur. Etenim si me, cùm foris essem à corpore soluta ac libera (dicet fortasse anima) mater participando præ attraxit, quidnam tandem habuit hic fœtus seorsim manens atque à me secretus? quidque illud erat quod in ipso sinu materno viuebat, atque in ærumnosam hanc vitam & acerbam veniebat?* μερίσασα περιέσπασεν.
Quod si hãc quoque plurimum liberorum parentem fingas, ignominioso nimirum honore eam affeceris, cõplurium
D *animarum, quæ huiusce vitæ molestiis ac miseriis edomentur & excrucientur, causam eam esse ostendens.*

8. *Vel malè vel purè*) *Pythagorei animarum in alia subinde atque alia corpora migrationem induxerunt: ita tamen, vt eas, quæ virtutem coluissent, in præstantißima quæque corpora migrare dicerent, quæ autem vitiorum sese illecebris dedidissent, iis obscœnißima quæque corpora tribui affirmarent. Billius.*

9. *Ixionis*) *Vt poetæ fingũt Ixionem ob scelus in Deos admissum rotæ affixum fuisse, atq; ita in orbem perpetuò volui & contorqueri, eóque cruciatus genere affici: ita hi miseram animam ex homine interdum quidem in hominem, nonnunquam autem etiam in belluam, & canem, & serpentem & auem, deinde etiam in piscem & fruticem traducentes, postea rursus ad hominem reducunt.*

10. *Reuolutus iusserit orbis*) *hoc est, transanimationis rouolutio.*

11. *Quod si etiam vt memorant*) *Si præter eas, quas exposuimus, absurdas de anima opiniones, pœna adhuc in posterum eos, qui impiè & flagitiosè vixerint, manet, quemadmodum illi aiunt, inanis horum atque iniqua redargutio atque condemnatio est. Etenim si animam, vt corpore carẽtem, pœna persequatur, mirum illud fuerit, quónã modo cùm ipsa vnà cum corpore peccarit, sola tamen pœnas pẽdat. Si autem vnà cum carne, cũ qua tandem? homi-*
E *nisne an feræ? pecoris an serpentis? volucris an piscis? fruticis an ligni? flammis excrucienda tradetur? O insignem vanitatem!*

12. *Quin hoc quoque*) *Aliud, inquit, occurrit, quod mihi summam admirationem moueat. Quoniam inquit ex virilibus corporibus in virilia, aut etiam muliebra, rursúsque ex muliebribus in neutra, atque ex his in variorũ animantium ac stirpium corpora me transtulisti ac deuinxisti, vt me nimirum huiusmodi mutationibus ac vinculis plurimarum rerum cognitione instrueres, non possum quin mirer, vnum illud mentem meam fugere, nempe ex quánam pelle seu corpore corpus hoc, quo nunc obuoluor, migrarit. Tum in quot antè corporibus diem vitæ extremum obierim, quídque postea futurus sim scire aueo.*

13. *Etenim qui me cum corpore*) *Vt enim ridiculè aliquid dicam, herus meus & effector, vt quidem videtur, non æquè animabus abũdabat vt vtribus. Eóque efficitur, vt ob corporum penuriam in prodigiosas & immanes animantium formas subinde transfundar. O singularem insaniam!*

14. *Quò carmina*) *hoc est, laudem ac doctrinam de anima, audituris haud iniucundam futuram apponemus.*

Sic Cyrus. Ego tamen hæc verba ad ea potius referenda censuerim, quæ mox sequuntur. sunt enim velut ἐπιφώνημα quoddam, atque orationis condimentum. A

15. Mortalia quod sit) id est, medium inter cœlestium magnitudinem, & terrestrium humilitatem, atque oculis quidem ad ea quæ in aspectum cadunt, mente autem ad ea quæ intellectu percipiuntur, sese adiicientem.

16. Ille locutus) Hæc opifex illud Verbum, non humilibus quidem (vti nunc à me factum est) ac diuiduis sermonibus, sed simplicibus & diuinitati consentaneis cogitationibus extulit.

17. Immortalis imago) Per mentem videlicet arbitrij libertate præditam ac principatum obtinentem. Ex his enim similitudo ea, quam à conditore accepimus, cernitur: atque mens ea, quæ in homine est, vtrique, hoc est, & animæ & corpori dominatur. Vnde etiam turbidorum animi nostri motuum imperatrix appellatur.

18. En quæ primigenæ) Prima illa Adami copulatio, hoc est, fictio atque inspiratio ad hunc modum constructa est. Ab hoc autem principio vsque ad * mundi catastrophen corpus quidem ex corporea fluxione visibiliter existit, anima autem ignoto atque inuisibili modo vnà cum corporis effictione insluit. Quónam tandem hoc aut illud modo? vt solus ille perspectum habet, qui imaginem cum puluere, hoc est, spiritum cum carne, quasi vinculis quibusdam astrinxit. Nisi quis, inquit, sermonum meorum patrocinium suscipiens, hoc quoque, multorum sententiam sequens, fidenter adiungat, quòd & corpus primùm ex terra effictum, in reliquis deinceps omnibus hominibus commixtum velut humana fluxio efficitur, atque ex illa primigeni hominis radice alium iam ex alio hominem habere non desinit: & eodem rursus modo anima à Deo inspirata, tum cùm hominum corpora effinguntur, ipsa quoque velut recèns orta simul illabitur & efflorescit, atque ex primigena illa anima tanquam ex radice in multas & infinitas multiplicatur, atque mortalibus eiusdémque formæ corporibus distribuitur, iuxta Dei benedicentis, ac crescere & multiplicari, atque vniuersam terræ faciem implere iubentis, voluntatem ac potentiam. * Mundi catastrophen) In Cyri commentario post hæc verba sequebatur, σὰρξ μὲν ἐκ σαρκὸς, ψυχὴ δὲ βλαστοῦσα ἐκ ψυχῆς. quæ quidem expungo, quia pugnant cum his verbis Gregorij, ψυχὴ δ' ἐπιμίσγεται ἄλλοθεν, quibus verbis significat animam corpori diuinitus infundi. B

19. Nisi forte intrepidus) hoc est, vt apertiùs dicam, nisi quis malit animas ex traduce oriri. Quæ tamen opinio repudianda est.

20. Idcirco imperium) Gr. ἡγεσίην, id est, ἡγεμονίαν, vt reddit Cyrus.

21. Ast vt habet paruum) Quemadmodum in perexiguas & angustas tibias spiritus magnus immissus, angustum quoque atque inconcinnum sonum edit, quantumuis alioqui peritus tibicen fuerit: cùm autem sat latæ tibiæ in artificis manus venerint, tum verò plenum & concinnum ac suauem sonum emittunt: eodem modo anima humana in infantibus quidem adhuc imbecilla, desipit, in adultis autem ipsa quoque plenè perfectéque suis muneribus fungitur, insitámque omnem mentem suam exerit. C

22. Vt tandem splendore nouo) Per splendorem nouum beatam illam vitam intelligo, ad quam, si diuino mãdato paruisset, Adamus peruenturus erat. Cyrus interpres hunc locum non satis commodè mihi exponere videtur. ἦχε enim ad Deum refert.

23. Omni ex parte solutum) Nec prorsus liberum, suíque omnino iuris hominem liquit. (æquúmne enim erat eum ab omnipotentis Dei imperio immunem esse?) nec rursus instar brutorum animantium eum necessitatis vinculis subiunxit.

23 Optima quæque) id est, ἀγαθὰς ἐννοίας, bonas cogitationes.

24. Naturæ ac medio) νόμον τε φύσει, id est, νόμον φυσικὸν, vt exponit Cyrus.

25. Ancipitem) Gr. ἀμφιτάλαντον, id est, ἀμφίρροπον, ὡς αὐτοκίνητον, καὶ αὐτεξούσιον. ancipitem atque in vtramque partem flexibilem, vtpote suapte vi sese mouentem, ac libertate arbitrij præditum. D

26. Fraudísque malignæ) Gr. εἴδεος ἀμφιθέτοιο, id est, διπλόης καὶ ὑποκρίσεως, vafritiei & hypocrisis. Allegoricè exponit Gregorius Adami nuditatem, eáque morum atque animi simplicitatem indicari ait. Bill.

27. Vitæ cœleste genus) paradisum intelligit, beatarum mentium sedem ac domicilium.

28. Vna quæ) Vnius duntaxat plantæ gustu Creator Adamo interdictum voluit. Porro essétne quoddam etiã arboris genus, quod illic primigenius homo degustare vetaretur, ego sanè cum his qui hoc affirmarint, haud contendo. Quanquam si quis potius per arborem illam, sublimiorem aliquam ac præstantiorem contemplationis perceptionem, quàm tum Adami captus ferret, intelligendam duxerit, huic ego vehementer assentiar. Sic Græcus interpres. Atqui planè sentit Gregorius sensilem hunc fructum fuisse: tametsi allegoricè quoque illud exponat. Hoc dico, quia altera opinio inter Origenis errores recensetur.

29. Adultis) hoc est, iis qui spirituali ætate longiùs processerunt, atque ad mensuram spiritualis in contemplatione & actione ascensionis Christi peruenerunt.

30. Hoc est graue) Id est grauem & mortalem carnem pro pellucido ac tenuissimo corpore induit, cadauérque gestauit. Sic Cyrus. Nota autem lector Gregorium non simpliciter hoc dicere, Adamum post præceptum violatum carnem suscepisse, (Nam hic error Origenis est, abundè ac luculenter ab Epiphanio refutatus hæresi 64.) sed carnem grauem ac mortalem. E

31. Secari nam Deus) Intercisum est morte peccatum, vt ne malum sempiternum esset. Id quod diuinæ quoque bonitati assignandum est. Cyrus. De qua re vide latè Epiphanium in ea hæresi, quam proximè citauimus.

32. Ardentem Zelum) Præclaræ vitæ arbori, quæ in paradisi medio intelligitur, (quæquidem fortasse purissima Dei contemplatio, ac suprema incomprehensibilis illius numinis cognitio est) huic inquam arbori Deus igneũ suum Zelum, quem etiam flammeum gladium Scriptura vocat, ac Cherubim nuncupat, hoc est, angelicas & cœlestes virtutes, quæquidem indignos homines excludant atque arceant, constituit: vt ne quis præmaturus Adamus, ac spiritali ætate præcox, ne quis malus vir ac prophanus, antequàm arboris carnalis concupiscentiæ excruciantem gustũ fugerit, ad vitæ lignũ propius accedat. πρὶν ἢ τῶ τῆς σαρκώδους ἐπιθυμίας φυτοῦ τὴν κολαστήριον

γεῦσιν

A *χεῦσι φυγᾶν. In textu habetur φαγᾶν. sed puto φυγᾶν legendum, vt in commentario. Neque enim χεῦσι φαγᾶν satis propria est locutio.*

33. *Longè auulsi) Sirleti codex habebat πλέοντες. quæ lectio quanquam sustineri potest, tamen pro πλέοντες legendum, vt in Reginæ libro, πεσόντες. Atque ipse quoque Græcus interpres ita legisse videtur. sic enim hæc reddit, τῦ θεῦ μὲν ἐκπεσόντες διὰ παραβάσεως.*

34. *Non absque labore) Sic nos per transgreßionem à Deo prolapsi, malignorúmque spirituum insidiis & incursionibus ac peccato & morte contriti, postea tamen rursus gubernatorem Christum ac bonos ipsius angelos opitulatores nacti, ægrè tamen, ac non sine strenuis nostris pro pietate laboribus, ad supernum Dei paradisum nauem appellimus.*

35. *Letalia semina) Tale, inquit, ab Adamo humano generi recèns satum peccatum, ac non ab æterno, vt quidam falsò putant, existens, per ea quæ deinceps secuta sunt, in multiplicem ac copiosam segetem perniciosum fructum suum edidit.*

B

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ,
τοῦ θεολόγου, περὶ διαθηκῶν καὶ ἐπιφανείας Χριστοῦ, λόγος Η.

Δεῦρ' ἄγε καὶ δυαστοῖο νόμου λόγον ἐξερέεινε,
Ὅς τε παλαιότερος, καὶ ὃς νέος ἐξεφαάνθη,
Πρῶτα μὲν Ἑβραίοισιν, ἐπεὶ θεὸν ὑψιμέδοντα
Πρῶτοι καὶ γνώσαντο, ἔπειτα δὲ πείρασιν αἴης.
Οὐ γὰρ μαρναμένοισι θεὸς βροτὸν ἡγεμονεύει
Δόγμασιν ὥς τις ἄϊδρις ἐὼν λόγος, ἴδρις ἁπάντων.
C Οὐδὲ παλιμβόλοισιν, ὃ καὶ θνητοῖσιν ὄνειδος.
Ἀλλ' οὐδ' ἐμὸς λόγος ἐστὶ θεοῦ φιλέοντος ἀρωγῆς.
Λυσσήεις ὅτε πλαστὸν Ἀδὰμ βάλεν ἐκ παραδείσου,
Κλέψας ἀνδροφόνοιο φυτοῦ δηλήμονι καρπῷ·
Ὡς στατὸν ἠήτορος ὀλωλότος αἴσχεϊ τύπτων,
Δίζετο καὶ τεκέεσσι κακὸν καὶ κῆρα φυτεῦσαι,
Ῥήξας δ' οὐρανίοιο θεοῦ κλεψίφρονι βουλῇ,
Τρέψατο ὄσσε βροτοῖο πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Κάλλεσι παμφανόωσι τεθηλότα, πρός τε θανόντων
D Μορφὰς, ἃς ἐτύπωσε πόθος, καὶ μῦθος ἔπεισε
Πιστὸς ἐν οὐ ξείνοισι κακοῖς, ψεύστης ἀνέλεγκτος,
Αἰὲν ἐπερχομένοισιν ἀεξόμενος λυκάβασιν.
Ἑβραίων ἱερὸν ὀλοὸν γένος οὐχ ὑποφήταις
Εἶκον ὀδυρομένοισι, λιταζομένοισιν, ἄνακτος
Μῆνιν ἀεὶ προφέρουσι. πάρος γε μὲν ὤλλυον αὐτούς·
Οὐδὲ μὲν οὐ βασιλῆες ἐτάρβεον, ἀλλ' ἄρα καὶ τῶν
Οἱ πλέονες κακίους, οὐδ' ἄλσεα πάμπαν ἔλειπον,
Οὐδ' ὀρέων κορυφὰς, καὶ δαίμονας αἱματόεντας.
Τοὔνεκα καὶ μεγάλοιο θεοῦ ζηλήμονα μισοῦν
Εἴρυσαν, ἐκ δέ τινα σχέθεν, ὁ δ' αὐτεισῆλθον ἔγωγε
E Ἀβδαπιτὸν ζήλοιο ποδηγεσίῃ σφίσιν ἕλκων,
Πίστιν ἐς εὐσεβέα Χριστοῦ παλίνορσα φέρεσθαι,
Ὀψὲ μεταστρεφθεῖσιν, ἐπὴν κορέσωνται ἀνίης,
Βασκανίῃ λαοῖο νέηλυδος, ὧ διαμειφθέν.
Ἀλλὰ τὰ μὲν μετόπισθεν. οἱ δ' ὡς νόμον εἶχον ἄτιμον
Ὑστάτιον, τοιῆσδε βροτῶν γένος ἔμμορε τιμῆς·
Νεύμασιν ἀθανάτοιο παιδὸς καὶ ἔργμασι παιδὸς
Χριστοῦ ὅσον βροτέων ἐνὶ σώματι κάτθετο μοίρης
Οὐρανίης, λεύσσων κακίης ὑπὸ θυμοβόροιο
Δαπτόμενον, σκολιόν τε βροτῶν μεδέοντα δράκοντα,
Ὡς κεν ἀναστήσειεν ἑὸν λάχος, οὐκ ἔτι νοῦσον
Ἄλλοισιν ἐφέηκεν ἀρηγόσιν. οὐ γὰρ ἐπαρκὲς
Τοῖς μεγάλοις παθέεσσι μικρὸν ἄκος. ἀλλὰ κενώσας
Ὃν κλέος ἀθανάτοιο θεοῦ παιδὸς υἱὸς ἀμήτωρ
Αὐτὸς καὶ δίχα παιδὸς ἐμοὶ ξένος υἱὸς ἐφάνθη.
Οὐ ξένος. ἐξ ἐμέθεν γὰρ, ὁ δ' ἄμβροτος ἦλθε βροτωθεὶς
Παρθενικῆς διὰ μητρὸς, ὅλον μ' ὅλος ὄφρα σαώσῃ.
Καὶ γὰρ ὅλος πέπτωκεν Ἀδὰμ διὰ γεῦσιν ἀλιτρείην.
Τοὔνεκεν ἀνδρομέοισι, καὶ οὐ βροτέοισι νόμοισι,
Σεμνοῖς ἐν σπλάγχνοισιν ἀπειρογάμοιο γυναικὸς
Σαρκωθεὶς (ὢ θάμβος ἀφαυροτάτοισιν ἄπιστον!)
Ἦλθε θεὸς θνητός τε, φύσεις δύο εἰς ἓν ἀγείρας,
Τὴν μὲν κευθομένην, τὴν δ' ἀμφαδίην μερόπεσσιν.
Ὧν θεὸς ἡ μὲν ἔην, ἡ δ' ὕστατον ἡμῖν ἐτύχθη.
Εἷς θεὸς ἀμφοτέρωθεν, ἐπεὶ θεότητι κερασθεὶς,
Καὶ βροτὸς ἐκ θεότητος ἄναξ καὶ Χριστὸς ὑπέστη·
Ὡς κεν Ἀδὰμ νέος ἄλλος ἐπιχθονίοισι φαανθεὶς,
Τὸν πάρος ἐξακέσαιτο, πετάσματι δ' ἀμφὶ καλυφθεὶς.
(Οὐ γὰρ ἔην χωρητὸς ἐμοῖς παθέεσσι πελάσσαι,)
Καὶ πινυτὸν δοκέοντα ὄφιν σφῆλειεν ἀέλπτως.
Ὡς μὲν Ἀδὰμ πελάσοντα, θεῷ δέ τε ἀντιάσοντα,
Τῷ περὶ κάρτος ἔμελλεν ἑῆς ἄξειν κακότητος,
Τρηχείην περὶ πέτραν ἁλίκλυπον ὥστε θάλασσα.
Ὡς ἔφαμεν, γαῖα δὲ καὶ οὐρανὸς ἀμφὶ γενέθλῃ
Σείετο, οὐρανίη μὲν ὕμνους κατέπεμπε χορείη,
Ἀστὴρ δ' ἀντολίηθε μάγοις ὁδὸν ἡγεμόνευε,
Δωροφόροις λάτρισι νεηγενέος βασιλῆος.
Οὗτος ἐμοὶ Χριστοῖο νέης λόγος ἐστὶ γενέθλης.
Αἶσχος δ' οὐδὲν ἔπεστιν, ἐπεὶ μόνον αἶσχος ἁμαρτάς,
Τῷ δ' οὐκ αἶσχος ἔπεστιν, ἐπεὶ λόγος αὐτ' ἐπήξεν,
Οὐδὲ ῥύσει βροτέῃ βροτὸς ἔπλετο. ἐκ δ' ἄρα σαρκὸς,
Τὴν πνεῦμ' ἥγνισε πρόσθεν ἀνυμφέα μητέρα κεδνὴν,

Αὐτοπαγὴς βροτὸς ἦλθε, καθήρατο δ' εἵνεκ' ἐμεῖο.
Καὶ γὰρ πάνθ' ὑπέδεκτο, νόμῳ θρεπτήρια τίνων,
Ἠ καὶ χαζομένῳ πεμπτήρια, ὥσπερ ὀΐω.
Αὐτὰρ ἐπεὶ μεγάλοιο φάους ἐειλαμπεῖ λύχνῳ
Κηρυχθεὶς προθέοντι γόνου, προθέοντι δὲ μύθου,
Χριστὸν ἐμὸν βοόωντι θεὸν μεσάτῃ ἐν ἐρήμῳ,
Ἐξεφάνη, λαῶν μὲν ἔθνη μέσος ὅς τ' ἀπὸ τηλοῦ,
Ὅς τε πέλας. ξυνὸς γὰρ ἐπ' ἀμφοτέροις ἀκρόγωνος
Λάας ἔην. δισσὸν δὲ καθάρσιον ὤπασε θνητοῖς.
Πνεύματος ἀενάοιο, τό μοι προτέρην ἐκάθηρε
Σαρκογενῆ κακίην καὶ αἵματος ἡμετέροιο.
Καὶ γὰρ ἐμὸν, τὸ Χριστὸς, ἐμὸς θεὸς ἐξεκένωσε
Ῥύσιον, ἀρχεγόνων παθέων, κόσμοιό τ' ἄποινον.
Εἰ μὲν δὲ μὴ τρεπτὸς ἔην βροτὸς, ἀλλ' ἀδάμαστος,
Οἵης καὶ μεγάλοιο θεοῦ χρήϊζον ἐφετμῆς,
Ἤ μ' ἐκόμιζέ τ', ἐστάωσε, καὶ ἐς μέγα κῦδος ἄεξε.

Νῦν δ' οὐ γάρ με θεὸν τεῦξεν θεός· ἀλλά μ' ἔπηξεν A
Ἀμφιρεπῆ, κλιτόν τε, τὸ καὶ πλεόνεσσιν ἐρείδει.
Ὧν ἓν καὶ λοετροῖο βροτοῖς χάρις. ὡς γὰρ ὄλεθρον
Ἑβραίων ποτὲ παῖδες ὑπέκφυγον αἵματι χριστῷ,
Τὸ φλοιὰς ἐκάθηρεν, ὅτ' ὤλετο πρωτογένεθλος
Αἰγύπτου γενεὴ νυκτὶ μιῇ. ὣς καὶ ἔμοιγε
Σφρηγὶς ἀλεξικάκοιο θεοῦ τόδε, νηπιάχοις μὲν
Σφρηγὶς, ἀεξομένοισι δ' ἄκος, καὶ σφρηγὶς ἀρίστη,
Χριστοῦ φωτοδότοιο θεόρρυτος, ὥς κεν ἀλύξας
Βένθος ἄχους καὶ βαιὸν ἀπ' ἄχθεος αὐχέν' ἀναχὼν
Πρὸς ζωὴν παλίνορσον ἄγω πόδα. καὶ γὰρ ὁδίτης B
Ἀμπνεύσας καμάτοιο νεόσσυτα γοῦνατ' ἐγείρει.
Ξυνὸς μὲν πάντεσσιν ἀὴρ, ξυνὴ δέ γε γαῖα,
Ξυνὸς δ' οὐρανὸς εὐρὺς, ἄθ' ὥρια κύκλος ἑλίσσει.
Ξυνὸν δ' ἀνθρώποισι σαόβροτον ἔπλετο λουτρόν.

DE TESTAMENTIS ET ADVENTV CHRISTI,

CARMEN OCTAVVM.

ARGVMENTVM CYRI. C

Ioan. 1. *ABsolutis septem dogmaticis tractatibus, deinceps de duobus Testamentis, veteri nimirum ac nouo, seu, de Lege Dei disputat. Nam & Lex literalis, quæ per Mosem primùm data est, & gratia ac veritas Euangelij, quæ postea per Christum extitit, vna tantùm Spiritus vitæ lex est, quæ nos in Christo Iesu à peccati & mortis lege in libertatem asseruit. Ob id autem duo Testamenta dicta sunt, quòd duobus temporibus, hoc est, veteri & præsenti, ac duobus Israëlitis, veteri nempe ac nouo, lata atque instituta lex sit: atque illi quidem vtpote crassiore mente prædito, ac rudi & imperfecto, vim suam, velut in parabolis atque vmbris, informarit: huic autem nouo populo, vt perspicaciori, ac perfectiori, regni cælorum in Christo Iesu splendorem liquidiùs augustiùsque annunciarit.*


EIa age binarum rationem expendere legum
Iam propera, quarum illa prius, pòst altera fulsit: D
Hebræis primùm, quoniam nouere priores
Æthereum numen, pòst autem finibus orbis.
1 [1] Non etenim aduersis, velut inscius ac rudis, ille
Quem res nulla fugit, mortalia corda gubernat
Dogmatibus, vel quæ vario pro tempore semper
Euarient: namque hoc etiam mortalibus ipsis
Haud paruam attulerit labem. Quódnam ergo iuuamen
Ingenti generis nostri succensus amore
Occurrit obiectioni. 2 Præstiterit Deus, & [2] quæ sit sententia nostra,
Accipe. Pestifera postquam ferus arboris esca
Illectum primæuum hominem deiecit ab horto E
3 Hostis, vt, occiso duce[3], qui perterrita fundit
Agmina, sic etiam sobolem mactare parabat.
Ergo oculos hominum diuino à numine vafris
Diabolus hominem à Dei cultu ad conditarum rerum cultum detorquet. 4 Artibus abripiens[4], ad cœlum & sidera vertit.
5 Atque hominum, abstulerant quos fata immitia[5], formas,
6 Quas desiderium finxit, queis [6] fabula honorem
7 Præbuit[7], haudquaquam, notis in casibus, ægrè
8 Nacta fidem, & [8] mendax, quam non conuincere posses,
Acquirénsque nouas vires crescentibus annis,

Quin-

A 9 [9] Quinetiam Hebræos inter ſcelerata parentum Hebræi in idolorum cultum ruunt.
Sanctorum ſoboles in eandem perfida fraudem
Incidit, obſiſtens prædura fronte prophetis,
(Qui lachrymis precibúſque animos mollire feroces
Tentabant, irámque Dei proponere nullo
Tempore ceſſabant ipſis) & recta monentes
10 Veſano afficiens [10] crudeli morte furore.
11 Quin neque terror eos, [11] qui regia ſceptra tenebant,
Pulſabat. magna namque hi quoque parte nefando
12 In ſcelere hærebant, virides [12] nec linquere lucos,
Aut rigidos poterant montes, aut dæmonas atro
Sanguine gaudentes. quo crimine numinis iram
B Contraxere grauem, meritóque eſt illa repulſa
13 Gens tota, [13] inque locum confeſtim inductus eorum
14 Ipſe fui, [14] vt zeli ductu ad legémque fidémque Rom.10.
Chriſti dirigerem errantes, cum ſcilicet illi
15 [15] Triſtitia feſſi, parit his quam liuor iniquus
16 Ob populum iuuenem, ipſorum eſt [16] qui ſede locatus,
Induerint meliorem animum, tandémque reuerſi
Ad Chriſtum fuerint. Verùm hoc non antè futurum eſt, Rom.11.
Vergat ad interitum quàm moles maxima mundi.
Iſácidæ porro legalia ſoluere iura
Cum minimè horrerent, nutu Patris omnipotentis
C 17 Hoc ſoboles æterna homines [17] affecit honore. Cauſa Incarnationis Chriſti.
Nam cum, diuinæ quodcunque in corpore partis
Condiderat primùm, funeſto à crimine rodi
Cerneret, obliquúmque homini dare iura draconem,
18 [18] Vt partem ipſa ſuam erigeret, committere morbum
Non iam aliis voluit medicis. nam parua medela
Pellendis grauibus non eſt accommoda morbis.
Sed decus euacuans æterno qui Patre natus
Matre caret, rurſus mihi filius extitit idem
19 [19] Abſque parente nouus: quanquam haud nouus: extitit ex me
Namque ille, & mortis qui non ſub fata cadebat,
D Matre tamen fluxit mortalis virgine, totis Tacitè cõfutatur error Apollinarij.
Integer vt nobis certam daret ipſe ſalutem.
Namque & totus Adam per pabula noxia primùm
Corruit. humanáque ideo ratione, ſimúlque
Humanum ſuperante modum, incarnatus in ortum
Et Deus & proceſſit homo (res mira profectò,
Quámque fide haud firma qui ſunt, non credere poſſint.)
Naturáſque duas ſimul eſt complexus in vnum,
Quarum tecta eſt vna, oculis patet altera noſtris.
Semper erat Deus illa: hæc autem in fine creata eſt.
Vnus vtrinque Deus, [20] quoniam cum numine ſancto
20 Mixtus homo, atque homini deitas commixta viciſſim,
E Extitit & Chriſtus, magni dominator & orbis.
Scilicet antiquum nouus vt mortalibus ortus
Inſtauraret Adam, morbis grauibúſque leuaret. Cur carnẽ ſumpſerit Chriſtus.
At quoniam languens, diríſque obnoxia morbis,
[21] Numinis acceſſum diuini ferre nequibat
21 Gens hominum, idcirco carnis velamine tectus
Prodiit: atque etiam verſutum vt falleret anguem,
Dum, velut aggrediens malè cauta mente parentem
Primigenum, incideret ſtellati in numen Olympi,

Nequitiæque ſuæ vim totam illideret ipſi. A
Non ſecus ac rigidis fluctus franguntur inanes
Rupibus alliſi. Porro cum Chriſtus in ortum
Luc. 2.
22 Prodiit, & [22] tellus & cœli fulgidus axis
Intremuit. Superæ nam dulcia carmina mentes
Fundebant, & ſtella magos ducebat ab Ortu
Dona recèns nato regi non parua ferentes.
Ortu de Chriſti noſtra hæc doctrina ſecundo eſt.
Nulla libido in humana Chriſti generatione cogitanda.
23 Nec verò hic labes vlla eſt, [23] nam crimine dempto
Nil fœdum: vitij caret autem ſordibus ille.)
Nam ſatus eſt Verbo, mortalis ſeminis expers.
24 Virginis ac matris, ſanctam quam Spiritus antè B
Fecerat, ex vtero [24] factórque paréņſque ſuimet
Prodiit. Aſt hominum cauſa luſtralibus vndis
Cur baptizatus Chriſtus.
Eſt tinctus, velut & ſuſcepit cætera cuncta:
25 [25] Scilicet altrici perſoluens præmia legi,
Aut abſcedentem deducens non ſine honore.
Poſtquam autem ingentis lucis præclara lucerna,
26 [26] Præcedens ortu, præcedens vocibus atque,
In media Chriſti numen clamauit eremo,
Tum verò eluxit ſoboles æterna Tonantis,
Duplex Baptiſmus.
27 Vicinúmque inter populum, [27] longéque remotum
Inceſſit (communis enim iungebat vtramque
Gens lapis) ac duplicem tribuit mortalibus ægris C
28 [28] Baptiſmum, ſancti nimirum pneumatis vnum
(Priſtina quo vitij labes, à carne profecta,
Funditus exterſa eſt) vnum noſtríque cruoris
29 [29] (Namque meum, fudit quem Chriſtus, iure vocarim)
Quo pulſum eſt Adami vitium, mundúſque redemptus.
30 [30] Ac ſiquidem conſtans atque immutabilis eſſem,
Numinis edicto tantùm cœleſtis egerem,
Quod me ſeruaret, magnóque ornaret honore.
At quia diuinum diuina potentia non me,
Sed dubium finxit, quíque in contraria mentem
Quid nobis afferat Baptiſmus.
Inclinare queam, idcirco me pluribus illa D
Præſidiis fulcit: quorum vnum eſt luſtrica lympha.
Nam velut Hebræis perfuſi ſanguine poſtes
A pueris olim arcebant peſtémque necémque,
Vna primigeni fœtus cùm nocte perirent
Ægypti: ſignum nobis eſt haud ſecus vnda
31 Luſtralis: ſignum [31] pueris tantummodo, verùm
Grandibus & ſignum ſimul, & medicina ſalubris,
Munifico à Chriſto manans, lucíſque datore:
Mœſtitiæ vt fundo emerſus, duróque leuatus
Pondere, iam vitam repetam, callémque relictum.
32 [32] Namque etiam cùm quis greſſu defeſſa quieti E
Membra dedit, poſthæc alacris veſtigia firmat.
Omnibus eſt tellus communis, & omnibus aër,
33 Omnibus & cœlum, [33] partes quoque quattuor anni,
Quas axis creat æthereus, dum fertur in orbem.
Luſtrica communis mortalibus omnibus vnda eſt.

SCHOLIA.

1. *Non etenim) Quòd vna duntaxat, tam in veteri, quàm in nouo Teſtamento lex ſit, quemadmodum & vnus Legiſlator, hinc probat. Neque enim pugnantibus & inconſtantibus decretis, aliáſque aliis atque aliis doctrinis, ille*

A ille scientiarum Deus hominem ad agnitionem ducit, quemadmodum homo aliquis pactorum haud tenax, atque in sententia parum constans, secúmque ipse pugnãs. Absit enim vt tam humiliter & abiectè de eo existimemus, qui omnia prius, quàm oriantur, certò ac sine vlla mutatione nouit. 1. Reg. 2.

2. Et quæ sit sentẽtia nostra) Gr. ἀλλ' ὅδ' ἐμὸς λόγος ἐστὶ θεοῦ φιλέοντος ἀρωγῆς, id est, hæc est mea de benigni Dei erga hominem cura ac prouidentia & ope, doctrina & iudicium, orationísque scopus, nempe quòd primùm Lex literalis ad delendum idolorum cultum inducta est, quódque cùm in ea ne vetus quidem Israel ad ipsum Legislatorem assurgere posset, ille ipse homo effectus, legẽ quoque spiritus, velut rosam in literæ calyculo occlusam aperuit, ac spiritualem Israelem cum carnali per humanitatis suæ cum diuinitate coniunctæ præsentiam commutauit. Hæc est igitur mea à principio ad finem vsque, de humanitate à Christo assumpta, doctrina, quam his versibus accuratiùs explicare conabor.

3. Qui perterrita fundit) ἔχες corruptè in Sirletiano codice legebatur, pro quo ex Reginæ libro reposui αὔχει. i. vt Grecus Interpres exponit, κοντοῖς ἢ βέλεσι καὶ πᾶσιν ὅπλοις. Itaque nisi duo codices refragarẽtur, εὔχει legẽdũ putasſẽ.

4. Ad cœlum) Hominum oculos peruertit, dum cœli pulchritudinem ac siderum splendorem defixis oculis intuerentur, ipsisque debitum Creatori cultum ac venerationem adhiberent.

B 5. Formas) μορφὰς, id est, εἴδωλα, simulachra, quæ cognati ac necessarij, ad minuendum eorum quibus orbati erãt, desiderium, auro, aut argento, aut quibusdam aliis materiis eleganter effinxerunt.

6. Fabula) id est, sermo fabulosus.

7. Haudquaquam notis) Gr. πιστὸς ἐν οὐ ξείνοισι κακοῖς. Cyrus exponit, ἐν τοῖς τῶν φίλων οὐ κακοῖς πιστὸς ἀποδεικνύμενος, id est, apud amicos haud malos & ingratos fidem inueniens. Ego tamen οὐ ξείνοισι κακοῖς idem esse puto, quòd, ἐν ἀλλοτρίαις συμφοραῖς, id est, propinquorum calamitatibus.

8. Mendax quem non) ψεύστας ἀνελέγκτους. Hoc ait ob longam annorum seriem, qua huiusmodi mendacia de mortuis conficta velut obuoluta sunt.

9. Quin etiam) Hîc mihi versus quispiam desiderari videtur. Nec enim satis aptè cohærent hæc in Græco cum iis quæ antecedunt. Et certè ita esse, ex Cyri paraphrasi colligi potest. His enim hoc loco verbis vtitur: Ad hunc modum Idololatria primùm in hominum vitam perniciosè irrepsit. Nec verò aliæ duntaxat nationes, vti iam diximus, hac lue inficiebantur, sed etiam Hebræorum gens, quæ sacrosancta, Abrahæ causa, habebatur, con-

C silium ac bonã mentem amiserat. Græca sic habent. ἤδη δὲ ἑβραίων ἱερὸν ἔθνος διὰ τοῦ Ἀβραὰμ νομισθὲν ὅλον ἀπολωλεκὸς βουλὴν ἐστι. Quæ tamen mihi parum arrident.

10. Crudeli morte) Gr. πότμος γε μὲν ὤλυον αὐτούς. Hæc verba refert Cyrus ad Prophetas Mosem & Eliam, qui prius Iudæorũ cædem ob idololatriam ediderant, quàm eos ab impio scelere abstrahere potuissent. Mihi simplicius commodiúsque videtur de Iudæis potius hæc intelligere, qui tantũ abest vt prophetis monentibus obtemperarẽt, vt eos potius morte, atque immanissimis quibusque cruciatibus afficerent.

11. Qui regia sceptra) Non promiscuum duntaxat, inquit, ac prophanum Israelis vulgus huiusmodi sceleribus inficiebatur: sed ne reges quidem ipsi ac principes Deum patrum suorum metuebant.

12. Nec linquere lucos) hoc est, in nemoribus vmbrosisque locis, montiúmque verticibus, aras dæmonibus, quos colebant, erigebant, filiósque suos ac filias mactabant.

13. Inque locum) His verbis Gregorius ad Apostolicam speculationem nos prouehit. Vt enim ob Gẽtilium contumaciam Israel olim misericordiam consequebatur, credens Deo: ita etiam rursus per Israelis incredulitatem Gentes fide imbutæ, in Christo salutem adipiscuntur. Cum autem plenitudo Gentium aduenerit, tunc rursus Rom. 10. & 11.

D omnis Israel Zelo commotus ad credendum se conferet, ac salutem obtinebit.

14. Vt Zeli ductu) Confracto, inquit, propter contumaciam suam Israele, ego vicissim fidei viam ingressus sum, quæquidem illis est Zeli directio ac manuductio, ad salutiferam Christi fidem viam sternens.

15. Tristitia fessi) Posteaquam contumaciæ suæ fructibus, iisque calamitatibus, quas de Ethnicorum salute concepta inuidia illis parit, referti satiatíque fuerint.

16. Qui sede locatus) Ipsis enim ob incredulitatem suam eiectis, Gentiles in eorum locum suffecti sunt.

17. Affecit honore) Aptior mihi videtur sensus, si iungamus ὑστάτιον cum his quæ sequuntur: tametsi in Sirletino codice cohæreat tum præcedentibus. Neque enim legem postremam Iudæi habebant. Astipulatur Græcus interpres, qui pro ὑστάτιον reddit τὸ τε δὴ τέτ.

18. Partem ipse suam) ἑὸν λάχος, id est, τὴν ἰδίαν κληρονομίαν, hæreditatem suam.

19. Absque parente nouus) Nouo, inquit, ac peregrino & inusitato modo, quia sine viri opera: non tamen nouo prorsus ac peregrino, quia ex me per virginem ac sanctam matrem incarnatus, totus totum per peccatum prolapsum hominem assumpsit, vt totum hominem acquirat.

E 20. Quoniam cum numine) Humana enim natura quæ in ipso erat, diuinitati personaliter vnita, & rursus diuinitas mirandum in modum humanitati coniuncta, idem rex & Deus, atque nouus alius Adamus veterem sanans esse creditur.

21. Numinis accessum) Duplici de causa humanitatis integumento contestitus Christus in mundum venit, primùm quia puram ipsius diuinitatem ferre, supra vires nostras erat: deinde vt vitij auctorem serpentem, qui bestiarum omnium callidissimus esse sibi videbatur, conspicua humanitate inescatum, diuinitate sua, tanquam hamo, transfigeret.

22. Et tellus & cœli) Ob eam causam concussum fuisse cœlum in Christi natiuitate dicitur, quia ingentes angelorum copias laudationis ergò nascenti demisit. Terra autem, quia stella ab Ortu exoriens, Magis Persarum regibus, munera ferentibus, in Iudæam præiuit.

23. Nam crimine dempto) hæc verba, ἦλθε μόνη αἶχος ἀνδρὸς, τῷδ' οὐκ ἄχος ἔπτι, quæ desiderabantur in Cardinalis Sirleti libro, ex Reginæ codice suppleuimus.

24. *Factórque) Gr. ἐπεὶ λόγος αὐτὸν ἔπηξεν. Ille enim ipse ex carne à Spiritu purificata, sanctáque ac virgine* A
matre, sibiipsi corpus anima rationali atque intellectuali animatum effinxit.
25. *Scilicet altrici) Quòd Christus Legi per omnia satisfecerit, eò factum est, vt hac ratione ipsi, tanquam eorum qui sub ipsa vixerunt pædagogo, τὰ τροφεῖα, id est, educationis mercedem penderet: vel vt ei, ob imperfectionem suam recedenti, atque Euangelio velut fasces submittenti, prosecutionis munus persolueret.*
26. *Præcedens ortu) προθέοντι γόνου, προθέοντι δὲ μύθου, id est, προτρέχοντι κατὰ τὴν γέννησιν, καὶ κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν διδαχὴν, præcurrenti, tam natiuitatis ratione, quàm Euangelicæ doctrinæ.*
27. *Longéque remotum) Per longinquum populum, Gentilis intelligitur: per propinquum, Iudæus. Angularis autem lapis Christus dictus est, quòd duos hos populos in vnum cogat.*
28. *Baptismum) Vt Christus idem & spiritus & caro est, ita purgationem quoque duplicem hominibus affert, nempe & viui spiritus, quem aqua baptismatis comitatur, & sanguinis Christi, qui pro nobis in cruce fusus est. Quiquidem sanguis noui Testamenti sigillum est, cuius vi vetera primorum parentum vitia soluta ac depulsa sunt, vniuersúsque orbis redemptus.*
29. *Namque meum) τὸ Χριστὸς ἐμὸς θεὸς ἐξεκένωσε. Pòst Χριστὸς ex Reginæ codice ἐμὸς, collocaui. quæ vox in* B
Sirleti libro desiderabatur.
30. *Ac siquidem constans) Gr. ἀδάμαστος. i. immutabilis, atque ita comparatus, vt ad vitium flecti nō possem.*
31. *Signum pueris) Iudæis quidem, vt imperfectis, ac velut infantibus, illa figuratè & adumbratè assumpta vnctio, typicam ac temporariam, hoc est, corpoream salutem, iis, qui inungebantur, afferebat: at verò ea Spiritus gratia, quæ per regenerationis lauachrum datur, ac sanguis Iesu, lucis datoris, præstantissimum signum efficitur, ac mysticum animæ & corporis præsidium & amuletum, &c. Sic hunc locum explanat Cyrus. Verùm longè alia Gregorij mens est. Neque enim per νηπιάχοις Iudæos, sed Christianos infantes intelligit, nec per ἀεξομένοις simpliciter Christianos, sed eos qui adulta iam ætate ad Baptismum accedunt. Vult aut Theologus Baptismum in iis quidem, qui tenera adhuc & puerili ætate sunt, sigilli duntaxat rationem habere, quòd videlicet præter originale peccatum nullas alias in eis labes inueniat, quas deleat: at verò in adultis ac natu grandioribus, non modò sigilli, sed etiam medicinæ vim obtinere, quòd scilicet non eos tantum obsignet, verum etiam contractas omnes vitæ sordes in eis abstergat & obliteret. Hunc esse verum ac germanum horum Gregorij verborum sen-* C
sum liquidò perspiciet, qui locum eum Gorgonianæ orationis legerit, in quo de sanctissimæ illius matronæ Baptismo agit, ibidémque scholium nostrum 6. consuluerit.

Vide Orat. de Baptis. non longè ab initio.

32. *Namque etiam cum quis) Eadem similitudine vtitur in oratione de Baptismo.*
33. *Partes quoque) Gr. αἵδ' ὥραι κύκλοις ἑλίσσεται, hoc est, αἱ τοῦ ἔτους ὧραι κυκλικῶς καὶ ἰσοτίμως ἀεὶ τὸν ἀνθρώπινον βίον περιελισσόμεναι, anni partes orbiculariter atque æquabiliter humanam vitam voluentes. In Reginæ libro hic versus ita legitur, ζωὸς δ' οὐρανὸς εὐρὺς ἅμ' ἠελίῳ σελήνῃ τε. Verùm hanc lectionem ipsa carminis lex repudiat.*

DE VIRTVTE HVMANA.

ARGVMENTVM CYRI.

ERuditissimum, ac contemplationis plenissimum carmen de humana virtute hîc condidit Gregorius, D
in quo omnem mentis elationem, studiúmque, vel sibi, vel aliis placendi, ex anima elidit, ac contrà humilitatem & modestiam ipsius amatoribus conciliat.

1 IPse quidem miro teneor [1] virtutis amore.
At nec quænam sit, nec qua ratione parari
Possit, me docuit, quamuis mihi nil magis esset
In votis: cruciat porro frustrata cupido.
2 [2] Namque latex illa est purus si prorsus, & vndæ,
Brumalis, torrénsque parit quam turbidus, expers,
Scire aueo quisnam in terris inuenerit illam.
Aut etenim è medio lutulentum pectore cœnum E
Extulit: aut certè infelix excepit, onustus
Carne graui, quémque externè sæuissimus hostis
Turbet & inficiat, luteo immergátque barathro.
3 [3] Nam cum sim fluxu primùm concretus, & æuum
4 Percurram fluidum, non conueniebat [4] vt in me
5 Fluxio non caderet. [5] Sin non purissima prorsus
Est virtus aqua, sed cœno miscetur olenti,
Quî virtus queat esse velim tecum ipse volutes.
Namque animus partes noster se versat in ambas.
Frigida nix tantùm est & candida: flammáque rursus
Tota calet, rubet atque, nec vnquam in fœdus amicum

Nulla hominis virtus est ab omni labe pura.

Ista

A Iſta coire queunt. quòd ſi vim feceris, antè,
Miſcere inter ſe quàm poſsis illa, peribunt.
Quînam ergo ſceleris labes fœdiſsima ſeſe
Virtuti adiunxit, ſimulacrum nobile turpans
Numinis ætherei, ſi verè ſum Deus, atque
Pars tua, ſumme parens, non fruſtra dictitor eſſe?
6 [6] Arcadicum memorant amnem per ſalſa fluentem
Alpheus fluuius.
Æquora dulcorem incolumen ſeruare, nec vllam
Ipſi immiſceri labem. res mira perfectò!
Ætheris at labes caligo, corporis acris
7 Vis morbi, [7] mea nox virtutis denique labes.
Humanæ mentis incōſtantia.
B 8 [8] Sæpe meus ſeſe pes ſumma ad ſidera lætus
Extulit: at ſubiens triſtis me cura repente
Strauit humi. Lumen rurſus perſæpe tuenti
Numinis æterni, nubes denſiſsima ſeſe
Protinus iniecit mediam: ſéque abdidit ingens
Fulgor, & ardentem fixit mihi corde dolorem,
Vt mihi iam propius poſito ſe præpete curſu
Cur Deus ſui copiam homini neget.
9. 10 Eripuit, cepítque fugam. [9] Cur iſtud? [10] Amari
An quòd à me ſemper cupiat, cupidéque requiri?
(Namque ita moris habent homines quoque) vel mihi quòd ſit
Vtilius ſatiúſque Deum non abſque labore
C Accipere, vt captum ſeruem ſtudioſius? iſtud
Nam demum ſtabile eſt, quod mens perceperit ægrè.
11 [11] Sæpe mihi rurſus delectum ſubdolus hoſtis
Diaboli verſutia.
Virtutis vitiíque adimens, mea lumina fallit,
Vt fera, ſigna pedum quæ ſignis callida turbat:
Hac venatorem virtutis ludat vt arte.
12 [12] Quod blandum eſt mollis caro præcipit: aſt Deus atque
Pugna interioris hominis cum exteriori.
Lex diuina aliud, mundus diuerſa, malúſque
13 Liuor: [13] & id facio quod mens mea damnat & odit.
Oblectórque malis, mortémque in pectore fixam
Rideo ſardonio riſu. certiſsima peſtis
Humani generis leuitas.
D 14 Nam mihi lætitiam gignit. [14] Submiſsius eſt me
Nunc nihil: elata gradior nunc mente. ſuperbos
Nil hodie duco: cras ſum tamen ipſe ſuperbus.
Tempore pro vario varios aſſumere mores
15 Non vereor nimium leuis, ac [15] ſum pulypus alter,
Diuerſos capiens diuerſa ad ſaxa colores.
Effundo lachrymas: ſed noxa haud effluit vnà.
Et lachrymis fuſis noua per peccata recentes
16. 17 Internè [16] lachrymas cumulo, [17] quæque antè, mederer
Vt morbis animæ, ſumpſi medicamina, perdo.
Corpore ſum virgo, verùm an quoque mente, fugit me.
Ora pudor texit: ſed mens ignara pudoris
E 18 Seſe effert. [18] oculos aliena ad crimina claros
Tendo: ſed ipſe meo ſum planè in crimine cæcus.
Sermo meus cœlum reſipit: ſed terrea mens eſt.
19 [19] Nil me tranquillum magis eſt: at vel leuis aura
Placidū eſſe facile eſt, cum nulla iniuria infertur.
Si flarit, tumidis confeſtim ſurgo procellis.
Nec fera tempeſtas, nec fluctus antè quieſcunt,
Omnia quàm ventus reddat tranquilla recedens:
Tum verò non eſt iram conſidere mirum.
Sæpe etiam egregia dum ſpe ſubnixus in altum
20 Efferor, ac [20] mediæ virtutis ſepta volatu

Transilio, dirus resupinum montis ad ima A
Præcipitem fundit Satanas: mihíque accidit illud,
Simile. 21 [21] Quod solet huic, qui littorea dum incedit arena,
Haud certa elusis pedibus vestigia firmat.
Erigor ipse iterum: rursúsque in terga relabor,
Quàm prius infelix magis: incedénsque labore
Perpetuo, trepidúmque fouens in corde pauorem,
Vix gradior: citus at labens figo oscula terræ.
Iam decursa mihi longissima tempora vitæ.
Nec tamen hinc exire libet: quòd pharmaca morbis
Ipse meis cupiam, procul at medicina remota est.
Nam plus viuendo scelerum quoque crescit aceruus. B
Dogma ergo humano generi hoc statuatur oportet.
Prima quidem Triadis pura est natura beatæ.
Angelica hanc sequitur: postrema ego, partem in vtramque
Ancipiti fato vergens. finisque beatus
22 Ille quidem, [22] sed durus erit, si forte fenestras
Vel paulum impuræ stultus reserauero vitæ.
Hæc etenim esse meæ vult mentis præmia Christus.
Quis optimus dicendus. 23 [23] Optimus hic autem est, qui plures inter iniquos
24 [24] Pauca gerit sceleris simulachra, Deíque potenti
Auxilio nixus conuexa ad sidera tendit,
Virtutisque ardet studio, vitiúmque prophanum C
Simile. 25 Pellit & insequitur, violenti [25] vt fluminis vnda
Vndam aliam impuram extrudens, abigénsque retrorsum:
Aut etiam abscondens, si sese admisceat illa,
Limpiditate sua fluxum maiore lutosum.
26 [26] Compositi hæc virtus: quod suprà est, cœlicolarum.
27 [27] Quòd si viuus adhuc dominum quis vidit Olympi,
28 [28] Aut ad eum, in cœlum sublata carne, cucurrit.
Contigit hoc superi præclaro munere regis.
At modus interea mortalibus inditus esto.
Hunc tibi quinetiam sermonem in mente locabo:
Quonam nempe modo virtutis tangere culmen D
Ipse queas, puro quæ sola est victima pura.
Non reor hîc equidem: nam multo lumina fumo
Caligant: actum egregiè mecúmque putabo,
Si mala vel saltem post tristia fata relinquam.
Quo pacto virtus acquiratur. 29 [29] Non tantùm ætherei, charissima sit licet illi
Effigies, virtus contingit munere Patris.
(Nam tua cura etiam studiúmque accedat oportet.)
Nec rursum illa tua tantummodo mente paratur:
Maius enim robur, maiorem poscit opémque.
Simile. 30 [30] Quippe nec ipse, licet visu præcellat, ocellus
Sole tamen dempto, corpus spectabile cernit.
Ille etenim & nostros oculos illustrat: & idem E
Pòst oculis sese infundit, præbétque tuendum.
Ad virtutis adeptionẽ duæ sunt partes Dei. Atque Dei, vt virtus homini contingere possit,
Sunt geminæ partes, prima & postrema: necesse at
A nobis vnam est mediámque accedere binis.
31 [31] Virtutis namque ille mihi dedit esse capacem:
Et validas idem vires neruósque ministrat.
32 Ast ego, vt in stadio, [32] non sanè præpete gressu
Incedo, moueóque haud vano membra labore,
Dum Christus mihi præstat opem, mihi præstat opésque:

33 Qui

A 33 [33] Qui facit vt cernam, cursu ferar atque secundo. — *Sine Dei ope vanus omnis noster conatus.*
Quo sine mortales vanissima ludicra cuncti,
Quo cuncti sine viua cadauera, putrida noxis.
34 [34] Nam neque submoto volitantes æthere cernas — *Simile.*
Pennigeras volucres: nec demptis fluctibus vnquam
Delphinum æquorea poterant regione natare.
Sic quoque præsidio Christi sine tollere gressum
Haud vnquam mortale genus queat. Ergo cauendum — *Cauenda superbia.*
Ne tibi plus æquo tribuas, & mente superba
Viribus ipse tuis fidas, quantumlibet in te
Fulgeat insignis sapientia: néue virum quem
B Inferiore gradu cernens, attollere cristas
Incipias, tanquam sublimior omnibus, atque
35 Vicinus metæ [35] metam nam constitit intra,
36 [36] Virtutis quicunque viam non prorsus obiuit.
37 Pectore sis trepido, [37] nimium nec lumina tollas.
Detrahit in terram fastus: spes tollit ad astra.
Atque Dei in mentes semper furit ira superbas.
38 [38] Hoc manibus iam carpe tuis: spera istud: at illi
Cede humilis. prudentis enim est agnoscere vitæ
Humanæ modulum. Non est in dispare culpa,
Qui bona desperat: nimium sibi quisque, velut sit
C Procliue esse bonum, fidit. virtutis vtrinque
39 [39] Namque ita cessabit præclarum insistere callem.
Missilibus telis semper pete prouidus album.
40 [40] Non vltra Christi tendat præcepta sagitta: — *Modus optimus.*
Non etiam citra. sic namque vtrinque feretur
Irrita. sæpe etenim immodicus conatus ab omni
Deficitur fructu, vanæ dum laudis amore
Tela, modum præter, curuato mittimus arcu.
41 [41] Quòd si forte tuam damnosa superbia mentem — *Remedium aduersus superbiam.*
Sollicitet, tum tu quísnam tibi cesserit ortus
Esto memor, quídnam fueris prius ipse, parentis
D Quídnam cum grauida tegereris rursus in aluo,
Denique quídnam sis post vltima fata futurus,
Nempe cinis, tineæque cibus, nil lumine cassos
Amplius inter habens, quàm quiuis paupere censu.
Sin nimis es deiecto animo, reminiscere quòd te — *Quo pacto medēdum animi imbecillitati.*
In lucem extulerit Christus, quòd cœlite flatu
Sis ortus, quòd sis simul & cœlestis origo,
42 Terrenúsque simul, [42] factus Deus, ac memorandum
Prorsus opus, Christi quod per tormenta crucémque
Ad decus æternum properes, sedésque piorum.
Ergo nega obsequium carni, nec dilige quicquid
Vita superuacui præsens habet. atque Tonanti
E Sedulus in medio delubrum pectore conde.
43 Namque salutifero [43] templum tum denique Christo — *Qua ratione homo tēplum Dei efficiatur.*
Condimus, æthereum cum mens cita fertur ad axem.
Istud odoratis igitur factísque tuere
Sedulus, ac dictis: & in ipso semper Olympi
Numen habe, curans vt non videare, sed vt sis — *Cauenda hypocrisis.*
44 Optimus: [44] idque cauens, minio ne tincta carina
Atque notho splendore nitens, falsóque decore,
Ducatur rapidi grauia ad discrimina ponti:
Sed bona, sed clauis firmè compacta periti

Artificis manibus, leuitérque per æquora currens. A
45 Haud[45] veto quin alios quiuis præcurrere tentet:
Dummodo sit nullus qui non è numine summo
Pendeat, & sapiens, & fortis, diues, inópsque.
Alliget ad firmum hoc columen fidúmque rudentes
Quisque suos: ego præcipuè, qui sede superba
Consideo, plebémque ad celsa palatia cœli
Per pia sacra veho: cuique instat pœna dolórque
Non minor, insana superum si mente parentem
Spreuero, quàm decus egregium, noménque perenne,
Si turpi sine labe Deo quandoque propinquem,
46 Nam[46] vitæ mensura comes velut esse supernæ B
Certa solet, summi quoque sic mensura monarchæ
Mensuram nostræ comitatur congrua vitæ.
Hoc animo fuerit qui præditus, exiget æuum
47 Hîc tutum & placidum[47], melioríque agmine septus
Postea, discussa fragilis caligine vitæ,
Æternùm superas tendet victurus ad arces.

SCHOLIA.

1. *Virtutis quidem)* Nulla omnino res est, quæ non bonum id, cuius capax est, appetat. Etenim vt cuiusq; substantiæ, aut naturæ, consentaneum est, ea quæ tantummodo sunt, esse: quæ viuunt, viuere: quæ vegetatiuam vitam nacta sunt, pullulare: quæ motu prædita sunt, moueri: quæ sentiendi facultatem acceperunt, sentire: quæ ratione pollent, ratiocinari: denique quæ mente prædita sunt, pro ratione ac modulo profectus sui intelligere appetunt. At verò homo præter id quod omnium eorum quæ diximus particeps est, si quidem ad diuinam imaginem ac similitudinem sese extendat, virtutis quoque cupiditatem insuper assumit, cuius ope atque adiumento se summum bonum assecuturum esse sperat. Virtus itaque, vt quæ bona omnia pulchritudine antecellat, (quid enim ea melius amabiliúsque fingi atque excogitari queat, per quam is qui perficitur, agglutinatur Deo, vnúsque, vt Apostoli verbis vtar, spiritus efficitur?) quo sublimior quædam res esse, primariámque beatitudinem certiùs nobis conciliare creditur, eò quoque plures ad eam obtinendam difficultates, molestiæq; proponuntur. Vt enim pestiferi hostis inuidiam omittam, eius, qui ad eam prouehi conatur, studium animíque institutum perpetuò reprimentis, ea ipsa vita quæ in sensu sita est, insitáque in anima iracundia, atque libido, nisi spiritali lege eruditæ atque compositæ, rationis imperio pareant, ac tanquam freno coërceantur, quo tandem pacto hostem auersari ac sinceram virtutem adipisci quisquam possit? C

1. Cor. 6. Ardua res virtus.

2. *Namque latex illa)* Vera virtus, ac verè pura, vt quæ ab omni vitio, carnísque ac spiritus spurcitie prorsus libera sit, limpidissimæ aquæ similis est, profluuióque è viuo fonte prosilienti, cuius purissimus latex nulla hybernarum, seu torrentium aquarum contagione inficitur, ac labefactatur. Quocirca si quis est ea vitæ puritate atq; integritate præditus, vt animam suam & mentem puram ab omni vitio, ac peccati labe, carnémque item ab omni macula spurcitiéque sartam tectámque conseruarit, quæro quis tandem ille sit. Si enim, vt ille ait, astra non sunt munda in conspectu eius, quantò minus ij qui domos luteas habitant? Aut enim homo fœdarum cogitationum cœnum è corde suo emittit: aut certè cum grauem luteámque carnem, ad terrenum affectum propensam, secum trahat, non potest non sordes contrahere. Ad quæ cum ille tenebrarum princeps ac nostræ salutis hostis accedat, ad peccatum eum extimulans atque inflammans, quónam tandem modo puram ac nulla vitij labe infectam virtutem exhibere queat? D

Iob 4.

Iob 10.

3. *Nam cum sim fluxu)* Nónne sicut lac mulsisti me, inquit Iob, & sicut caseum me coagulasti?
4. *Vt in me fluxio)* hoc est vt vitam peccati omnis prorsus expertem ducerem.
5. *Sin non purissima)* Si virtus non argentea ac pura omnino est, sed vitij admixtione turbatur, ac fœdè inficitur, quo tandem modo virtutis nomen sustinere ipsa queat?
6. *Arcadicum)* id est, Alpheum, de quo vide Schol. in Basilianam orationem. E
7. *Mea nox)* Nox enim peccati, virtutis dedecus atque contumelia est.
8. *Sæpe meus sese)* nimirum dum vel supplices ad Deum manus tenderem, vel animi agitationes in cœlum tollerem.
9. *Cur istud)* Ad verb. quæ'nam hæc inuidia est? id est, vt exponit Cyrus, quæ'nam causa est, cur à bono excidam, nec illud consequar?
10. *Amari, an quod à me semper)* Duas affert causas quamobrem Deus, cum pij homines in eo sunt, vt iam iámque se complexuros eum putant, sese velut fuga proripere soleat. Prior ea est, vt acriorem in nobis amorem sui excitet. Nam & apud mortales hoc in consuetudine positum est, vt parentes conspectum sui liberis interdum subtrahant, quò auidiùs ab eis expetantur. Altera, vt arreptum eum tandem arctiùs teneamus, diligentiúsque seruemus. Ita enim natura comparatum est, vt quod quis facilè ac nullo negotio adipiscitur, facilè quoq; fastidiat & aspernetur: quod autem ægrè ac summo cum labore parauit, idem quoque studiosissimè conser-

A *conseruet. Hîc porro Cyro Nicetæ astipulari nequeo, qui hoc loco* ἐμοὶ *exponit* κατὰ τὴν ἐμὴν κρίσιν, *id est, mea sententia. Neque enim quicquam aliud significat, quàm* ὑπ' ἐμοῦ, *à me.*

11. *Sæpe mihi rursus*) *Aiunt leonem per hyemem iter facientem vt venatorum insidias atque impetus effugiat, impressa pedibus suis vestigia cauda obtegere niue solere. Huiusmodi quiddam hîc quoque diabolum facere Gregorius ait. Etenim versutissimus ille hostis sæpenumero boni ac mali delectum ac discrimen in pij hominis mente illucentem, fraude atque astutia sua obscurat, carnalibúsque cogitationibus spiritales callidè obtegens, virtutis contemplatorem in errorem agit ac circumscribit.* Leonis calliditas.

12. *Quod blandum est*) *Caro ea quæ carnis sunt expetit: Lex autem, vt quæ spiritualis sit, ea quæ spiritui consentanea sunt, Deíque voluntas præcipit, dictat. Aliud verò diaboli liuor suggerit. Aliud denique seculum, atque humanæ mentis anticipata opinio mihi faciendum proponit.*

13. *Et id facio*) *Non quod volo, inquit Apostolus, facio, sed quod odi plerumque id facio: quódque, vt iniquum ac nefarium execror, voluptate aut diaboli liuore deceptus, ago. Atque in malis voluptatem capio, interitúmque meum in membris meis insidentem rideo: risúmque edo pestifero gaudio plenum, qualéque parœmia sar-* Rom. 7.
B *donium esse ait. Nam & peccatum suauis ac iucunda mors est. Etenim ij qui arctæ viæ atque paulisper pressæ inamœnitatem fugiunt, latúmque ac spatiosum voluptatis iter præferunt, à vera vita prolapsi, atque ad perniciem suam transfugientes, pestiferum sanè risum rident, eóque sunt stupore, vt se morte sua oblectari minimè sentiant.* Peccatum mors suauis.

14. *Submissius est me*) *Hæc verba ad hypocritarum leuitatem & inconstantiam refert interpres Græcus. Ego tamen hæc, quemadmodum & quæ sequuntur, de vniuerso mortalium genere intelligenda censeo. Induit enim in hoc carmine Gregorius personam totius humani generis. Quotus autem quisque est qui non huiusmodi mutationem in se nonnunquam experiatur?*

15. *Sum pulypus alter*) *Quòd polypodes saxorum, quibus adhæserint, colorem referre soleant, iam à nobis annotatum est.*

16. *Lachrymas cumulo*) ἀγείρω *habet codex Sirlet. non* ἐγείρω, *vt corruptè legitur in excuso.*

17. *Quæque antè mederer*) *Etenim à priore peccandi consuetudine minimè recedens, frustra lachrymarum pharmaca profudi.*

C 18. *Oculos aliena*) *Hoc est, quod ait Horatius.*

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm,
Quàm aut aquila aut serpens Epidaurius?

19. *Nil me tranquillum magis est*) *Plerique faciles interdum ac placidi & tranquilli esse hominibus videntur. Cæterùm si vel exiguus iræ ventus, ex leui causa obortus, ex aduerso flarit, tum demum, vt mare fluctibus, inflati illi, vel maledictis & contumeliis eum à quo læsi sunt, vel etiam manibus, vlcisci gestiunt, neque animi tumorem antè sedant ac comprimunt, quàm rediens tranquillitas æstum iracundiæ compescuerit, hoc est, quàm causa ea, ob quam exarserant, extincta, sublatáque eis omnis irascendi occasio fuerit. Tum porro iram abiicere, haud sanè mirum fuerit. Hic mihi verborum horum germanus sensus esse videtur. Neque enim probo quòd Cyrus* γαληνιάν *compressionem iracundiæ exponit, non autem externæ causæ, ex qua tempestas orta fuerat, depulsionem, quamquidem animi placiditas, tanquam effectus causam, sequitur. Vt interim omittam quod Græca*
D *quoque corrupta sunt. Sic enim Sirletianus codex habet,* λώφησε δὲ πλὴν ἀταξίαν ἐπιδιδύσαιμ' ἂν τοῦ θυμώδους, *&c. Vbi tamen legendum existimo* ἀποχαλάσαιμι.

20. *Mediæ virtutis*) *id est, Dum mediocri quadam virtute non contentus ad perfectam atque omnibus numeris absolutam virtutem aspiro.*

21. *Quod solet huic pedibus*) *Quemadmodum qui per arenam mari imminentem in arduum tendunt, quamprimùm pedem admouere tentant, dilabente ea atque in tergum sese ferente, vestigia incerta figunt, ac tametsi scandere ac prouehi adnitantur, nihil tamen hinc aliud assequuntur, quàm vt inanem sibi laborem exhibeant: ad eundem modum cum mens nostra per cogitationum inconstantiam, non secus ac per arenam, graditur, ac virtutis cupiditate, velut alis quibusdam cincta, ad virtutem ascendere conatur, perniciosus noster hostis id efficit, vt propensi nostri studij atque alacritatis animi nullus fructus extet.*

22. *Sed durus erit, si forte fenestras*) *Cyrum interpretem sequor, qui hæc verba,* εἰ καὶ μικρὸν ἔωξα, *&c. id est, si vel paululum vitij ianuas aperuerim, ita exponit. Vbi tamen durum mihi videtur quòd* ἔωξα *exponit* ἀνοίξαιμι. *Ac, si dicere liceat quod sentio, totus hic versus auctoris sensum obscurat potius, quàm illustrat. Vult*
E *enim Gregorius finem hominis præclarum quidem atque eximium esse (quid enim beata ac sempiterna vita præclarius fingi queat?) cæterùm magnis laboribus ad eum perueniri: quòd nimirum velit Deus vitam illam omnibus bonis diffluentem, nec vnquam interituram, homini pro virtutis præmio rependi. Nam angeli mero Dei beneficio, ac non vllo suo labore, eam consecuti sunt. Quiquidem sensus, verus alioqui ac germanus, fugisse Cyrum videtur. Quid autem, inquiet quispiam, de hoc versu facturus es,* εἰ καὶ μικρὸν ἔωξα κακοῦ βιότοιο θύρετρα. *Nempe per parenthesim eum legendum censuerim, atque ita vertendum, Et si malæ vitæ (id est mortis sempiternæ) fores nonnihil aperui, scilicet per primi parentis peccatum.*

23. *Optimus hic autem est*) *Hoc est, quod ait Horatius: Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est, Qui minimis vrgetur.*

24. *Pauca gerit sceleris*) *Cum hæc primùm soluta oratione transferrem, lectorem admonui mutila esse Græca: atque addita vna dictione versum explere studui. Verùm ex codice Sirletino duos integros versus in Heruagiano libro typis excuso desiderari postea comperi. Sic enim legendum est,*

Βαιὰ φέρει κακίης ἰνδάλματα, καὶ ποτὲ ἄνακλα A.
Σπεύδει σὺν μεγάλοιο θεοῦ χερὶ θερμὸν ἔρωτα
Τῆς ἀρετῆς φορέων, κακίης δέ τε νῶτα διώκων, &c.

25. *Vt fluminis vnda*) Quandoquidem fieri non potest vt quis eiusmodi virtutem adipiscatur, cui nulla vitij labes admixta sit, optimus ille censendus est, qui omni studio atque animi contentione in hoc enititur, vt venienti vitio vim afferat, illúdque propellat & auersetur. Quod si efficere nequeat, vt aditus omnis vitio intercludatur, id saltem assequitur, vt virtutis exuberantia vitium obscuretur & obruatur. Atque hoc eleganti similitudine ostendit, ducta ab amne puro ac limpido, qui incurrentem alterum amnem cœnosum maxima vi propulsat, aut, si id nequeat, saltem puritatis suæ copia, cœnositatem illius premit & obliterat.

26. *Compositi hæc virtus,*) id est. Hæc composita natura præditi hominis perfecta virtus censenda est.

27. *Quod si viuus adhuc*) Vt Moses Exod. 24.

28. *Aut ad eum*) Vt Elias. 4. Reg. 2.

29. *Non tantum ætherei.*) Notent hæc illi, qui in salutis negotio nullas nostras partes esse volunt, virtutémque nulla omnino nostra industria, sed solo Christi beneficio contingere falsò contendunt. Non solùm, inquit Nicetas, Dei munere, contingit virtus. Nam alioqui natura omnibus hominibus inesset, quemadmodum & rationis capacem & mortalem esse: ac præterea voluntas, arbitriique libertas ita tolleretur. B

30. *Quippe nec ipse*) Quemadmodum oculus citra illuminantis Solis adminiculum, ea quæ aspectu sentiuntur, intueri nequit (ipse enim oculo lumen affert, ac primus ab eo cernitur:) eodem modo animus, ratione ac libero motu præditus, à Deo corroboratus, ad obeundam virtutem postea suopte nutu excitatur.

31. *Namque & virtutis*) Prima pars in eo sita est, quòd virtutis capacem me finxit, ac probitatis semina mihi subministrauit. Postrema rursus in eo versatur, quod ad ea efficienda, quæ cum virtute coniuncta sunt, vires ac robur, patientiámque ad finem vsque mihi impertit. Intermedia pars mea est, in hoc videlicet sita, vt bonum prompto atque impigro animo amplexer.

32. *Non sanè præpete gressu*) Ad verb. non admodum leuis, vtpote corporeis compedibus pressus.

33. *Qui facit vt cernam*) Hoc est, vt exponit Cyrus, qui me ita comparat, vt & contemplatione & actione valeam. C

34. *Nam neque submoto*) Elegantibus hîc quoque similitudinibus ostendit, quàm vani sint mortalium conatus, quàm inania studia omnia atque instituta, nisi ad ea Dei auxilium accedat.

35. *Metam nam constitit intra*) Non est quòd quisquam eo nomine stultè sibi placeat, magnificéque de se sentiat, quòd altos in virtute progressus fecerit. Nam cum nondum ad summum virtutis fastigium peruenerit, est potius cur submissè de se existimet, nec ita glorietur, quasi metam iam attigerit.

36. *Virtutis quicunque viam*) Ad verb. viæ finem, id est, vt Cyrus exponit, vitæ huiusce finem. Ego tamen per viæ finem hoc loco potius intellexerim supremum virtutis culmen. Id enim rectiùs quadrat cum his quæ præcedunt.

37. *Nimium nec lumina tollas*) λίην δέ τε μὴ βλεμεαίνειν, id est, vt exponit Cyrus, ad Dei contemplationem irreuerenter, velut emota mente attolli. Quodquidem hominis est sese efferentis, tanquam videlicet ad Deum appropinquarit. Ex quo etiam factum est vt multi in prodigiosas hæreses prouoluti sint.

Eccle. 3. 38. *Hoc manibus iam carpe tuis*) Admonet vt in diuinis Spiritus gratiis agnoscamus quænam sint quæ in captum nostrum cadant: quænam rursus quæ modulum nostrum captúmque superent. Quò spectat illud Sapientis, Altiora te ne quæsiueris, & fortiora te ne scrutatus fueris. D

39. *Namque ita cessabit præclarum*) Græcus interpres hæc verba, οὐδ' οἷο κακὸν πάσιν, exponit τῶ κακοῦ, τὴν ἵδρυσιν. quàm rectè, ipse viderit. Hoc enim vult Gregorius, eum, qui vel maiorem æquo fiduciam conceperit, vel nimia desperatione fractus fuerit, in virtutis via institurum, nec longiùs progressurum. Alterum, quia nimis adeptu facilem virtutem censet, ob idque ne magnopere quidem sibi in ea adipiscenda laborandum: alterum, quia eius consequendæ desperatione affectus, frustra omnes suos conatus fore arbitratur.

40. *Non vltra Christi*) Diuinam legem pro scopo nobis esse vult Gregorius, obliquè perstringens eos, qui dum non satis perpensis suis viribus, vltra legis præscriptum conniuntur, plerunque ne eam quidem assequuntur. Ducitque similitudinem ab his qui nimis contento arcu iaculantur, ob idque à scopo aberrant.

Psal. 38. 41. *Quod si forte tuam*) Hæc paraphrasticè ita reddit Cyrus: Quoniam magna quædam eximiique pretij res, propter imaginis diuinæ decus ac virtutem, vana autem imo nihil potius, ob corpus ac vitium, homo, teste Scriptura, est, si tu, inquit Gregorius, terrenæ ac fluxæ naturæ obliuione captus, ob imaginem diuinam altè de te sentias, ego te terræ, ex qua in lucem prodiisti, commonefaciam, quidque, antequam existeres, fueris, hoc est, nihil: quidque rursus, cùm materna aluo conditus esses, nimirum fluxio paulatim in carnem concreta. Submonebo te item, quid postea futurus sis, nempe puluis, ac vermium pabulum, nihilóque meliore inter mortuos conditione, quàm quiuis afflictissimus & ærumnosissimus. Sin autem demissis cristis teipsum, vt terra ortum, paruipendas & extenues, ego iam contrà considerare te iubebo id quod non tuum, sed effectoris tui est, téque Dei opus esse prædicabo, &c. E

42. *Factus Deus*) τυκτὸς θεὸς, ad differentiam increati.

43. *Templum tum denique Christo*) Hæc verba parum commodè, meo quidem iudicio, exponit Græcus interpres, ὅνπερ enim ad hominem refert, ἔτευξε autem ad Deum: cùm hoc loco ὅνπερ ad ναόν, ἔτευξε autem ad hominem perspicuè referri debeat. Templum enim Dei, inquit Gregorius, homo est: quod quidem tum demum extruit, cùm mente ad cœlestia euehitur.

44. *Idq́ cauens minio*) Hypocritam hominem, quique laruam duntaxat virtutis præfert, cùm grauissimis intus

A *intus vitiis scateat, naui confert, miniatæ quidem illi, atque adulterinis quibusdam coloribus insignitæ, sed quæ tamen nihil firmitatis ac roboris habeat, nullis clauis compacta, nullis aduersus tempestates præsidiis cincta sit.*

45. *Haud veto quin alios) Non impedio quominus quisque alios in virtutis curriculo anteuertere studeat, atque, vt Apostoli verbis vtar, ad ea quæ ante sunt sese extendat (nam huc mihi alludere Gregorius videtur:) dum interim omnes Deo hæreant, ab eóque pendeant, nihilque se putent sine ipsius ope atque adiumento consequi posse. Cyrus interpres hæc ad Gregorium solùm refert, ac de honoris cathedræq́; præstantia intelligit, vt sit sensus: Me sanè quiuis honore antecellat, mihiq́; præferatur: neque enim principatū atque imperium ambio, &c. Verùm hæc expositio mihi nimis angusta videtur.*

46. *Nam vitæ mensura) Sensus horum verborum, inquit Cyrus, huiusmodi mihi esse videtur: Iuxta mensuram diuini beneficij, quod ab initio credentibus impertitur, vita quoque ipsos comitatur. Ac rursus, iuxta vitæ mensuras congruenter quoque laborum præmia eis à Deo rependentur. Sic Cyrus. Mihi tamen dilucidior aliquanto, atque adeo rectior, sensus futurus videtur, si priorem partem ad hunc modum exponamus: Pro ratione*

B *acceptæ diuinitus gratiæ id quisque curare debet, vt parem quoque ipse accepto beneficio vitam afferat. Hoc enim est quod ait Christus in Euangelio: Cui plus commiserint, plus quoque repetent ab eo. Neque enim alioqui vita hominum diuina beneficia perpetuò comitatur (quemadmodum exponit Cyrus) sed comitari debet, iisque respondere.*

47. *Meliorique agmine septus) hoc est, angelico.*

D. GREG. NAZIANZENI
DE REBVS SVIS CARMINA, QVIBVS NOS AD PIAM VITAM ET CHRISTO dignam, occultè cohortatur.

C

CARMEN NONVM.



Hriste Deus, qui castra Amalec, sæuásque cohortes
Fregisti turpíque fugæ lethóque dedisti
Dum tuus extentas Moses ad sidera palmas,
Signantésque crucem, sublimi in monte leuasset:
Qui, tendente manus etiam Daniele propheta
In fouea, horrendos vngues atque ora leonum
Vinxisti, rabidum pellens de corde furorem:
Per quem etiam magni Ionas è faucibus imis
Exiliit ceti, postquam pia vota precésque
D Concepit, medióque manus in ventre tetendit,
Rosidáque egregios iuuenes nubecula texit,
Assyria in flamma tendentes brachia sursum:
Quique etiam quondam feruentes æquoris vndas
Calcasti, ventósque graues, fluctúsque feroces
Sedasti, dum Discipulos sedente periclo
Extrahis, horrendi iactatos turbine venti:
Quíque etiam multorum animas & corpora morbis
Soluisti: (nam cuncta potes terráque maríque)
Mortalis verò factus, mortalibus ægris
Iunctus es, & cuius deitas antiquior omni
E Temporis est spatio, tandem cum corpore nobis
Visus es, vt miseros vitæ immortalis honori
Assereres, postquam corpus mortale subisti:
Sic quoque tu facilis nostræ, bone Christe, saluti,
Sic quoque tu facilis venias, bone Christe, vocanti,
Sic protende manum Deus optime, méque periclo
Eripe, tum bello atque feris, tum turbine sæuo
Ventorum & flammis hostilibus vndique pressum,
Ac solùm in cœlos animúmque oculósque ferentem.
1 Namque & fluctus atrox, & lamentabile bellum,

Immanésque feræ, furibundus & impetus ignis,
Sunt scelerati homines, vitæ certissima pestis, A
Qui claros virtute viros, numénque colentes
Impij timoris & pudoris expertes. Æthereum persanctè, odio insectantur acerbo,
Nec grauis horrentes æui tormenta futuri,
Nec quicquam voces hominum vultúsque verentes,
Qui mersum vitiis animum auersantur. Ab istis
Christe tuum famulum remoue, saluúmque tuere,
Mollibus amplectens alis, animíque molestas
Ærumnas procul à nobis depelle benignus.
Nec grauium nostram perturbent agmina mentem
Curarum, quas hic mundus, mundíque tyrannus,
Simile. Excitat innumeras miseris mortalibus, intus B
Diuinam effigiem rodens (absumere ferrum
Scabra velut rubigo solet) meliórque laborans
Pars vt humi fœdè coalescat, sicque recuruum
Non animus sursum corpus trahat, atque supernis
Addicat rebus, verùm sublime petentem
Terra animam sternat miseram, studiísque caducis
Ac limo infectis tam turpi labe notatam,
Duplex mortis porta. Vt pro pneumatica iam crassa & carnea fiat.
Namque duplex homini patet atræ ianua mortis.
Sunt etenim vitij qui fœdum in pectore fontem
Producant, quibus est scelus atque iniuria cordi, C
Queis gula, queis lasciua caro, queis perdita curæ
Consilia, & sese qui turpiter in genus omne
Extimulant sceleris, tantóque furore tenentur,
Vt iuuet æterna miseros occumbere morte.
Ast alij contrà purgata mente videntes
Numinis excelsi radium, mundíque fugacis
Exosi Sobolem, cui nomen dira libido,
Vmbroso procul à mundana corpore vita
Æuum agitant, pedibúsque premunt leuioribus orbem:
Cœlestem dominum diuina voce trahentem,
Atque sacrum flamen mira leuitate sequentes,
Vitæ cultores abstrusæ in principe Christo: D
Vt postquam illa suæ radios effundere lucis
Cœperit, ipsi etiam rutilo fulgore mitescant.
Sic tamen & vitæ spinis lacerantur eorum
Pectora, quippe quibus victum curare necesse,
Cunctáque degendæ quæ sunt accommoda vitæ,
Quinetiam vafer innumeros extrinsecus hostis,
Humano generi stimulos excogitat acres,
Queis animam perimat, specie persæpe decora
Exitium occultans, quoties formidat apertos
Diaboli fraus. Conflictus, nec perspicuo contendere Marte
Audet. Talem etenim prorsus mortalibus ipse E
Perniciem texit, qualem circumlitus esca
Hamus squamigeris pestem cum piscibus affert:
Pectore qui medio, cupidi dum pabula quærunt,
Æs curuum traxere, suúmque hausere repente
Interitum. haud omnino aliter sæuissimus hostis,
Hunc quia, dum solita graditur caligine tectus,
Protinus agnosco, venit ad me candidus ipsa
2 [a] Luce magis: nempe vt casto dum captus amore

A Virtutem ſequor, in vitium peſtémque propinquam,
Et mortis barathrum, mens inconſulta feratur.
Non me connubium ſtrinxit (defluxio vitæ) Mundana contemnit Greg.
Quo nullum grauius mortalibus intulit vnquam
Materies vinclum primæua, oneríſque moleſti
Principium: nec me pellexit ſerica veſtis.
Nec verò impenſis conuiuia facta ſuperbis
Suſpexi, variíſque cibis differta, voraci
3 Indulgens ventri: [3] quibus exitioſa libido
Gignitur, & fœdi veneris naſcuntur amores.
Nec magnas habitare domos, & ſplendida tecta.
B Nec iucundæ meam demulſit muſica mentem.
Nec mea fœmineo maduerunt membra liquore.
Quin aliis etiam nummos auríque reliqui
Pondera, queis dulce eſt animos conſumere curis,
Immenſis fixos opibus: breuis atque voluptas
Ærumnas multas comites habet. At mihi cordi Voluptatis comes ærumna.
4 [4] Eſt panis rigidus, mihi grata obſonia præbet
Sal purum, ſimplex nullóque inſtructa labore
Menſa, dein latices mihi ſobria pocula fundunt.
Hæ mihi diuitiæ ſummæ, Chriſtúſque ſalutis
Author, qui noſtra vehit ad ſublimia mentes
C Sidera, frugiferæ non pinguia iugera terræ,
Non nemus vmbriferum, nō grex pinguedine curuus,
Non tardorum armenta boum, non magna caterua
Seruorum mihi congenerûm, quos priſca tyrannis
Diſſecuit, noménque duplex infanda creauit,
Ingenuos ſeruóſque, pari tellure profectos,
Aut æquè figmenta Dei, ſed iniqua ſecuta
Lex hominum iuris fregit decreta ſupremi,
Nec verò laudes hominum famámque caducam,
Quæ leuibus ventis citius dilabitur, vnquam
Appetij, nec Cæſarea ſublimis in aula
Inſigni florere gradu, Iudéxque forenſi
D Splendidus in Solio reſidere, & corpore maius
Ferre ſupercilium, ac latas pollere per vrbes
Imperio, & reliquos præcellere robore ciues, Dignitates humanæ ſomnia.
5 [5] Somnia vana ſequens (quæ nunquam firma ſubinde
Nunc hos nunc alias aderunt, pariterque recedunt)
Flumina vel manibus præter labentia carpens,
Aut vmbram tanquam ſolidam arripiens, digitóſque
In nebulam ſtultè mittens, nil præter inanem
Vmbram complecti manibus, nubémque fugacem.
Tale etenim genus eſt hominum, talis quoque mundi Cui ſimilis humana proſperitas
Proſperitas, curuæ referens veſtigia puppis,
E Ante impreſſa quidem, verùm deleta retrorſum.
Sola meum ardenti pectus ſtimulauit amore Greg. ſolius doctrinæ ſtudioſus.
Doctrina, Argolicæ quam gloria gentis Athenæ
Quæſiuêre mihi, Soliſque occaſus & ortus:
In qua multum operæ poſui, duróſque labores
Tempore non paruo ſubij, ſed & hanc quoque Chriſti
Ante pedes humilem pronámque iacere coëgi,
Diuino verbo cedentem, quod ſinuoſa
Et varia humanæ mentis tegit omnia verba
Iſta quidem fugi: ſed non hoſtilia fugi

Spicula quæ Satanas vibrat, mentitus amicum. A
Atque ego iam nostros casus, & tristia facta
Eloquar, vt quiuis impuri dæmonis astus
Peruigil agnoscat, consultáque noxia vitet.
Dum latus assiduè cingens vtriusque parentis
Fungerer officio nati, senióque fouerem
Afflictos, luctúque graui, quibus ipse superstes
Sum tribus ex natis, spes imbecilla, velútque
Paruulus ex magno fomes splendore, relictus,
Pergratum tibi, summe Deus, præstare putabam
Officium, legíque tuæ mortalibus ægris
Qui natos tribuis senij solamen acerbi,
Vt tanquam baculo trepidantia corpora firment. B
Ex cunctis etenim, qui te metuúntque colúntque,
Hi summo studio pietatis munera curant:
Vitantésque huius miseranda pericula vitæ,
Ad tua contorsere suos præcepta rudentes.
Téque & principium ducunt, metámque beatam.
Illa quidem à patribus fidei pia semina ducens,
Natorum aurata deuinxit colla catena,
Fœminea in forma mentémque animúmque virilem
Gestans, ac terram fluxique negocia mundi
6 [6] Hactenus attingens, vt cœlo prouida cunctas C
Ferret opes, & summa leuis volitaret ad astra.
At pater antè quidem fœdè simulachra colebat.
Insitus at pulchræ post hæc oleaster oliuæ,
Tantùm de pingui radice accepit, vt altas
Obtegeret cedros,
Pabula, quæ saturant animos, & ad æthera tollunt:
Porrigeret, tum mente senex, tum vertice canus:
Lenis dulciloquus, Moses nouus alter Aaron,
Mortales inter medius numénque supremum,
pérque preces puras, & per solennia sacra,
Atque ea, quæ peragit sibi mens bene conscia, certo D
Fœdere amicitiæ iungens hominésque Deúmque.
Hæc mihi stirps generis, vitam hi lucémque dedere,
Cum quibus haud fas est quenquam exæquare, sed ambos
De palma inter se tantæ contendere laudis
Nil vetat. Hos igitur depressos mole laborum
Sollicitus curans, spem lætam corde fouebam,
Vt pote præclaro perfungens munere, iura
Naturæque sua exoluens, sed scilicet illud
Verum est, quod barathris tota est via plena malorum:
Quandoquidem officium nobis laudabile noxam
Attulit, infaustúmque habuit res optima finem. E
Difficiles etenim curæ densóque ruentes
Agmine, rodentes animum resolutáque membra,
Me totum in terram, de qua mortale creatum
Est genus, assiduè voluunt miseréque fatigant.
Famulos regere quãtæ molestiæ.
Nam primùm imperio famulos constringere, qualis
Exitij laqueus? dominos qui semper acerbos
Oderunt, contráque pios calcare proterue
Famulorũ mores.
Audent, nec prauis placidi, nec iussa bonorum
Explentes, verum male sano in vtrosque furore
Ardentes, odiúmque animis immane gerentes.

Altera

A Altera iam sequitur patriorum cura bonorum,
Quódque mihi semper manibus perferre necesse est
7 Cæsareum pondus[7], vocémque tributa legentis
Audire horrisonam (collatio namque tributi
Libera permagno conturbat corda dolore
Diuitias comitans, ac linguæ vincula nectit.)
Tum circa turbas animum versare forenses,
Litibus atque dies misteris impendere totos,
Oppositísque graues dictis miscere tumultus,
Ac legum implicitum laqueis mala plurima ferre.
Hîc labor, hîc infesta acies, hîc sæpe malorum
B Causa bonam superat. Qui verò legibus esse Iudicum
Præsidio debent, horum venalis vtrísque corruptela.
Et pretio est addicta fides. ita sit modò diues,
Improbus est meliore loco, victórque recedit.
Quisnam inter tales homines, nisi numinis adsit
Gratia, tot fraudes, quis tot mendacia vitet?
Aut etenim volucris fuga suscipiatur oportet,
Omnia linquantúrque malis, aut pectora chara
Multiplici errorum fœdari labe necesse est: Simile.
Vt qui se flammæ propius iunxere vapori,
Aut flammæ aut fumi referunt in corpore signa.
C Verùm hæc perferri possint. ast acrius illa
Vrunt, & grauius faciunt in pectore vulnus,
Quæ tulimus, fratrem postquam mors dira peremit
Cæsarium, atque etiam post hæc perferre timemus.
8 Nam[8] quos præter spem res afflixere sinistræ,
Vix meliora sibi promittere tempora possunt. Sentent.
Nominis eximii, dum viueret ille, fruebar
Splendore (Haud etenim nummorum insana cupido
Me tenuit, vísque vlla animum pellexit amore.)
Ast illo extincto gemitus tristésque dolores
Excepi solus. nam quas quæsiuerat ille
Diuitias, partim tellus Nicæa dehiscens
D Exhausit, partim manibus fortuna scelestis
In prædam dedit. Ipse autem fera spicula mortis
Vitauit, tecti coopertus membra ruina,
Auxilii dextram Christo tendente supernè.
O mihi Cæsarii charum & venerabile nomen,
Qui priùs vt rutilum fulgebas sidus in aula,
Primam doctrinæ laudem vitæque probatæ
Et morum referens, multísque ornatus amicis:
Multorum ipse quidem soluisti corpora morbis,
Ac pietate tua multorum tristis egestas
Pulsa est. At vero satiasti lumine cassus
E Multorum ora canum, qui me latratibus vrgent
Vndique cingentes miserum: nec ferre propinqui
Auxilium fracto curarum mole laborant.
Nec mihi se multi veros testantur amicos,
Hostibus haud multò meliores. Namque priusquam
Accipiant, magno me complectuntur honore:
Verùm odii virus, simul vt cepêre profundunt.
Non secus ac magnæ quercus, quam perculit ingens Simile.
Vis Boreæ, quiuis festinat tollere ramos:
Vtque iacet cultæ penitus cum diruta vitis

Maceries, parcis grauidis iam nemo racemis: A
Atque etiam hanc truculentus aper, sociúmque perosus,
E nemore egrediens populatur dente recuruo.
At mihi luctificus labor est, satiare nec vltrà
Omnes iam valeo, nec pellere viribus vllis.
Namque ex quo primùm à mundo fallace reuulsam
Ipse salutiferis animam coniungere cœpi
Consiliis, tota meditans cœlestia mente,
Illáque subuectum procul hinc à carne locauit.
Ac me cœlestis scenæ penetralibus imis
Abdidit: atque oculis lumen mirabile nostris
Fulsit adorandæ Triadis, præclarius omni B
Lumine, quæ radiis lustrat communibus orbem,
Omnibus & rebus, dirimit quas tempus ab arce
Ætherea, vitæ fons & natalis origo est:
Tempore ab hoc mundo sum mortuus, & mihi mundus,
Viribus infirmis ego sum, viuúmque cadauer,
Vita mihi est alibi: verùm sub corpore crasso,
Quod mentis tenebras sapientum turba vocauit,
Illachrymo, & genito imo de pectore duco,

Corpus, mentis tenebræ.

Atque huius cupio laxatus compede vitæ
Et visu nebuloso, & humi reptante solutus
Cœtu hominum, qui falluntur fallúntque vicissim, C
9 Puriùs [9] æternas oculis res tangere, non iam,
Vt priùs, obscura confusus imagine rerum,
Qua vel falluntur peracutæ lumina mentis:
Sed puræ mentis verum ipsum lumine cernens.
Ast hæc posterius: nunc autem fumus inanis
Hi sunt & puluis tenuis, quicumque caducam

Pij in hac vita fumus inanis & puluis.

Hanc vitam atque humilem commutauere futura,
Quæ certa est, & in omne manet durabilis æuum.
Idcircò me nunc animis hostilibus omnes
Ter miserum sine fine premunt, ac præpete cursu
Obiectam velut ad prædam facilémque feruntur. D
Heu heu Cæsarius, tristis puluisculus, omnes
Qui turbas à me arcebat, curásque fugabat,
Qui mihi, dum vitæ dono frueretur honoris
Tantum habuit, quantum nec fratri detulit vllus,
Méque instar chari timuit coluítque parentis.
At mihi non tanta est lugendi causa, quòd omnis
10 Census [10] diripitur, manibus dispersus iniquis,
Quem cum pauperibus communem semper habere
Optaui, velut ipse etiam mendicus & exul,
Aduenáque in terra, porrectricémque bonorum
Numinis ad dextram supplex mea lumina tollens:
11 Non etiam nobis quia [11] sæua iniuria facta est, E
Quæ solet & faciles animos inflammare dolore:
Non quia præceleri facto mors aspera fratres
Sustulit, egregios fratres, quósque omnibus æquè
Reddiderat fama celebres pulcherrima virtus:
Quantum animæ doleo fatum miserabile nostræ,
Quam velut illustrem dominam formáque decora
Conspicuam, & claris regum natalibus ortam,
Aspicio grauibus vinctam oppressámque catenis,
Quam manus hostilis bello superauit & armis,

Greg. animam suam supra omnia luget. Simile.

Seruitióque

A Seruitióque tenet, mœrentem & lumina terræ
Fingentem lachrymis stillantia. Talia namque
Sum passus, talémque premo sub corde dolorem.
12 Iniecto [12] quenquam, vt dicunt, si dente momordit
Cæruleus serpens, vulnúsque infixit acerbum,
Non aliis cupit ille suos memorare dolores,
Quàm quibus est etiam fusum à serpente venenum:
Hos etenim tanti solos vim nosse doloris.
Haud secus his nostrum nunc commemorare laborem
Fert animus, quibus idem amor est, eadémque cupido,
Consimilísque dolor. Namque hi duntaxat amico
B Excipient mea verba animo, cordísque gementis
Optima cognoscent mysteria, qui cupientes
Dulce suis humeris pondus plenúmque salute
Ferre crucis, partémque in magni regis habentes
13 Cœlitibus septis, [13] simul ipsi tramite recto
Pergunt, atque pio miserantur corde cadentes.
Quippe aliis risum, referens mea fata, mouerem,
Quorum extrema fide leuiter sunt corpora tincta,
Intima nec validus circum præcordia Christi
Feruet amor, fluxæ verùm omnia tempora vitæ
C Vanis impendunt rebus studiísque caducis.
Sed pereant: quoniam nullo discrimine in omnes
Linguam acuunt, telum quo non promptius vllum
Rebus in humanis. At ego indulgere dolori
Non prius absistam quàm me fuga concita turpi
Eripiat vitio, fœdísque affectibus ipse
Clauem animi imponam, quibus omnes perfidus hostis
Vndique nunc valua scelerata mente reclusit,
Antè minus patulas, certo mihi cum Deus esset
Præsidio, segetem nec haberet noxa propinquam,
Quam, velut admotam stipulam rapidissimus ignis,
Protinus inuadit, ventóque agitata tumenti
D Crescit, & ingentem sustollit ad æthera flammam.
O vtinam antè meos scopulis immanibus artus
Præruptísque locis texissem & montibus altis.
Nam vita, & cura vitæ carnísque relicta,
Toto animo Christum ferrem, semotus ab omni
Cœtu hominum, vacuámque vehens à crimine mentem
Ad cœlum & cœli dominum, quoad vltima tandem
Mors bene speranti spatium mihi clauderet æui.
Rectius hoc equidem fuerat: sed dulce parentum
Me desiderium tenuit, vísque acris amoris.
Haud secus ac plumbum depressit, humíque locauit.
E Nec verò tam pressit amor, quàm viscera cuncta
Rodens, & medium scindens miseratio pectus,
Passio cunctarum dulcissima. Namque mouebat
Me luctus grauis, & natis orbata senectus,
Solicitúsque timor, gelidos qui concutit artus,
Dum mihi perpetuo metuunt, dulcémque laborem
Suscipiunt, ac me statuunt pro lumine vitæ,
Ærumnis grauibus pressus licet atque gementem
Vtpote iucundæ cui sacra volumina curæ
Antè forent (summum quæ numen in ore piorum
Sculpsit, & egregii duro sub cortice scripti

Gratia fulgorem diffundens pneumatis almi, A
Vtilitásque latens, quam soli cernere possunt
Qui bene purgarint generosæ lumina mentis)
Noctésque insomnes gratæ, luctúsque, precésque,
14 Angelicique [14] chori, rigido qui corpore laudes
Decantant Patris ætherea qui regnat in arce,
In cœlóque animis volitant, dum cantica fundunt,
Diuersisque eadem modulantur carmina linguis.
15 Tum ventris labor, [15] authoris fontísque malorum,
Atque oculi, linguæque quies, moderatio risus,
Et rabies, iræ freno compressa tenaci. B
16 Quin etiam ratio temerè indomitéque vagantem
Et passim spectantem animum stringebat habena,
Mentémque ad Christum reuocabat, spe melioris
Allectam vitæ, cœlique cupidine tectam.
Omnibus instabat moderatrix sedula membris
Diuinam ratio tollens ad sidera formam,
Et domino sistens, cui iucundissimus iste
Cordis motus erat, supera ad conuexa volantis
Ac pro magnificis opibus, miseróque tumultu
Qui me nocte etiam per inania somnia vexat
(Visa etenim curas referunt nocturna diurnas)
Diuinus nostris splendor radiabat ocellis, C
Fulgidáque eximii virtus & gloria cœtus,
Omnis at illa animæ, consortia sancta bonorum
Sectari solitæ perii pretiosa supellex:
Nec quicquam misero mansit nisi sola cupido,
Ac me præter spem crucians ærumna, calentes
Hinc fundo lachrymas, dubius timidúsque futuri,
Pristina méne iterum referet dominator Olympi
Ad studia expellens curas, onus atque molestum,
An prius in mediis me fluctibus ipse dolorum
Extrahet hinc, cœlo quàm nubila cernere possim
Depulsa, vlceribúsque meis adhibere medelam, D
Ter miserum, lucis cupidum post tempora noctis
Postremæ, cum iam nemo succurrere possit
Flentibus. Hîc etenim nobis est prompta medela:
Pòst autem clausa est omnis medicina salutis.
Iam mihi iam canum caput est, rugosáque membra

Post mortē salutis medicinæ clausa.

Tristis ad occasum vitæ iam prona feruntur.
Sed nondum talem subii tantúmque laborem,
Non quando seruis agitatum flatibus æquor
17 Sulcabam, [17] ex Pharia littus tellure Pelasgum
Naue petens fragili, Tauri brumalis in ortu, E
Tauri, qui tanto nautarum corda pauore
Afficit, vt rarus retinacula soluere nauta
Audeat, infidóque ratem committere ponto.
Noctibus hîc denis ego bis, totidémque diebus,
Supplice voce rogans numen cœleste, iacebam
Ad puppim exanimis. latus autem in vtrumque carinæ
Æquorei fluctus spumam rabiémque vomebant,
Montibus aut scopulis similes, ingénsque cadebat
Vis vndarum in eam. sed & omnia vela moueri
Conspiceres, vento in duros stridente rudentes.
Iam verò nebulæ tetra caligine cœlum

Fusca-

A Fuscabant, crebrísque etiam fulgoribus æther
Splendebat, validis clamoribus vndíque ruptus,
Tum me donaui Christo, pelagíque periclum
Vitaui, sanctis precibus votísque repulsum.
Non cùm lata graui quateretur Græcia motu,
Vlla nec auxilij iam spes alicunde pateret.
At tremor horribilis gelidos inuaserat artus.
Nondum etenim sacro Baptismate pectus habebam
Tinctum, in quo trahitur lustrali gratia lympha
Mirúsque excipitur splendor, quem Spiritus affert.
Nec mihi cùm fauces quondam vis aspera morbi
B Implesset valido flatu, sæuóque dolore
Opprimeret vitæque vias, auræque meatus.
Non etiam tunc cum male sana vimina mente
Intorquens oculi punxi temerarius hirquum:
Ac subitus fluxit sanguis, lúxque occidit omnis
(Non secus atque illi, qui cædis crimine dextram
Polluit) erratum luctúsque excepit acerbus.
Nec prius aggredior manibus transmittere sacrum
Spirituale Deo, lachrymis quàm noxa soluta est.
Non etenim impuro tutum est contingere purum,
Non magis atque hebetes oculos obuertere Soli.
C Plurima præterea subii. quis carmine cuncta
Commemorare queat, queis me vexánsque fauénsque
Ad se diuinum numen persæpe vocauit?
  Sed nondum tales incursauere procellæ,
Quàm quas infelix animus tulit aut ita dudum,
Et quibus exolui miserè expetit, omnia promptè
Abiiciens, nudus queat vt vitare minacis
Vim flammæ, mundique manus, faucésque draconis,
In nos qui rabidum gestit defigere dentem:
Pabula nam Beliæ mea mens dulcissima præbet.
Quis capiti latices tribuet, quis flumina nostro,
Vt maculas omnes lachrymarum fonte repurgem?
D Luctibus assiduis, vt conuenit, horrida plangens
Crimina (namque animæ vitiorum sordibus atræ
Munere nulla Dei melior concessa medela est,
Quàm fletus, tristísque cinis, saccíque prementis
Asperitas) vt si quisquam sua fixerit in me
Lumina, confestim gelido terrore tremiscat,
Et rapidum studiis melioribus exigat æuum,
Ægyptum nigram fugiens, durósque labores,
Et trucis imperium regis, gressúsque beatam
Conferat ad patriam, nec bello captus & armis
Exulet hostili miserabilis exul in ora,
E Et sedeat riguæ lachrymans in margine ripæ,
Organa de manibus ponens, salicíque propinquæ
Appendens, fidibus nec mollia carmina iungens.
Quin potius seruile iugum, quod colla premebat,
18 Effugiens [18] sacras properet contingere sedes,
Rursus & excisi iaciat fundamina templi
Quam semel vt terram fato grauiore reliqui,
Nulla dies abiit, qua non ardentibus ipsam
Votis expertem: canósque hæc tanta cupido
Infudit capiti, præmaturámque senectam

Pœnit. animæ medicina.

Inuexit: vultúmque solo demitto, grauísque A
19 [19] Conficior luctu, vereórque hominésque Deúmque,
Squalidus & fletu madidus, vocémque coërcens,
Vt lachrymis placidum reddam mihi numen olympi.
Namque humiles oculis genitor sanctissimus æquis
Aspicit, elatos spernit fastúque tumentes.
Ac velut è Solymis, vt sacra oracula pandunt,
Dum nimis incautus tendit Ierichunta viator,
Incidit in sæuos aduersa sorte latrones,
Quem toto innumeris confessum corpore telis
Prostrauit scelerata manus, vestémque iacenti B
Abstulit, & dira nudum feritate reliquit.
Mox iter hac fecit Leuites, atque sacerdos:
Est tamen (ô duros animos) ab vtroque relictus.
Ast vt Samaricæ pertransiit accola terræ,
Illius extemplo casum miseratus acerbum,
Vulnera sæua ligat facilis, properéque caballo
Impositum in villam duxit, fudítque medelam
Vlceribus, curámque ægri, preciúmque reliquit
Discedens famulo. Quid tam mirabile, quam quòd
Flexit Samaricum, qui non virtutis alumnos
Flexerat? Haud etenim, quidnam ista recondat imago
Assequor, externo siquidem velamine multa C
Numinis abscondit sapientia magna superni.
Haud mihi disparibus misero procumbere fatis
Contigit, ac sacra venienti nuper ab vrbe
Inuidus ille latro, cœlum vitámque perennem
Claudere qui nobis ardet, sæuissima fecit
Vulnera, quæque Deus dederat, crudelis ademit:
20 Non secus atque Adamo, [20] lutei qui corporis author
Extitit & casus, vetita qui ex arbore poma
Dum legit, in terram cecidit, qua traxerat ortum.
At nunc summe parens, animæ miserere precantis,
Eripe me nigræ morti, quem mole dolorum D
Oppressum nimia grauium sacer ordo reliquit.
Vulnera rite liga festinus, ad hospita ducens
Tecta: sacram redeam téque auspice rursus ad vrbem
Viribus incolumis, maneámque ibi fixus in æuum.
Submoueásque malos fures, callémque molestum,
Vulneráque, & fictos homines, subq; ordine sacro
Et recti specie crudelia corda gerentes.
Ascendisse duos sacrata volumina quondam
In templum narrant homines: quorum alter inani
21 Turgebat fastu, [21] tanquam ipso charior esset
Nemo Deo, nemo melior nec sanctior vsquam,
(Hic Pharisæus erat:) lucra ast ob iniqua dolore E
Saucia corda gerens alter luctúque iacebat.
Ille quidem inflatus meritorum ex ordine summam
Subducens, legis decimas, ieiunia crebra
Iactabat, priscísque viris de laude mouebat
Certamen, tumido calcans sermone Telonen.
Hic autem lachrymans feriebat pectora palmis.
Nec verò in cœlum, sedem Patris altitonantis,
Spectabat, verùm in terram seruilia figens
Lumina, stánsque procul fundebat pectore vocem:

Parce

A Parce tuo famulo, Deus optime, parce roganti.
Aspice me facilis, noxarum mole grauatum.
Non lex, non decimæ, non me benefacta tueri,
Ac dulcem misero poterunt afferre salutem.
Ficta nec in nostrum caput hic conuicia torsit.
Quin etiam impuris pedibus contingere templum
Hoc vereor. Sed me ipse Pater lenissime serua,
Inque hominem stillet tua gratia sancta prophanum,
Quæ spes vna malis a te donata refulget.
Talia dicentes audit Deus, ac miseratur
Quem videt afflictum luctu, spernítque superbum.
B Hos pater aspiciens confestim tale tulisti
Iudicium: hincque mihi læta est fiducia nata.
Sum miser, hoc fateor, sum pessimus ille Telones,
Consimiles edo gemitus, similémque medelam
Expecto, numénque tuum, Pater optime, supplex
Obtestor, si te quondam matérque patérque
Supplicibus votis sanctè coluere piisque
Fletibus, aut quadam donarunt parte bonorum,
Aut etiam pura & sancta tibi mente litarunt,
(Nunquam etenim quicquam te dignum fecimus ipsi:)
Sis memor, ac fer opem, curásque auerte nocentes,
C Nec mea mortiferæ constringant guttura sentes,
Aut iter ad superum tendentem forte morentur:
Quin potius, mea certa Deus tutela salúsque,
Illæsum me mitte precor: siquidem ipse tuus sum,
Te colo, te veneror, mihi tu Deus vnus ab ipsis
Liminibus vitæ. nam me tibi vouit ab aluo
Chara parens, tunc cum succensa cupidine prolis,
Annam imitans tales emisit pectore voces.
Da mihi quæso dominator maxime, natum:
Ædibus inque tuis omnes tibi seruiet annos.
Dixerat, & precibus flexus de nocte parenti
Designas nomen pueri: proléisque secuta est.
D At verò illa tuis me protinus, vt Samuelem,
Addixit templis, Samuelem si tamen vnquam
Moribus expressi: nam nunc ego dispare sorte
Conferri Helidis videor mihi posse profanis,
Qui nimiùm fœda ingluuie sanctissima sacra,
Et solido oblatas temerabant pectore carnes:
Diuinósque auidis manibus tractare lebetes
Ausi, luctifica clauserunt lumina morte.
At mea spem genitrix meliorem corde fouebat,
Cùm te natorum donauit parte suorum.
Namque manus nostras diuinis sedula libris
E Lustrabat, corpúsque etiam complexa tenellum
Talia verba dabat: iam vir clarissimus olim
Extitit, intrepidus qui sanctam duxit ad aram
(Res mira!) acceptum diuino munere natum,
Currentem ad cædem, sacrum laudabile, charam
Tardiparæ sobolem Sarræ, generísque petentis
Radicem, quam spes sculpsit, promissáque magni
Numinis. Abrahamus porro graue munus obibat
Sacrifici, pecudísque vicem præstabat Isachus.
Ast ego te viuum Christo charissime munus

Offero, nate, fidem seruans, promissáque reddens. A
Tu facito vt charæ soluas pia vota parentis:
Quæ te concepi precibus, quæque optimus vt sis,
Moribus vtque tuis nil sit purgatius, opto.
Hos tibi præclaros, & nunc & postea, census
Porrigo. sunt autem multò meliora futura.
Hoc genitricis erat votum, cui protinus ipse
Cedendum, in tenera quamuis ætate, putaui,
Ac noua mollem animum pietatis forma notauit.
Munere quinetiam Christi me lympha manebat
Purifica, alloquio famulum dignitatis aperto.
Méque pudicitia obiunxit, carníque catenam B
Iniecit, sophiæque ardenti afflauit amore
Cœlestis, vitæque huius, quæ coniugis expers
Ducitur, æterni referens prælusia secli,
Nec costam quærit (propriúmque blandula corpus
Lactat, & illecebris damnosam ducit ad escam)
Sed superi regis casto exardescit amore,
Nec totum Christi dextra omnipotente creatum
22 Partitur [22] Christo, thalami sociæque iugalis.
Qui me per strictum callem plenúmque laboris
Ducit ad angustam salebroso tramite portam,
Quam non multi adeunt humano sanguine creti: C
Atque Deo præcelsa Deum me duxit ad astra,
Factum non factus, nigráque ex morte perennem,
Cum supera effigie: socium quoque corpus, vt atrum
Magneti ferrum vis indita, tollit in altum.
Heu miser, heu quàm pestiferis, grauitérque luendis
Mens mea criminibus læsa est! heu gloria inani
Perfusum mortale genus fastúque proteruo!
Quàm verè leuibus conferri possumus auris,
Quàm sumus Euripo similes. namque illius instar
Voluimur in terra vano splendore tumentes.
Nec res vlla manet stabilis mortalibus vsquam: D
Non virtus, non improbitas: callésque propinqui
Inter se existunt, vt nec qui crimine mentem
Polluit, hoc certò norit, quisnam exitus ipsum
Expectet, nec qui studium amplexantur honesti,
Virtutem fixam teneant certámque futuri.
Vtque metus vitium pellit, sic liuor iniquus
Virtutem exagitat. Voluit nam Christus vtroque
Incuruari homines: vt non superabile robur
Ipsius aspiciens sursum tua lumina tollas.
Optimus is vero est, graditur qui tramite recto,
23 Nec caput ad Sodomæ fumantia [23] tecta retorquet, E
Quam scelerata nouo populata est igne libido:
Sed properè fugit in montem, patriósque penates
Eiicit ex animo, ne posthac fabula vulgi
Linquatur, fiátque salis non mobile saxum.
Ac per me casúsque meos dignoscere promptum est,
Quàm nostrum genus in vitium procliue feratur.
Nam qui iucundæ primæuo in flore iuuentæ
(Cùm leuis in molli versatur pectore sensus)
Vmbrosa solum ratione, & moribus vtens
Egregiis ducibus, sublimia tecta petebam,

A Certa in regali figens vestigia calle,
Nunc cùm collecta est ratio, iámque ipse senectæ
Ad metam accessi, miser heu, velut ebrius erro,
Ac scæua obliquus pugnâ me deprimit anguis,
Et rectè consulta rapit furtímque palámque.
Interdum mea mens ad regem fertur olympi:
Interdum in mundum deuexo pondere vergit,
A quo animæ grauiter læsa est pars maxima nostræ.
24 [24] Sed licet improbitas me totum obtexerit atra,
Atque in me nigrum virus diffuderit hostis,
Sepia cæruleas vomitu velut inficit vndas:
Hactenus incolumis tamen est mihi visus, vt istud
B Cognoscam, vnde satus, quonámque ascendere tentans,
Infelix vtinam iaceam, tellure profunda,
Aut etiam subter terras in faucibus Orci.
Nec verò illa meam recreant solatia mentem,
Verbáque decipiunt, quæ turpes subdola motus, Miseræ cõsolationes quorundã.
Auxilio vitiúmque iuuant, prauóque fauore.
Grandia nec cernens aliorum crimina lætor,
Excelsa tanquam ipse sedens virtutis in arce.
Quid iuuat ægrotum ferro dum membra secantur,
Cernere quos grauius cruciet vis aspera ferri?
Quid iuuat obstrictum vitiis sceleratior alter?
C Nam bonus ex meliore queat decerpere fructum,
Non secus atque malus (siquidem qui cernit apertè
Vtilis esse potest oculorum lumine capto)
At gaudere malis scelus est immane ferúmque,
Quòd si cum fœdis vitiis tamen optimus esse
Nonnullis videor, doleo, tacitúsque gemisco.
Malim, cum recto studeam, vitiosus haberi,
Quàm vitio addictus, iusti clarescere fama,
Mendáxque ignaris mortalibus esse sepulchrum,
Quod licet internè fœtentia corpora claudat,
Calce tamen nitet externa, gratóque colore.
D Ille oculus nostras gelida formidine mentes
Concutiat, radiis qui pallida tartara lustrat,
Qui fundum pelagi mentísque arcana tuetur.
25 [25] Nílque secat tempus, verùm præsentia summo
Cuncta Deo. Quanam porro sua crimina quisquam
Contegere arte queat? quisnam locus ille patebit,
Quo nos extrema trepidantes luce tegamur?
Quis feret auxilium? quis magni lumina regis
Fallet cum rerum purgatrix flamma datura est
Iudicium, turpis vitij siccámque leuémque
Naturam absumens, & fœdas crimine mentes?
E Me lux illa graui noctésque diésque tremore
Afficit, æthereo cùm mentem à Patre fluentem Greg diem iudicij perhorrescit.
In terram video, & nigro cum puluere iungi,
Quem fugere intentis conatibus ipse parabam.
Ac velut hibernis fluuiis cum flumina crescunt,
Aut pinum, aut platanum, vernantem fronde perenni Simile.
Vicinis illisa terit radicibus vnda:
Ac primum illius retinacula cuncta reuellit,
Cogitque in præceps pendentem inflectere ramos,
Mox etiam nimis exigua radice retentam

Funditus abrumpit, medióque in vertice fusam A
Protinus in cautes impellit & aspera saxa.
Hîc illam tum colluuies, tum plurimus imber
Inficit, ad ripámque iacet sine nomine truncus.
Sic quoque nostram animam, quæ Christo læta virebat,
Impete pestifero væsanus perculit hostis.
Et miseræ, iam nunc maiori ex parte peremptæ,
Reliquiæ tenues errant, pasśimque vagantur.
Quas vtinam clari summus regnator olympi
Excitet, ex nihilo qui nos effinxit, & idem
Extinctos rursus finget, vitæque secundæ
Asseret, aut flammis ardentibus excruciandos, B
Aut percepturos æternæ gaudia vitæ.
Sint ne omnes autem cœlesti luce beandi
Affirmare meum non est, tibi Christe relinquo.
Magne Deus quanquam me gens inimica lacessens
Infirmum exanimémque vocat, motoque latenter
Vertice prosequitur sæuo mala nostra cachinno:
Ne sinito hostili victum procumbere dextra.
Sed spe cœlesti primùm mea pectora fulci.
Ac, ne deficiat mea lux, alimenta ministra,
Humentísque olei nonnullum infunde liquorem,
Qui lychno auxilium sitienti præbeat, vt lux C
Accenso igne mihi iamiam rediuiua recurrat,
Et fruar æternæ præclaro lumine vitæ.
Tum verò ærumnas à nobis discute tristes,
Ventísque in latum pelagus committe ferendas:
Atque auras concede leues. Sat namque malorum
Pectoris ipse mei domuisti mole tumorem,
Cur Deus aduersa nobis immittat. Seu vindex meritis mulctans mea crimina pœnis
Seu velut indomitum variis durísque caballum
Cursibus, ingentíque dolorum examine frangens,
Seu fastum reprimens, homines pietatis amicos
Qui facile inuadit, mentis grauitate carentes,
Queis bonitas diuina mali est occasio fastus: D
Seu documenta volens per tot mala prodere nostra,
Vt cuncti vitam vitæque aduersa perosi,
Et dubios casus atque infortunia iustis
Iniustísque simul venientia, præpete cursu
Æternum meliúsque piis properemus ad æuum.
Verùm hæc diuinæ sophiæ sunt abdita fundo,
Quæ fluxi documenta ferunt mortalibus æui,
26 Tam bona quàm mala:[26] sunt Verbo tamen optima cuncta,
Quamlibet effugiant mentis quamplurima nostræ
Crassitiem. Nam tu clauum scitissimus orbis
Hinc illincque regis, quo gens mortalis abacta E
A scopulis, vitæ malefidas traiicit vndas.
Ast ego iam grauium confectus mole dolorum,
Te genibus flexis supplex obtestor, vt ad me
Laxatus extemplo veniat, flammásque calentes
Leniat humenti digito, nec chasmate vasto
Vlterius tenear, finibúsque excludar amœnis
Abrahami, ærumnis locuples, pœnáque perenni.
Quin potius mihi mitte manum, tristésque dolores
Ipse salutifera quamprimùm pelle medela,

Priscáque

A Priscáque nunc in me facilis miracula profer.
Dic, & sistatur profluxio fœda cruoris:
Et grege porcorum stimulis furialibus acto
Proruat in pelagus Legio, procul atque facessat.
Excute deformem lepram, cæcísque recurrat
Lux oculis, rursúsque meas vox intret in aures.
Arentésque extende manus, & vincula linguæ
Solue, pedúmque malos firma, rex maxime, gressus.
Pane perexiguo satia, compesce tremendos
Æquoris irati fluctus, & sole nitente
Tu mihi splendidius radia, corpúsque recuruum
Erige fœtentémque reduc ad lumina vitæ.
B Nec veluti sterilem iubeas arescere ficum.
Præsidiis aliis alij, Deus optime, fidunt,
27 Et genere & cinere exiguo,[27] fastúque fugaci,
Aut alias quasdam spes amplectuntur inanes:
At soli tibi solus ego sum Christe relictus,
Imperio qui cuncta tenes: in te mihi robur
Omne situm est, in te fiducia tota salutis.
Non animi curas depellet sedula coniux,
Quæ vel mœrentem dulci sermone maritum
Oblectare potest: nec chara gestio prole,
Quæ subnixa velut primos renouatur ad annos,
C Nec tremulo terram pulsat pede curua senectus.
Sed neque germanis, nec iam delector amicis.
Namque illos tristi rapuit mors horrida fato:
Hos autem, cœlo ventorum turbine puro
28 Gaudentes,[28] simulátque leuis licet, aura sodales
Concutit aduersæ sortis, tum protinus horror
Afficit, & pauidos gelidus tremor obsidet artus.
Vt verò confecta siti cum cerua propinqua est Simile.
Fontis aquæ gelidæ, sic nobis vna voluptas
Hæc erat, eximia nimirum laude corusci
Et virtute graues homines, Christúmque ferentes,
D Altiùs in terra viuentes corpore crasso,
Æternum flamen syncera mente colentes,
Coniugis expertes, contemptorésque caduci
Fluxarum rerum mundi. Sed & hi quoque de te
29 [29] Hinc atque hinc stantes pugnant, & marte nefando
Contendunt: legémque Dei perfregit iniquus
Liuor, amicitiæ fœlicia vincula soluens,
Cuius nil nobis superest nisi nomen inane.
Vt si quis sæuum cupiens vitare leonem, Simile.
Vnguibus occurrat furibundæ protinus vrsæ,
Atque illam rursus fugiens, ædésque libenter
E Ingressus, paries dum languida brachia firmat,
Præter spem infelix diro feriatur ab angue:
Sic mihi, cùm variis agiter quatiárque procellis,
Nulla tamen miseros sanat medicina labores.
Immò etiam quicquid postremum occurrerit, illud
Intima peruellit grauiori corda dolore.
Vndique porrò oculos versans, ínque omnibus à te
Afflictus, rursum, Deus, ad te lumina tollo,
In quo præsidij spes est mihi tota reposta.
O qui cuncta potes, nullo generate, nec vllum

Principium agnoscens, qui Principium genuisti A
Æternum natum, lucis similis iubar ingens,
Ex vno arcana ratione fluentis ad vnum,
Nate Dei, Verbum, rex, & Sapientia, veri
Author, & archetypum referens, Patríque potenti
Natura æqualis, præcellens, Pastor, & Agnus
Mortalísque, Deúsque, & victima pura, Sacerdos:
Spiritus à summo procedens Patre tenebras
Mentibus à nostris pellens, & pectora pura
Ingrediens homini tribuénsque deitatis honorem,
Sis facilis misero, nec non vertentibus annis
Da precor, vt reliquo mortalis tempore vitæ,
Atque etiam tota posthac deitate coruscans, B
Perpetuo laudum celebrem te carmine lætus.

SCHOLIA IN PRÆCED. TRACT.

1. *Namque & fluctus) Antapodosis est, qua ea quæ superius de Amalechitis, leonibus, ceto, fornace ignis, & mari fluctibus agitato cecinit, ad propositum accommodat.*

2. *Luce magis) Gr. φῶτι ἰσχυρός. φῶς enim hîc lucem significat, non hominem vt quidam priùs verterat. Opponit enim hîc φῶς σκότει. alludens ad illud Apostoli. Satanas se transfigurat in angelum lucis.*

3. *Quibus exitiosa libido) Vetus enim est & tritum illud Græcorum dictum, τίκτει τοι κόρος ὕβριν. Vnde etiam superius κόρον ὑβριστὴν vocauit.*

4. *Est panis rigidus) Hîc se frugali admodum & sine arte mensa delectari indicat Theologus, vt ad cuius stomachum faciant satis sal, panis & aqua, quæ tria sola quarta feria & prosabbato à Christianis sumi Apostolos præcepisse scribit Epiphan. lib. 3. tom. 1. hæresi. 75. Vsos autem antiquos sale pro obsonio, istud Diogenis indicat, cùm Cratero à quo vocabatur ad hospitium respondit, se malle Athenis salem lingere, quàm alibi opiparis vesci epulis. Hinc Horatius, Cum sale panis latrantem stomachum bene leniet. Idem alibi Tigellium cantorem ita loquentem inducit. Sit mihi mensa tripes, & concha salis puri. fortasse & eô spectat quod Cicero in Lælio multos cum eo prius modios salis sumendos præcipit, cum quo amicitiæ vinculo coniungi desideras. De sale autē ipso, & cur illum Homerus diuinum, & Plato sacrosanctum vocet, Plutarchus in sympos. disputat decad. 5. problem. 10. Plinius lib. 31. cap. 7. ex Varrone, sale pulmentarij vice vsos veteres, illósque salē cū pane esitasse testis est.* C

5. *Somnia vana) Hoc verbo sæpe vtuntur sacri scriptores ad exprimendam rerum humanarum vanitatem. Vt Iob de impij fælicitate loquens, Sicut somnium auolans non inuenitur: transiet sicut visio nocturna. Itaque malè in impressis codicibus legitur, ἀμφιπταμένοις, id est, circumuolantibus. legendum enim est ἀφιπταμένοις, id est, auolantibus: vt & sensus postulat & carminis ratio.*

6. *Hactenus attingens) Quasi diceret hac vna de causa mater mea rerum fluxarum curam capessebat, vt velut viaticum quoddam sibi ad iter cœleste compararet. Nam hoc quoque loco βίος commodissime pro facultatibus vitæq́; commodis accipi potest. Vt sit sensus, Eam non alio nomine rei familiaris curam habuisse, quàm vt haberet vnde bene de pauperibus mereri posset.* D

7. *Vocémque tributa legentis) πρηκτὴρ enim idem est quod φορολόγος. Alludit enim Gregorius ad illud Iobi 39. Non audierunt vocem exactoris. Est enim profectò hominibus tenuis fortunæ admodum atrox & horrenda vox eorum qui exigendis tributis præfecti sunt.*

8. *Nam quos præter spem) Seneca in Thyest.*

Proprium hoc miseros sequitur vitium
Nunquam rebus credere lætis.
Redeat felix fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.

Tot fraudes) In Græco exemplari corruptè legitur δολοπλοκέας. δολοπλοκίας enim in substantiuo legendum est. Idq́; apparet ex eo quod sequitur.

9. *Purius æternas) ἐς αἰὲν ἀοσσητὰ lego in neutro plurali, vt opponatur rebus fluxis & fragilibus, non in masculino vt Aldus.* E

10. *Census diripitur) ὁ βιότοιο σκιδναμένοιο, &c. βιότου enim nomine, hîc non vitam, sed opes & facultates significat, quæ à centimanis illis Briareis, qui imperatorij fisci curam gerebant, post Cæsarij mortem crudelissimè direptæ fuerunt. Quod autem sequitur, τὸ ξυνὸν idem est, ac si dixisset, τὸ κοινόν.*

11. *Atrox nobis iniuria facta est) Iniuriam hanc innuit, cuius proxima adnotatione mentionem fecimus.*

12. *Iniecto quenquam) Morsus à serpente neminem alloqui sustinet nisi à serpente morsum. Adagium est quo significamus dulcissimam esse eam consolationem, quæ ab eo proficiscitur, qui iisdem calamitatibus affectus est, quibus ille quem consolatur.*

13. *Tramite recto) εὐοδίην στέργουσα. Mihi commodior sensus futurus visus est, si hoc loco εὐοδίαν non ad rerum humanarum prosperitatem referrem, sed ad rectum & inoffensum virtutis amorem. Hoc enim pulchrè congruit cum iis, quæ paucis antè versibus de animæ suæ calamitatibus luctuosè dicebat.*

A 14. *Angelicique Chori) Monachos describit, quemadmodum & multis aliis locis, sed potissimum in prima oratione de Pace, & in priore inuectiua aduersus Iulianum. Ac beati illi monachi qui huiusmodi exemplar ad viuum exprimunt. Etenim vt est in prouerbio, Multi thyrsigeri, pauci Bacchi.*

15. *Ventris authoris malorum) Nam ex esu interdicti illius pomi mala omnia nobis profluxerunt. Ventrem malorum authorem vocat in Oratione de pauperibus amandis.*

16. *Quin etiam ratio) Gr.* πάντοσε πεπλάγνοντα νόον γ' ἐπὶ δ' ἔστρεφε χριστῷ. *Sic enim habetur tum in Aldino tum in Heruagiano codice. Ego tamen virgulam non post* πεπλάγνοντα, *sed post* νόον *pono, & deleo particulam illam inutilem* γε.

17. *Ex Pharia littus) Gr.* γαίης ἐκ Φάρης ἐπ' ἀχαΐδα, *id est, ex Alexandria in Græciam. Pharos enim insula est Alexandriæ proxima. Et Achaia; alioqui Straboni lib. 8. pars Peloponnesi septentrionalis, hîc synecdochice pro tota Græcia accipitur, quemadmodum & apud Ouidium,*

Cognita res vati meritam per Achaidas vrbes
Contulerat famam, &c.

B 18. *Sacram properet) In Græco legitur* διερῆς, *sed mendosè. Exponit Aldus per sacram, quasi sit* δι ἱερῆς, *sed profectò legendum* δ' ἱερῆς, *vt* δὲ *sit aduersatiua particula, non autem* διὰ *præpositio.*

19. *Conficior luctu) Gr.* πένθος ἀνέξων *luctum laturus, sic enim legitur in duobus impreßis exemplaribus. Ego tamen pro* ἀνέξων *substituo* ἀέξων, *quemadmodum Homerus dicit,* θάρσος ἀέξων. *Impropriè enim hoc loco futurum* ἀνέξων *iungeretur cum tot participiis præsentis temporis. Nec enim ait se luctu affectum iri, verùm iam in luctu & squallore versari.*

20. *Lutei) Quemadmodum enim quoad animam omnes Deum patrem habemus, ita & Adamum quoad corpus. Vnde Apostolus, Qualis terrenus, tales & terreni.*

21. *Tanquam) Lego hîc* ὥσγε, *nam vt in impreßis codicibus* ὅσγε. *Neque enim Pharisæus ille primas pietatis apud Deum obtinebat, vtpote qui à Deo propter fastum animíque elationem reiectus sit: sed ita cristas attollebat, quasi nemo ad ipsius virtutem animíque præstantiam accederet.*

22. *Partitur Christo.) Gr.* χριστῷ τέμνοντες, *id est, ita animum hominis diuidentis, vt partim Christo seruiat, partim vxori.*

C 23. *Tecta retorquet) Gr.* μεταστρέφεται, *id est, caput vertit, oculos refert, vt vxor Loth, non autem volutatur: vt prior interpres verterat. Aliud enim est* μεταστρέφεσθαι, *aliud* κυλινδεῖσθαι.

24. *Sed licet improbitas) Gr.* κακὴ ἐκάλυψε μέλαινα. *Lego* κάκη, *vt idem sit quòd* κακία: *alioqui quid* κακὴ μέλαινα *significabit?*

25. *Nilque secat tempus) Tempus, inquit, apud Deum nihil secat, nec futurum à præterito dirimit. Apud eum enim omnia sunt præsentia.*

26. *Sed verbo sunt optima cuncta) Gr.* λόγῳ δέ τε πάντα φέριστα. λόγον *hîc pro filio Dei accipio, vt sit sensus, Quamuis nos rebus prosperis bonorum nomen tribuamus, aduersis contrà malorum: tamen apud Deum vtræque optimæ sunt, quippe quæ optima ratione mortalibus à Deo immittantur.*

27. *Fastúque fugaci) Gr.* καὶ ὀφρύϊ σήμερον ὥσῃ, *id est, supercilio & fastui breuißimè duraturo.*

28. *Simulatque leui) Gr.* ὀλίγην φρῖκα τρεμέουσι, *id est, ad leuißimam quamque amicorum afflictionem & calamitatem animo cohorrescunt, eósque perfidè deserunt. Tritum est illud Ouidij, Cùm fueris felix, &c.* φρίξ *autem initium motus corporis significat: Galli seruata nominis origine, frisson vocant.*

D 29. *Hincatque hinc stantes) Gr.* μαρνάμενοι περὶ σεῖο διχακρίδον, *&c. Notat autem intestina Episcoporum dißidia, & fœdas de religionis negocio, & diuinitatis cultu concertationes.*

CONQVERITVR DE SVIS CALAMITATIBVS.

SÆpe (fatebor enim) in mentem mihi venit iniqua
Carpere voce Deum. Namque & seruile frequenter
Murmur fert dominus tacito de pectore manans.
Durius & si quis soboles fortasse locuta est,
Fert pater æquo animo, nec iusta exæstuat ira.
Ergo etiam nostras facili precor aure querelas
E Accipe, quas mœrens animus sæuóque dolore
Obrutus æthereum tibi rex bone mittit ad axem.
1 ¹ Eructare suos quædam est medicina dolores.
Quid me tam dura, Deus optime, mole malorum
Vexasti, inde ex quo charæ genitricis ab aluo
Fusus ad humanæ veni spiramina vitæ?
Non etenim referam quòd me caligine densa
Pressisti in matris gremio, durísque catenis.
Cur terra & pelago tot dura infestáque rerum
Spicula vibrarunt in me simul hostica turba,

Quósque mihi sanctum fœdus sociarat amoris, A
Atque ducum scelerata manus stimulata furore?
Cur & nostrates, & gens longinqua, palámque,
Et furtim, iaciunt in me aduersaria verba,
Ac miseranda petunt saxorum grandine membra?
Quis cuncta exactè referat, viuóque colore
Exprimat, vt tanto non cedant verba dolori?
Omnibus vnus ego notus non arte loquendi,
Nec quia corporeo reliquos ego robore vincam:
Sed me nobilitant gemitus, tristésque dolores.
Ac velut horrendum latratibus vsque leonem,
Vndique me rabido morsu petit impia turba, B
Quáque oritur Titan, quáque ignea subtrahit orbi
Lumina. Quinetiam quondam reor esse futurum,
Vt quis contractæ rugas & seria mentis
Discutiens epulis, vel iter fortasse capessens,
Vel citharæ pulsu curarum nubila pellens,
Fatáque nostra canens muta tristissima voce,
Gregorij nomen memoret, Diocæsariensis
Vrbs quem cappadocum populis haud nutriit ingens.
Sunt quibus immensos tribuas bonus æris aceruos,
Sunt quibus insignem sobolem, formæque nitorem,
Nonnullis decus eloquij, vacuúmque timore C
Pectus: at ipse mihi nomen famámque parasti
Ob vitæ ærumnas obque agmina sæua malorum,
Atque omnes in me fixit tua dextra sagittas.
More quidem Iobi crucior, sed dispare causa.
Non etenim clari cuiusdam militis instar
Viribus ipse meis fultus cum dæmone sæuo
Luctor, vt egregiè postquam certauero, palmam
Des mihi, succingásque caput victrice corona.
Nondum ego sum tantus, nec gloria tanta dolores
Consequitur. verùm scelerum me pendere pœnas
Sentio. Quod verò scelus est ex omnibus illud, D
Quod te præ reliquis tam dura concitat ira?
Iam retegam arcanum, quod mens altissima claudit.
2 [a] Crimina namque tegit, tacita qui voce fatetur.
Cùm tibi me totum addixi, penitúsque dicaui,
Cunctáque præsentis calcaui commoda vitæ,
Excelsámque tibi tollens ad sidera mentem,
Carnis ab illecebris nexúque & amore remoui:
Cúmque animum regeret ratio, doctrináque sacra,
Omnes ipse mihi longè superare, capútque
Altius in superas sedes efferre videbar.
Quæ res inuidiam peperit mihi, damnáque multa, E
Ærumnásque graues, queis nulla exoluere mentem
Arte queo. sic me tua gloria vexit in altum,
Atque eadem rursus me gloria traxit ab alto.
Namque tua in mentes semper furit ira superbas.
At verò, & mihi qui cupitis bene, quíque malignum
In me animum geritis, quid dicam, attendite quæso,
Et semel acceptum fidis committite chartis,
Omnis vt hoc ætas noscat ventura nepotum.
Ipse recusaui sedem spreuíque paternam.
Haud etenim fas est diuina infringere iura.

A Illi lex sedem tribuit, plebémque regendam:
Ast ego grandæuis iuuenilia brachia palmis
Supposui, iussísque patris precibúsque putaui
Cedendum, eximiè quem non ego solus amaui,
Et colui, sed & ille etiam distabat ouili
Qui procul à nostro, seniúmque parémque senectæ
Splendorem venerans animæ, radiósque micantes.
Ast vbi, qui nostræ moderatur tempora vitæ,
Iussit, vt è Patria Christum regione, sacrúmque
Flamen ad ignotas gentes spinosáque ferrem
Arua, licet tenuis pluuiæ sim guttula, magnum
Auxiliante Deo populum tamen ipse rigaui.
B Vt verò ad patrios idem remeare penates
Me voluit, morbis natum curísque molestis
(Cura homini porrò crux & lethale venenum est) Cura crux animi.
Exiguè fessos recreaui corporis artus,
Insigni pastore dato, ne præsule cassas
Aggrederetur oues quisquam, raptásque voraret.
At postquam plebísque duces, plébsque ipsa moueri
Cœpit, & incertis animis nutare fidéque,
Ob desiderium ducis, insultúmque ferarum,
Quæ Christo intactæ nato de ventre parentis Apollinaristas notat.
C Amentes mentem eripiunt, mancúmque relinquunt,
Pars hominum nostris omnino incredula morbis
Vsque meo tacitum lacerabat murmure nomen,
Méque pium nimio populum contemnere fastu
Censebat, si non verbis iactabat apertis.
At cernit nostros, qui cernit cuncta, dolores.
Iudicium de me rursus pars magna ferebat,
Somnia vana sequens, quæ cuique insana cupido
Finxerat, vt plerosque solet componere ludos:
Aut Deus hoc etiam retegebat, dum mihi lætum
Obtentat finem, ne spes tristissima mentem
Conficeret, siquidem postremo ætatis in actu
D Me quoque dura nimis premerent incommoda rerum.
Ergo demissa supplex ceruice potentem
Christe tuam subeo dextram, captiuáque tendo
Brachia. Ius aliis esto vindictáque curæ.
Nil ego iudicium mundi moror atque tribunal.
Quocirca me sancta ferat tua, Christe, voluntas.
Quo me cunque feret, nullo cum murmure pergam.
En cernis quanto miser obruar ipse dolore.
Vatis ego ritu premor imo pectore ceti:
Reliquias miseræ tenues tibi porrigo vitæ.
At miserere precor, fatíque vrgentia tela
E Comprime. quid tanta me vexas mole dolorum?
Non etenim his solis, quibus est charissima virtus,
Christe, salutiferum fudisti in morte cruorem,
(Tempore quo summa cœli delapsus ab arce
Venisti in terras, iunctus (mirabile dictu!)
Humanæ carni Deus immortalis, & omnes
Corporis atque animæ detergens sanguine labes.)
Nec mea criminibus sola est mens tincta nefandis,
Quippe aliis multis, scelerum quos sarcina maior
Curuabat, veniam facilis laudémque dedisti.

Tres sacra commemorat claros doctrina telonas, A
Matthæum, Zachæum, & qui pia vota precésque
Fundebat lachrymis diuina oppressus in æde:
His me sancte velis, genitor, subiungere quartum.
Corpora tres rursus resoluta habuisse leguntur,
Qui miser in lecto, prope fontem quique iacebat,
Atque ea, quam misere vinctam afflictámque tenebat
Spiritus: his me iunge pater sanctissime quartum.
Denique tres vita functos ad lumina vitæ
Vox tua restituit, nigróque extorsit Auerno.
Prima resurrexit Iairo prognata parente,
Tum viduæ proles, tumulo postremus opaco B
Fœtidus, & media consumptus parte repente
Lazarus exiliit: tribus his me iungito quartum.
Atque & nunc dulci medicamine pelle dolores,
Et vitæ expleto cursu mihi certius æuum
Annue, méque hilarem semper tua gloria seruet.
Me duce plebs habuit fidei bona pabula sanæ:
Nunc si corporeo mens nostra è carcere migret,
Præsule, Christe, velim posthac meliore fruatur.
Quòd si non dabitur melior, Deus optime saltem
Ille minus duris rerum iactetur in vndis.
Nam qui alios grauibus morbis purgare laborat, C
Non decet hunc hominem grauibus languescere morbis.

SCHOLIA.

1. *Eructare suos &c.) Sic Greg. lib. 7. Moral. In Iob cap. vlt. Vulnera clausa plus cruciant, quia cum putredo quæ intrinsecus feruet reiicitur, ad salutem dolor aperitur.*

2. *Crimina namque tegit) Qui, inquit, priuatim peccatum confitetur, tegere potius atque occultare peccatum videtur, quam fateri. In Aldino non* κρύπτειν *legitur, sed* δρύπτειν *.i. lacerarit, vitiosè, tamen vt existimo.*

AERVMNAS SVAS LVGET, CHRISTVMQVE obsecrat vt sibi vitæ finem afferat.

Ponte mihi longè charissime, patria tellus,
Vósque etiam externæ sedes, viridísque iuuentus, D
Atque senecta grauis libitinæ proxima tristi:
O doctrina nimis vano quæsita labore,
O etiam doctrina sacri mihi munere parta
Pneumatis ô vrbes atque horrida rupibus antra,
Aëris à nostro pellentia corpore tela,
Omnia quæ subij cupiens me adiungere Christo,
Quî fit vt vnus ego salebroso tramite curram,
Ac mea perpetuis quatiatur vita procellis?
Nec semel in terris vestigia figere læta
Concessum est misero: verùm perfuncta labore
Membra, nouâ rursus cruciantur mole laborum. E
O patris æterni Sapientia, dic age, quæso,
Dic age, tantorum quæ sit mihi causa dolorum.
Cur labor egregios homines exercet & angit?
Impia cur nullo vexatur turba labore?
Aduersitatum causæ. Suppliciisne scelus meritis tua vindicat ira?
An potius purgas animos fornace dolorum,
Eximere vt sordes fuluo solet ignis ab auro?
Anne etiam valido me vis inimica furore,
Vt Iobum prius, aggreditur, pugnáque lacessit.

Tûque

A Túque tuum pugilem molli perfundis oliuo,
Nudatúmque paras ad magnum & nobile bellum?
Vt postquam illustri tulero certamine palmam,
Me collaudatum dones mercede perenni.
Hæc tibi, Christe, quidem sunt cognita. namque gubernas
Arcanis totum sapiens rationibus orbem:
Quarum pertenues radios lucémque tuemur,
Dum luteum gerimus corpus, dum lumina tarda.
Ast mihi iam miseros languor grauis occupat artus,
Iámque animam leuis aura tenet, iam pallida mortem
Intentat mihi mors, confecto mole malorum,
B Queis me inimica phalanx vrget, queis me agmen amicum,
Qui dolor est omni maior grauiórque dolore.
Hinc lachrymæ, & medio suspiria pectore manant,
Atque tuis pedibus supplex aduoluor, & oro,
Da vitæ finem iam magna ex parte perempto,
Da requiem fesso: leuius me transfer ad æuum,
Quod mihi causa fuit, cur tanta incommoda fortis
Pertulerim, firmóque ingentes corde dolores.
Cœtibus angelicis supera fac iungar in arce,
Iungar in arce precor felix, vbi gloria magna
Numinis illius triplici splendore coruscat.

C
DE HVIVS VITAE VANITATE ATQVE incertitudine, communique omnium fine.


Vtinam vel hirundo forem, similisve columbæ,
Labilis vt fugerem miseranda pericula vitæ:
Aut ego deserto versarer solus in antro,
Cúmque feris agerem, quidquid mihi suppetit æui,
(Namque fides maior, quàm sit mortalibus, his est.)
Inque diem traherem vitam, quæ nescia luctus,
Nescia curarum & pœnæ miserabilis esset:
Dum tamen hoc vno præstarem nomine brutis,
D Quòd mentem æternæ gnaram deitatis haberem,
Summáque contemptis tendentem ad sidera terris:
Tranquilla vt vita lucem radiósque perennes
Colligerem: speculámque adeò subuectus in altam,
Voce graui cunctis mortalibus ista sonarem.
Mortales homines humenti semine creti,
Cùm nihil omnino sitis, mortíque profundæ
Viuentes, fastu mentes infletis inani,
Sempérne in vanis rerum & mendacibus vmbris
Falsi, fallentes, incassum errabitis, illuc
In terris illúcque Animo nam dispice cunctos
More meo (nam magna mihi rerúmque bonarum
E Læuarúmque Deo donante peritia parta est)
Mens porrò facili defertur ad omnia motu.
Viribus eximiis erat ille, & flore iuuentæ
Conspicuus, sociíque gregis columénque, decúsque, — Vanitas humanæ vitæ.
Altigradus, valido membrorum robore florens.
Luciferum hic rursus formæ referebat honore,
Cunctorúmque oculos ad se mentésque trahebat,
Inque viris id erat, quod Ver in partibus anni.
Hic bello horrendum Mauortem æquabat & armis.
Ille palæstrites clarus, venatibus alter

Nobilis, atque feras doctus prosternere ferro. A
Festiuis epulis alius dapibúsque vacabat,
Indomito quærens & ab æquore pabula ventri,
Et cœlo & terra, seruus Geniíque gulæque.
Nunc stratæ vires, vultum quoque ruga senilem
Turpis arat, celeri fluxerunt omnia cursu.
Accessit senium, diffugit grata venustas,
Atque voluptates carnis, paulúmque moratur
Iam superos apud, at maiori ex parte sub orci
Imperio est, mortíque caput submisit acerbæ.
Hic rursus varia doctrinæ laude tumescit.
Hic generis splendore sui, magnísque sepulchris,
Exiguo aut nactus diplomate nobilitatem. B
Consilii primas media tenet alter in vrbe,
Illiúsque omnes vna præconia voce
Concelebrant. alius stulto inflammatus amore
Condit opes, animóque augendis instat aceruis.
Hunc iuuat excelso solio dare iura sedentem,
Atque vtrimque pari causas expendere lance.
1 Sanguineo [1] hic rursus panno & ceruice reuincta,
Imperio totum moderans & legibus orbem,
Ipsa quoque excelsi contemnit culmina cœli,
Ac spes mortalis male sana mente perennes C
Concipit, & veluti certo sibi plaudit honore.
Hæc modò: pòst autem tenuis puluisculus omnes,
Omnes sorte pari, seruíque & sceptra ferentes,
Pauperies quos dura premit, quos copia rerum
Effert. nos omnes eadem caligo domúsque
Excipiet. nec plus quicquam est in morte superbis,
Quàm mage quòd celebri luctu celebrantur eorum
Funera, magnificúmque magis tegit ossa sepulchrum,
Nomináque in grauibus saxis incisa relinquunt.
Et quanquam serò, tandem tamen omnibus vna
Sors iacet, vt morti pensum est fatale tributum, D
Ossa infirma sumus cuncti putredine fœda,
Et capita horrenda aspectu, spoliatáque carne.
Iam cessat fastus, iam tristem ærumna labórque
Pauperiem linquit, iam nec febris vlla dolórve
Nec sæuum auditur crimen, nec fœda simultas,
Nec grauis improbitas, nec habendi plura cupido.
Omnia nobiscum mors obruit, omnia claudit,
Donec nos aliud tandem comitentur ad æuum,
Credita cogetur cùm reddere corpora tellus.
Hæc ita cùm se habeant, voces audite monentis,
O mea progenies, natos nam dicere possum E
Iure meo, quoniam spatium mihi longius æui
Decursum est, foribúsque meis mors atra propinquat.
Huc agite, hunc mundum, quæq; hic incerta feruntur
Calcantes, fraudésque malas, quas nectere gaudet
Terrenus princeps, rapiens aliena, cruento
Vulnere qui nostro generi pestémque necémque
Inuexit, celeri vulgi præconia cursu
Linquentes, fastum generis, subsellia magna,
Cúmque opibus vanis infidæ prospera vitæ.
Empyreas sedes, æternáque regna petamus,

Plurima

A Plurima vbi sanctæ Triadis præstantius omni
Eloquio lumen clarissima lumina cingunt.
Cætera turba hominum talorum more voluta
Huc illúcque cadat, damnosáque gaudia captet,
Aut circunfusis oculis caligine densa
Quærat iter, muros orbatáque lumine palpet.

SCHOLIVM.

1. *Sanguineo hic rursus, &c.) hoc est, purpura & diademate.*

AD SEIPSVM PER INTERROGATIONEM & responsionem.

B SErmones vbi sunt? vbi linguæ verba disertæ?
In ventos abiere leues. vbi læta iuuentus?
Fluxit. Vbi mortalis honos & gloria vitæ?
Abscessit. celerique fuga me perfida liquit.
Corporeæ vires vbi sunt? vis aspera morbi
Fregit eas. Vbi opes? partim Deus obtinet illas,
Partim etiam manibus liuor sceleratus iniquis
Tradidit. At gemini fratres, sacrique parentes?
Mors rapuit, raptósque leues demisit ad vmbras.
Restabat natale solum, sed & hôc quoque sæuis
C Fluctibus oppressum stygius me depulit hostis.
Núncque procul patriis disiunctus sedibus erro,
Infelix agitans æuum, infirmámque senectam.
Non mihi iam thronus est, non vrbs, iucundáq; proles,
Quin potius gnatis miseri sum causa doloris,
Inque diem viuo profugus, nec mî datur vsquam
Tuta quies, certáque pedem defigere terra.
Quò iaciam corpus? quis me manet exitus æui?
Quæ tellus, quínam tumulus teget hospitis ossa?
Quis porrò digitis morientia lumina claudet?
An quisquam pius, & Christi succensus amore?
An vitæ horrendus maculis, vitiisque perustus?
D Ista quidem leuis aura ferat. nam mente pusilla,
Atque parum forti quis me non diceret esse,
Si grauis ista meis hæreret cura medullis,
Marmoreóne aliquis condat mea membra sepulchro:
An contrà tumuli priuatum corpus honore
Præda feris, sæuísque auibus, canibúsque futurum est?
Quod si etiam libeat, rapidis absumito flammis,
Et lectos cineres in cœlum sparge, vel altos
Ferreus in scopulos, præruptáque saxa cadauer
Abiice: vel fluuiis etiam putrescat & imbre.
Non ego diuinos oculos ex omnibus vnus
E Effugiam, nec, cùm mortalis turba coibit
Iudicis æterni vocem auditura tremendam,
Solus ego è tanto cœtu numeróque relinquar.
Atque vtinam linquar. nam tum plerisque latere
Vtilius fuerit, quàm tantæ accedere luci.
Verùm omnes extrema dies à finibus orbis
Colliget, atque Dei iussu coniunget in vnum,
Sit licet in cineres quisquam dilapsus & auras,
Membráque perdiderit violenti iniuria morbi.
Ast subeunt gemitus, subeunt luctúsque, pauórque,

Dum memori verso diuinum mente tribunal, A
Flammísque vndantes fluuios, & tartara nigra.
At tu Christe meæ moderator maxime vitæ,
Es patria, & vires, & opes mihi, denique cuncta
In te vtinam emoriar, vitámque atque aspera mutans.

ADVERSVS DIABOLVM.

VEnisti scelerate (tuas intelligo fraudes)
Vt me de recto virtutis tramite pulsum
Sedibus æthereis, & dulci lumine priues.
Subdole, cùm tenebras superes caligine, quid tu B
Candidus accedens lucem mentiris amicam?
Nam tua non animum fallent mendacia nostrum.
Cur me tam sæuo exerces sine fine duello,
Exitiúmque mihi & bello moliris aperto,
Et rem fraude gerens? Quo tanto percitus œstro
Inuidiæ, aggrederis veræ pietatis alumnos,
Inde ex quo manibus fictum patris omnipotentis
Eiecisti Adamum paradisi sede beata,
Insidiásque bonæ struxisti perfide legi,
Vitáque nostra cibo corrupta est dulcis amaro.
Quo te, quæso, modo fugiam? quánam arte dolores C
Ipse meos minuam? quænam fomenta parabo?
Tu minimis primò vitiis in pectora nostra
Influis, ac velut exiguis illaberis vndis.
At simulatque tibi datus est locus, illico magnus
Irrumpis, rapidéque fluens latissimus amnis,
Donec me chaos arripiat barathrúmque profundum.
At verò celeri quamprimùm abscedito cursu,
Atque aliis sæuásque manus vnguésque nefandos
Iniice: nimirum populis atque vrbibus illis,
Ignotum quibus est stellantis numen olympi.
Namque ego pars Christi, templúmque, & victima nunc sum: D
Pòst Deus existam, æterno cùm mens mea nexu
Iuncta Deo fuerit. Regi iam cede superno,
Figmentóque Dei. tibi sit diuina pauori
Ira, chorúsque pius, cœlesti lætus in arce
Diuinas celebrans æterna in sæcula laudes.

SESE COHORTATVR VT AD *Deum mentem conuertat.*


Vid te tam longè à Christo ferus abstulit hostis,
O anime infelix, linguam furatus & aures E
Atque oculos? quid tu tam longè à luce vagaris,
Et desideriis feruens, curísque molestis,
Atque metus vanos metuens, & fraudibus illis,
Quas tendit sacer ordo tibi noctésque diésque,
Tabescens, pectúsque ardenti concitus ira?
Desine iam mea mens incerta sede vagari:
Nec te cœlestis capiant obliuia vitæ,
Dum carni tete adiungis, vitiísque propinquas,
Quæ tibi corporeæ tristis contagio massæ
Perspicuè tacitéque parit. sed enim omnia vitæ

Commoda

A Commoda versetur tumidis grauibúsque procellis,
Omniáque hic tempus talorum more volutet,
Diuitias, famam, vires, formæque nitorem,
Quæ dominos persæpe suós malefida relinquunt.
Ast ego syncero complexus pectore Christum,
In spe semper ero, donec mihi cernere detur
Vnitæ Triadis clarum & venerabile lumen:
Cùm carni sociata suæ cœlestis imago
Cœlitibus tandem supera iungetur in arce.

CARMEN LVGVBRE PRO SVA ANIMA.

B SÆpe suum miserè luget noua nupta maritum,
Quem rapit ante diem grauis inclementia fati,
Tristésque orditur lachrymis perfusa querelas:
Ac lateri hærentes famulæ, æqualésque vicissim
In lachrymas gemitúsque ruunt, & carmine tristi
Acria subiiciunt valido fomenta dolori.
Quin etiam raptum properato funere natum
Extulit illachrymans genitrix, tormentáque sæua,
Quæ sensit pariens, auget grauiore dolore.
Est alius patriam qui sedem hostilibus armis
C Lugeat oppressam, flagrantésque ignibus ædes.
At mea mens quemnam ipse tuis effundere luctum
Casibus æqualem valeam, quam pestifer anguis
Occidit, formæque Dei miserabile virus
Exitiúmque tulit? Iam iámque erumpite fletus,
Peccator grauis illachryma. namque vnica mentem
Hæc ratio curare potest, morbóque leuare.
Mox linquam dulces epulas, charósque sodales,
Mox decus eloquii, mox nobilitatis honorem,
Magnificasque domos, & opes, & prospera mundi.
Linquam etiam Phœbi præclarum & amabile lumen,
Ac cœlum, & liquido fulgentia sidera cœlo.
D Hæc mea victuris tandem post funera linquam.
Ast ego deuincta in lecto ceruice iacebo
Lumine vitali cassus, mœrentia corda
Luctibus extremis satians, & ab omnibus amplas
Vndique percipiens laudes non tempore multo:
Post lapis, internóque madens fœtore cadauer.
Nostra tamen leuis hæc tangit præcordia cura.
Sed diuina graui mentem formidine libra
Concutit. eheu quid faciam, quanam arte valebo
Effugere obscœnæ labes & crimina vitæ,
Nubibus in densis latitans, cæcisne cauernis?
E Atque vtinam vitio liber locus esset ab omni,
(Omnibus vt memorant vacuas morbisque ferísque
Sedes esse aliquas) vt eò fugitiuus abirem.
Vitantur terra sæui discrimina ponti,
Obiectóque grauem clypeo vitaueris hastam.
Arcetur tecto nix cana & frigoris æstus:
At vitium latè fusum est, nec sedibus vllis
Clauditur: vt nulla possit ratione caueri.
Helias igniuomo volitauit ad æthera curru:
Ac pius edictum Moses crudele tyranni

Fugit,inaudita puerili in pectore ferrum
Qui fixit rabie. Ionas in pectore ceti
Horrendam effugit mortem,faucésque leonum
Eximius vates Daniel,flammámque calentem
Assyrii iuuenes: at qua ratione medebor
Vulneribus magnis animæ,vitiúmque cauebo?
Non opis hoc nostræ: tu me pater optime serua.

MOSIS DECALOGVS.

HAs patris æterni bis quinas dextera leges
Insculpsit saxis: tu verò inscribito cordi.
Nullum aliud tibi numẽ erit,nec,quem mihi debes,
Cultum, diuinúmque alii præstabis honorem.
Ne statuas vnquam simulachráque mortua fingas:
Néve tui Domini lingua tere nomen inani.
Sabbata legitima tibi sunt seruanda quiete,
Tam quæ tecta vmbris,quàm quæ sublimia sensu.
Felix,si merito cultu venerere parentes.
Ne quenquam occidas. Alieni fœdera lecti
Ne violes. nec te constringas crimine furti.
Néve aliquem testis mendacibus opprime verbis.
Nec cupidis oculis aliorum commoda lima.
Hinc namque æternæ quæruntur pabula morti.

DE DVODECIM PATRIARCHIS.

BIs senos magnus Patriarchas fœmore Iacob
Eduxit, primos Ruben Simeona Leuímque
Et Iudam. tum deinde notho fluxere cubili
Ancillis nati, Dan, Nephtalimus, Gad, Aserus.
Pòst autem veris vxoribus Issachar, atque
Zabulon, & Ioseph. Postremus Beniamin exit.

DE DVODECIM APOSTOLIS.

DIscipulos habuit bissenos Christus Iēsus.
Hi, Petrus, Andræas, Ioannes, atque Iacobus,
Matthæus, Thomas, cum Iuda Bartholomæus,
Alter Iacobus, pòst cum Simone Philippus
Vltimus est alter, non certè fandus, Iūdas.

DE CHRISTI GENEALOGIA.

MAtthæus quondam scripsit, Lucásque disertus:
Verùm non simili scripserunt ordine Christi
Natales, quibus ille Adami de sanguine fluxit.
Cur verò plures numerauerit ille parentes,
Hic contrà breuius numerum concludat auorum,
Expediam. Fluxu non dispare currit vterque,
Donec peruentum est clari Dauidis ad annos.
Tramite pòst bifido currunt, ac denique rursus
In Christo nostræ coëunt authore salutis.
Non secus ac fluuius partes dissectus in ambas,
In mare collectis tandem deuoluitur vndis.

A Quòd si tu nostris attentas vocibus aures
Præbueris, verum, quod diximus, esse videbis.
Ex Dauide Nathan fluxit, Salomónque parente,
Quorum alter, veluti magno de flumine riuum,
Sic traxit regale genus, sceptrúmque superbum:
A patre sacrificum duxit genus alter eodem.
At Christus simul & princeps erat, atque sacerdos.
Ergo Matthæus, diuino numine pulsus,
Enumerat Salomontiadas, seriémque nepotum
Hinc trahit: at contrà Lucas Salomone relicto
Arripit insignem Nathanum, Nathaníque nepotes.
B Ex duplici porrò genere haud mireris oportet,
Vberioris aquæ si riuulus alter ab illo
Manet, ab hoc rursus currat contractior alter.
Quanquam si nobis rectè propriéque loquendum est,
Haudquaquam magis hic contractis labitur vndis:
Sed genus hoc tantùm numero minus, amplius illud.
Sic primò sectum genus est, ac deinde coiuit.
1 At [1] quonam pacto duplici patre fluxit Ioseph?
Lex ea Mosis erat, si quem mors atra tulisset,
Hebræa de gente satum, natísque carentem,
Protinus vt frater, vel sanguinitate propinquus
C Vxorem extincti capiens, censúmque, domúmque,
Funderet huic sobolem, ne nulla prole relicta
Obrueret totum tumulus cum corpore nomen.
Quare de Christo arcanum mihi tale repertum est.
Mathanus eximia Salomonis stirpe creatus,
Esthæ iunctus erat: quo cæca morte perempto,
Duxit eam Melchi, Nathanæo sanguine cretus.
Mathanus hac genuit Iacobum, Melchius Elim,
Quem rapuit nulla mors horrida prole relicta.
Ergo domum illius capit vxorémque superstes
Iacobus, frater tantùm maternus, eique
Iosephum genuit. sic Ioseph filius eius
D Verus erat: tamen hunc tribuit lex optima fratri.
Atque ita Matthæus naturam scribere Christi
Instituens, veram seriem numerauit auorum:
At Lucas populi legem ritúmque notauit.
Quare ne verbis concordia scripta lacesse.
Cur genus à magno deducit Dauide Christus,
Visus vt est nostro Deus immortalis in orbe,
Progrediens castæ per viscera sancta parentis?
Cur pater illius Ioseph de more vocatur,
Cùm non Iosepho, sed sit de virgine natus?
Ex Maria porrò Leuides. namque ab Arone,
E Qui Leui de stirpe fuit, genus ipsa trahebat.
Angelus est testis. siquidem natale propinquum
Dum præcursoris diuæ narrare parenti
Pergit, ab excelso demissus vertice cœli,
Ambas ad veterem matres reuocauit Aronem.
Nil porrò commune tribus regalis habebat
Cum sacra, inter se thalami nec iure coibant.
Falsum. Nam quamuis distincta erat vtraque classis,
Vtraque iure tamen thalami persæpe coiuit.
Namque prius natam thalamo sibi iunxit Aronis,

Nasson ab illustri qui sextus fluxit Iüda: A
Atque itidem Assyriæ postquam manus impia ferro
Euertit Solymas, tum nec distinctio certa
Seruata est tribuum, generis nec sectio prisca.
Sic ille ex Maria regali est sanguine cretus.
Dic age, quo pacto Iosephum habuisse parentem
Creditus est? Magnus regeret cùm legibus orbem
Augustus, cunctos perscribere nomina iussit.
Ergo suum quisque in prima cùm nomen in vrbe
Scriberet, extemplo Ioseph cum coniuge casta
Dauidicam, in tabulas vt nomen vtrumque referret,
(Vna etenim tribus amborum) perrexit in vrbem.
Hicque orbis dominum peperit sanctißima virgo. B
Sic etiam ad claros reges ex parte paterna
Ipse sui generis ducit primordia Christus.
Quinetiam inuerso Christi genus ordine Lucas
Tradidit, à Christo incipiens, in Adámque quiescens.
Contrà Matthæus, dum telam orditur eandem,
Incipiens ab Adam in Christo finiuit Iësu.

Hoc loco totam Christi Genealogiam, vt est apud Matthæum & Lucam, versibus prosequutus est Gregorius. Nobis eandē carminibus exprimere minimè placuit: tum quia eam cuiuis ab Euangelistis petere licet: tum quia tota Hebraicis nominibus constat, à quibus vix dici potest, quantùm Latinæ Musæ abhorreant. C

SCHOLIVM.

1. *At quonam pacto) Quoniam res hæc aliquanto obscurior est in carmine, breui tabula eam illustrare conabimur.*

Dauid		
Salomon	*Nathan*	
Vicesimus tertius à Salomone		*Trecesimus ab hoc*
Mathan, vxorem duxit Esthan, ex qua natus est		*Melchi, mortuo Mathan, eandem Esthan accepit, ex eáque nascitur*
Iacob.		*Heli, qui sine liberis moritur. Iacob itaque frater accepta ex legis præscripto ipsius vxore genuit ei Iosephum.* D

Ioseph igitur verus Iacobi filius fratri ascribitur.

Altera sequitur tabula ex Damasceno collecta lib. 4. cap. 15 de Orthod. fide.

Dauid		
Salomon à quo vicesimus tertius		*Nathan à quo tricesimus quintus*
		Leui ex quo duo liberi nascuntur.
Mathan, ex quo vxor peperit Iacobū, mortuoq; marito nupsit Melchi, ex quo Heli procreauit	*Melchi*	*Penther ex quo*
		Barpenther, cuius filius fuit
		Ioachim, ex quo
Iacob *vterini fratres*	*Heli*	*Maria Deipara.*

Reliqua cum priore tabula consentiunt. Hoc autem, inquit August. lib. 2. retract. in eorum libris inuentum est, qui recenti memoria post Ascensionem Domini de hac re scripserunt. Nam etiam nomen eiusdem mulieris, quæ peperit Iacob patrem Ioseph de priore marito Nathan, qui fuit pater Iacob, auus Ioseph secundum Matthæū, & de marito posteriori Melchi peperit Heli, cuius erat adoptiuus Ioseph, non tacuit Aphricanus. E

MIRACVLA CHRISTI SECVNDVM Matthæum versibus Elegiacis.


HÆc quæ mortali Christus cum carne patrauit,
Matthæus sacræ prodidit historiæ.
Depulit informem primùm de corpore lepram:

Atque

A Atque tulit famulo centurionis opem.
Inde socru Petri violenta febre leuata
Ventos & fluctus comprimit æquoreos.
Dæmonas in porcos Gerasenis mittit in aruis:
Sustulit & lectum qui resolutus erat.
Profluuium sistit mira virtute cruentum.
Et redit ad lucem principe nata viro.
Lucem restituit cæcis, satanáque fugato
Mutus inassuetos edidit ore sonos.
Soluitur extemplo grauibus manus arida vinclis:
Et presso à Satana vóxque sonúsque redit.
B Bis senos cophinos & millia quinque virorum
Expleuit quinis panibus appositis.
Hinc pedes assequitur, res nunquam audita, carinam:
Et cedit pedibus vis truculenta maris.
Soluitur hoste malo Chananæa matre creata,
Mater vt obnixas misit ab ore preces.
Panibus ex septem turbis septena redundat
Sporta, quatérque fames mille fugata viris.
Diuinam formam assumit, Solísque videtur
Lumine discipulis clarior ipse suis.
Inde piis precibus flexus lachrymísque parentis,
C Lunæ actum morbo liberat horribili.
His ita patratis Ierichuntia mœnia linquit,
Et binis aperit lumina clausa viris.
Mox etiam cæcis affusa luce medetur:
Et claudis pedibus fert miseratus opem.
Sed prius à sacra commercia depulit æde,
Quæstúsque impuros, sacrilegámque manum.
Bethania Solymas pergens arescere ficum
Imperat, hanc omni fruge carere videns.
Denique dum lumen moritur, caligo coorta est:
In partes velum scinditur atque duas.
D Concutitur tellus, scinduntur saxa dolore:
Et linquit tumulos excita turba suos.
Hic verò, vt primùm lux tertia fulsit in orbe,
Surrexit, tumulo prosilitque suo.
Discipulísque suis Galilæa rursus in ora
Spectandum sese non semel exhibuit.

CHRISTI PARABOLAE ET AENIGMATA secundum Matthæum.

ACcipe iam, siquidē iuuat hoc quoq; discere, quidnam
E Obscuro Christus tradidit eloquio.
Fundamenta domus tenera iaciuntur arena:
Semen idem in varios decidit atque locos.
Semen item egregium, cui noxia miscuit hostis:
Et sinapis granum tollit in alta caput.
Conditur in molli fermentum insigne farina:
Propter thesaurum cedit ager precio.
Margaris hinc sequitur, cuius mercator amore
Prædia cuncta lubens vendit, opésque suas.
Omnigenos pisces alto trahit æquore rete:
Errabunda humeris tollitur atque pecus.

A

Crudeli seruo dominus se præstat acerbum:
Postremis merces soluitur æqua viris.
Disparibus natis mandatur cura colendæ
Vitis: & hæredem gens scelerata necat.
Regia conuiuis impletur mensa coactis:
Virgineúsque faces grex vigil vsque gerit.
Committit Dominus seruis non æqua talenta:
Læua hœdi, dextra parte locantur oues.

CHRISTI MIRACVLA SECVNDVM MARCVM

B

MArcus at Ausoniæ Christi miracula genti
Hæc memorat, Petri nixus sermone, fidéque.
Viribus eiicitur Christi cum dæmone febris,
Lepra cadit, paralysis abit, manus arida tensa est.
Et furor æquoreus cum tempestate quiescit:
Victa fugit Legio. siccatur vena cruenta.
Tum Iairi natam mediis è faucibus orci
Extrahit, & luci reddit charóque parenti.
Pòst pelagi rabiem vinxit, sæuásque per vndas
Incedit siccis pedibus. Tum deinde fugato
Dæmone, sanatur mulier Phœnissa, deditque
Sidoniis grande hoc facinus, Tyriísque prophanis. C
Hinc surdo & muto linguámque aurésque recludit.
Septenis rursus turbas expleuit inanes
Panibus. & cæco charissima lumina reddit.
Augustóque suo radios è corpore mittit.
Et Satana eiecto depellit vincula linguæ.
Bartimiúsque etiam cæcus Ierichuntis ab vrbe
Amissam lucem recipit, fructúque carentem
Omnipotens ficum Christus sterilescere iussit.
Tum iuxta templum cæcis claudísque medetur.

CHRISTI MIRACVLA SECVNDVM LVCAM.

D

BIs septena refert Lucas miracula Christi,
Egregium Pauli tutus ob auxilium.
Et febris, & dæmon, par-alysis, lepráque Christo
Cessit. & est properè mortua tensa manus.
Centurionis adhæc famulum iam morte propinqua
Roborat, & natum restituit viduæ.
Pòst illam, egregium pedibus quæ infuderat vnguen,
Abluit, offensas sustulit atque graues.
Ventorum rabiem sedat fluctúsque minaces:
Cogitur & Legio carpere victa fugam. E
Sanguineum sistit fluxum, Iairóque parente
Prognatam mortis faucibus ille rapit.
Hinc homines magno nutrit bonus agmine, quinque
Panibus & geminis piscibus appositis.
Emicat augusto rutilans è corpore fulgor:
Et satanam à puero cogit inire fugam:
Ac iubet obsessa muti decedere lingua:
Afflictúmque caput fœmina prona leuat.
Hydropis grauidum pellit de carne tumorem:
Leprosisque decem discutit ipse luem.

Dum

A Dum quoque vicinam tendit Ierichuntis ad vrbem,
Quæsitam cœco fert miseratus opem.
Denique, more nouo quæ tum sunt edita, Christum
Cùm duræ affixit perfida turba cruci.
Vtq; etiam ad lucem deuicta morte resurgens,
Discipulis patuit non semel ipse suis.

PARABOLAE SECVNDVM LVCAM.

LVcæ has videbis in notis parœmias.
In rupe prudens vir domum certam exstruit.
Qui plura cepit, diligit feruentius.
B Iactúmque variis spargitur semen locis.
Plagas viator accipit perquam graues.
Tum verò amici nocte qui pulsat fores,
Instanter orans obtinet quod postulat.
Dæmon fugatus in domum, quam liquerat,
Maiore rursus cum manu reuertitur.
Quid gratulatur vberum spe fructuum
Sibi sceleratus, nec miser capiti videt
Mortem imminentem? Ex nuptiis cùm rex bonus
Redibit ad nos, ne sopor nos opprimat.
Munus minister expleat rectè suum.
C Fimo iuuetur fructibus ficus carens.
Sinapíque, fermentum, & inopes in nuptiis.
Simul vt reperta drachma, ouísque perdita,
Magnum excitatur gaudium & plausus statim.
Lapsus parentem filius fletu mouet.
Partem remittit debitorum villicus,
Dominúmque furto prouido fallit suum.
In morte felix Lazarus, diues miser.
Precibus fatigat iudicem vidua improbis.
Tum Publicanus & Pharisæus arrogans.
Seruis minas dat dominus augendas decem.
D Mali coloni filium hæredem necant.

CHRISTI MIRACVLA SECVNDVM IOANNEM.

IOannes Christi miracula pauca recenset:
At quæ diuino mortalibus edidit ore,
Plurima verba refert. Primum mirabile Cana
Vendicat, ex liquidis cùm vinum expromitur vndis.
Dixit, & extemplo curatur regia proles.
Panibus hinc quinis satiat laudabile vulgus.
Atque per iratos figit vestigia fluctus:
Discipulósque suos fulcit, saluósque tuetur.
E Pòst verò hunc curat, qui matris cæcus ab aluo
Exierat, simul ac cœno conspersit ocellos.
Quarto à morte die deuicta morte resurgit
Lazarus. Ipse etiam pro nostro crimine Christus
Interit, & viuis rediens ad lumina vitæ
Sæpe suos inter fidos versatur amicos.

PARABOLAE QVATVOR EVANGELISTARVM.

PRô superi, quantùm vereor, ne fortè salutis
Læuus in instabili iaciens fundamen arena

Obrutus imbre cadam, fluuiisque & turbine venti: A
Aut, velut in siccam venientia semina terram,
Protinus ipse quidem exoriar: sed Solis acutis
Percussus radiis siccer, moriárque repente.
Aut etiam placido recreanti membra sopore
Inserat impurum semen mihi liuidus hostis,
Pinguia zizanium qui fundit in arua nociuum,
In proba neue prius mittens atque improba dextram
Semina, quam messem veniens clamauerit æstus,
Cum tristi lolio semen laudabile perdam.
Pauci namque manus norunt adhibere peritas,
Hîc vbi vicina est vitio pulcherrima virtus. B
Quinetiam sinapis semen laudabile duco,
Quod licet exiguum primò, tamen arboris instar
Crescit, & in tantum latissima brachia fundit,
Vt volucres in ea soleant sibi fingere nidos.
Margare mirifici preciј, miréque refulgens,
Quis det, vt ipse tui magno correptus amore
Mercator bonus ille fiem, rebúsque caducis
Omnibus hanc animam redimam, sedésque beatas:
Diuitiisque omnes, qui vitæ luce fruuntur,
Exuperem. aut etiam defossum nactus in agro
Thesaurum, cursu properato mercer agellum. C
Quinetiam mundum includens mihi nota sagena est
Quam circum, ætherei dum Regis iussa capessunt
Expiscatores hominum, sua retia tendunt,
Exque trahunt fundo pelagi tradúntque Tonanti
Fluctiuagæ salso natitantes gurgite vitæ.
At tu cùm bina capturam parte secabis,
Ne velut insipidum bone me Pater abiice piscem:
Quin potius vasis cœlestibus iniice, magno
Seruandum Regi. Simul vt lucescere cœpit,
In Domini vitem summo regnantis olympo
Sim licet ingressus, plures tulerímque labores: D
Præmia postremi referant tamen æqua laborum.
Namque quid inuidiâ stimuler, si, iudice Christo,
Corporis æquatur laudanda cupido labori?
Ad vitis cultum natos pater ire iubebat:
Annuerat senior, verùm promissa fefellit:
Abnuit inferior, verùm meliore recepta
Mente sui promptus genitoris iussa peregit.
At, nisi fallor, erit iucundior ille parenti,
Qui simul & sese promisso obstrinxit, & omni
Id quod promisit studio præstare laborat.
Hæredem iugulent, quos vindex flamma peruret.
Nati connubium celebrat pater, atque superbas E
Regalésque omnino epulas festiuus adornat.
His vtinam intersim, cunctisque accumbere detur,
Queis mea chara salus. Ille excludatur ab aula,
Qui vel agrum, geminósve boues, thalamíve iugatam
Fœdere, non epulis dubitat præponere sanctis.
Atque etiam grauiter metuo, cùm cætera turba
Connubiis digno decoretur corpus amictu,
Ne, quia pannoso sordet mihi corpus amictu,
Protinus abripiar, manibus pedibúsque reuinctis,

Et

A Et thalamo atque epulis charísque extrudar amicis.
Aut cùm casta decas, priuans sua lumina somno,
Ardentésque faces gestans, perfusáque luce
Ætherea Christum venientem ex arce manebit,
Vt splendens claro, sicut decet, obuia fiat,
Adnumerer stultæ classi tenuémque micantem
E facibus lucem cernens iam fortè propinquo
Principis æterni gnato, languente lucerna
Tum serò infelix oleum vitale requiram,
Et foribus clausis thalamo miser arcear illo,
In quo pectoribus puris commixtus amore
B Christus splendorem tribuit, decus atque perenne.
At cùm grex ouium nigris dirimetur ab hircis,
Horrendóque die tandem consistet vtrinque
Iustorum cœtus perdendáque turba malorum:
Hircorum in numero ne me Deus optime, quæso
Pone, sed inter oues, manuíque adiungito dextræ.
Læua relinquatur miseris, qui numinis iram
Criminibus meruere suis, flammásque calentes.
Luceat exteriùs modio non tecta lucerna.
Nec tamen humanos quisquam sibi quærat honores,
Laudaríque velit. satis est, vt cognita nostra
C Sint benefacta Deo, totum qui perspicit orbem.
O vtinam Christi magis ac magis vrar amore,
Seu lætos rerum successus, seu quid acerbi
Miserit. Est etenim quicquid manus illa supernè
Humano generi mittit, faustúmque bonúmque.
Quòd si Christicola forsan digressus ab vrbe
Vulnerer infandis manibus spoliérque latronum,
Ne sine sacrilegis miserum procumbere dextris.
Quòd si etiam grauibus Satanæ tua gratia vinclis
Soluerit hanc animam, ne rursus nactus inertem
Perfidus inuadat magna comitante caterua.
Ne sterilem ficum euulsam radicibus imis
D Perde Pater, sed adhuc spera meliora, tuáque
Erige labentem cura, sterilíque medere.
Tum drachmam nactus pecudémque in montibus altis
Errantem, natúmque suas qui turpiter omnes
Consumpsit fugitiuus opes, in tecta paterna
Christe reduc, natísque iterum drachmísque ouibúsque
Annumerare velis, primáque in sede locare.
Cùmque mihi dominus debenti plurima sese
Præbuerit facilem, noménque remiserit omne,
Non sinat Omnipotens, vt sæua mente reposcam
Debita, queis conserua mihi est obstricta caterua.
E Atque vtinam Domino prudenti debita mente
Imminuam, & duris quæram solatia rebus.
Lazarus in terris, supero sim Lazarus orbe:
Turgeat hîc alius fastu, frontémque superbam
Tollat, & æterno viuat contemptus in æuo,
Pro luxu flammæ subiens tormenta perennis.
Néve meæ vanus texam præconia laudis,
Cùm vitiis scateam, cùm sim miser ille Telones:
Sed lachrymis moueam Dominum, veniámque rogando
Obtineam, miseréque cadat Pharisæus inanis.

Quòd si cassa viro foribus muliercula nostris A
In vanum adiaceat, vel cùm cerealia supplex
Munera vel piscem poscat, crudelis in illam
Haud dubitem durum lapidem iactare, vel anguem,
Non aliter mecum faciat dominator Olympi.
Quòd si nostra graui partim sint obdita claue
Horrea, venturis partim noua frugibus amens
Ædificem, nox hæc méque & mea somnia perdat.
Nec mihi, quod bonitas tribuit diuina, talentum,
(Plura licet dederit reliquis) tellure profunda
Occultem: verùm sortem cum fœnore reddam: B
Méque Deus magno cœli dignetur honore,
Non autem probrum subeam pœnásque futuras.

GREG. NAZIANZENI
IN LAVDEM VIRGINITATIS.

ARGVMENTVM.

Hoc tractatu disputatur, vtra vita sit præstantior, cœlebs an coniugata. Quod vt magis perspicuum fiat, postquam Virginitatis laudes altiùs repetiuit Gregorius, per prosopopœiam vtramque vitam inducit causam suam disceptantem. Tandem vincit cœlibatus. Meminit huius poematis D. Hieronymus in Catalogo. C



Expertem thalami nostris redimire corollis
Vitam fert animus, puróque ex pectore puros
Hymnos & laudis meritos effundere versus.
Hoc etenim nostræ donum est memorabile vitæ
(Electro atque ebore & fuluo splendentius auro)
Terrenam vitam queis struit firmus & ardens
Virginitatis amor, mentes ad sidera tollens.
Laudis ad exorsum vestro mea gaudia plausu
Excipite ô puræ mentes & corpora pura.
Namque omnes æqué laus hæc pietatis alumnos
Afficit. At quisquis misero liuore teneris, D
Sis procul, atque aures ad nostros obstrue versus
Aut illas si forte aliquis patefecerit, ima
Mente prius curet fœdas abstergere sordes.
Salue Virginitas, diuino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, & spiritibus sociata supernis,
Ignaris thalami. nam magnus coniugis expers
Est Deus, atque Dei rutilans chorus omnipotentis. *Deus & angeli coniugij expertes*
Luminis ille quidem fons est luménque perenne,
Quod verbis nequit efferri, manibúsve teneri.
Sed celeri cursu mentem fugit, atque propinquis
Ex oculis hominum semper subducitur, vt nos
Ad noua semper amor fastigia, sumptaque flamma
Pertrahat. Hi verò sunt proxima lumina, primo
A Triadis sanctæ lumen fulgore trahentes,
Quæ lumen splendore suo supereminet omne.
Prima Trias virgo est. Siquidem Patre natus Anarcho
Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab vllo,
(Vt pote principium rerum, & vitalis origo)
More nec humano generauit semine natum:
Sed velut igniculos videas ex igne micantes.

A At verò ex Nato non iam progignitur alter
Filius, æqualem qui patri carpat honorem.
Nam totus manet ille Pater, manet hic quoque totus
Filius, ex solo solus, cùm Pneumate sacro,
(A Patre quod supero, similis tamen omnia Patri,
Progreditur) iuncti natura. nam Deus vnus
Vnúmque in triplici collucet lumine numen.
Ac talis Triadis natura est vndique puræ.
Ex illa porrò certissima lucis origo
Cœtibus angelicis: mortali lumine cerni
Qui nequeunt, sedémque Dei soliúmque beatum
B Cingentes (leuius nil namque est mentibus illis,
Pneumata sunt etenim, flammæq; per aëra purum
Currentes) promptè sublimia iussa capessunt.
His non connubium, non curæ, ægríque dolores,
Non motus turbas miseras in corde cientes.
Non etiam membris dirimuntur, & ædibus. omnes
Inter se miro iungit concordia nexu.
Idem quisque sibi: natura est omnibus vna,
Vnáque mens, similíque Dei rapiuntur amore.
Nec verò gnatis charísque vxoribus illi
Gaudent, ac dulci exercent sua membra labore.
C Non illos inflammat opum væsana cupido,
Nec quæcunque mali parit irritamina tellus.
Non pelagus sulcant ratibus, nec vomere terram
Proscindunt ventris causa, mortalibus ægris
Primigena qui fraude mali genus omne creauit. Venter malorum principiũ.
Optimus hic cunctis cibus est, vt numine summo
Exsatient mentem, Triadísque ex lumine lucem
Immensam excipiant. Sunt porrò coniugis omnes
Expertes, puri regis puríque ministri.
His mens & simplex natura est, atque corusca.
Non à carne fluunt (namque omnis carnea moles
D Postquam concreuit, certæ est obnoxia morti:)
Nec rursus carnem subeunt nec corpora crassa,
Sed tales remanent, quales sunt antè creati.
Huius Virginitas classis, promptissima cœli
Semita, consilijsque Dei sapientibus hærens,
Qui clauo latum sapienter dirigit orbem,
Humanúmque genus, cœlo terráque profectum,
Magnanimum, ærumnásque ferens, laudémque decúsque
Principis ætherei. Sed iam mysteria magni
Carminibus veneranda Dei nunc persequar, vtque
Candida Virginitas postremis fulserit annis.
Omnia nox quondam tenebris horrenda tegebat,
E Non erat auroræ splendor, non Phœbus Eois
Partibus exoriens currus agitabat equorum:
Gloria nec noctis radiabat in æthere Phœbe:
Sed confusa simul temerarius omnia motus
Voluebat, grauibus tenebrarum vincta catenis,
Quas chaos antiquum toto diffuderat orbe.
At tu consilio parens, bone Christe, paterno
Singula sede sua rectè discreta locasti.
Condita principio lux est, vt gratior esset
Tota operis moles, iucundo lumine fulgens.

A

Postea tornasti (facinus mirabile!) cœlum,
Perspicuum Solis radiis lunæque rubentis.
Namque illum sparsa iussisti luce per orbem
Fulgere humano generi, cursúque notare
Horas, atque suo distinguere tempora motu:
Hanc itidem fuso tenebras splendore fugare,
Et proferre diem repetita luce secundum.
Quin iussisti etiam terram subsidere cœlo,
Finibus & terræ furibundas æquoris vndas
Iunxisti, terrámque mari. nam maximus illam
Oceanus cingens gelidis circumfluit vndis.
Atque ita mundus erant hæc omnia, florida tellus B
Et cœlum, & pelagus, cœlum fulgentibus astris
Exultans, tellus animantibus, & mare vastum
Piscibus immensi sulcantibus æquoris vndas:
Quæ Pater excelsa postquam prospexit ab arce,
Chari gaudebat Nati concordibus actis,
Quærebátque aliquem, regeret qui terrea sceptra,
Nosceret ac summam Sophiam, rerúmque parentem.
Talia dehinc fatur, iam puri æuóque perennes
Cultores habitant excelsa palatia cœli,
Scilicet Angelici cœtus, mentésque beatæ,
Atque meam celebrant mansuram in sæcula laudem. C
Quinetiam tellus ob bruta animantia gaudet.
Nunc mihi conflatum genus ex vtrisque creare
Fixum animo est hominem, rationis lumine clarum,
Inter mortales medium, mentésque supernas,
Qui læto mea facta animo consideret, atque
Ardua siderei discat mysteria cœli,
Terreáque imperio teneat, sitque angelus alter.
E terra mentémque meam dextrámque potentem
Laudibus assiduis celebrans, cantúque sonoro.
Hæc ait, & terræ, quam paulo struxerat antè,
Hominis creatura. Particulam quandam capiens, limúmque tepentem D
Æternis manibus corpus mortale creauit,
Exiguámque suæ vitæ partem indidit illi:
Pneuma etenim infudit, quod numine fluxit ab alto.
Sic partim terra, partim spiramine molli
Primus homo efficitur, Patris immortalis imago.
Nam princeps mentis natura in vtroque relucet.
Quo fit vt ex duplici vita mihi corporis ergo
Altera perplaceat: magnáque cupidine rursus
Propter diuinam me vulneret altera partem.
Ast vbi figmentum in terra cœleste videri,
Et viridis pulchro Paradisi cœpit in horto E
(Nec dum etenim similis referens vestigia formæ
Vlla erat adiutrix vitæ, consórsque laboris)
Protinus aggreditur facinus mirabile Verbum.
Quæ creatio. Namque hominem primum, quem, latum vt cerneret orbem,
Condiderat, vitæ semen genitale, meíque
Radicem generis, partes discindit in ambas,
Et tenerum costa truncatus latus illius vna,
Fœmineum mira in lucem genus edidit arte,
Ambobúsque parem miscens in pectore flammam
Iussit in amplexus ínque oscula mutua ferri.

Nec

A Nec confusa tamen permisit corpora iungi,
Concubitúque vago: sed frænum iniecit amori
Coniugium, carnis temerè immodicéque vagantis
Vincula: ne petulans atque effrenata libido,
Nobis inter nos nullo discrimine iunctis,
Ex libito coitu, thalami nec lege iugato,
Rumperet humani generis consortia sacra,
Ac temerè indomitéque ruens incerta voluptas
Innumeras turbas atque horrida bella moueret.
Ergo dum generis tellus erat indiga nostri,
Nec decus illa suum mundúmque acceperat omnem,
B Atque etiam culpáque sua, sæuíque draconis
1 Inuidia,[1] vetitum ligni exitialis ob esum
Infelix Adamus Paradiso pulsus amœno
Pelliceo in terram cecidit depressus amictu:
Tantisper quoque mollis erat coniunctio carnis
Optima, connubiúmque ferax, luctúsque iugalis.
Namque aliis morti iugulum præbentibus atræ,
Vitalésque aliis rursus carpentibus auras,
Vita trahebatur violenti fluminis instar,
Labilis ob duræ fatalia spicula mortis,
Fixáque perpetuo numerosæ semine prolis.
C At postquam terræ gremium, finésque remoti,
Ortúsque Occiduúmque latus, quáque humidus Auster
Et boreas flatu glaciali concutit orbem,
Impletum est genere humano, vitiísque nefandis
Corporeæ cœpit massæ ferueſcere cœnum,
Pluribus atque modis domitum genus antè rebelle,
(Dissectis linguis, & aquis, & vindice flamma,
Et scriptæ legis, documentis, atque Prophetis,)
Excutere antiquæ renuebat vincula noxæ,
Quin potius firmis carni complexibus hærens
In Bacchum & Venerem simulachráque muta ruebat,
Consilio tandem magno nutúque parentis
D Atque opera Nati talem sortitur honorem.
Namque Deus quicquid cœleste in carne locarat,
Totum pestifero lacerari crimine cernens,
Obliquúmque hominum generi dare iura draconem:
Vt nos afflictos vitiis miseréque iacentes
Erigeret, non iam morbi committere curam
Sustinuit medicis aliis (nam parua medela
Pellendis grauibus non est accommoda morbis)
Sed sese euacuans (licet immutabilis esset — Christi incarnatio.
Et cœli dominus Patris & cœlestis imago)
More hominum simul, & mortali lege reuulsa,
E Virginis in casto conceptus ventre puellæ
(Res mira infirmis animis, terræque volutis
Non factura fidem) Deus & mortalis in orbem
Venit, naturam duplicem complexus in vnum.
Altera mortales hominum fugiebat ocellos:
Altera perspicuo feriebat lumina sensu.
Illa Deus sublimis erat, dominator olympi:
Hæc nostræ causa tandem producta salutis,
Tunc cùm mortali Deus est in corpore iunctus,
2 Vnus[2] vtrinque Deus. Deitati namque beatæ

Iunctus homo, deitásq; homini simul addita, Christus. A
Hac porrò ratione noua est commixtio facta,
Quòd prior à nobis fœdè calcata fuisset.
Primùm ego diuinæ traxi spiracula vitæ:
Pòst animam Christus suscepit, & omnia membra
Corporis, atque Adamum subiit, sed qualis in ortu,
Cùm nondum vitiis infectum pectus haberet,
Nec dulci alloquio diri serpentis & astu
Pellectus, Pomum, Stygiámque in viscera mortem
Misisset, supera sed mentem pasceret esca,
Simplicibúsque cibis meditans cœlestia, clarus
Discipulúsque Dei, diuináque sola volutans. B
Hunc renouare volens humanum Christus in æuum
Prodiit, vt pugnans, & acerba morte latronem
Crudelem superans, & gustu fellis amari
Pestiferum ligni gustum, dextrásque nefandas
Clauis, & dulcem sancta crucis arbore plantam,
Atque salutiferæ crucis alto stipite terram,
Vitæ Adamum antiquæ reddat, lucíque priori.
Quinetiam expandens sacrati corporis artus
In fines orbis, mortale ex finibus orbis
3 Collegit genus[3], atque hominem contraxit in vnum,
Et mediis magnæ posuit deitatis in vlnis, C
Expurgans fœdas agnino sanguine labes.
Ac scelus è medio tollens quod clauserat astra.
Quis reperire tuæ bone Rex, queat abdita mentis,
Cui pluuiæ guttæ, cui cognitus omnis arenæ
Est numerus ventíque viæ? Quis noscere magni
Ardua consilii rursus vestigia possit?
Omnipotens, qui cuncta vides, & cuncta gubernas,
Quæcunque hic mundus claudit latissimus, in te
Mens hominum defixa breui splendore refulget:
Non secus ac fulgur rapidum, quod protinus ortum
Protinus emoritur, perstrictáque lumina linquit. D
Nec tamen hoc dubium est, quin per tua vulnera nobis
Reddita libertas fuerit, vitæque prioris
Sordibus excussis æuo meliore fruamur.
Ac priùs in terra spargebat semina mundus,
Atque ingens mundi cingebat turba tyrannum,
Quam vafer à magno distractam rege tenebat:
Nunc autem fœdo vitiorum gurgite Christus
Extractam, Regi, melioríque asserit æuo.
Illud connubium, contrà hoc mortalibus affert
Splendida virginitas. terræ decus illud: at ista
Numinis est summi, latéque patentis olympi. E
Simile. Vt verò in tabulis pictor dum corpora fingit,
Obscuris primùm ora notis leuibúsque figurat,
Mox formis studet omnigenos adhibere colores,
Atque opus incœptum numeris polit omnibus artis:
Sic quoque virginitas, magni pars inclyta Christi,
Antè quidem vmbroso in paucis splendore micabat,
Dum Lex iura daret terris, & in orbe vigeret,
Exiguis spectanda notis, paucísque liceret
Lucis ad internæ radios penetrare micantes.
At postquam Christus per castæ viscera matris,

Absque

A Absque patre & tedis vitæ progressus in auras,
Lustrauit muliebre genus, primámque parentem
Depulit, & carnis leges abscedere iussit,
Spirituíque nouo submisit littera fasces,
Gratiáque in medium venit: tum denique nostro
Virginitas generi præclaro lumine fulsit,
Instabilem mundum abrumpens, abruptáque mundo:
Connubium tantum exuperans, & vincula vitæ, Virgin. con iugio præstantior.
Quantùm animus carni præstat, conuexáque cœli
Regia tellurem superat, quantóque fugaci
Illud in æternum durans præstantius æuum est,
B 4 Quantò mortali melior Deus[4]. Ac chorus ingens,
Carpere quem nequeas, regem lætissimus ambit,
Cœlestis, studióque omni Deus esse laborans,
Christifer, atque crucis seruus, mundíque ruentis
Contemptor, tota meditans cœlestia mente,
Perspicuum lucis speculum, lux fulgida mundi:
5 Quíque[5] Dei, cuiúsque Deus, quem cernere gaudet.
Vos quibus est cordi thalamus, tedæque iugales,
Quæ sublime caput geritis, vultúsque procaces,
Intextúmque aurum gemmis, quæ mollibus artus
Vestibus integitis, prodite, & dicite primæ,
C Quæ bona coniugium pariat, quæ commoda portet:
Post autem innuptæ pro se quoque dicere parti
Fas erit. Ergo illæ tumido sic ore loquentur.
Audite, ô dulcis thalami charissima proles, Coniugatorũ Oratio.
Qui terram imperio terrenáque cuncta gubernat.
Nos, quibus est curæ thalamus thalamíque voluptas,
Legem, quam generi humano nostróque cruori
Numinis æterni soboles sanctissima fixit,
(Inde ex quo primùm lateri coniunxit amico
Primigenum illum Adamum, & costæ sociauit ademptæ,
Nempe hominem vt producat homo, natósque creando,
Mortalis licet ipse, tamen sibi proroget æuum,
D Vt solet in viridi reuirescere semen arista:) Simile.
Hanc legem & thalami genialia iura colentes,
Viuimus inter nos iunctim, terráque creatæ
Antiquam sequimur legem terræque Deíque.
Nam mentes, quæ cœlum habitant, sedésque beatas,
Coniugis expertes viuunt, motúsque, grauésque
Ignorant curas. Mortali sanguine cretis
Vtile coniugium est, ramorum certáque radix
Pulchrorum, dulcis vitæ columénque decúsque.
6 Ac [6] primùm Deus est rerum generator & author:
(Sis facilis mihi, Christe, tuas nam non nego leges
E Esse magis puras multo, quàm iura priora)
Mox amor & thalamus. nam terra, & pontus, & aër,
Munere connubii producta prole virescunt.
7 Quin, si vera ferunt, nec [7] palma libidinis expers.
Namque maritatæ sub verni temporis horam,
Egregios tum deinde solent producere fructus.
8 Quòd si etiam [8] ex coitu saxorum saxa creantur,
Vt memorant, lapidum quibus est perspecta facultas,
Res quoque tangit Amor rigidas, vitáque carentes. Coniugii commoda.
Sed quid ego externos verbis complector amores?

Perspice iucundæ quænam sint munera tedæ.
Quis Sophiam docuit? quis repperit abdita cuncta,
Quæ mare, quæ tellus, cœlúmque volubile claudit?
Quis grauibus claras instruxit legibus vrbes:
Oppida quis struxit? quis doctas attulit artes?
Quis fora, quísve domos impleuit, quísve palæstras,
Conuiuis epulas, armatâ bella cohorte,
Quis cœtúsque, Dei præconia magna canentes?
Quis sine connubio vitam morésque ferinos
Depulit, & docuit proscindere vomere terram?
Quis plantas serere, & nauem committere ponto,
Sulcantem gelidas rapidis Aquilonibus vndas?
Quis mare cum terris vndoso tramite vinxit,
Et multùm inter se disiuncta elementa ligauit?
Ac ne præsenti tantùm prodesse putetur
Coniugium vitæ, non hîc sua commoda sistit.
Nam merita illius multo maiora supersunt.
Præstat enim vt nobis aurésque manúsque vicissim
Atque pedes simus: languentes corporis artus
Roborat, ingentíque hostilia corda dolore
Angit, lætitiâ contrà diffundit amicos:
9 Afflictis animis [9] communis cura medetur:
Delectátque magis communis vtrumque voluptas.
Gratior in thalamo concordi copia rerum:
Rursúsque in thalamo melius toleratur egestas.
Tuta pudicitiæ, Veneris quoque, clauis vtrique
10 Coniugium, [10] obsignans violenti fœdus amoris.
11 Vnus [11] amicitiæ pullus, qui pectora saltu
Exhilaret, proprii sintque vnica pocula fontis,
Qui nec cuiquam alii pateat, nec diffluat extrà.
In thalamo concors animus, concordia membra,
Inque vices acuunt solidæ pietatis amorem.
Nam neque coniugium à Christo veráque salute
Abducit: verùm stimulos quoque subdit & vrget.
Simile. Vtque perexiguam venti vis paruula puppim
Incitat, expassis velis maria alta secantem,
Aut etiam remis impulsa, per æquora cursu
Fertur: at ingentem non fert leuis aura carinam,
Quæ nisi pergrauibus ventis agitata quiescit.
Sic etiam innupti, quoniam leuioribus æuum
Traiiciunt pedibus, leuiore videntur egere
Numinis æterni auxilio, afflatúque minore.
At qui consortem thalami, qui pignora chara
Curat, opésque suas, & vastum nauigat æquor,
Arctius ille Deo, quia pluribus indiget, hæret.
Hæc thalamus. Contrà manca est sine coniuge vita,
Dura, petens montes, improuidáque, & laris expers,
Non animi morbis adhibet senióque medelam,
Non facit vt primos vitæ renouentur ad annos,
Atque repubescant suscepta prole parentes:
Non dulcem in terra contendit figere vitam.
Non fora delectant miseram, non prodiga mensa,
Non epulæ: verùm in lachrymis luctúque perenni
Versatur, fluxíque horret contagia mundi,
Et cùm sit vitæ, tamen odit semina vitæ.

A Denique cum reliquis animo non viuit eodem.
Ac ne fortè thoro, virtutis amore, iugali
Abstineat quisquam, thalamo contermina virtus:
Non modò quòd sanctis thalamus mortalibus olim
Cunctis charus erat, contempta cœlibe vita,
Verùm etiam thalamo quia sunt genitore creati
Vates, sacrifici, doctores, & Patriarchæ,
Laurigeri reges, omni virtute grauésque.
12 Non etenim egregios homines[12], vt vasta gigantum
Corpora commemorant, luci dedit arida tellus,
Omnes sunt sacræ fœtúsque & gloria tedæ.
B Quis generi humano numen patefecit Olympi
Omnipotens, supera quamuis procul absit ab arce?
Quis mentes hominum diuino impleuit amore,
Et terra abstractas tulit ad præstantius æuum?
Quis claras animas purgauit sordibus atris?
Alma fides pietásque ad sidera vexit Enochum. Gen.5.
Noe perexiguo numero & semente natante Gen.7.
Mortiferis orbem totum seruauit ab vndis.
Inclytus Abrahamus, numerosæ gentis origo, Gen.22.
Haud trepidus natum mactandum admouit ad aram.
Quinetiam Moses miracula magna patrauit, Exod.7.9. & 10.
C Dum populum ærumnis, duráque tyrannide pressum
Extrahit, & sanctas leges, mandatáque saxis
Iura capit, numénque aduerso lumine cernit.
Inter sacrificos veteres fulgebat Aaron.
Et Phœbæ & Phœbo cursum produxit Iesus,
Dum sequitur fractas fusásque per arua phalanges. Iosu.10.
Tu quoque fidus eras, Anna prognate, sacerdos,
Et Domini Christis cornúque oleúmque ferebas.
Quid Dauid? regum quo non præstantior vllus.
Quid Salomon sophiæ vertex, omnésque prophetæ,
Ardentique Elias abreptus ad æthera curru?
Quis non suspiciat veterísque nouíque sequestrum Ioã. Bapt.
D Fœderis, & qui mox ventura luce suprema,
Nuncia læta ferens mortalibus antè cucurrit?
Quis non discipulos Christi, fidósque sequaces?
Quis non cœlipetæ robur mirabile Pauli?
Atque omnes alios, quorum clarissima virtus
Vel prius illuxit, vel nostro tempore fulget,
Præsidium fidei, plebis columen, decus orbis,
Quos omnes nobis Christus thalamúsque dedere?
Sed neque fœmineo in sexu, quotcunque potentem
Egregia pietate Deum coluere, fidéque,
(Quarum non paruum numerum Scriptura recenset)
E Sunt sine coniugio tam magna laude potitæ.
Vtque etiam in thalami quiddam genialis honorem
Altius adiiciam, licet omni labe carenti,
Attamen humano Christus se corpore iunxit,
Et desponsatæ per viscera casta parentis
Fluxit, coniugiique humani cum deitate
Dimidium iunxit. Sed & hîc quoque maxima nobis
Vis posita est, quòd si superet pars coniugis expers,
Huic tamen à nobis genus & vitalis origo est.
Non etenim ex agamis ortum traxere iugati:

Verùm illi contrà nexu fluxere iugali. A
Quocirca nati quamprimùm sistite pugnam.
Quanquam etenim patrum minimè vos nomen habetis:
Attamen à patribus traxistis semina vitæ.
Hæc vbi verba dedit, siluit pars coniuge gaudens.
Tum mœsto vultu, atque hirsutis horrida pannis,
Infirmis membris, macie confecta, pedésque
Nuda, solo fixis oculis immobilis hærens
Virginitas, paulùm diducens labra pudore,
Purpureóque suam perfundens sanguine frontem
E capite extracto clàm sese obuelet amictu.
Hanc igitur tali pauidam sermone cohortans B
Alloquar. O celsi proles generosa parentis
Interno splendore nitens, ô cœtibus adstans
Angelicis, regem laudantibus vsque supernum,
In terra licet ac mortali corpore versans:
Huc age, depositóque metu sancta ora resolue.
Ipse tibi patronus ero: nam tu mihi sanè
Tu mihi cœlesti venisti munere diua.
Sæpius atque vtinam venias, veniásque benigna.
Protinus hæc tales emittat pectore voces.
Quis verò inuitam me sedibus admouet istis? C
Quis vitæ probitate Deo seruire parantem,
Nocturnísque hymnis, sudoribus atque diurnis,
Atque piis lustris, lachrymarum & fonte perenni,
Ad pugnam & rixas verborum adducit inanes?
Non apud humanos vis nostra est atque facultas.
Non lingua valeo, strepitus nec quæro forenses.
Non animos etiam mihi gratia iudicis effert.
Iudicibus siquidem recti tenuissima cura est,
Perpaucísque viris. Nam partem in vtramque scelesti
Iustitiæ persæpe solent inflectere libram.
Sint aliis huius dulcissima commoda vitæ: D
Hæc lex vna mihi, scopus hic est vnus, amore
Vt correpta Dei terris excedere possim.
Cætera, queis vanè vanissima pectora turgent,
Quæque citò veniunt, subita pereúntque ruina,
Non magis afficiunt animum, quàm fumus inanis,
Quàm vapor & ventus, concussáque turbine venti,
Et passim distracta effusáque mollis arena,
Aut etiam in lato puppis vestigia ponto.
Atque apud humanos in gloria viuere malim,
Inter cœlicolas dum sit mihi gloria quædam:
Quàm terræ imperio fulgens procul arce superna
Excidere, atque Deo per sæcula cuncta carere.
At vereor ne quis non firma Virginitatis
Æthera percutiens ala, sermonibus istis
Concidat in terram pronus, cœlúmque relinquat.
Quocirca vt vobis, Christo donante, periclum
Submoueam, vestram aggrediar defendere causam.
Ac primùm dicam, quæ sunt dicenda parenti.
Vera quidem, fateor, carnis coniunctio, narras,
Mirificéque probo (namque hinc exordiar, vnde
Dicere cessasti) quòd radix Virginitatis
Coniugium. Radix namque est & origo perennis.

A (Ecquis enim sana genitores mente negarit?)
Attamen haud verè dixisti cuncta. sed æqua
Aure precor genitrix cordatum percipe dictum,
Ortúque in nostro sophiæ mysteria magnæ,
Abdita cœlestis mihi quam doctrina retexit.
Non homo totum hominem, veluti de more loquuntur,
Progignit: verùm crassæ tantummodo carnis
Est pater, & calidi dat semina prima cruoris:
Quorum vtrumque graui corruptum morte peribit.
Ast anima in corpus diuino condita flatu
Immeat externè (nouit rex ille supernus,
B Quo primùm pacto flauit, terræque iugauit
Augustam effigiem.) Porro ne dicere falsa
Censear, ipsa tuo locuples mihi testis amore
Esse potes: nec enim perfectus & integer ille est.
Non etenim natorum animas, sed corpora sola
Diligis, & magno, cùm sunt malè sana, dolore
Afficeris, rursus gaudes florentibus illis.
Nam multò grauius mentes vtriusque parentis
Excruciat vel parua lues quæ membra suorum
Inficiat, quàm magna animi labésque luésque.
Cur? quia non animas illi, sed corpora gignunt.
C Quòd si cùm mihi pars duntaxat vilior abs te
Nascatur, nomen tibi non inuita parentis
Ipsa tamen tribuo, quísnam tua pectora liuor
Occupat, vt priues natos meliore parente?
Ergo patri magno genitrix iam cede libenter,
Virgineæ meritos vitæ iam defer honores,
Vtpote quæ superum complectitur vsque parentem:
Hæc mihi sufficiat charæ dixisse parenti.
Ast ego, cœlicolæ soboles dulcissima Patris,
Hanc legem venerans humili tellure relicta
Tota immortalis Domini succendor amore,
D Quam satus æterno genitore ac cœlibe Christus
Instituit, tunc cùm paradisi in sede locauit
Primigenum illum Adamum, thalami consorte carentem.
Dehinc legem tribuens veneris præcepit ab vsu
Vt se plebs certis cohiberet tota diebus.
Quinetiam partus purgari lege recentes
Iussit, sacrificisque ornauit nobile templum,
Corpore qui puro diuinum munus obibant
Pro vice quisque sua. Testis mihi prodeat ille
13 Zacharias[13]. nec enim, quem sacra accepit in æde
Luminis immensi mundo iucunda ferentem
Nuncia, produxit natum, diuina priusquam
E Omnia virgineis celebrasset festa diebus.
Iam verò Christus, quo Lex veniente sepulta est,
Humano generi mixtus de Virgine fluxit:
Vergeret vt posthac in terram vxoria vita.
Ac sic illa quidem cessit, mundúsque repentè
Exoriens melior terris lucescere cœpit.
Et per primigenam gradiens mors aspera carnem,
Atque homines fluido nascentes semine patrum,
Ac prole educta linquentes lumina vitæ,
Virgineam in vitam misera incidit, atque necata est.

Patres, carnis tantum sunt patres.

Patres corpora sola filiorum fere diligũt.

Veteres sacerd. certis tẽporibus ab opere matrim. abstinebant.

Simile. Qualis in abruptos scopulos insana procella
Incidit, aut in aquas rapidissima flamma niuales.
Quis porrò latas vrbes infirmáque iura,
Atque forum lætus sequitur, fluctúsque feroces?
Publica quis magnis certamina laudibus effert,
Quæ propter iuuenes properata morte cadentes
Fabula confinxit? quis lautæ fercula mensæ
Prædicat, & sophiæ præconia pandit inanis,
Quæ partim in manibus, partim in sermone caduco
Est sita, qui subito natus vanescit in auras?
His inquam, quisnam gaudet, plantísque serendis B
Incubat, & pelagus gestit sulcare carina?
Non ea connubium docuit, sed paruula pars sunt
Huius supplicii, quo primi noxa parentis
Iudicio est mulctata Dei, quibus anguis acerbus
Obrepit, plantámque meam peruertere tentat.
Quòd si connubio cuiquam hæc tribuenda videntur,
Iam valeant, nec enim, mihi dum migrare necesse est
E vita atque hominum cœtu, comitantur euntem.
Sed quæcunque suo complexu terra coërcet,
Vel nunc, vel tandem mundo labente peribunt.
Fluxus enim fluxæ tu traiicis æquora vitæ,
Hanc leuiter tangens, celeri cursúque fluentem C
Præteriens. Quòd si claros probitate fidéque
Ex te progenitos gaudes, atque inde tumescis,
14 Quin [14] tu consimili vitium ratione malorum
Accipis? horum etenim radix es, certa parénsque
Ex te profluxítque Cain, Sodomæque coloni,
Quósque etiam aggressos sceleratam condere turrim
Diuisit Christus, quósque imber missus ab alto
Extinxit, terras simul atque animantia purgans.
Quisnam vipereum Pharaonem, Achabúmq; furentē,
Et regum Assyriæ rabiem nutriuit & iram, D
Et sæuum Herodem, pueros qui cæde nefanda
Sustulit, ac natæ lasciuè membra mouenti
Baptistæ caput, innocuum dedit atque cruorem?
Quis Christi regis summi, vitæque parentis
Carnifices, aliósque omnes, qui tempore primo,
Qui pòst, quíque etiam extremis crudeliter annis
Insigni pietate Deum studióque colentes
Iul. apost. 15 Vexarunt? quorum in numero [15] Iulianus habendus,
Vltimus ille quidem serie, sed crimine primus,
Haud dubium Sathanæ barathrum, pestísque animarum.
Quo, quia sacrilegis Christi tentauerat armis
Expugnare fidem, diuino vulnere cæso, E
Feruet adhuc cinis ipse, timor non paruus iniquis.
Quis reliquos memoret, quos iam dedit atque daturum est
Connubium mundo, mendacia verba loquentes,
Versutos, fœdæ maculatos crimine cædis,
Ore venenato periuria dira vomentes,
Raptores, thalamíque alieni iura terentes?
Simile. Perspicuum siquidem est cunctis, quòd puluis vt aurum
Excedit numero, sic iustos turba malorum
Exuperat: nec enim similis calcatur vtrisque
16 Semita [16] namque malis prona est atque vndique fusa:

Difficilis

A Difficilis contrà iustis, salebrosa, molesta.
Quô fit vt egregios homines manus impia multùm
Exuperet. Quòd si de te sentire superbè
Ob sobolem tandem cesses, vitámque superno
Coniunctam regi mancam infirmámque vocare,
Hîc finem faciam. dubiam tibi carpere laudem
Iam liceat. nec enim terreno filia patri
17 Inuideo. Verùm [17] si summo nata parente,
Vilia mirificis præfers, primísque secunda,
Vera quidem tibi dicta dabo, sed acerba. Quis vnquam
Hoc animo voluit, iustum producere natum?
Qua rursus quisquam possit ratione creare
B Deformem vitiis? ab imagine pictor eandem Simile.
Picturam ducit: plastes non dispare forma
Propositam reddit formam: manibúsque peritis,
Quoquo mens tulerit, tractatum ducitur aurum.
Exque bono segetem telluris cultor opimam
Semine ferre solet, nec spem deplorat inanem.
Ast homini, quidnam iacta semente creabit,
Non liquet, & prolis quænam natura futura est.
Nescius est etenim, qui Paulum laudibus æquat,
Carnificémne suo producet semine Christi,
C Aut Annam, aut Caipham, vel crimine proditionis
Consimilem Iudæ, quíque in scelus omne feratur.
Rursus qui vitiis, vt proditor ille nefandus,
Tinctum pectus habet, quis scit Paulúmne beatum
Proferet, aut Petrum gignet, petrámque perennem,
Cui fuit à Christo clauis concredita cœli?
Nescit enim genitor natum natam ne creabit:
Sed coitu rabiem tantùm restinguere carnis
Cogitat. Ex vno siquidem fluxere parente
Immitisque Cain, zelóque accensus Abelus,
Gratáque sacra Deo faciens. Esau scelerato,
Et Iacob pietate graui pater extitit idem.
D Quódque etiam maius, quòd eodem patre gemelli
Moribus aduersis prorsus studiísque fuere.
Quin etiam Salomon, quo non sapientior alter
Extiterat, tandem thalamis illectus iniquis
Addixit vitiis animum virtute relicta.
At contrà Paulus Christum, quem spreuerat antè,
Postquam ardorem animi zelus laudabilis acrem
Excepit, toto notum mox reddidit orbe.
Horum quid thalamo tribuemus? nil ego certè.
Non etenim in Veneris lusus & læta ruentes
Oscula, quam cupiunt, dulcis sectatur imago:
E Sed veluti damnosa iuuat quem tessera, talos Simile.
Ille quidem mittit: manus haud tamen efficit vt par
Exeat aut impar numerus, sed forte voluti
Id faciunt lapides inopina sorte cadentes:
Sic neque connubij nexus sontésque probósque
Produxit, verùm docuit natura vel vsus.
Quin si vera cupis cognoscere, quisquis honesti
Corripitur studio, rectíque ardescit amore,
Talis ab æterno formatur Pneumate, talis
Vi verbi efficitur. pietatis namque sepulta

In nobis ſcintilla latet, velut igneus ardor A
Simile. Incluſus ſaxis. Vt porrò ſæpe terendo
Ferrum de rigido ſolet ignem extundere ſaxo.
Haud aliter pietas latitans, ſermone ſalutis
Attrita, in medium prodit, claréque refulget.
At qui perfricta facie ſcelus omne ſequuntur,
Sunt mage coniugij. namque hoc plus gignit in æuo,
Et mundi fragilis clauus ſociúſque coméſque,
Clauus humi carnem ſtringens, animámque deorſum
Plumbi more trahens, atque omnis cenſus eiſdem
Partibus ad natos hæredes morte parentum
Delabens, vitæ nec limite longior huius. B
Verùm age, ſic tecum, mater veneranda, paciſcar,
18 [18] Vt neque tu iuſtos homines producere pergas,
Ipſa nec iniuſtos memorem: ſileantur vtrique.
Aſt aliis rebus facile eſt cognoſcere quantò
Præſtet Virginitas, ſi craſſæ carnis amorem,
Atque Dei ſpectes, naturam ſi bene mundi
Excutias, æquo duplicémque examine finem
Perpendas. nam ſi nubem tenebráſue moleſtas
Tantillum ex oculis diſcuſſeris, atque micantes
Ad Solis radios pateant tua lumina noſtri,
19 Et bene purgata [19] luſtraueris omnia mente, C
Inuenies vitam thalami conſorte carentem
Totam cœleſti, vice muneris, eſſe parenti
Appenſam, ſacrámque, electrum, aurúmque nitore
Vincentem, pennis celerem, miréque ſerenam,
Prudentémque leuémque, excelſam vertice, claram
Vndique, non terræ fixam, immerſámque profundo,
Ætherea ſed in vrbe procúlque à carne manentem,
Dextra amplexantem cœlum, vitámque ſenectæ
Ignaram, læuáque manu decus, atque perrennes
Diuitias, non teſtaceo ſub pondere lentis
Paſſibus in morem domiportæ membra trahentem. D
Non carnis Chriſtique ſimul mandata ſequentem,
20 Non, [20] velut amphibiis mos eſt, in mollibus vndis
Degentem, atque etiam in terra, noctúque diúque,
Ardua ſed penitus mittentem ad ſidera mentem:
Et ſpe, cui prolis generatio carnea cedit,
Cœlitus inuecta lætam, ſempérque virentem,
Ac puris animi conceptibus, æthere ab alto
Largiter immiſſis, puróque à numine fuſis.
Contrà connubium à Chriſto vel prorſus aberrat,
Æſtibus abſtractum carnis, variíſque caduci
Immerſum curis mundi: vel numen olympi
Exiguè attingit, leuibúſque amplexibus vrget.
Namque duplex veluti cernens caput, oráque bina,
Aut etiam geminas ſpectans in codice chartas,
Non totam verè poterit comprendere formam,
Id licet obnixè ſtudeat, ſed, parte retenta,
Effugiet ſparſum & tenuem pars altera viſum:
Sic Chriſto & mundo quiſquis partitur amorem,
Huius amor planè leuis eſt & frigidus: atqui
Totam animi flammam penitus defixit in vno,
Ille procul dubio conſtans & certus amator.

Marginal notes: Simile. — Virginea vita tota Deo addicta. — Simile. — Simile. — Simile.

Namque

A Namque vel ardenti Christi inflammatus amore,
Coniugis amplexus spernit tædásque iugales:
Vel Christum ex animo, carnem dum deperit, arcet.
Quinetiam latomi solertes, quíque fabrilem
In lignis artem exercent, cùm linea recta
Quæritur, exactáque opera captatur amussis,
Ex oculis vnum claudunt, & lumine toto
In socium fuso, visus aciéque coacta,
Recta sequente tenent duro vestigia ferro:
Sic collectus amor propiùs coniungit amantum
Pectora casta Deo, cupientem qui cupit, atque
B Cernentem cernit, fitque obuius aduenienti.
Quem quô plus quisquam cupit, hoc mage cernit eundem:
Quóque magis cernit, tantò magis expetit illum
Cernere. sicque bonus semper conuoluitur orbis.
Hunc ego deperiens, præsentis commoda vitæ
Deserui, nec quoquam aliò mea lumina quiui
Flectere, sed dulci teneor iam compede vincta,
Eximiæ illius correpta cupidine formæ,
Vulnere quæ dulci mentem transfixit, & acres
Clarásque in medio fudit mihi pectore flammas,
Et totam pulchram effecit, totámque coruscam.
C Namque hic solus amor formosum reddit amantem, Dei amor pulchros amantes reddit.
Quódque magis mirum est, ab amato nascitur illi
Gratia quam quisquis susceperit, ille beatus.
At tibi cùm mediis etiam altera flamma medullis
Insideat, tumidam tamen audes tollere frontem,
Vt magis ad cœlum accedens, sedésque beatas,
Ob natos, & opes, grandésque ætate parentes,
21 [21] Tanquam sint leuia hæc. verùm sapientis amores
Non leuia aspiciunt, sed dura & acerba sequuntur.
Parua ratis, paruus tractus, nec commoda magna
Rerum, quæ pereunt nec habent durabile quicquam.
Ast immensa tibi est huius traiectio ponti.
D An freta parua secans, sinuatis te quoque velis
Posse per Ionium pelagus ductare carinam
Iactanter dices? hæc vento flante mouentur,
Ac tantò melius, quantò mage commodus ille
Extiterit. quòd si fuerint contraria venti
Flamina, non liquidis genus est graue mortis in vndis.
Ast animus contrà longinqua per æquora fertur,
Ingentémque exposcit opem, flatúmque secundum.
Quò fit vt huic metuens, atque imo corde tremiscens,
Arctius amplector Christum, rebúsque secundis
Non minus hunc cupio, qui nunquam fallit amantes.
E At quem pauperies rerúmque angustia cogit
Implorare Deum, quamprimum tristis egestas
Fugerit, extemplo [22] diuinum linquet amorem.
Quòd si te supera Christus transfigat ab arce,
Atque salutifera penetret tua corda sagitta,
Seiunctímque duos bene contempleris amores,
Protinus agnosces quantò rex summus amantis
Dulcius extimulet pectus, mentémque beatam.
Quid sequitur? natis senium curantibus ægrum
Canitie posita rursus florere parentes

Incipiunt, vxórque viro, contráque maritus A
Coniugis auxilio primos renouatur ad annos.
Communis porrò magis est iucunda voluptas.
Communes curæ minus angunt, atque dolores,
Et rectè gradiens titubantem fulcit amicum.
  Hæc ais. at contrà ipsa meos ego iudico patres,
Virtutis quicunque mihi præcepta dedere.
Rursus pro natis habeo, quoscunque salutis
Instruxi monitis: demum pro coniuge Christum.
(Præ reliquis adamat qui Virginitatis alumnos:
Sit licet ob cunctos natus, crucis atque dolores
Pertulerit) qui me, licet aspera duráque mittat, B
Explet lætitia, leuiorem mole dolorum
Efficiens, instar vitiati sordibus auri,
Ignea quod fornax purgat, redditque nitori.
Atque pudicitiæ, cuius tibi septa coërcet
Coniugij vinclum, Christus mihi, non caro, tutrix,
Et diuinus amor superans, qui depulit omnem
Flammam aliam, celeríque fuga decedere iussit,
Non secus atque feris leuibus leo feruidus adstans.
Concordes etenim affectus motúsque caduca
Corpora habent: ideóque sciunt sibi mutua ferre
Gaudia, quæ veneris parit illecebrosa voluptas. C
Differta est tibi mensa epulis: me frustula pascunt,
Per loca sola velut numerosæ millia turbæ
Multa Dei quondam pauit clarissima proles.
Pocula læta tibi vitiis fœcunda ministrat:
At fontes fluuiíque sitim puteíque perennes
Nostram discutiunt, effusáque pocula præbent.
Est tibi præpinguis facies, ornatáque vestis:
Sordida cæsaries decor est mihi, vilis amictus,
Vestis, quàm mirè mouet aurea fimbria, Christus
Est mihi, tectum animæ decus, ornatúsque refulgens.
Te iuuat in molli noctem consumere lecto:
At saccus mea membra tegit, mihi stragula præbet, D
Inque solo humenti lachrimis do membra sopori.
In pretio est auri tibi vis: mihi puluis amori.
Est tua, quàm vituli teneri, lasciuia maior:
Tristis ego in terram mœrentia lumina flecto.
Rides, atque genas soluis petulante cachinno:
In mollem risum haudquaquam gena nostra soluta est.
Te misera incendit famæ laudísque cupido:
At mea non humilem quærit sibi gloria terram.
  Atque animo postquam lustraueris ista sagaci,
Perspice quanta premant seruos incommoda carnis. E
Coniugij incommoda. Fœmina non parua mercatur dote maritum,
Quódque etiam grauius, vitiosum sæpe & inertem.
Rursus emenda viro coniunx, nec moribus illa
Prædita sæpe bonis, quæsita attractaque pestis,
Pestis quam nulla luceat ratione fugare.
Nam si concordes animis iustíque coirent
Iure thori, leuius sulcarent æquora vitæ,
Nimirum duplici vento impellente carinam.
At vitiis fœdos thalamus cùm fœdere iungit,
Immanis labor est, dolor hic præcordia rodit.

Omnia

A Omnia dissidiis flagrant: nec enim inter iniquos
Firma coire potest concordia, certus amórque.
Aspera quinetiam thalamos persæpe recentes
Fata subiuerunt: nunc sponsus, deinde cadauer.
Nunc thalamus tumulus, lætis iunguntur acerba.
23 Exiguum cantum [23] sequitur mox nænia tristis.
Connubij tedas alius succendit, easdem
Extinxit manus alterius, fœdúsque iugale
Sustulit. Hic tenera pater est à prole vocatus:
Ille repente rogo sobolem dedit, ac sterilescit,
Non secus ac ramus ventorum turbine fractus.
B Nunc virgo, coniux demum, mox orba marito:
Vno hæc sæpe die, sunt vna hæc nocte frequenter.
Dilaniátque comas, sponsalémque eiicit à se
Ornatum, lacerátque genas, sæuóque dolore
Perdita virgineum pellit de corde pudorem,
Extinctúmque vocat miseranda morte maritum,
Desertámque domum luget, viduúmque cubile
Et præmaturo sublatum funere deflet.
Nec verò partus pergam memorare dolores,
Atque onera in matrum vuluis extincta referre,
Et tristes fructus, & fœtus matre carentes,
C Quæ prius est tumulus natis, ac denique mater,
Infœtósque etiam fœtus, partúque priores
Interitus. Taceo eductos ad lumina vitæ
Ante diem, mentísque inopes, atque horrida monstra,
Dedecus humani generis, ludibria carnis.
Quæ si cui vera libeat perpendere lance,
Illico perspiciet, quantò mea vita feratur
Altius ad regni moderantem sceptra superni,
Cunctis nota viris, decorat quos inclita virtus.
Quinetiam partis labes vtriusque silebo.
Virginitatis enim decet os conuicia castum
Effugere. At mihi si tentes aspergere labem,
D Si quis forte meam maculauit crimine vitam,
Et probro Christi tunicam, quæ nescia sordis,
24 Iunxerit [24] idque bonum, quo non præstantius vllum
Est tibi, complexus fuerit cum crimine fœdo,
Vxorem serò accipiens, vitámque beatam
Linquens, quæ blandæ prorsus fugit oscula carnis:
Ipsa quoque obscœnum contrà memorabo cubile,
Quod furtim rapiunt calcata lege, minísque,
Quas Deus intentat, mœchorum perdita turba.
Rebus in humanis etenim mage noxia pestis
Nulla est, nec grauius quæ mollia pectora vexet,
E Quàm non legitimum lectum versutus adulter
Dum petit, & dubio fœcundat semine mœcham.
An verò cum te mæchorum densa caterua
Non teneat, lecto quin subdas colla iugali,
Immò etiam vxorem ducat, qui vindice dextra
Lethiferum mœchi demisit in ilia ferrum,
Totus adhuc stillans admissæ sanguine cædis,
Quíque fuga celeri minitantia spicula fugit,
Me contrà à Christo quorundam insana libido
Distrahet, atque meum de corde fugabit amorem,

Et lapis exiguus latissima flumina sistet? A
Haud decet, haud fas est. nam multò præstat, vt ingens
Dum numerus leuibus petit ardua sidera pennis,
Æthere labantur quidam, si dicere fas est,
Quam fixi in terra maneant, iaceántque supini,
Dum metuunt, ne penna nimis sublata liquescat,
In terrámque cadant, temerè dum sidera quærunt.
Namque homines virtute graues sunt gloria Christi:
Contrà, qui vitiis animum immersere nefandis,
Simile. Non aliter quàm qui coniecit in aëra saxum,
Verticibus vitium capiunt sordesque malignas. B
Angelus antè fuit miro splendore coruscus
Lucifer: ast illo cœlesti ex arce ruente,
Cœlitibus tamen incolumis sua gloria mansit.
Sic neque Discipulis scelerati casus Iudæ
Opprobrio fuit. ille quidem de sede bonorum
Protinus eiectus, nigrum detrusus in Orcum est:
At reliqui cursum recti tenuere priorem.
Simile. Sic postquam æquoreæ quendam rapuere procellæ,
Vela alius pandens vento tumefacta furenti
Nauigat, extincti prospectans triste sepulchrum,
Aut etiam à tumulo puppis retinacula soluit. C
Linquere méne iubes vitam sic alta petentem,
Chara parens, verbísne meis imponere finem
Incipiam, quoniam obtinuit tua filia causam?
Vici ego, dilecti pariter vicere parentes.
Quòd si, te cœlebs quia vita est orta parente,
Lætitia idcirco tanta diffunderis: inde
Colligere est promptum quantò mea gloria maior.
Nónne vides omnes, quorum à te mentio facta est,
Præstantes virtute viros, à coniuge vita
Productos, superasse tamen virtute parentes?
Christus enim, quamuis Maria de virgine natus,
Partibus innumeris vincit superátque parentem, D
Et quoscunque alios obuoluit carnea moles,
Quásque tegit mentes stellantis regia cœli.
Quinetiam tenui de semine crescit arista,
Eximiúmque aurum vili profertur arena.
Ad summam à nobis quædam statuetur imago,
Qua, velut in tabula, vitam pingemus vtramque:
Atque ita tu nostri finem sermonis habebis.
Simile. Bruma niues profert, flores sunt Veris amœni:
Dat senium rugas, vires generosa iuuentus.
Sed tamen & brumæ spectantur tempore flores,
25 Atque niues gelidæ vernis [25] quandoque diebus: E
Protulit & canos iuuenis, viridémque senectam
Vidi, & vincentem iuuenilia robore membra.
Haud aliter, quamuis sit terræ vxoria vita,
Castáque virginitas decoretur coniuge Christo:
Interdum tamen in terram depressa recumbit
Virginitas, contrà thalamus ferit æthera pennis.
Vtraque sic simulans, specie mentitur inani,
Illa quidem tædas, hæc contrà Virginitatem.
26 [26] At vos, ô patres, & Virginitatis alumni,
Quantisper tardæ quæso testudinis instar

A 27 Aut velut obliquo [27] gradientes tramite cancri,
Aut per humum oblongi velut angues membra trahentes — Simile duplex.
28 Oblique [28] depressi viuetis pondere carnis?
Huc agite, atque aures Christo præbete monenti.
Formam, splendorem, censum, genus, omnia terræ
Commoda, & horrendo de crimine gaudia nata,
Pellentes procul à nobis, tendamus in altum,
29 [29] Et leue sectemur vitæ genus, atque beatis
Cœtibus angelicis æqualiter afficiamur,
Et nos coniungat puris purissima vita
Mentibus, æternum vt Regem Dominúmque sequentes
Lætis ipsi animis carmen solenne canamus.
B Vtque in coniugium, paradisi sede beata
Pulsi, desiimus, terrámque labore refertam,
Atque ea quæ rigida perfunctos morte sequuntur:
Sic decus ad primum nos innuba vita reducat,
Et nemus egregium, mihi quod væcordia clausit.
Hæc quoque Virginitas diuino protulit ore.
At qui iudicio præsunt, licet vrat eorum
Pectus hymen tædæque sitis, thalamíque cupido,
Non tamen idcirco facient, quin candida vitæ
Tempora virgineæ cingant victrice corona.
C Ac statuens etiam sua præmia Christus vtrique,
Hanc mage condecorans in dextra parte locabit:
Illam autem à læua considere parte iubebit.
Nam nec honor leuis hîc, nec gloria parua putanda est.

SCHOLIA IN PRÆCED. TRACT.

1. *Vetitum ligni exitialis*) *Gr.* ἀνδροφόνοιο φυτοῦ. *Ab effectu arborem hanc pestiferam vocat, non quòd naturâ exitiosa esset. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*
2. *Vnus vtrinque Deus*) εἷς θεὸς ἀμφοτέρωθεν, *non quòd ex vtraque natura sit Deus: sed quia Deus & homo vnus est Christus, ac proinde Deus.*
D 3. *Atque hominem contraxit in vnum*) *Alludere videtur ad id quod ait Apostolus Ephes. 2. Christum ideo mortem pertulisse, vt duos homines conderet in semetipso in vnum nouum hominem.*
4. *Ac chorus ingens*) *Descriptio est eorum, qui contemptis mundi huius illecebris, carnísque lenociniis, totos se pietatis colendæ studio deuouerunt.*
5. *Quique Dei, cuiúsque Deus*) *Quamuis omnes à Deo creati sint, ac proinde sint Dei: hi tamen potissimũ Dei sunt, qui ad ipsius præcepta omnes vitæ suæ rationes exigunt. Eodem modo quamuis Deus omnium in vniuersum sit Deus: præcipuè tamen optimi cuiusque Deus est. Sic se Deum Abrahæ & Isaac & Iacob appellat.*
6. *Ac primùm Deus est*) *In Græco,*

πρῶτα θεὸς πάντων γενέτης, καὶ ἵλαθι χριστὲ,
Σεῖο νόμοις καθαροῖσι παροίτερον, ἢ τὸ πάροιθεν.

Quid autem significent hæc verba, καὶ ἵλαθι χριστὲ, *cum sequenti versu, quísque commodus sensus ex his erui*
E *possit, non video. Itaque expungenda ea in versione mea iudicaui, idque non sine doctissimi cuiusdam viri consilio, qui hæc planè obreptitia temeréque inserta censet. Alioqui ita hæc per parenthesim extulissem,*

Túque mihi quæso sis optimè Christe benignus,
Si tua lex, mundo tandem mage pura refulsit.

Sed hæc verba sensu carent, & vt ille ait, dant sine mente sonum.
7. *Palma cupidinis expers*) *Plinius lib. 13. Nat. Hist. cap. 4. de palmarum natura tractans in hæc verba loquitur: Cæterùm non sine maribus gignere fœminas sponte edito nemore confirmant, &c.*
8. *Ex coitu saxorum*) *Theophrastus & Mutianus, vt est apud eundem Plinium lib. 36. cap. 18. esse aliquos lapides, qui pariant, credunt. Solinus cap. 56. Conchæ, inquit, in quibus hoc lapidum genus reperitur, quæ certo anni tempore luxuriante conceptu sitiunt rorem velut maritum, cuius desiderio hiant. Et cùm luna-*

res maximè liquuntur aspergines, oscitatione quadam hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt grauidæq; fiunt &c. A

9. *Communis volupt.as*) Gr. Χάρμα μέγ' εὐμενέεσσιν, ἄχος δέ τε δυσμενέεσσι. Alludit autem ad illud Homeri Odyß. ζ.

> οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον
> Ἢ ὅτε ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
> Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή, πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
> Χάρμα μέγ' εὐμενέεσσιν, ἄχος δέ τε δυσμενέεσσι.

Quæ verba hoc loco transferre nihil attinet, cùm ea fere ad verbum ex Gregorio traduxerim.

10. *Obsignans violenti fœdus amoris*) id est, efficit vt vterque matrimonij finibus se contineat, nec venereo æstui medicinam foris quærat, cùm libidinis ardorem domi sedare poßit. Quod autem seq. versu ait. Pullus amicitiæ, videtur alludere ad id, quod habetur Prou. 5. Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua charißima, & gratißimus hinnulus, &c. B

11. *Vnus amicitiæ pullus*) Videtur alludere ad eundem locum. Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Cerua charißima, & gratißimus hinnulus, quemadmodum & sequenti versu ad illud eod. cap. In plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.

12. *Vasta Gigantum*) Gigantes à Poëtis finguntur fuisse filij Terræ & Titanis. γηγενεῖς Græci vocant.

13. *Zacharias. nec enim.*) Id colligit ex verbis Lucæ, qui cap. 1. de Zacharia loquens his verbis vtitur. Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.

14. *Quin tu consimili*) si tu idcircò tibi præstantißimorum virorum gloriam vendicas, quia ex matrimonio procreati sunt: eodem quoque modo sceleratorum hominum crimina in te recidant, necesse est, quandoquidem ipsi etiam ex coniugio nati sunt.

15. *Iulianus habendus.*) Vide secundam inuectiuam aduersus Iulianum Imperatorem.

16. *Namque malis prona est*) Alludit, vt opinor, ad illud peruulgatißimum Hesiodi, qui in libro cui titulus est Opera & Dies, virtutem in arduo positam esse ait, vitium autem in procliui: C

> Τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι.

17. *Si summo nata parente.*) Gr. ἁ δὲ θεοῖο λαχοῦσα, &c. vbi λαχοῦσαν filiam interpretor, (quemadmodum & λάχος sæpe pro filio accipitur.) non autem sortitam, vt Aldus, repugnante sensu.

18. *Vt neque tu iustos homines*) Gr. ἀλλ' ἅμα τῆς τεκέων, &c. In quibus verbis si Heruagius correctioni Aldinæ oculos adiecisset, ἐσθλῶν posuisset, non τεκέων. Sensus enim hic Virginitatis est, Quoniam vides te bonorum virorum, qui ex te prognati sunt, laudes vendicare non posse, quin eadem ratione sceleratorum hominum probra in te recidere necesse sit: age, hoc inter nos paciscamur, vt nec tu bonos viros in medium proferas, nec ego sceleratos tibi obiiciam.

19. *Lustraueris omnia mente.*) Hîc etiam refragantibus & Heruagiano & Aldino codicibus, λώϊον μιν lego, non λύσιμοι. Hoc enim vult Virginitas, coniugatam vitam, si bene purgato mentis oculo rem perspexerit, comperturam esse, quantis partibus superior sit coniugio cælibatus.

20. *Velut amphibiis mos est*) Amphibia animalia sunt, ideò dicta authore Columella lib. 8. cap. 19. quòd non tantùm terrestria, sed & aquatilia desiderant pabula, nec magis humo quàm stagno & mari consuescant: cuius generis Suidas vult esse Hippopotamum, crocodilum, & etiam hominem. Ranis etiam ἀμφίβιον νομὴν, id est, ambiguum pastum esse ait Homerus in sua Batrachom. D

21. *Tanquam sint leuia hæc*) Græce ὡς ἐλαφρῶν. Puto hîc versum aliquem deesse. Neque enim hoc in sua oratione posuerat vita coniugata, leuia esse quæ matrimonium comitari soleant, sed aspera potius & difficilia, ex eóque neceßitatem afferri coniugatis Dei studiosius inuocandi, eique arctius adhærendi.

22. *Diuinum linquet amorem*) In Græco καιροῦ πόθον. sed quin Χριστοῦ legendum sit, nemini dubium esse puto.

23. *Sequitur mox nænia*) In vtroque exemplari legitur, μακρὰν ἄσσομαι περὶ τέρμ' ἐσθλὸν ἀκηροῦ. vbi carmen ipsum corruptum se clamat, nimirum vna syllaba resultans. Itaque pro ἐσθλὸν, quod sensui absurditatem affert, lego ἐπ' ἀκηροῦ.

24. *Idq; bonum, quo non præstantius*) Græce οὗ ἀγαθῶν τὸ πρῶτον. Venereum autem congressum significat. E

25. *Quandoque diebus*) Legendum enim ποτε, non ὅτε.

26. *At vos ô patres*) Gr. ἀλλὰ φίλοι ἐσθλέες. Hîc nihil temerè mutare ausus sum. Id tamen admonebo mihi pro τοκέες, τεκέες substituendum videri, coniecturam facienti ex eo quod inferius subiicit, ἐμπαλιν ἐξ ἀδύτοιο βίου πρὸς κῦδος ἰωλόν, quod nullo modo coniugatis quadrare potest.

27. *Gradientes tramite cancri*) Gr. πάγουροι. Paguros enim cancrorum genus esse scribit Plinius lib. 9. cap. 31. Quòd autem cancros λοξοβάμονας & ὀκτάποδας vocat Theologus, conuenit cum eodem Plinio, qui cancris omnibus pedes octonos in obliquum flexos esse ait.

28. *Viuetis depreßi*) ζώοιτε enim vnico verbo lego, non ζώοιτε, vt in impreßis codicibus.

29. *Et leue sectemur vitæ genus*) id est, facilè & expeditum, nec vitæ huiusce curis depressum.

A

D. GREG. NAZIANZENI
PRÆCEPTA AD VIRGINES.

ARGVMENTVM.



Voniam præcedenti tractatu Virginitatem laudibus extulit, commodè nunc ad Virgines orationem confert, eásque salutiferis præceptis instruit, atque ad veræ præcipuæ virginitatis studium cohortatur. Nec verò quisquam miretur, quòd cùm prima fronte ad sacras duntaxat Virgines hic tractatus spectare videatur, masculino tamen genere aliquoties vtamur. Græca enim secuti sumus, quæ nũc ad viros, nunc ad sacrosanctas puellas orationem conuertunt. Atque ipsa quoq; inscriptio satis ostendit hoc opusculum ad omnes vtriusque sexus pertinere, qui virginitatis studium profitentur. Nec enim fœmineum articulum

B *affixum habet, sed absolutè ac citra vllam distinctionem Virginibus consilium pollicetur.*



Alma tua est, ô Virgo, tua est victoria certè:
Sícque velis nimiùm ardenti qui carnis amore
Afficitur, statuet. sed enim clarissima Virgo,
Cordata & prudens, nostris sermonibus aures
Arrige quæso tuas, medióque in pectore fige.
Optima sunt etenim canæ præcepta senectæ.
Motibus immodicis ne mens elata cruento
Vulnere te feriat, vigilanti prospice cura.
Namque hominem haud raro casus prouexit in altum:
C Ac contrà fœdæ est elatio causa ruinæ.
Numinis hic etenim mos est, gemebunda fauore
Pectora complecti, & mentes calcare superbas.
1 Néve [1] tuam exiguo librans examine vitam,
Si quem criminibus fœdum aut errore vagantem
Prætereas, ideò esse putes virtutis in arce.
Non etenim summæ est paruos præcellere laudis. Paruos superare, non magna laus est.
Sit tibi lex diuina modus, sit rector Olympi,
Qui, quamuis alios cursu præcedere possis,
Te tamen immensè exuperat, retróque relinquit:
Nec, cùm non impar numerus virtutis honore
D Te superet, quàm qui laudis tibi porrigit herbam,
Sic animos tollas, quasi non sit par tibi quisquam.
Te supra excelsi latissima regia cœli:
Tu verò inter humi fusos pronósque iacentes
Altius assurgens, quid laude efferris inani?
Vt Sol in nitidis Phœbéque & sidera lymphis Simile.
Piscibus irradiant, quanquam non illa, sed vmbras
Vanáque prospiciunt veri simulachra remoti,
Lætantúrque vmbris & imagine lucis inani.
(Non etenim ex salsis euersi fluctibus vnquam
Lucida cœrulei spectarunt sidera cœli.
Namque aliàs illis esset dignoscere promptum,
E Quodnam sit verum lumen, quæ ludicra lucis.)
Haud aliter quidam, quia magni culmina regis
Nunquam lustrarunt oculis nec imagine mentis,
Si paulum assurgant, fastigia laudis habere
Summa putant. At tu complexu condita quædam
2 Iam retines, quædam speres, [2] ad cætera magno
Tende gradu semper scandens spectánsque priora.
Stare loco mala res. Ergo torpore remoto
Vt capias, propera: donec virtutis ad arcem,
Supremúmque gradum perueneris auspice Christo.

Aduigila, ne te Momus sceleratáque lingua A
A tergo incautam feriat, famámque veneno
Inficiat laudésque tuas, carpátque malignè.
Namque duplex duplici vita est obnoxia probro:
Altera criminibus grauis est, nec dispare fine
Clauditur: egregium contrà tenet altera cursum,
Tandémque optatus, sicut decet, exitus illam
Excipit. At Momus petulans arrodit vtramque
Dente pari. Quid enim lingua præstantius esset,
Pectora si tantùm morsu vitiosa proteruo
Impeteret? Verùm nullo discrimine in omnes
Euomit hæc rabiem. Quare prudenter vtramque B
Explorare tuum est, ac totis viribus illam
Effugere, in scelerata suum quæ pectora virus
Diffundit, purámque tueri à crimine mentem,
Commoda quod linguis furialibus arma ministrat.
Altera, qua recti lacerat malus hostis amicos,
Non mage te turbet, quàm vis asperrima venti
Æquoreos agitat scopulos, vndæque minaces,
Quas facilè infringit petræ firmissima moles.

Momus & bonos & malos attingit.

3 [3] Nec verò turbæ captans popularis amorem
Turpe quid admittas: nec recti desere curam.
Sit licet hoc illis odio, quos improba vita C
Delectat. cura quæ sunt dignissima laude:
Si tamen illa tuis meritis comes esse recuset,
Non te discruciet mendax oratio: verùm
Prompta per assuetos vestigia figito gressus:
Quamlibet oblatrent, atque ora impura resoluant,
(Lædere nil vnquam, quod sit cœleste, valebunt)
Ipsorúmque oculos liuor iustissimus vrat.

Non curāda vitiosorū iudicia.

Nec verò Sodomam fugiens mundíque fauillas,
Horribilésque minas labentis ab æthere flammæ,
Ad Sodomam flectas oculos: ne fortè repentè
4 Concrescas salis in statuam[4], cunctísque columna D
Publica tum vitii prostes, tum mortis acerbæ.
Nec Sodomam liquisse fuga contentus, in aruis
Vicinis defige gradum, flammæque propinquis:
Sed celer in montem propera, ne te igneus imber
Obruat, & sæuos pariat mora longa dolores.

Relictus mundus nō repetēdus.

Procul à pristinis vitiis recedendū.

Nec tibi sit nimio carnis natura pauori,
Tanquam illam nequeas vlla ratione domare.
(Non etenim timor hic diuina manat ab arce,
Qui mentes hominum tam dura compede nectit)
Nec rursus carni plus æquo frena relaxa:
Ne te securum abripiat, sternátque repente. E

Timor seruilis à Deo non est.

Durum iter & salebris infestum carpe libenter,
Conscendénsque vide, ne quid vestigia fallat:
Vt tibi propositam pedibus contingere, metam
5 Detur inoffensis[5], pérque arctam tendere portam
Ad sedes superas: vbi gloria lúxque perennis,
Et iucunda quies nullo interrupta dolore.
Si metuis, stipulam quia paruulus excitat ignis,
Pone metum, flammam ingentem tibi cœlicus imber
Sopiet, atque preces, gemitus, lachrymæque diurnæ,
Atque graues curis noctes, totúsque supernum

Adre-

A Ad regem contensus amor, sedésque beatas.
Talia virgineæ sunt optima pharmaca vitæ,
Queis tu nec nudas species curabis amoris
Corporei miscere animo: sed mente pudica
Esse laborabis, velut alti numinis ædes,
Pneumatis & radius supero demissus ab axe.
Virgo, sis oculis, sis ore atque auribus ipsis — Vera virginitas in qua sita.
Virgo. nam tribus his facile est decedere recto.
Egregiis tantùm pateant sermonibus aures:
Turpibus & stultis claudatur ianua verbis.
6 Quinetiam [6] velut in thalamo tua lumina claude
B Inuolucris deuincta suis: nec motibus illa
Lasciuis stimulent væsano pectus amore.
Vtque latet rosa verna suo putamine clausa, — Silentium virginem decet.
Sic os vincla ferat, validísque arctetur habenis,
Indicátque suis prolixa silentia labris.
Nec verò castam te iactes esse, superbè
Si graderis. gressus est quædam namque libido.
7 Mentitur, [7] fœdátque suum quodammodo corpus.
Detritas etiam vestes venerare, capútque,
Delitiis vacuum & luxu, non serica fila.
Ornentur gemmis aliæ, decorentur & auro,
Quod fulgore suo collustrat corporis artus.
C Hæc inquam his placeant, quarum depicta colore
8 Multiplici [8] est facies, mortalíque arte manúque
Condita, cœlestíque ab imagine turpis imago
Diffita, calcatum prodens sine voce pudorem:
Viuentes tabulæ, mysteria noctis opacæ,
Externéque nitens labes, pulchrúmque sepulchrum
Interno fœtore madens & sordibus atris.
A quibus, ô virgo, Christum sortita maritum,
Quam decor occultus decorat, quam tecta venustas,
Esto procùl, turpémque ornatum à corpore pelle.
D Lumina luminibus, verbis coniungito verba,
Pura tamen puris: non risus risibus autem,
Audacésque animos audacibus atque proteruis.
Hinc etenim humanos vestigia lubrica fallunt.
A cunctis abscede viris, sed maximè ab illis, — Virorũ contubernia virgini vitanda.
9 Virgo [9], συνεισάκτοις quos nos de more vocamus.
Crede mihi, Virgo, Merrhæ salsissimus amnis:
Firmior ille licet sit saxo, purior auro.
Namque duplex metus est, si te fiducia carnis
Efficit intrepidam (quis enim confidere membris
Ausit, quæ tecto semper clauduntur eodem?)
Ne tibi pura quidem sit mens, oculíque pudici,
E Sed versuta tegat quicquam mens altera carnis,
Spirituíque neget pacem dulcémque quietem.
Ex humili ad superam migrasti corpore mentem:
Cur rursus teneræ laudans consortia carnis,
Sacrum dedecoras Sponsum, qui téque tuámque
Mirificè affectat formam, nec sustinet vllum
Riualem adiungi? nec te timor occupat ille,
Ne tandem iratus sacro te priuet amore:
Vtpote quam duplici conspectet poplite claudam?
Christus amore tui flagrat: ne forma virilis
Te premat, & medio sedem sibi pectore figat:

Illius auxilio quid opus tibi (dic age) qui non A
Sufficit ipse sibi, sed opem conquirit amicam?
Simile. Charus equo quamuis sit equus, ceruo quoque ceru
Et sturni sturnis, & vir pius egregiúsque
Egregia pietate viris: tamen ipsa caueto,
Ne te, quantumuis prudentem animóque sagacem,
Artibus atque dolis in fraudem pertrahat hostis.
Nam grauiore animos bello insectatur acutos,
Exque bono persæpe bonis mala subdolus affert.
Diaboli fraus. Nunc splendet, tenebris nunc est adopertus opacis:
Mors grauis interiùs, dulcissimáque esca supernè:
Blanditiis mulcet, tecto perimítque veneno. B
Sæpe animis & mente pares collegit in vnum,
Et lucis speciem præ se tulit, atque decorum
10 [10] Cognomentum Agapes subiit: mox callidus omne
Ex animo ad carnes vicinas flectit amorem,
11 Et [11] flammam aut flammæ tristissima signa reliquit.
Vtque etiam flammæ non signa impresserit vlla:
At celer ipsa tamen lethali pectus eorum
Vulnere concuties, in te qui lumina torquent.
Ad vitium siquidem ferimur procliuiùs omnes:
Non secus ac per prona solet rapidissimus amnis.
12 At [12] domus, & mensa, & vestis, tristísque senectus C
Corpúsque inualidum labi prætexitur isti.
13 Maxima cum minimis permutas, [13] aurea ferro:
Si vitæ claro perfusæ lumine paruas
Ipsa voluptates præfers minimé que decentes.
Non mihi si grandes auri donâris aceruos,
Electrúmque nitens, immensáque iugera terræ,
Et latas vestes, & splendida tecta, simúlque
14 Alcinoi [14] regis mensam, non denique vita
Altera si detur rugosæ ignara senectæ,
Sic tamen amplectar deformem crimine vitam,
Turpiter atque velim deserto viuere Christo. D
Exiguus mihi sit panis, sint pocula lymphæ,
Et ficus foliis, primos velut antè parentes,
Me tegat, & vili corpus conuoluat amictu,
Ac mihi sit quædam tecti vice concaua rupes,
Aut fagi latebræ, sit simplex vita leuísque,
Atque feris prorsus similis, vel ad atria quædam
Diuitis ipse iacens, incommoda sarcina terræ,
Pauper & vlceribus plenus languentia membra,
Mœrentémque traham vitam, luctúque refertam.
Ista quidem in terris: pòst verò chasma profundum:
Atque voluptates vindex rogus excipit omnes. E
Sis saturo tu ventre, meos dolor occupet artus:
Omnia pòst paulo memori de mente recedent.
Vnum omnes erimus tumulato corpore, puluis
Vnus, & æqualis locus est, sedésque parata
Regibus & seruis: terram properamus ad vnam.
Quocirca nec te præsentis commoda vitæ
Immodicè oblectent, nec rursus tristia frangant.
Tristia quippe tibi simul & iucunda necesse est
Nil longũ habet hæc vita. Linquere cuncta breui. quid enim, mihi dicito, longum
Hæc mortalis habet fatóque obnoxia vita?

Hospes

A Hospes es in misera peregrinus & incola terra:
Pòst verò ad patriam diuina potentia sedem
Te vehet, in fragili postquam certaueris æuo.
Præmia sunt porrò longè maiora labore.
Túque etiam Ionadab, sublimi prædite mente,
Vitam, qua nulla est homini felicior vsquam,
Accelerans natis, hanc legem & verba dedisti.
O nati, quas nec genitor mihi præbuit vnquam, Rechabitarum vita, monasticæ imago.
Nec soboli pater vllus opes sine fine manentes,
Percipite, ac læti cœlestia carpite regna.
Vos primùm nullis concludite corpora tectis,
B Vomere nec terram perstringite: vinea vobis
Nulla sit, atque vicem tecti tentoria præstent.
Nec verò dulci guttur perfunde Lyæo,
O mea progenies, sed regi viue superno,
Diuitiásque omnes in eo censúmque repone,
Censum, qui cunctos stabilis perdurat in annos.
Hæc ait, atque patris nati pia iussa facessunt.
Arua quid isacidas memorem promissa petentes:
Queis flammæ monstrauit iter nubísque columna
Per deserta trahens, quæ nemo triuerat antè,
Queis cessit pelagus, queis dulcia pabula cœlum,
Duráque petra dedit latices, gelidúsque retrorsum
C Territus abscessit fluuius, cursúque represso
Longior in terris fixit sua lumina Titan?
Et manibus tensis hostilia castra fugauit
Vnus homo, Crucis in formam pia brachia fingens:
Ac gladios ferrúmque fides hostile retudit.
Eximiúmque Eliam corui pauêre rapaces:
Isque etiam viduam, fractámque senilibus annis,
Sidoniâ haud magnis epulis nutriuit in vrbe.
Pauper enim dulcem semper dabat arca farinam,
Atque olei tantùm pleno manabat ab vtre,
Quantùm ab eo sancti detraxerat hospitis altrix.
D Quid dicam Hebræos pueros alimenta seorsim
Poscentes: ne si regis mensáque cibísque
Implerent ventrem, fœda se labe notarent?
Quíque etiam læto Chaldæis pectore flammis
Insiliunt, redeúntque domum non corpore læso?
Ipse feris Daniel rabidis proiectus in escam,
Non aluit sæuos lacerata carne leones:
Sed postquam fudítque preces, palmásque tetendit,
Aëra per medium delata est esca prophetæ.
Quinetiam æquoreus medio de pectore piscis
Euomuit Ionam (dictu mirabile!) qualem
E Miserat in vastas fauces tribus antè diebus.
Namque fides in ventre feræ comes extitit illi.
Melle famem agresti repulit vilíque locusta
Zacharia genitore satus, texítque cameli
Membra pilis, habúitque domum versatile cœlum,
Atque in humo dura corpus dabat ipse sopori.
Quis Theclam necis eripuit flammæque periclo?
Quis validos vngues vinxit rabiémque ferarum?
Virginitas (ô res omni mirabilis æuo!)
Virginitas fuluos potuit sopire leones!

Dente nec impuro generosos virginis artus A
Ausi sunt premere, & rigido discerpere morsu!
Nec verò præclara mihi Susanna tacenda est,
Iure licet thalami fuerit sociata marito.
Illa pudicitiæ tanto flagrauit amore,
Vt vetitam fugiens venerem dextrásque nefandas,
Iudicio iniusto decretæ proxima morti
Consilio iuuenis tanto discrimine vitæ
Eruta sit, cani mentem, ingeniíque sagacis,
Ore suo qui Presbyteros Babylonis iniquos
Conuicit, charóque orbauit lumine vitæ,
Ipse tibi Paulus longo sermone recenset,
Quot mala, quot tristes curas duró sque labores B
Externis pressus simul & ciuilibus armis
Sustinuit pelago & terra: tum deinde corusci
Tertia peruenit gaudens ad culmina cœli:
Dulcibus & totum laqueis innexuit orbem.
Tristibus ille magis gestit, quàm rebus opimis
Cætera turba hominum soleat, flatúque secundo.
15 In [15] medio porrò virtus est fixa malorum.
Haud secus ac spinas inter rosa mollis acutas.
Hæc memori voluens animo pulcherrima Virgo,
Spe comitata bonâ, te vitæ semper ab omni C
Parte Deo studeas puram sanctámque tueri.
Nec quæ etiam facilis prudentia pectora frangit,
Vnquam te fallat duris in rebus egestas.
Quippe etiam Christum dum tentat callidus hostis
Esurie pressum cernens, durissima saxa
Protinus in dulces iubet illum vertere panes:
Vt sic pestiferis laqueis inuoluat egentem.
Vanus at in Christo fuit illius impetus omnis.
Ergo mortiferis, Christum velut antè salutis
Authorem, illecebris homines mulcere laborat.
Sed te iunge Deo, procul hostem pelle malignum,
Christi tota manens, teneræ nec subdita carni. D
Simile. Nec velut in lepidæ fieri solet orbe choreæ,
Hunc dextra, hunc læua teneas, quantúmque propinqua
Tantùm etiam à Christo sis omnipotente remota,
Et simul addicas animum carníque Deóque.
Æquora nec celeri sulcans infida carina,
Dum tibi flat zephyrus nec magnas excitat vndas,
Committe, vt cursum ratis anchora iacta retardet:
Non etiam è tellure trahe hanc, segnémq; per vndas
Carpe viam, æquoreæ similem similémque pedestri.
Caro animæ remora. 16 Nec vitæ ipsa tuæ immittas [16] Echeneida carnem,
Quæ velut iniecta properantem compede puppim E
Detinet, ac tantam cogit subsistere molem.
Simile. Ac velut angusto decurrens vnda meatu,
Plumbeus vt primùm lympha labente canalis
Plenus aquas vltrà nullas capit, illico vincta
Accliuísque salit, vi propulsante retrorsum:
Non secus ipse tuum, qui mente arctatur, amorem
Te iubeo ad Christum sublato tollere fluctu,
Aut pulchram quandam pinguémque obducere terram.
Nam si huc atque illuc liquidas diffuderis vndas,

In ru-

A In rupes, in prata, in torrentes, in arenas:
Optimus haud dubiè fluxus tibi, Virgo, peribit:
Dispersis quoniam lentus deuoluitur vndis.
Æetherea quanquam genitor charissimus aura
Si fruitur, qui te donauit lumine vitæ,
Aut dulcis genitrix, à crimine liber amórque,
Quinetiam fratrum si niteris ipsa fauore,
Aut patris auxilio & matris, vel forte iuuandi
In senio si tibi sint, ipsis conuiuere nulla
Inuidia est, oculos nec ob id tibi Momus acerbos
17 Iniiciet,[17] soleas stridorem emittere dicens.
B Hoc quoque non fuerit mediocriter vtile, Virgo,
Cùm malus hostiles in te contorquet ocellos:
Inuidus ille licet iaciat, tu pectore firmo
Semper eris, nec te liuor maculabit iniquus.
Nil alienus amor tibi sit, nil extera flamma.
Aut si quosdam alios casto amplexaris amore,
Saltem ne tecti ius sit commune caueto.
Corporibúsque nocens sanis fiducia fallax,
Quin potius pressis manibus complectere Christum,
Æternúsque illi te iungat nexus amoris.
Nec tibi virginea quicquam clarescere laude
C Profuerit, vitiis habeas si pectus apertum,
Virginitate tumens. Grauius scelus istud habendum est,
Nascitur ex virtute malum cùm dæmonis astu.
18 Non [18] tam etenim vt dulces thalamos nexúmque iugalem, Cur præcipuè virginitas colēda.
Quo genus humanum Deus immortalis adauget,
Effugiam, quàm vt criminibus mentíque medelam
Quæram, virgineæ vitæ delector amore.
Quæ si fortè meam purgarit crimine mentem,
Egregiè de me merita est, gratésque rependo.
At si cùm validis conclusa sit area septis, Simile.
Porta feris pateat rabidis, pateántque fenestræ:
D Aut cùm parte aliqua sepes, molimine magno
Condita, vim nullam metuat, pars altera rursus Aliud simile.
Tota viatrici teneatur aperta cateruæ:
Quid mihi profuerit? nec enim minus area sæuum
Latronem excipiet, qui parte irrumpit ab omni,
Et mea peruigili circunspicit omnia mente,
Sedulus obseruans, quonam mea vulnere membra
Sauciet, externo telúmque in corpore figat,
Quídque etiam interius rapiat. Nunc sæuus aperto
Marte furit: nunc insidiis adoritur inermem.
Quis, nisi præsidio Christi subnixus, acerbum
Effugiat Satanam, & turpis contagia vitæ?
E Nec verò in vitiis quicquam paruúque leuísque Nullū paruum vitiū putandum.
Ponderis esse putes. Qui paruis obuius ibit,
Is nunquam præceps scelera in grauiora feretur.
Optima quæque libens audi: loquere optima cuncta.
Quæque loquere prius spectes bene sedula. visus
Fac te ad opus semper stimulet. Iunguntur amicè
Visus & auditus, sermo finísque loquendi.
Vtque bonam messem facias, bona semina funde.
Sed neque furtiuos mundi secteris amores,
Atque fidem Christo iuratam perfida fallas.

Hanc porrò fallit, sacratáque fœdera rumpit, A
Quisquis vel tenuem radicem criminis in se
Simile.
Excipit. Innumeros nam paruo tempore ramos
Hinc atque hinc extenta solet diffundere radix.
Et succo exiguo densatur copia lactis:
Ac lapidem si quis tranquillas iactet in vndas,
Præclaros turbat latices, vitiátque colorem:
Multiplicésque orbes summa nascuntur in vnda:
Qui simul ac pacantur aquæ, soluuntur inanes.
Quinetiam paruo liuescit vulnere totum
Corpus, & ingentes subeunt cruciántque dolores. B
Exiguúsque cibus mihi mortem inuexit acerbam.
Nam scelus hoc scelerum densissima turba secuta est:
Non aliter quàm cùm perruptis mœnibus vrbem
Primũ peccatum alia multa inuexit.
Ingreditur miles, sequitúrque exercitus omnis.
19 Aspidis [19] haud grande est vulnus: tamen illa soporem
Simile.
Mortiferum extemplo inducit, vacuúsque dolore
Interit, excepit qui tetrum corpore virus.
Ergo caue, ne vel labes tenuissima mentem
Inficiat, minimásque etiam procul abiice noxas.
Frænandus venter.
Venter claustra ferens vitii contagia forsan
Euitare queat: sed si laxentur habenæ,
Ianuáque huic omnis pateat, metus imminet ingens, C
Ne furtim obrepat carnis lasciuia quædam.
Corpore cum domito facilis Cytheræa domatur.
Vinum virginibus probrum est obscœnius ira:
Turpius ira malum grauiúsque in virgine crimen,
Quàm furor in reliquis. iter hoc ad tartara ducit.

De vili vestitu non gloriandũ.
Nec rursum quia membra tegit tibi sordida vestis,
Inde supercilium tollas. Nam gloria vana
Interdum tacitè in viles irrepit amictus.
Nec gena pestiferum fœdis subsultibus hostem
Excitet. His etiam petulantes linque cachinnos
Lætitiámque vagam, faciunt quæ corpore quæstum. D
At tibi soluatur leni gena candida risu,
Purpureúsque rubor confestim gaudia fallat.
Nam qui virginea cernunt in fronte ruborem,
His cadit exorto petulantia victa rubore.

Fœmina de rebus diuinis pauca loqui debet.
Fœmina pauca loqui de summo numine debet,
Hactenus vt Triadis naturam intelligat vnam
In tribus (haud etenim pietatis verba tacere
Vtilius fuerit) sed plura admittat in aures.
Atque vtrumque pio faciat tremefacta pauore,
Et niuei externè velum ferat vsque pudoris.
Pugnet docta cohors, aduersáque verba profundat, E
Sternat, & hæreticam cogat dare terga cohortem.

Ne tibi curarum moles densissima Christum
Eripiat, quæ vel mentem in sublime volantem
Detrahit, atque humili cogit subsidere terra.
Nec velut indomitus solet in certamine pullus
20 Currere calce procul, sic in [20] diuersa feratur
Mens tua, & à Christo procul excidat atque salute.
Fraude tamen Beliæ si mens fortasse vagetur,
Flecte celer cursum, dubióque errore relicto
Protinus optatam studeas contingere metam.

A In manibus tibi sint radij, sit candida lana,
Inque super tibi sint diuina oracula curæ,
Cœlestisque etiam sapientia, cantica sancta,
Et tenuis vocis prudens sonus, atque susurrum
Tam leue, vt admotas haudquaquam verberet aures:
Quod minus in labris habeat, quàm pectore fixum.
Sæpe etiam in surdas hostis malus insilit aures.
Sed neque cùm tædas sis aspernata iugales,
Et quæ fœmineos animos incommoda vexant,
Diuinisque semel, virgo castissima, flammis
Arseris, externos thalamos male-sana sequaris,
B Et quæ sunt thalamo coniuncta negotia, quæras,
Coniugis & sancta referas pro virgine nomen:
Aut etiam assideas alienis improba tectis,
Atque epulis, intérque greges verseris inepte
Seruorum, turbásque domus strepitúsque molestos,
Próque fame expleta verba obsequiosa rependas.
Hospitibus porrò tibi sit modus excipiendis:
Si pietas, si quem commendet maxima virtus,
Huic facito, vt pateant angusti limina tecti.
Sin vnus de vulgo hominum, procul hic sit amicus,
Ducetur tibi parua domus desertáque laudi.
C Hospite præstiterit siquidem tibi, Virgo, carere,
Quàm sine delectu cunctos admittere tecto.
Nam cœtu in magno facilis iactura pudoris,
Atque hinc virginea in vita graue dedecus hæret.
21 [21] Colligere ergo fidem caueas à finibus orbis.
Quinetiam canos hominis seniúmque verere,
Et mores imitare graues. Cordata senecta
Commoda plura feret, quàm stulta leuísque iuuentus.
Nec verò ardenti pietatis concita zelo
Cum leuibus discurre viris, oblita decori,
Adq; sacras ædes procul à te perge remotas.
D In cuiusque domo Deus est, cunctísque propinquus,
Pectoréque in medio semper versatur amantis.
In primis venerare Deum, tum deinde sacratum
Pontificem, in terris fungentem munere Christi:
Quo duce certa teris fluxæ vestigia vitæ.
Huic tu præpetibus comitem te adiungito pennis,
Huic taciturna tuum Virgo submittito collum,
Hoc gaude alta tenens, huic labens cede doléque:
Te pauor vt rursus tractam subducat in altum.
Mortua sis cunctis aliis, velutíque sepulta.
Namque hoc virginibus melius, quàm ducere vitam
Expositam cunctorum oculis fœdéque retectam.
E Illa mihi mulier, quam nescit turba virilis,
Quæ procul à mundo viuit, quǽque abdita Christo
Cernitur, illa mihi dignissima laude videtur.
Magna quidem tua sit pietas, præcláraque virtus:
Nec tamen idcirco pietatis laude tumescas.
Laudem etenim captans hominum famámque caducam,
Egregiam laudem amittes noménque perenne.
Fœmineo è sexu fastus tollatur inanis.
Quem tu virtutis meritis fulgere videbis,
Hunc feruenter ama, & tota complectere mente:

Contrà quem vitiis tinctum perſpexeris, illum A
Inſectare odio. Non eſt in diſpare culpa,
Qui premit inuidia motus virtutis alumnos,
Quàm vitio addictis qui ſe profitetur amicum.
Nec tranquilla malis cùm proſpicis omnia, rectum
Deſere iter: iuſtos nec cùm mala plurima vexant,
Te ſæuus dolor excruciet, mentémque perurat.
Hi vitæ luſus, hæc fallax alea mundi.
Quocirca extremos rerum vigil inſpice fines.
Dum mare cœruleum arridet, fluctúſque quieſcunt,
Lætitiæ moderare tuæ. nam fortè propinqua
Tempeſtas puppim quatiet, mergétque profundo. B
Aut igitur timeas inſtantem Virgo procellam,
Aut dubios caſus incertáque tempora vitæ.
Certius iniuſto veſtigia fige cadente:
Quòd ſi etiam recti ſtudium complexus & æqui
Corruat, ipſa tuæ tantò mage proſpice vitæ.
Nam cùm etiã inſignes homines titubéntq; cadántque,
Ardua inoffenſam res eſt traducere vitam.
Carbones pedibus vita eſt hæc tota moleſti.
Per medios graderis laqueos, per mille pericla.
Ac timor inceſſit mentem, ne fortè ſalutis
Læuius in infida iaciens fundamen arena, C
Obrutus imbre cadam fluuiíſque & turbine venti:
Aut velut in ſiccam labentia flumina terram,
Protinus ipſe quidem exoriar, ſed Solis acutis
Areſcam radiis tactus, moriárque repente,
Aut etiam placido recreanti membra ſopore
Inſerat impurum ſemen mihi liuidus hoſtis,
Pinguia qui lolium clam fundit in arua nociuum.
Aut cùm caſta decas priuans ſua lumina, ſomno,
Ardentéſque faces geſtans, perfuſáque luce,
Ætherea Chriſtum venientem ex arce manebit,
Vt ſplendens rutilo, veluti decet, obuia fiat, D
Annumerer ſtultæ claſſis, tenuémque micantem
E facibus lucem cernens, iam fortè propinquo
Principis æterni gnato languente lucerna
Tum ſerò infelix oleum vitale requiram,
Et foribus clauſis thalamo miſer arcear illo,
In quo pectoribus puris commixtus amore
Chriſtus ſplendorem tribuit famámque perennem.
Nati connubium celebrat pater, atque ſuperbas
Regaléſque omnino epulas feſtiuus adornat.
His vtinam interſim, cunctíſque accumbere detur,
Queis mea chara ſalus. Ille excludatur ab aula, E
Qui villam geminóſue boues, thalamúmue iugalem
Non epulis ſtultus dubitat præponere ſanctis.
Atque etiam grauiter metuo, cum cætera turba
Connubiis digna thalamis quoque veſte tegatur,
Ne, quia pannoſo ſordet mihi corpus amictu,
Protinus abripiar manibus pedibúſque reuinctis,
Et thalamo atque epulis charíſque excludar amicis.
Cúmque meus dominus thalamo thalamíque relictis
Deliciis tandem cœleſti ex arce redibit,
Ac ſubitò adueniens toto ſpectabitur orbe,

O vtinam

A O vtinam inter eos numerer, qui mente parata
Illius aduentum expectant, laudétque timorem
Ipse meum, famulúmque bonum vocet atque fidelem:
Vt qui conseruæ lenem facilémque cateruæ
Me præstem, fideíque illis alimenta ministrem,
Sedulus & partes frumenti partiar æquas.
Hæc, veluti natis genitor charissimus, ipse
Virginibus mando: vos charum audite parentem,
Et dulces nati, & natæ, pulcherrima proles,
Gratia si qua mihi affulget. (nam fortè refulget)
Nec velut Helidæ contemnite iussa parentis:
Ne scelus horrendum non dispar pœna sequatur.
B Nunc alios demum verbis affabor apertis,
Æqua vtrisque tenens exactæ pondera libræ
Cœlitibus, thalamíque iugo quæ colla dedere:
Ac mihi sit testis magnus moderator Olympi.
Quantò Virginitas melior quàm vita iugalis,
Tanto etiam dubiam præcedit virginitatem
Coniugij sancti nexus castúmque cubile.
Ergo virgineam vel prorsus dilige vitam,
Si genus hoc vitæ arridet, vel, membra domare
Si nequeas, thalamo ceruicem innecte iugali.
C 22 [22] Vtque is, qui ratibus secat æquora vasta, secundum Simile.
Sic teneas cursum, primo & meliore negato.
Ast fœdam vitæ mixturam vtriusque caueto,
Nec cœnum vino, nec felli dulcia mella,
Nec sacris Samaram Solymis misceto nefandam.
23 [23] Non etenim vt vano torquet sua membra labore, Dissimile.
Qui relegit gressus, pedibus quos triuerat antè,
Vel ferit emissa stultus loca densa sagitta,
Aut illam ante pedes laxato proiicit arcu,
Nec, quò tendebat, temerè volitantia fixit
Spicula: sic etiam qui Christo virginitatem,
Spirituale velut sacrum vacuúmque cruore,
D Obtulit, atque pedem referens connubia quærit.
Non illi hoc facinus tantùm iactura futurum est,
Sed casus grauis, & morti vicina ruina,
Et probrum ac labes omni durabilis æuo.
Non secus ac si quis prærupto è vertice montis, Simile.
Quem sudore graui reptans ascenderat, aurum
Vt foderet, cursúve feras agitaret agrestes,
In terram subita lapsus cadat ille ruina.
Quis porrò pœnam Ananiæ Saphiræque tremendam
Cùm legit, occultos nummos qui morte luerunt:
Non, etiam leuiter, metuit perfringere vota?
E 24 [24] Isque etiam in linguam effictum qui sustulit aurum,
Vestésque, & paucos ignaro principe nummos,
Sacrilego totam constrinxit crimine gentem.
Virginis haud leuius crimen, quæ perfida cursum
Egregium linquens, miserè in contraria fertur.
Immò etiam quantò melior res prædita vita,
Tantò etiam furto grauiori astricta tenetur.
25 [25] Ac pereat thalamus, pereat coniunctio vitæ,
Quam non lex thalami, non connubialia iura
Sanxerunt: verùm ille animas qui recta tenentes

Inuidus obtorto collo in diuersa retorquet,
Vt premat imperij maiorem compede turbam.
Primus ab æthereo ad terram splendore volutus,
Ac tumidæ mentis pœnam, graue dedecus, atque
Immortale tulit probrum. quem nocte diéque
Obserua, stimulum tibi ne defigat acerbum.
Vos ego conuerso iam nunc sermone parentes
Alloquar, in quorum manibus iacet arbitrióque
Gloria virgineæ vel fœda infamia prolis.
Ac simul ad charos etiam dabo dicta propinquos,
Et quibus ætatis commissa est cura tenellæ.
Haud decet, haud fas est magni figmenta Parentis B
Cogere. namque omnes ab origine fluximus vna,
Et rex, & regi qui vectigalia pendit,
Diues, inops, altis soliis quaque insidet, & qui
Vergit humi, florénsque annis, fractúsque senecta,
Omnes eiusdem soboles patris, omnibus idem
Spiritus, ad regem cuncti properamus eundem.
Omnibus est natus, mortem tulit omnibus æquè
Christus, & ad vitam rediit, vitámque beatam
Obtulit & rutili conuexa palatia cœli.

Virginitatis cupidæ ad nubendum cogēdæ nō sunt.

Nemo igitur stolidæ vanissima gaudia carnis
Dum sequitur, Christi quæ flagret amore, puellam C
Inuitam ad thalamos reuocet, Venerémque molestam:
Ac velut hærentem saxo affixúmque rigenti
26 Polypon, aut volucrem tentet depellere nido.
Quin tua si potius transfixit pectora Christus,
Atque ea diuino Pater immortalis amore
Impleuit, Christo ne sit graue sistere nympham,
Aut puerum, vt quondam, gremio quem fuderat, Anna.
Quo nullum semen sacratius, hostia viua
Primigenis cunctis præstantior, omnibus vuis,
Et spicis, manus agricolæ quas sedula carpit, D
Primitiis frugum dum cœli numen adorat.
Quòd si inter Christum mundíque incedis amorem,
Lance pari studeas vtramque expendere vitam,
Quæque bona, & quæ sint vtriusque incommoda partis,
Egregiis verbis referens, quémque vtraque finem
Spectet: tum demum tulerit quocunque voluntas
Illius, huc sequere, ac thalamo vel porrige dextram
Auxilij, vel diuinæ succurrito flammæ.
At quæ maturis iam vitæ adoleuerit annis,
Vt vel mortali possit, vel nubere Christo:
(Vt vir enim vxori, sic natæ vincla parentes:
Atque vtrique Deum metuunt, sed Virgo timore E
Depulso, flammis cœlestibus ardet in illo.)
Hanc neque connubij cupidam cœtúsque virilis
Reprime: nec rursus cupientem nubere Christo,
In thalamos compelle graues, & trade marito.

Tentādus animus Virginitatē appetentiū.

Nec tamen impedio, quin tentes nonnihil illam,
Quámque habeat mentem, explores, faciásque periclum.
At verò totam si tu mentémque manúmque
Connubio dederis, thalamos epulásque, chorósque
Instituens, animo lætus, curísque molestum
Talibus excutiens senium, miseréque fugata

A Virginitas cœlos repetat, Christóque querelas
27 Deferat, vt quondam [27] terris Astræa relictis
In cœlum rediit, cùm bos est cæsus arator:
Quàm vereor ne iudiciis Pater almus iniquis
Offensus iusta facinus graue vindicet ira!
Cui natura omnis cedit terrena, pauensque,
Cera velut rapidis flammis admota liquescit,
Et mentes hominum terret, versátque tremore.
In terris porrò qui sanctè numen adorat,
Hic similis superis, hic diuûm proximus ædi.
Is verò haud dubiè fœdò se crimine vinxit,
Qui teneræ carni naturam carne vacantem
B Miscuit, angelicóque eduxit amore gigantes,
28 [28] Criminibúsque Deûm purgauit atrocibus orbem.
Hæc Græci fingant, quorum væsania diuos
29 [29] Condidit authores vitij scelerúmque patronos,
30 [30] Fures, androgynos, mœchos, pestésque virorum,
Carnifices, natos tollentes morte patrésque.
Quódque etiam multò grauius, templísque sacrísque
Crimina non puduit miseros ornare nefanda.
Perspice, quàm varias proles Saturnia formas
Sumpserit, insanæ veneri dum laxat habenas.
Nunc auis efficitur, nunc serpens atque maritus,
C Nunc taurus niue candidior, nunc cygnus & aurum:
Et quascunque iubet natus Cythereïde formas
Arripit, ac pueri quàm primùm iussa facessit,
His sanè probro sit carnem compede stringent
Virginitas, nullo his prorsus celebretur honore:
31 [31] Hi fieri non posse putent, vt carnea moles
Fulgeat, expendunt propriis qui sordibus omnes.
Ast ægri est oculi nigrantia cernere cœli
Sidera. sic tellus, quamuis immota quiescat, Simile.
Voluitur ipsa tamen cæca vertigine captis.
At nos virgineam probris conscindere vitam
D Haud decet, & duris insontem carpere verbis.
Quid mirum in medio si fixus corpore Christus
Humanos omnes pellat violentus amores?
Sanguineum ægrotæ solo velut antè repressit
Profluuium tactu (Namque est furata salutem
Illa volente Deo, siccatáque vena cruoris.)
Aut gladios, vndásque graues, flammásque feroces,
Immanésque feras laniantes corpora sancta.
Christicolis animus circum præcordia maior
Exilit, infestus quoties mouet arma tyrannus,
Persequitúrque fidem Christi, bellóque lacessit:
E Tum vitam insomnem ducunt tectóque carentem:
Tum gemitus lachrymæque fluunt, tum vota precésque,
Tum dulces hymnos noctúque diúque canentes
Sidera summa petunt, mundóque & carne relictis,
Tum tenui victu sustentant corporis artus:
Antra vicem tecti præbent vastæque cauernæ,
Strata lapis, mollésque herbæ, ramíque viroris
Expertes: syluásque truces, atque inuia quærunt,
Cúmque feris habitant, fugientes vincula carnis.
32 [32] Vt Phœnix moriens primos reuirescit ad annos, Simile.

In mediis flammis post plurima lustra renascens, A
Atque nouum veteri surgit de corpore corpus:
Haud secus egregia redduntur morte perennes,
Dum pia diuinis ardescunt pectora flammis.
33 [33] Corpore in afflicto sita vis roburque piorum est.
Hæc quisquis bene perspiciet, cum corpore fœdus
Non feriet, postquam meliore exarserit igni.
O rerum natura parens, ô maxime diuûm,
Arbitrio qui cuncta regis, miracula pandam
Iam tua, quæ terris lucent, vastúmque per æquor.
Turtur. 34 Vt semel est dulci [34] turtur viduata marito,
Extinctum gemit assiduè, luctúque requirit. B
O verè sapiens volucris! Mortalibus autem
Quantò Virginitas tandem præstare putanda est?
Cornix. 35 Garrula quinetiam [35] cornix orbata marito
Tristis agit vitam, cunctósque exhorret amores.
Pisces. 36 Nec verò multi [36] circum connubia pisces
Finibus excedunt legum, temeréque feruntur
In venerem: vitam sed magna ex parte pudicam
Traducunt, thalamósque & iura vxoria curant.
Namque etiam in magno legis viget æquore regnum.
Sunt quibus est vno partu contenta libido:
37 [37] Sunt qui duntaxat sub verni temporis horam C
Fœmineo coitu gaudent, natura modúmque
Imposuit veneri, & rabidos frenauit amores.
Omnibus ac rursus coëundi tempora certa,
Aëriis, quæque in terra versantur, & alto.
Namque animal nullum fines excedit amoris,
Sed tempestiua stimulata libidine cuncta
In venerem exorto turgentia Vere feruntur.
Ac quædam mixtim coëunt discrimine nullo.
Cætera legitimo coitu definit amorem
Turba, suis rabidos sedans vxoribus ignes.
Sunt etiam quibus est vnum satis edere fœtum, D
Vt scriptis retulere suis, quos noscere iuuit,
Quótque & quàm varios pariant animantia fœtus.
Ergo pudicitiæ cùm quandam animantia curam
38 Bruta gerant, tu [38] quem summus Dominator Olympi
Omnipotente manu finxit, non compede totam
Astringes carnem, modò sit tibi prompta voluntas?
Sic etenim es factus, rationi vt cedere rectæ
Non minus ipse queas, quàm ferrum cedere flammis.
Quòd si vt me diuum effecit cœlestis imago,
Non itidem tenet imperio mens optima carnem,
Dic mihi, quid tandem nobis animalia cedunt, E
Motibus omnino si nos agitamur eisdem?
Quanquam autem multi affectus rapiuntur in omnes:
Communis tamen haud dubiè natura frequenter
Vincitur, & mandata lubens diuina facessit.
Nam mihi nec corpus dispar, nec carnea moles:
Et tamen extractum mundo crux compede firma
Vinxit, eíque meos affixi corporis artus.
Namque ego cum Christo cupio decedere vita,
Vt simul ad vitam redeam, simul æthera tangam,
Cuncta ferens Christi, Verbum, carnémque caducam,

Clauosque,

A Clauosque,& mortem,& rediuiuæ lumina vitæ.
Sponte domant alij carnem, non cœlite flamma
Incensi. quare nec Virginitatis honore,
Nec titulo digna est talis compressio carnis.
Nec tamen æterni venit hoc sine numine Patris,
Vt quisquam veneris fœdæque libidinis expers
Viuat,& hoc fragili maneat tranquillus in æuo.
Inuenies etiam,qui dulcia vina cibósque,
Quos alij quærunt,exhorreat,atque liquores.
Sunt alij rursus,generis consortia nostri
Qui fugiant,hominúmque odio loca sola sequantur.
B Ast in cœlibibus tu tantùm incredulus hæres.
Quanquam incredulitas,nisi fallit opinio mentem,
Non adeò in causa est,quam quòd timor occupat artus:
Nec memor es,thalamus quot secum incommoda portet.
39 Paruula flammigeros currit [39] Salamandra per ignes, Salamãdra.
Ac velut in gelida figit vestigia terra.
40 [40] Empyrus est piscis,qui nunquam absumitur igne: Empyrus.
Verùm ardens mediis effulget in æquoris vndis.
41 [41] Nónne etiam cogit magnes assurgere ferrum?
Nónne adamas manet indomitus,nec viribus vllis
Frangitur? in saxis quædam tam dura videbis,
Ictibus vt nequeat ferrum his extundere flammam.
C
42 [42] Infusis aliud lymphis citò concipit ignem:
Quásque etiam saxo flammas expresserit vnda,
Protinus infusus liquor has extinguet oliui.
Cætera de genere hoc,nam plurima dicere promptum est,
Quis tandem numerare queat miracula Verbi?
Mens etenim sapiens ludit, speciésque creatas
Temperat arbitrio,& toto commiscet in orbe.
Ex multis nunc pauca tamen memoranda videntur,
Quæ partim his oculis vidi,partim auribus hausi.
Partim etiam monumenta fidem mihi prisca dedêre.
D An non decliui labuntur flumina cursu?
An non littoribus sæuum constringitur æquor?
An non flamma leuis natura fertur in altum?
43 [43] Et tamen est fluuius, qui salsas permeet vndas,
Nec quicquam miscetur aquis aqua dulcis amaris.
At licet è pelago nautis haurire fluenta
Dulcia, si refluum ratis admoueatur ad amnem.
44 [44] Iam verò Euboicum vidi tractúmque fretúmque,
Quod furit insanis crebrò redeuntibus vndis:
Vnda fluit refluítque,& rursum versa recurrit,
Ac modò deserta repetit citus æquora terra
Oceanus, rapido nunc verberat impete terram.
E Cimmeriáque itidem in ripa nunc humida tellus
Cernitur æquoreis,nunc contrà obducitur vndis.
Est alius rursus flammis ardentibus amnis,
Si modò vera ferunt, Ætnæo vertice manans.
Mirum profluuium! nexu sociatur amico
Ignis aquæ,coëunt Christi contraria iussu.
Quinetiam in paruis eadem miracula lucent.
45 [45] Esse ferunt semen, quod solum ex omnibus illis,
Vbere quæ gremio tellus largissima fundit,
Corpus habet rigidum, nec terra soluitur vnquam,

Imbre nec æthereo pinguet. ſed tempus in omne
Defixum ſiccúmque manet, nec cornibus vllis
Duritie quicquam cedit, quod ſcilicet ictum eſt
Cornibus obduris validi bouis, arua colonus
Dum ſerit, & fido Cererem committit agello.
Atque hinc naturam cum nomine traxit eandem:
Ni tamen eſt doctis præſtantior altera cauſa
Nota viris, noſtræ quæ fallit mentis acumen.
Hæc natura facit. Iam verò perſpice, quantum
Ars hominum efficiat, naturæ iura reſoluens.
Sturnus enim noſtras condiſcit reddere voces,
Atque aliena ſuo garritu verba profari,
Quæ viſa in ſpeculo ſturni depicta figura
Edocuit, vírque ingenio præclarus & arte
Stans retrò, ſturnum ſturníque in imagine fallens,
Dum ſua furtiua modulatur carmina voce.
Nec minus humanum videas effingere coruos
Eloquium, ac noſtris crebrò ſermonibus vti.
Sic etiam in cauea pulcher canit ore recuruo
Pſittacus, & voces hominum mentitur, & aures
Cantu ſæpe ſuo noſtras auis improba fallit.
Pendulus eſt etiam funis plerumque caballis,
Per quem, non aliter quàm lato tramitte terræ
Fortia membra trahunt: liquidúmque per aëra fertur
Vrſa, ſedénſque grauis, velut ad ſubſellia iudex,
Iuris, vt apparet, rectiſſima pondera librat
Anteriore pede, & ſimulat fera bellua mentem.
Arsque hominum docuit, quod ei natura negarat.
Quinetiam hærentem ſpectaui ſæpe leonis
Dorſo hominem, ſæuámque feram manus vna domabat.
Ille quidem aurigæ ritu tractabat habenas:
At fera peſtiferum linquens aſperrima flatum
Parebat, dominúmque ſuum mulcebat amicè.
Inſuper horribiles ducit manus Indica barrhos,
Exiguíſque puer ſtimulis miteſcere cogit,
Seſſórque intrepidus validiſſima membra gubernat:
Non ſecus ac clauo regitur latiſſima puppis.
Audax qui rabiem primus mollire ferinam
Tentauit, duróque iugum graue nectere collo,
Nec portentoſum trepidauit ducere currum.
Ergo hominum generi vitam præferre ferinam
Non dubitas, ſi cùm naturam inflectat earum
Vis hominum, labor aſſiduus, doctrináque longa,
Hi contrà indociles perſtent, nec flectere mentem
Ad meliora queant, quantumuis ſermo propinquus
Inſonet, & recti præcepta inſtillet in aures.
Barbare, quid tantùm regis figmenta superni
Deprimis, & tanta pergis conſpergere labe?
Támne ſuo generi quiſquam ferus extitit hoſtis?
At mihi non animus, non eſt ſententia talis,
Nec cuiuis alij, ratio quem recta gubernet.
Noui ego cœleſtes animis, & corpore puros
Vtroque in ſexu multos. nam fœmina ſolùm
Robore membrorum cedit: communis vtroſque
Inflammat virtutis amor: communis vtriſque

A Est via, quæ celsum rectissima tendit ad æuum.
Hícque ille est potior, cuius mage prompta voluntas.
Hæc manus hæc hominum labor improbus efficit: at tu
Diffidis solum his, qui gaudent cœlibe vita.
Quanquam incredulitas (nisi fallit opinio mentem)
Non adeò in causa est, quàm quòd pauor obsidet artus:
Nec memor es, thalamus quot secum incommoda portet.
Hæc sunt cœlipetæ classis quæ mando propinquis.
At tu Virginitas vigilanti adnitere cura,
Vndique præsidio septa vt sis, & pede recto
Incedas, placeásque Deo, perfectáque viuas,
B Margaris in saxis, atque inter sidera cœli
Lucifer, in syluis frondosæ ramus oliuæ,
Lilium in herbosis campis, auibúsque columba,
Tranquillósque secans fluctus tutissima puppis.
Virgo, mundum omnem fugitiuáque gaudia vitæ
Abiiciens, celeri cursu te adiungito Christo.
Et manibus complexa manus inducito lætum
In thalamum, grato penitus perfusa liquore:
Vt tuus infuso cœlesti ex arce liquori
Iungatur liquor, & sancto societur amori
Sanctus amor, tectúsque decor miréque refulgens
C Attrahat occultum plenum radiisque decorem,
Atque tuæ Christus formæ correptus amore
Te sibi desponset, velóque à fronte remoto
Obstupeat, forma cernens præstante puellam,
Sanctam, gemmatam, caput in sublime ferentem:
Amplificétque tuæ largissima munera formæ
Dulcis amans, lætúmque suas perducat ad ædes,
Inque choris sanctis, in cantibus atque supernis
Magnificis thalamíque epulis sibi fœdere iungat,
Atque venustatis cingat tua tempora serto,
Nectaris ætherei fœcundáque pocula fundat,
D Abditáque ostendat sophiæ mysteria summæ,
(Cuius vt in speculo tenues nunc cernimus vmbras)
Lumina vera animi radio cernentis aperto.
Spiritui nam tum crassissima corpora cedent,
Ac leuia æternæ potientur munere vitæ.
At nos ô chari iuuenes charæque puellæ,
Quarum sanctus amor Christi pia pectora cepit,
Connubium Patris æterni celebremus ouantes:
Atque suas omnes accensas vsque lucernas
In manibus teneant, diuinæ imitamina lucis.
Quas sermo & morum ac vitæ præstantia semper
Excitet, in cœlos, vt lucida flamma feratur.
E Tu quoque sancta Trias nobis accede benigna,
Tu bona quæso veni nobis, quæ semper in vnum
Ex vno cois, & claras hic lumine mentes
Perstringis: radios at verò splendidiores
Nobis ætherea tandem iactabis in aula:
Queis Deus effulges vnus, Genitor, Genitúsque,
Spiritus atque sacer. Deitas namque integra sese
Sistit in integræ Triadis numeróque fidéque.

 A

SCHOLIA.

1. *Néve tuam exiguo)* Exiguo modulo ac pede se metiuntur, qui ad sceleratorum hominum vitam tanquam ad certum examen, vitæ suæ rationes exigunt, sibique mirificè gratulantur, si à grauissimis quibusdam criminibus, quæ in aliis perspiciant, immunes se esse arbitrantur. Atqui non est hæc vera libra, ad quam Christianus se expendere debet, sed doctrina illa, quam nobis sequendam Christus proposuit. Huc pertinet illud Origenis lib. 3. in epist. ad Rom. Beatus est qui ex comparatione meliorum iustus appellatur, & non ex comparatione pessimorum, sicut Sodoma, quæ ex comparatione Hierusalem iustificata memoratur. Et quod ait Senec. Epist. 80. Non est bonitas, pessimis esse meliorem.

2. *Ad cætera magno)* Alludit ad illud Pauli Coloss. 3. Nō quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor tamen, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Et paulò pòst, Vnum autē, quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea autem quæ sunt priora, meipsum extendens, ad destinatum persequor.

3. *Nec verò turbæ)* His verbis locum eum attingere videtur, qui Exod. 23. habetur, Non sequêris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. B

4. *Cunctísque columna)* Quam enim nos salis statuam vocamus, in quam vxor Loth cōcreuit, Gen. 19. Septuaginta interpretes στήλην, id est, columnam appellant.

5. *Pérque arctam)* Matth. 7. Contendite intrare per angustam portam. In Græco pro ἐξελάσῃς hoc loco legendum διεξελάσῃς.

6. *Velut in thalamo)* Lego ὡς νυμφῶσι, non ἐν νυμφῶσι sic enim locus hic restituendus est, vel Niceta ipso iudice, qui in Comment. Orat. De noua Dominica hæc verba poëticis numeris soluens in hunc modum loquitur, τὰ μὲν δὴ ὄμματα οὕτω σωφρονιζέσθω, ὥσπερ ἐν νυμφῶσι τοῖς βλεφάροις παρθενικοῖς θαλαμευόμενα, significans ita coërcēdos esse oculos, vt palpebris quasi cubiculo quodam nuptiali teneantur.

7. *Fœdátque suum)* Vnicæ literulæ iactura densissimam huic loco caliginem offudit. Quis enim vel ex ipsa metri ratione non videat, non πόρον (tametsi ita legatur in vtroque exemplari & Aldino & Heruagiano) sed πορνὸν legendum esse? Hoc enim vult Gregorius ei castitatis pudicitiæq; laudem constare non posse, quæ superbè & cum fastu incedat: quamuis alioqui reipsa nullas libidinis sordes contraxerit. Virginitatem enim non in eo solùm consistere, vt corpus castum inuiolatúmque seruetur, sed potissimùm in animi virtute mentísque puritate. Consimilis error in Monostichis obrepsit. Vbi enim legitur, μηδ' ἐπορεύοι γέλως, reponendum est πορνεύοι. Loquitur enim de procaci ac petulanti risu. Alioqui enim quis vnquam Actiuum verbum πορνεύειν apud vllum authorem legit? C

8. *Multiplici est facies)* Picta, inquit, & fucata facies argumentum certissimum est impuri & flagitiosi animi, tacitísque indiciis libidinem prodit: atque idcirco eas, quæ huiusmodi fucis oblectantur, κινουμένους πίνακας τοὺς ζῶντας ad differentiam τῶν ἀκινήτων, hoc est, viuas tabulas vocat, quemadmodum & aliis quibusdam locis, vt in Gorgoniana.

9. *Virgo)* Hi à Græcis Συνείσακτοι dicuntur: qui autem sint, quámq; huiusmodi hominum genus detestati sint optimi Patres, alibi iam diximus. Hoc verò loco Virginib. earum excusationū laruam detrahit, quas turpissimæ suæ probríque plenissimæ cum viris consuetudini vitæ contubernióque prætexere solebant.

10. *Cognomentum Agapes)* Ita rei turpissimæ honestissimum nomen imponebant. ἀγάπη enim charitatem significat, ac pro sancto & casto amore proprie accipitur. Agaparum meminit Clemens lib. 2. Constit. Apost. cap. 32. eóque nomine appellabantur illa conuiuia, quæ olim in Ecclesia ex charitate celebrabantur. Meminit etiam Tertul. lib. 2. ad Vxorem. Hoc tamen loco per ἀγάπην, Συνείσακτις illa fœda significabatur, qua nō sine magna piorum omnium offensione atque ingenij Ecclesiæ probro, monachi quidam, aut alioqui cœlibatum professi, fœminas sibi contubernales adiungebant, ac turpissimam hanc vitæ societatem ἀγάπην appellare non verebantur. Quo etiā modo vir quidem fœminā eam, cum qua habitabat, Agapetam, fœmina autem virum Agapetum nominabat. Hoc patet ex D. Hieronymo, qui Epist. 22. ad Eustoch. de custod. virginit. his verbis vtitur: Vnde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Vnde sine nuptiis aliud nomen vxorum? Imò vnde nouum concubinarum genus? Plus inferam: vnde meretrices? Ac paulo post: Vnde meretrices vniuiræ? Eadem domo, vno cubiculo, vno sæpe tenentur & lectulo: & suspiciosos nos vocant, si aliquid extimemus. Ex quibus verbis illud perspicuum est, hæc, quæ de Agapetis dicuntur, non ad Christiana conuiuia, quæ in luxum & inhonestas epulas versa fuerant (vt illic exponit interpres) sed ad impuros hos Συνεισάκτους referenda esse. D

11. *Et flammam aut flammæ)* Hoc est, Ex illo turpi atque infami contubernio vel in libidinem prorues: vel animum ipsum stupri cogitatione voluptatísque titillatione commaculabis, vel hominibus certè offendiculi ansam porriges. E

12. *At domus)* In Græco vitiosè legitur δὸς μοι. legendū enim δόμοι, vt & carminis lex poscit, & sensus. Atque etiam tacitæ huic obiectioni respondens Theologus ait, καὶ δόμοι ἀγλάεντα.

13. *Aurea ferro)* Alludit ad Homericum Glaucum, qui per væcordiam aurea arma æreis cum Diomede permutauit. Vide Iliad. ζ.

14. *Alcinoi regis mensam)* De Alcinoi mensa, & quo modo abierit in prouerbium, diximus in Annot. in Epist.

15. *In medio porrò virtus)* Aristot. Ethic. lib. 2. cap. 6. Virtutem mediocritatem esse definiuit. Vnde Horat.

Virtus est medium vitiorum vtrinque reductum.

16. *Echeneïda carnem)* Eleganter carnem Echeneïda vocat. Quemadmodū enim Echeneis piscis cursum nauis inhibere ac remorari dicitur (ab eóq; etiam & Græcè ἐχενηΐς & Latinè Remora vocatur) ita etiam corpus velut

iniectis

A *iniectis compedibus animam premit, nec eam in cœlum sese efferre sinit. De Echeneide autẽ, vt hoc obiter admoneã, in ea sententia est Plutarchus Problem. Sympos. decade 2. cap. 7. eam non tam causam esse, cur nauis tardè feratur, quàm additamentũ & cõsectarium esse principis causæ, quæ tarditatẽ inuexit, nimirum humiditatis. Remoram porrò magnitudinis cubitum habere, fusco colore, similémque anguillis, scribit Oppianus li. 1. de Piscibus.*

17. *Soleas stridorem) Apud Lelium Gyraldũ Syntag. 1. de Diis Gentium, Momus dicitur conuicij, maledicentiæ, ac reprehensionis Deus, quem ex Nocte natum dixerit Hesiodus: qui tantæ libertatis fuerit in reprehendẽdo, vt & sandalia & crepidas Veneris reprehenderit. De illius mordacitate paßim vide apud Lucianum.*

18. *Non tam etenim) Qui virginitatem amplectitur, non matrimonij odio & execratione eam colere debet, sed vt plus virium habeat ad comprimendas animi perturbationes vitiáque propellenda ac profliganda. quibus si nihilominus scateat, quid tandem illi virginitatis studium profuerit?*

19. *Aspidis haud grande) Mors quæ aspidis ictu infertur, lenißima est, quemadmodum Cleopatra ipsa periclitatione percepit. Nam cùm in conuiuio à quibusdam exquireret, quodnam mortis genus doloris acerbo sensu careret, responsum est, tam eam quæ gladio, quàm quæ veneno inferretur, grauem & acerbam esse: eam verò quæ aspi-*
B *dum morsu conflatur, lenitudinis plenam esse. Ac proinde id quoque mortis genus præ cæteris elegit, vt est apud Suetonium in Augusto, & Gillium Æliani excerptorem. Non tamen omnes aspides hanc vim habent, sed ea tantùm quæ ob id Hypnale vocatur, quòd somno necet. Vide Solynum cap. 35.*

20. *In diuersa feratur) In vtroque exemplari & Ald. & Heruag. legitur* πελάζοιτο: *ego verò lego* πλάζοιτο. *Loquitur enim de mente, quæ veluti compressa manu est retinenda & coërcenda, ne vanis erroribus hac illácque distracta feratur.*

21. *Colligere ergo fidem) Virgines eas perstringit, quæ sine delectu exteros omnes hospitio excipiebant: ídque eo se facere causabantur, vt fidei Christianæ pietatem ipsorum doctrina alerent.*

22. *Vtq; ii, qui ratibus) Quemadmodum, inquit, qui mari iter faciunt, cùm eum quem maxime optant, nequeunt, proximum illi tamen, quanquam non adeò commodum, cursum tenere conantur: ita quibus ad virginitatis laudem aspirare per carnis infirmitatem non licet, matrimonium contrahant. Nam huic quoque vitæ generi sua laus est. Atque illis cõiugalem vitam præstat amplecti, quàm in virginitatis professione publicis cœtibus hominúmque frequentia delectari, vitæq; huius fluxæ fragilísque curis perinde immergi, ac si non virgini-*
C *tati sed matrimonio nomen dedissent. Hoc enim quid aliud fuerit, quàm vel mel cum felle, vel vinum cum cœno, vel denique Hierosolymam, quæ verum Dei cultum studiosè constantérque retinebat, cum impia, & ad idolorũ cultum prouoluta Samaria commiscere, &, vt cum Synesio loquar,* τὰ ἀσύγκλωστα κλώθειν.

23. *Non etenim vt vano) Qui, inquit, iter quod fecerit, velut relegit ac retexit, aut qui scopum ad quem collimabat, non est assecutus, nil aliud quàm operam lusit. At virginis longè alia est ratio. Quisquis enim virginitatis, quam Deo vouerat, abiecto studio ad coniugatam vitam regreditur, non modò priorem operam lusit, sed grauißimo crimine sese obstringit. Puto autem hîc legendum vnica dictione* ἐπίταρβος, *vt iungatur cum substantiuo* πόνος: *aut certè non,* τάρβος, *sed* τάρφος *legendum.*

24. *Isq; etiam, qui linguam) Hunc locum explicuimus in Schol. orat. de Ægyptiorum appulsu. sensus autem Gregorij talis est. Si Acham ob surreptum aurum & vestes quasdam Deo consecratas grauißimo supplicio affectus est: quanto grauioribus pœnis dignus est, qui Virginem sacram Deo surripuerit?*

25. *Ac pereat thalamus) pereat, inquit, sceleratum illud & nefarium sacrarum Virginum introductitioriũmq; virorum contubernium, immò coniugium, quod specioso virginitatis titulo sese venditare solet.*

D 26. *Polypon) De Polypo pisce alio loco à nobis dictum est.*

27. *Terris Astræa relictis) Alludit ad Aratum qui in Phænomenis* δίκην, *quam Latini Astræã vocant, boue cæso terras reliquisse atque in cœlum auolasse fingit. Tanta enim, vt inquit, Tullius lib. 2. de Natura Deorum aurea ætate vtilitas percipi putabatur ex bobus, vt eorũ visceribus vesci scelus haberetur. Et Columella in præfat. lib. 6. ait olim tam capitale fuisse bouem necare, quàm ciuem. Plinius etiam lib. 8. cap. 45. quendam ob interfectum bouem in exilium actum fuisse ait, quasi colono interempto.*

28. *Criminibúsque Deũm) Quis enim facinorosos homines accusare, ac supplicio afficere audeat, cùm eorundẽ criminum dij conuicti teneantur? Rectè itaque Fulgentius, Mytholog. in fab. Mercurij, Si furtis præfuere dij, non erat opus criminibus iudice, ex quo culpæ habuere cœlestem authorem.*

29. *Condidit authores) Gentiles enim, vt vitiis suis patrocinũ quærerent, Deos finxerunt flagitiorũ & scelerũ antistites, vt Bacchum, Venerem, Priapum, &c. De quo in Orat. in sancta Lumina, & 1. Inuect. in Iulianum.*

30. *Fures, Androgynos) Furtorum antistitem Mercurium superstitiosa finxit antiquitas, Androgynũ, Hermaphrodytum, vel si mauis Dionysium (nam* ἀνδρόγυνος *de cinædo dici potest) Martẽ, Iouẽ, & ferè omnes adul-*
E *teros, hominúmq; carnifices, Saturnũ filiorum deuoratorem, Cœlique parentis exectorem, quemadmodum & ipse rursus à Ioue filio cœlesti principatu deturbatus est, cœlóque pulsus & eiectus. De Iouis amoribus satis à nobis dictum opinor in priore Orat. aduersus Iulianum: quibus, si placet, addere potes, pulchrè à Romano martyre apud Asclepiadem iudicem non solùm adulteria sed & masculinos & infandos Iouis concubitus notari. Sic enim ille apud Aurelium Prudentium.*

Sed, credo, magni limen amplectar Iouis:
Qui si citetur legibus vestris, reus
Laqueis minacis implicatus Iuliæ
Luet seueram victus & Scantiniam,
Te cognitore dignus ire in carcerem.

Lege enim Iulia apud Romanos puniebantur adulteri, vt Scantinia pædicones & cinædi. Iuuenal. Satyr. 2.

31. *Hi fieri non posse putant) Qui, inquit, totos se corporis voluptatibus dediderunt, in iisque felititatis summã*

positam esse arbitrantur, hi cæteros mortales ex se metientes, fieri posse non putant, vt huius vitæ curriculum cum castimonia & puritate à quoquam confici poßit. At qui Christum ex animo amant, cœlestiúmq; & sempiternarum rerum desiderio inflammantur, hi nimirum intelligunt nihil esse tam altum atque arduum, ad quod pij homines Deique amore præditi eniti ac peruenire non poßint, Idq́; etiam comparatione confirmat. Si, inquit, veri Christiani ac Dei æmulatione flagrantes pro Christi nomine fideique defensione atrociβimos quosque cruciatus ac mortem etiam contemnunt, quantò magis oblectamenta mundi carnisque voluptates? A

32. *Vt Phœnix moriens) Clemens lib. 5. constit. Apostol. cap. 8. de hac aue in hunc modum verba facit. Aiunt auem quandam esse soligenam vberem præbentem resurrectionis demonstrationem, quam dicunt comparem non habere, solámque in mundo reperiri: Phœnicem appellant, narrántque eam post quingentesimum annum in Ægyptum aduolantem, secúmque copiam cinnamomi, casiæ, xylobalsami adducentem, in loco qui dicitur Solis ara, consistere, ibíque conuersam ad aspectum Solis, ei vt aiunt supplicem conflagrare, redigíque in puluerem. Ex cineribus autem vermem existere, eúmque concalefactum in nouum Phœnicem formari, alitémque factũ in Arabiam, quæ est vltra Ægyptiacũ saltũ aduolare. Idémq; ex eo libro refert Cyrillus Hierosol. li. Catechef. Catechef. 18. Plin. lib. 10. cap. 2. Phœnicem scribit viuere annos 660. Senescentem casia thurísque surculis construere nidũ, replere odoribus, & super emori. Ex oßibus deinde & medullis eius primò ceu vermiculũ nasci, inde fieri pullum, principióque iusta funeri priori reddere, &c. De eo Herodot. lib. 2. S. autem Aurelius Victor Claudij Tiberij Imperatoris temporibus apud Ægyptum visum esse Phœnicẽ narrat. Quod ante eum P. Fabio & Luc. Vitellio Coss. euenisse narrat Corn. Tacitus lib. 5. Annalium, qui alia quædam à Plinio commemorat. In Phœnicis descriptione lusit Claudianus.* B

33. *Corpore in afflicto) Hoc est quod ait Paulus 2. Cor. 12. se intestini belli compreßionem obnixis precibus à Deo petentem, responsum hoc tulisse, sufficit tibi Paule gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.*

34. *Turtur viduata marito) Basilius Magnus hom. 8. in Hexameron, Turturem scribit seiunctã à coniuge nunquam societatem inire cum alio, sed sine coniuge vitam cœlibem degere, recordatione amißi consortis coniugium alterius abnuentem.*

35. *Cornix orbata) Tantam continentiæ laudem cornicibus tribuunt, qui de auium natura pertractarunt, vt extincto coniuge, non paruo tempore, sed nouem etiam ætates in summa castimonia viduæ perseuerent.*

36. *Circum connubia pisces) Quales esse scribit Sargos & Merulam Oppianus 1. lib. de piscibus. Plerósque enim vnica tantùm fœmina acquiescere testatur, vt Cantharũ, Ætnæum, aliósque complures. Huius hæc sunt verba.* C

Καί τοι μὲν πλεόνεσσιν ὁμευνάιαις ἀλόχοισι
Τέρπονται, Σαργῶν τε γένος, καὶ κόσσιφος αἴθων,
Τοί δὲ μίαν στέργουσι, καὶ ἀμφιέπουσιν ἄκοιτιν,
Κάνθαροι Αἰτναῖοί τε, καὶ ὐ πλεόνεσσι γάνυνται.
Plurima nonnulli quærunt connubia pisces,
Quales esse ferunt Merulas, Sargósque salaces.
Vna alij tantùm captant ex coniuge prolem,
Cantharus, AEtnæus, thalami nec iura resoluunt,

37. *Sunt qui duntaxat) Quanquam enim alij aliis anni temporibus ad coitum impellantur, tamen maxima ex parte non nisi verno tempore in venerem effundi solent. Vnde ad hunc modum scribit Oppianus lib. 1.* D

Εὔαρι δὲ γλυκὺς οἶστρος ἀναζχέμης φιλότητος,
Καὶ γάμοι ἡβώωσι, καὶ ἀλλήλων φιλότητες.
Vere nouo pisces veneris rapiuntur amore,
Discussóque algore hiemis connubia iungunt.

38. *Quem summus dominator Olympi) Cum animalia ipsa rationis expertia aliqua temperantiæ pudicitiæq́; cura tangantur, absurdum est profectò existimare hominem à Deo ad ipsius imaginem effictum rationéque ornatum toto vitæ curriculo puram atque integram castitatem tueri atque conseruare non posse. Alioqui si vt diuinæ imaginis decus & excellentia mihi diuinitatem attulit, ita ratio carnem imperij freno coërcere nequit, quã tandem in re brutis animantibus antecellimus?*

39. *Salamandra per ignes) Salamandra animal quadrupes lacertæ simile, stellatum, cauda breui, propter exuberantem quandam humoris copiam in igne viuere dicitur. Contráque illius flammam tanquam aduersus hostem venire, atque eum expugnare conari. De illa vide Plin. lib. 10. cap. 67.* E

40. *Empyrus est piscis) Ex his verbis colligere est ἔμπυρον, quem nos igneum vertere poßumus, nomen esse piscis cuiusdam flammei atque ardentis in mari victitantis. Nec tamen adhuc mihi in omnibus libris, quos de piscibus conscriptos legerim, piscem eo nomine reperire contigit. Illud quidem apud Gillium Æliani excerptorem legi in Africa feruentis aquæ lacum esse, in quo pisces & viuere & natare dicuntur, & ad obiectum cibum exilire: ac siquidẽ in frigidam eos quispiam iniecerit, interire. Sed diuersum est quod ait Gregorius. Nec enim hunc piscẽ in feruenti aqua viuere, sed contrà feruidum atque ardentem in frigida illæsum atque incolumem saltitare. Citat quidem Laërtius in Pythagoræ vita carmen quoddam ipsius, quo se inter alia, Empyrũ quoque piscem aliquando fuisse affirmat. Sed quisnam sit hic piscis hinc colligi non potest. Græca carmina hæc sunt,*

Ἤδη μὲν γὰρ ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε κόρη τε,
Θαμνός τε, οἰωνός τε καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος ἰχθύς.

Ipse

A *Ipſe etenim quandoque fui puer atque puella,*
Empyrus & tumidi piſcis maris, ales & arbor.

41. *Nonne etiam cogit Magnes) Quamuis Magnes ſuapte natura ferrum attrahat, tamen eàm vim amittit, ſi alij ſucco tingatur, quemadmodum ait Plutarchus in Sympoſ. Decad. 2. cap. 7. Et Plin. in proœmio lib. 25. Scribit etiam Solinus cap. 55. inter Adamantem & Magnetem occultã naturæ diſſenſionem eſſe, vt iuxtà poſitus non ſinat eum ferrum trahere. Eodem capite quoddam Adamantum genus eſſe ait, quod nec ferro vinci, nec igne domari queat, ſed ſolo Hirci ſanguine.*

42. *Infuſis aliud lymphis) In Britannia Gagates plurimus, optimúſque eſt lapis. Si decorẽ requiras, nigro gemmeus: ſi qualitatem, nullius fere ponderis: ſi naturam, aquâ ardet, oleo reſtinguitur: ſi poteſtatem, attritu calfactus applicita detinet, æquè vt ſuccinum. Solynus in Polyhiſt. cap. 25. qui hoc quoque vt alia fere omnia, Plinio ſuffuratus eſt lib. 36. cap 19.*

43. *Et tamen eſt fluuius) Alpheum ſignificat, de quo in Baſiliana, & in priore inuectiua aduerſus Iulianum*
B *verba fecimus.*

44. *Iam verò Euboicum) Eurypum intelligit, eiúſque reciprocationem deſcribit, de quo nos alio iam loço diximus, quemadmodum & de Ætnæo igne.*

45. *Eſſe ferunt ſemen) Quòd ſemina boum cornibus obuia incoctilem quandam duritiem contrahant, Theophraſtus aſſerit: ſed cauſam eius rei perobſcuram eſſe ait. Hanc rimans Plutarchus in Conuiualibus quæſt. decad. 7. quæſt. 2. Incoctilem contumaciam frugibus leguminibúſque à frigore inuehi cenſet: ex eóque fieri vt ſemina illa, quæ in boum cornua inciderint, quia non aſſequuntur conuenientiſſimam illam, vt Heſiodus inquit, poſitionem, ſed potius neglectim proiectorum, quàm ſeminatorum ſimilitudinem habeant, à frigore aut in vniuerſum aboleantur, & intereant, aut ægrè augeantur, atque exucca & lignoſa euadant. Horum ſeminum meminit Greg. Nyſſenus ad finem libri de immortalitate animæ.*

C AD NICOBVLVM PATREM, NICOBVLI FILII NOMINE.

ARGVMENTVM.

Nicobulus, vir clarus atque apud Imperatorem gratioſus Alypianã, Gregorij noſtri neptem, hoc eſt, Gorgoniæ ſororis filium, in matrimonium acceperat. Ab eo ſub Nicobuli filij perſona obtinere Theologus conatur, vt ipſum doctrinæ cupiditate flagrantèm in celebrem quandam Academiam mittat, quo literarum ſtudiis commodius operam dare, ac diſciplinarum orbem felicius obire atque abſoluere poſſit.



Vòd tua progenies ego ſim, pater optime, paruum
Munus id eſſe reor. Nam brutis omnibus hic mos,
Atque hominum generi, flagrare libidinis æſtu.
D Conſilióque Dei vitam capiuntque, viciſſim
Dantque aliis, laudémque ipſi poſt vltima fata,
1 Semen vt in ſpica, rediuiuo flore vireſcunt.
Aſt etiam me pòſt aluit tua cura? Quid autem
Hoc iterum magni? Vituli quoque plena parentis
Vbera fronte premunt, atque hunc perferre laborem
Vis adigit, dulcis tamen hæc iucundáque matri.
Stridula quinetiam circumuolat vndique pullos
Implumes volucris, ſéque hic illícque fatigat,
Pabula dum proli nutrix impaſta requirit.
Namque patres prolémque ſagax deuinxit amore — Naturalis amor parẽtũ in filios.
E Natura eximio, patribus commenta medelam:
Scilicet vt curas amor hic leuet atque labores.
Vnde etiam mater furibundas concipit iras
Ob vitulos, auis ob pullos, canis obque catellos
Aſpera bella gerit, rabidóque incenſa furore
Pardalis è ſaltu erumpit, ruit impete cæco
Sæuus aper, micat ex oculis vis ignea, ſetæ
Horreſcunt, ſéque exacuunt cum murmure dentes.
Maximus vnde vapor manat, ſpumáque cadente
Turpatur gena, dum ſobolem defendere geſtit,

Aut amat hostili pugnans occumbere ferro. A
Perdocet hæc philtri nullum lex nacta magistrum.
Quid referam vespas, quæ si quem accedere petris,
In quibus est ipsis sedes, videre, repente,
Nil licet ille mali vespis inferre tenellis
Cogitet, exiliunt, ingens exercitus, atque
Horribiles bombos edunt, miserúmque cruentant.
Quinetiam, si vera ferunt, in piscibus ipsis
Delphini natura. 2 Lex viget hæc [2] Delphinus enim rex æquoreorum,
In sobolem si quos immani corpore pisces
Conspiciat ferri, sua pignora protinus ipse
Deuorat, ac pulso mox egerit illa periclo. B
Ortum igitur iam parce mihi proferre, cibúmque,
O genitor, quem tu famulis pecoríque ministras.
Amplius his aliquid, mortali sanguine cretus
Vt qui sim, satus atque bono genitore, requiro.
3 Da veniam siquid mordacius eloquar: [3] haud me,
Chare parens, vitæ donasti luce volentem.
Pòst autem educto lachrymosæ ad lumina vitæ
Legibus impulsus naturæ alimenta dedisti.
Quòd si me genitum linquas, erit ô pater, abs te
Mortalis pro mortali productus in æuum.
Quid à patre quærat. Non aurum argentúmque peto, non serica fila. C
Non ego fulgentes gemmas, non posco lapillos,
Non ego Niliacæ quamplurima iugera terræ,
Seruorum magnósque greges, armentáque multa.
Non mihi sunt etiam connubia splendida curæ,
Vxor honoratum pondus. 4 [4] Pondus honoratum, dominam ducentia. non me
Sublimis solii rapit inflammata cupido,
5 [5] Quod paucos calcans multorum ac deteriorum
Sæpe (quod ingentes irarum concitat æstus)
Calcatur pedibus. Namque hic re ducitur vna,
Ille alia gaudet, fastúque effertur inani.
Ast humilis verè mortalis cuncta propago. D
Nil etenim nobis in crastina tempora certi:
Nil homini certũ est. 6 Sed vanos animis nostris [6] aliena tumores
Ludicra conciliant, celeri labentia cursu.
Vitæ igitur valeat quicquid rapidissimus aufert
Turbo, credibilis nulli quo puluis in istam
Nunc partem citus eiicitur, nunc rursus in illam.
Hæc etenim teneræ quantumuis lumine mentis
Perspexi, narrata sophis, hæc auribus hausi.
Tẽpus hominum magister. Plura dies etiam secum feret atque docebit,
Quem vulgo dicunt mortalibus esse magistrum.
Vnam pro cunctis, genitor, rem postulo. quamnam? E
Vt mihi contingat doctrinæ excellere laude.
Maxima Rhetoricæ vis est, seu iudice coram
Certandum tibi sit, seu quid suadere necesse:
Aut ornare velis aliquem sermone diserto.
Historia plenum pectus pulcherrima res est.
Historia multorum mens est. Namque ea multorum mens est, ea magnus aceruus
Est sophiæ, nec grammaticæ laus parua putanda,
Per quam corrigitur prolatio barbara, per quam
Auxilium affertur linguæ, sermóque politur.
Pulchráque præterea Logices certamina, per quæ

Occulitur

A Occulitur primo verum, mox eruit illud
Verborum pugna in lucem, tenebrásque repellit.
Pulchra etiam per quæ mores effingere norunt
Docti homines, tanquam caseum, quem sumere texti *Ethice.*
Conspicimus speciem calathi. præclaráque rursum
Cuncta ea, quæ tenui cura, quæ præpete penna,
Hic maris, hic terræ scrutans penetralia, docti *Rerum naturaliũ cognitio.*
Conspexere oculis animi, librísque dedere.
Nam qua natura sit eorum quódque, quod aër
Continet, & tellus, pelagúsque, & stellifer axis,
Inuenere, deíque etiam super omnia mentem:
B Vt rogat hanc rerum molem, quæ clausula mundi,
Mundi qui variis ornatibus intus abundat.
Hæc didicere illi, aut intellexere, tametsi
Humani ingenii superarent illa vigorem.
At postquam hæc iuuenis percurrero, pneumati mentẽ
Tum mage diuino studiúmque operámque dicabo
Quicquid præclari penetralibus abdidit imis,
Vestigans, gradiénsque ad lucem iugiter, atque
Diuinis moderans impulsibus omnia vitæ
Tempora: vt ipse viæ Christum comitémq; ducémque
Semper habens, læta spe nixus ad æthera tollar,
C Ac vita fruar, æternos quæ durat in annos:
Sic nempe vt non iam veri simulacra remoti *1.Cor.13.*
Conspiciam quasi per speculum, vitreásque per vndas,
Sed puris verum ipsum oculis mens lucida cernat,
Cuius sancta Trias caput est finísque supremus,
Sancta Trias, numen tamen vnum prorsus idémque,
7 [7] Inque tribus lux æquideis splendoribus vna.
Nonne vides ingens vt matris auunculus ille, *Gregoriũ nostrũ intelligit.*
Qui variis superat mortales artibus omnes,
Quas sibi collegit binis è finibus orbis,
Dum plures inter linguas studiosus oberrat,
8 [8] Doctrinam tandem Christo obsignarit, & alta
D Vita, ad quam, genitor charissime, lumina tendo,
Id quamuis faciam paulo depressiùs ipse.
9 [9] At se mensura magna magno ac pede debet *Magna mẽsura se quisque metiri debet.*
Metiri quicunque sapit: prestátque secundas
Ferre inter magnos, quàm primas inter egentes:
Non secus ac tenues altè volitare per auras
Infra aquilas, supra quàm ferri præstat alaudas
Hæc pater, hæc inquam cupio. tu perfice vota.
Hæc pater, hæc supplex rogo te, barbámque capesso.
Eia age, chare parens, properemus carpere tempus. *Occasio calua.*
Tempus enim veniens facile est comprendere cuiuis:
E At semel vt fluxit, labor est iam quærere vanus.
Certum plantandi, certum quoque tempus arandi.
Tempus soluendi nauis retinacula nautis.
Tempus apros, tempus ceruos in monte necandi.
Certum etiam tempus belli. Ver denique florum *Eccli.3.*
Est tempus. studiis sua sic quoque tempora certa:
Scilicet acris amor medio dum pectore feruet, *Adolescentia literarũ studiis aptissima.*
Nec variis intus [10] mens est impressa figuris,
Sed pulchris tantúm viret, insculptísque recenter,
Ac bona vel mala iam iuuenes fundamina vitæ

Totius faciunt. Quo maior cura gerenda est, A
Et bene consultis succedant omnia rebus.
Flectimus? An melius dictis adiungere quiddam
Est opus? O genitor, tua me doctrina pudore
Afficit, & præstans facundia. Nam tibi lingua,
Aurésque, & cita mens, prosa versúque feruntur
Felici cursu, nec id vllo pene labore:
Quod magis est mirum. Tu magnis regibus olim
Astabas, tuáque in grauibus laus maxima bellis,
Tum tua Achæmenidum letho dabat hasta phalang
Tu mente atque opibus multis, tu sanguine claro,
Corporea tu mole, pater, formæque decore B
Æacidas veteres æquabas, ac Meleagrum.
At tamen haud tantam pepererunt omnia laudem
Hæc tibi, doctrinæ quàm copia maxima, quæ te
Reddidit expertem senii, firmúmque, tibíque
Præbuit eximium mansura in secula nomen.
Sors tua doctrinæ sors sit mihi, non secus atque
11 Lancea Spartiatus,[11] humerus Pelopeius ortis
A Pelope, & sceptrum ad natos à patribus vsque
12 Manans,[12] Cecropidísque velut depicta cicada
Est etiam laudi natis patris ora referre.
Hæc mea te moueat, pater, haud inhonesta cupido. C
Vidi ego namque patrem soboli non æqua petenti
Cedere nonnunquam, vt medicum iucunda ferentem
Simile. Mixta salutiferis, quod dulcibus vtile rebus
Temperet, ac morbum per pauca nocentia pellat.
Vidi etiam persæpe patrem, cui cum nihil esset
Doctrinæ, literarum auido tamen ipse lubenter
13 Cedebat nato,[13] peregrináque vota benignus
Explebat, proli indulgens, præbénsque cupita.
At mihi tu, genitor, pulcherrima quæq; petenti
Annue, sin vitiis mens gaudeat improba, tum me
Natorum e numero procul eiice, non secus ac si D
14 Sim spurius liquidas Rheni[14] compertus ad vndas,
15 Degenerémve[15] aquilam Phœbi vis ignea prodat.
Gratia, quam posco, genitor charissime, patris
Est mage quàm nati, rediens à prole parenti.
Gloria namque patri natorum est fama decúsque,
Vt rursum natis est gloria fama parentum.
Gratia communis, labes communis vtrísque
Sunt multi, quibus est sensus deperditus omnis
16 In stadiis, dum[16] sacrilego malè sanguine gaudent,
Dum gaudent nunc cæde virûm, nunc cæde ferarum
Læui homines, populi vt plausus vanósque fauores E
Obtineant, atque exiguos celebrentur in annos.
Rursus in athletas alii bona cuncta profundunt,
Aurigásque leues, quos sub pugnante corona,
Aëráque hinc illincque manu feriente vicissim,
Certatim insanire iuuat. sunt rursus, opes qui
Nunc in fœmineis, nunc in probrísque virorum,
Dum varios animi lusus & gaudia querunt,
Scenicorũ ludorũ insectatio. Consumpsere suas, dum mimorúmque iocosa
Prospiciunt auidi colaphismata, queis sibi malas
Dum retegunt illi, sonitus crepitúsque cietur,

Ex quo

A Ex quo pro lachrymis oritur gemituque cachinnus.
Hæc etenim stultè peragunt, vitamque scelestam
In medio ludunt, Id quod didicere, docentes.
Ac solis merces scelerum, non horridus ensis,
Est, sed opes & diuitiæ, quia turpibus illi
Auxilium vitiis præbent, miserumque fauorem.
Porro inter stolidos homines & mente carentes
Per facile est plausum sceleratæ ferre cateruæ.
Ista quidem faciunt illi, quæque arte pararunt
Infanda, post abiiciunt sceleratius: idque
Iudicio certè supremi numinis æquo.
B At tibi votorum summam dominator olympi
Concedat genitor, soboli qui tendere dextram,
Atque, quibus tua sit melius bona fundere, nosti.
Ipse superua cuis alios, pater optime, dona,
At nobis ea da facilis, quæ summa putanda.
Non ego multa volo, pretij sed vt ipse perampli
Sin potius cupio, ne longè à patribus absim.
Quæ tibi, dic quæso genitor persancte, voluptas Simile.
Hæc erit, humana sub imagine si tibi turpis
17 [17] Simia sit, collo innexum quæ funibus aurum
Gestet? non etenim species ridenda leuisque
C Mutatur, fuluo licet hanc decoraueris auro.
Quid prodest asinis auri gestare talenta?
Auri namque etiam nummis oneratus asellus
More rudit tamen ipse suo. quid iuuerit enses
Ex plumbo factos vagina condere pulchra,
Ex quibus vtilitas in bellis nulla redundat?
Talis enim est, quisquis, verarum cum sit inanis
Prorsus opum, externis tantum fluxisque superbit.
Carminis extremum istud erit. testis Deus autem
Sit mihi. nam summus rerum sator ille parensque
Est etiam Sermo, mortalia sceptra gubernans.
Hæc, pater, hæc à me, mores, natura, laborque,
D Et totas noctes totis geminare diebus.
Cætera contingent abs te mihi cuncta, deusque
Et tempus, spes & melior tu sæpe monendo,
Ponendoque meos ante ora oculosque sodales,
18 Amplius exacues animum. [18] nam ligna secanti,
Per magnum robur, vis est permagna securis.
Ne tibi vel sæui, genitor, discrimina ponti,
Nec via longa metum pariat. tu parcere nummis
Parce tuis, rebusque aliis, quibus inclyta virtus
Quæritur, & tacitis gradibus se tollit in altum.
Quòd multis opibus, multo auro sim tibi pluris,
E Dicere non vereor, meque hoc ego nomine iacto.
Primus ego natu fratrum, primusque parentis
Ad nomen te subuexi, si quis tamen inde
Amplior exoritur patribus fauor atque voluptas.
Exoritur porro, nisi me sententia fallit.
Quòd si te vel opum tenet irrequieta cupido,
Vel nati muliebris amor, mollisque, nimisque
Maternus citò collabens, & stuppea flamma,
Quæ simul vt nata est, extinguitur illico prorsus,
Non equidem loquar ista lubens, sed vim facis ipse:

Nunquam indulgentis patris à me nomen habebis. A
Ast mihi sis hominis vice numen, te pater oro.
19 Ne [19] fontem obtures, fluuium qui parturit altum.
Nec defectu olei moriatur quæso lucerna:
Plantáue dispereat, quia non perfunditur vndis.
Fontem aperi, lucem nutri, plantámque rigare
Cura sit, vt crescant. mater mea, tu quoque votis
Auxiliare meis, vt grates soluat vtrique
20 Vox mea: nec tantum [20] cœni (quod dicere visum est
Nonnullis, quia conspicerent hunc patribus vnum
Esse metum, ne quid sentirent corpora duri)
Verùm etiam mentis vos dicam iure parentes. B

SCHOLIA IN CARMEN PRÆCEDENS.

1. *Semen vt in spica) Vt enim semen terræ mandatum & corruptum, in exoriente spica quodammodo viuit: ita homines per liberorum procreationem vitam suam propagare, ac speciem quandam immortalitatis assequi videntur.*

2. *Delphinus) De eximio quodam delphini erga fœtus suos amore quædam Aristot. lib. 6. cap. 12. de histor. anim. Plinius multa commemorat. De eo tamen quod hîc ait Gregorius, nullum vterque verbum facit.*

3. *Haud me, chare parens) Eleuat procreationis ac nutricationis beneficium, quo patrem inducat ad ea ipsi præstanda, quæ ad animi cultum pertinent. Non me volentem, inquit, genuisti, sed hac in re libidini potius tuæ obsecutus es. Posteaquam autem me in lucem extulisti, quid mirum si me alueris, cum feræ etiam ipsæ hoc catulis suis præstant.*

4. *Pondus honoratum) Gr. τιμώμενον ἄχθος. Sic eleganter coniugem appellat, quæ quamuis in honore ac pretio sit, tamen re vera marito pondus est.* C

5. *Quod paucos calcans) Hoc de iis intelligendum existimo, quorum virtus illustrissimas quasque dignitates promeretur, quique sedes eas in quibus collocati sunt, pulcherrimè implent. Libet enim Pliniano verbo vti. Nam alioqui, vt idem subdit, ab improbis & sceleratis calcatur, hoc est, ignominia & dedecore afficitur.*

6. *Aliena tumores ludicra) Gr. ἀλλοτρίοισι τερπνοῖς. Sic vocat omnes præsentis vitæ iucunditates, quod nihil in iis sit quod nostrum propriè dici possit.*

7. *Inq; tribus lux æquideis splendoribus vna) Gr. ἰσοθίοισι, hoc est, ὁμοθίοις. Nam sic locutus fuisset, si carminis lex hanc vocem admittere potuisset.*

8. *Doctrinam tandem Christo obsignarit) id est, sese ad diuinarum literarum studium contulerit, ac prophanam doctrinam Christo seruire coegerit.*

9. *At se mensura) Ad summa quæque, inquit, aspirare vnusquisque debet. Præclarum est enim præstantissima quæque consectantem in secundis tertiísque consistere. Idque pulchris similitudinibus postea ostendit.*

10. *Mens est impressa) In emendationibus Aldinis pro χαράσσεται, reponitur χαρίζεται, sed vitiosè, prior enim lectio vera est. Hoc enim vult, adolescentis pectus esse velut tabulam quandam rasam, in qua optima quæque commodissimè depingi queant.* D

11. *Humerus eius) Hic locus explicatur à Niceta in Orat. in sancta lumina. pag. 405. C*

12. *Cecropidisque) Cecropidas Athenienses vocat, quòd à Cecrope generis originem traxissent, eósque γηγενεῖς appellat, hoc est, αὐτόχθονας, nos indigenas dicimus, quòd aduenæ non essent. eóque nomine veteres Athenienses (vt testatur Thucyd. lib. 1. quamuis in Latino Cycladas legatur, sed corruptè) cicadas capillis implicatas de more gestabant, quòd velut è terra extitissent, vt cicadæ, ob idque τεττιγοφόροι dicebantur. Sensus ergo est: Doctrinæ tuæ atque eruditionis hæres esse cupio, vt Lacedæmonij paternæ lanceæ, vt Pelopidæ humeri eburnei, vt Reges paterni sceptri, & antiqui Athenienses paternæ cicadæ.*

13. *Peregrináque vota) ὀθνείοισι πόθοισι.) Sic vocat desiderium earum rerum à quibus paternus animus abhorruit. vt cum pater quispiam, cui nihil vnquam cum literarum studiis commune fuit, filio suo doctrinæ cupiditate incenso sumptus benignè ac prolixè suppeditat.*

14. *Rheni) Rhenus nobilis fluuius Germaniam à Gallia Belgica distinguit. In hunc scribit Galenus lib. 1. de sanit. tuend. moris fuisse Germanis infantulos suos statim vt in lucem prodiissent, deferre, atque in vndas, contrahendi scilicet maioris roboris causa, inijcere. Atque eum morem vt barbarum & crudelem grauissimis verbis insectatur. At verò Strabo, & noster Gregorius, immò etiam & Iulianus apostata, in epist. aliam Germanis causam fuisse tradunt, cur infantes in flumen proiicerent. Hoc enim monumentis suis prodiderunt, quòd quisquis adulterij suspectam vxorem habebat, editos in lucem infantes fluminis vndis exponebat. Ac si quidem crimine mater vacabat, nullum ipsis à flumine periculum imminebat: sin autem adulterij scelus admisisset, confestim pessum ibant. Ad eundem ergo modum se explorari vult Nicobulus filius, vt si optimis quibúsque studiis animum addicat, pro vero ac legitimo censeatur: sin autem vitiorum ac turpium voluptatum illecebris sese dedat, vt spurius abdicetur.* E

15. *Degenerémque) Aquilarum genus illud quod marinum appellatur, ita pullos suos pro legitimis agnoscit, si Solis radios inconniuentibus oculis cernant. Quòd si ob oculorum imbecillitatem hoc nequeunt, tanquam adulterinos abiiciunt: Immò etiam eum qui primus lachrymarit, occidunt. Vide Arist. lib. 9. cap. 34. de hist. animal.*

16. Sacrilego

A 16. *Sacrilego sanguine) Sanguinem eum intelligit, quem gladiatores in arena fundebant, ad oblectandos crudelissimorum spectatorum oculos.*

17. Simia sit,) Vetus est parœmia, Simia est semper simia, etiam si purpura vestiatur. eiusdem formæ est ea quæ proximè sequitur, Asinus etiam auro onustus rudere propterea non desinit.

18. Nam ligna secanti) Gr. δρυτόμῳ πέλεκος ϖῖνος. Prouerbialis locutio, qua significatur cohortationem plurimum valere ad magis ac magis incitandum eius animum, qui iam sua sponte ad aliquod studium fertur.

19. Ne fontem) hoc est, ne animum ingentem eruditionem parturientem impedias. Eadem de causa D. Aug. Sanctum Ioannem Euangelistam aquilæ comparatum esse ait Tract. 1. in Ioan.

20. Cœni solum) Appositè patres luti dici possunt, qui tantùm corporis filiorum, quod è limo terræ coagmentatum est, rationem habent, interim in exornandis tum eruditione, tum virtute animis eorum nihil laboris operæq; suscipientes.

NICOBVLI PATRIS AD FILIVM.

B *Sermones cupiens fili, cupis optima certe*
Namque etiam doctis lætor sermonibus ipse,
Quos hominum generi Christus donauit vt essent
Lux vitæ, supero demissum munus ab axe
Munus magnificum, & dono præstantius omni?
Nam neque nominibus cum multis ipse nocetur,
Vllum aliud nomen, quàm Verbum, gratius audit.
Auribus arrectis at tu mea percipe verba,
Consiliis nihil vtilius meliusque paternis.
Pluraque canities nouit quàm læta iuuentus
Tempus enim historiæ pater est, materque vicissim
Historia est sophiæ, leuibus quæ peruolat alis.
Fac mea sint igitur tibi curæ dicta, nec illa
C *Si tibi consultum cupias de pectore pone.*
Cætera sis sane præstantior ipse parente
Gaudet enim genitor cum palmam præripit ipsi
Virtutis sua progenies. maiorque voluptas
Hinc oritur, quam si reliquos peruerteret omnes.
Legibus æthereis id fit, queis maximus orbem
Constrinxit genitor stabilique in sede tuetur.
Tantus amor tenet hunc operis quod traxit in ortum.
At verò hoc patriis te moribus istud habere
Nate velim, frontis plus vt tibi plusque pudoris
Insit purpurei quàm nunc conspeximus in te.
Namque etiam præstanti habui virtute parentem
Ast ex ore mihi nunquam vox excidit ista,
D *Nec sub dente fuit. Nam nec Deus approbat illam.*
Quòd tua sim proles, pater, hoc leue iudico munus
Ob me non tam etenim vitam lucemque dedisti
Tu mihi, quàm carni indulgens, Venerique: quòd autē
Me quoque post aluit tua cura tuique labores.
Magnum ne hoc, abs te cum sim satus, istud habēdum?
Quàm vox hæc ingrata tua est. ea vincula soluit,
Quæ mundum stringunt, ea magnum soluit & ortū.
Philtro nam natura patres cum prole ligauit
Nec labor atque graues curæ, quas ferre necesse est
Pro natis patrios animos abrumpat, & atræ
Gignamus tantùm morti, dum cura creatæ
Haud nos vlla tenet sobolis, gignamus auerno.
E *Vnde etiam ad mortem depugnant vsque parentes*
Pro sobole (hoc etenim nil dictum verius abs te)
Ac fera bella mouent vespæ pardique bouesque
Atque apri, pisces, volucres. super omnia verò
Gens facit hoc hominum. quod si tot legibus ipsi
Cedamus, vita omnis abit, vita interit omnis.
Ecquis enim natum iam complectetur, eique.
Omnia conceptis optabit prospera votis?
Doctrinæ cupido quisnam, rerum ne aliarum,
Annuet, in partem dabit atque venire bonorum
A Patre si quicquid soboles capit, hoc rationem
Debiti habet tantum non autem muneris, atque
Cum nihil ipse capit, leges & scita pudoris
Infringit, capiens autem linguaque animoque
Præbeat ingratum sese immemoremque bonorum.
Ergo vide ne quis tibi sic occurrat & instet:
Non hominum solum proles sed Numinis antè
Nos sumus. Atque patres tantum sunt illius ortus
Contigit à Christo qui nobis organa quædam
Sumpsit humum mentemq; dedit, mixtū edidit vnum
Ex vtroque genus, terræ quod sceptra teneret.
Et caro, cum vitiis totum se traderet, esset,
At Deus (haud equidem natura, ast munere diô)
Si studiis animum sanctis addiceret: atque
Pluribus ærumnis hinc iactaretur & illinc,
Disceret inflexum in multis vt pectus habere.
At nondum quenquam sic mens bene sana reliquit,
Nec iuuenilis eum sic sanguinis abstulit æstus
Sacrilego vt dictum depromeret istud ab ore,
Non me finxisti primùm rex summe volentem,
Ast vbi sum fictus, quis iam miretur honorem
Quod mihi tu dederisque decus. sin illico fictum
Abiicias, hominem viuum vice finxeris vnum.
Da sophiam. da largus opes (nam sæpe dedisti
Permultis) magnusque vt sim facieque decora,
Da primas vt vbique feram, sim ferus in armis.
Da corpus grauibus non offensabile morbis
Cunctaque, fœlicem quæ vulgus reddere vitam
Autumat. aut à me non iam tibi victima posthac
Vlla cadet, non iam fundam tibi vota precesque
Non etenim mihi quid tribuens cum corpore mentem
Strinxisti, verum cupiens tibi surgere laudem
Me, supreme parens vt cætera cuncta creasti
Vtque tuum nomen clarum mortalibus esset.
Ast hæc sacrilegis dentur, turbæque prophanæ
Ac stolidæ, quæ semper habet pro numine censum
Fictorique malo famulam se perfida præbet
Nos verò in rebus lætis rebusque molestis
Numinis æterni præconia sancta canamus
(Namq; probæ hoc sobolis munus) tum deinde parētes
Post hunc terrenos omni celebremus honore
Qui me iucunda complerunt luce, Triasque
Per quos sancta mihi luxit, cunctisque refulsit.
Orbem ego per magnum mundi cœlumque tacebo
Perspicuus radians oculis, æquorque profundum
Quod fluxum simul ac stabile est, res mira profecto
Terram, labentes fluuios liquidumque silebo
Aëra, & armorum partes, floresque, hominumque
Naturam & volucrum, quæ deniq; cuncta supremus
Apposuit mihi mensam oculis regnator olympi
Hausta mihi ac magno genitor dedit ista parente.
Ergo vicem intrepido ne labem pectore patri
Ipse feras (audax fit enim temerarius,) adsit

Ni pudor, inuectumque habeat fiducia fœnum
Ne quis feruidior nostro tibi mittat ab ore
Sermonem hunc genitor qui te perstringat acutè
Vt proli natura patrum concessit amorem,
Sic natura necat, ne quos ab ore remotos
Cernimus, his animi munus præstemus amici.
Morosum rigidumque nimis perferre parentem
Præstat quam blandis aliis ac lenibus vti.
Ex manibus pendere patris mortalibus autem
Vnius fas est. Si pauper mentis inopsque
Sit pater, ac pedibus nequeat consistere certis
Quid facies? an non baculi vice fulciet illum
Dextra tua, & sublatum humeris portabis, vt olim
Anchisa genitus Troia flagrante parentem
Extulit, igniuomæ necis exemitque peracto
An dices, Cur me fecisti? munus & à me
Cur seruile petis? grauor hæc tibi pendere iura.
Alitibus vocem, vocem da piscibus, hisque
Omnibus est sedes quibus in tellure locata,
An dicet Delphis, Cur me rex summe marinum
Fecisti? æquoream durum mihi carpere vitam.
Munia posco bonis, montes, latósque requiro
Ipse humeros, atque instar equi iam viuere malo
Mortali cum gente hominum, quàm quotquot in alto
Æquore sunt pisces regere imperioque tenere.
Non etiam æquoreas cupiens bos nare per vndas
Ingemit, obliquis aut ventris tractibus anguis
Fessus ait, Cur sic quæso sum conditus abs te
Vt proiectus humi terra depellere cogar
Ipse famem? rectum cupiebam corpus habere:
At tu me contrà prostrato ventre volutas.
Nec niger excelsum volitare per æthera coruus
Expetit, ac speciem regalem assumere gestit:
Verùm quoque suo contentum tramite vitæ est.
Fictile haudquaquam figulo vas dixerit, Ecquid
Me malè tornasti, scelerate, minusque decenter?
Hæc ego natorum longè charissime, dixi,
Vt velut ad lancem discas tua pendere verba
Atque superuacuis, quod sat sit habere resectis.
Vtque etiam studeas iuuenilem sistere cursum,
Ac non ætati frænos laxare ruenti
Præstat, cum permulta habeas, quæ commoda dicta,
Vt maneat medio pars maxima corde retenta
Quam non dicendum quiddam deferre sub auras.
Nil nocet inclusum labiis compescere verbum,
Non etenim exiliens lacerabit viscera matris
Vipereos fœtus pœnam patris exitiosi.
Nunc autem ipse tuum blando sermone pudorem
Qui nato iniiciat, percellere nitar amorem.
Semita non vna est vitæ, charissime fili.
(Nam neque natura est cunctis mortalibus vna.)
Verùm prima quidem pulchra est ac laude vehenda
Altera fœda nimis, prorsusque simillima brutis
Tertia postremo ex istis permixta duabus.
Nempe triplex etiam terræ genus atque facultas.
Vna ferax spicisque grauis, sterilisque secunda,
Tertia, quæ lentes simul & producit aristas.
Sic quoque trina via est, limes trinusque viarum.
Lata vna est humilisque, premit quam plurima turba
Mollisque & facilis, verùm miser exitus illi,
Præcipites scopuli, tenebris horrenda vorago,
Orcus atrox, ignis fluuij, sæuosque furore
Dæmones ardentes, animarum pœna malarum,
Vltioque æternos quæ se protendat ad amnes.

A
Arcta secunda via est, squallensq; atq; ardua valde,
Asperaq; ac perquam sinuosa atque vndique præceps,
Paucis trita quidem, sed fœlix exitus illi
Sidereum cœlum, decus ingens, carne carentes
Formæ, verum ipsum purum liquidumque nec vmbris
Obtectum, finisque expers lux illa suprema.
Mercedem, vt media est, mediam postrema reportat.
Nam nec sudores magnos habet illa nec ampla
Præmia, lux tenebris veluti cum iungitur atris:
Amphilyte à doctis solet hæc mixtura vocari.
Per facilem incedunt, quorum mens crimine gaudet:
Mendaces, periuri homines, vetitumque cubile
Scandentes, dextrasque suas qui cæde cruentant.
B
Raptores, atque androgyni, canosque parentes
Qui perimunt, quique immodicè sunt ventris amãtes
Ac similes stagnis, quæ frustra explere labores.
Qui morti tantum viuunt gaudentque perire.
In capita hæc quæso cadat hæc hostilia vita.
Laudandum & vitæ sulcant iter hi quibus haud est
Vita sita in terra. fœlix o terque caterua
Et quater æthereæm quæ vitam in corpore ducit,
Quæ tædas calamosque fugit mundumque ruentem
Contemnens, aulis sese cœlestibus infert
Pauperiem quæ sancta colit, mœretque, cubatque
Semper humi, vestes nec plures possidet vna.
C
Quæ paulum quiddam fruitur vitalibus auris
Obsequiumque negat ventri, quæ tegminis expers:
Cui decus hoc vnum est mundi famamque decusque.
Spernere: cui magnus durißima census egestas,
Atque oculis tantum superum proponere numen
Hos ego, cuius humi sunt lumina fixa, tremisco
Non secus atque Deum: cum nobis ipse propinquat
Namque super cunctos homines chorus eminet ille.
At verò medio gradimur nos tramite vitæ
Qui neque gaudemus vitiis, rursumque supremum
Extremis numen digitis contingimus ipsi.
Queis vxor, queis est soboles, queis gloria curæ
Prædiaque, & charum, quidquid manus vtraq; cepit.
Præcipuam porro vitæ sibi vendicat huius
D
Doctrina & sermo nitidus me iudice laudem.
Non etenim hæc furto non vi rapiuntur aperta
Diuitiæ. Quanquam doctrina non genus omne
Peruasi, cupiens licet id, nec carbasa tendens
Totum traieci studiorum sedulus æquor.
Namque tuis dictis haud credo. nec mea mentem
Laus fallet. suspecta etenim laus cuncta propinqui.
Te tamen o facunda colo doctrina superque
Cuncta veho. nostræ nam sunt fundamina vitæ
Sermones: hi me à brutis secuere. per illos
Sunt vrbes mihi constructæ, legesque repertæ.
Horum opera miranda Dei præconia pandis
E
Horum opera laudem tollo virtutis in altum
Horum opera vires sceleris compesco malignas
Horum opera binos etiam distermino mundos
Cœlestem à fluxo dirimens à corpore mentem,
Effigiem à formis. vitæque vtriusque per illos
Naturam & geminos vitæ discrimine fines
Vitæ vnum æterna, necis æternæque secundum,
Hæc etenim primum docuit Deus. ac sapientum
Postea fulciuit sermo, postrema fidesque.
Æternam reddunt famam laudemque bonorum
Sermones literis depicti, itidemque malorum
Dedecore æterno fœdißima carmina figunt.
Doctrina est soli viuenti haud indiga vita

Atque

Atque altum rursus spiranti magna corona
Floribus haud similis vernis, qui lucis ad ortum
Collecti, ante diem marcent pereúnt que cadentem.
Molibus est ingens animi doctrina medela.
Hac irarum æstus reprimo, qui turbida nubes
Sunt animi, vrgentes hac luctus sedo, modúmque
Lætitiæ impono, sic scilicet vt neque dura
Me nimis excrucient, nimium nec prospera tollant:
Verum vtrique ab vtroque petam medicamina certa
Spem ducis adhibens rebus, lætísque timorem.
Doctrina & linguæ ducit facundia reges
Et populos trahit, ínque foris epulísque triumphat.
Prælia compescit rixásque animúmque ferocem
Mitigat & verbis emollit stridula blandis
Non secus ac ferrum mollit Vulcanius ignis.
Orphica testudo quid erat nisi sermo disertus
Qui simul & recti vitiíque trahebat amantes.
Quid lyra qua quondam durißima saxa mouebat
Amphion, hoc est, obdura & saxea corda.
Quid nam illud medicamen erat, quo ductor Vlyßi
Mercurius dedit ad Circes cum tecta veniret
Vt sociis & ferret opem, qui membra suilla
Induerant, nec porcinis se pasceret escis.
Quid nisi sermo fuit Thonis quod miscuit uxor
Argiuæq; Helenæ dono dedit hospita pulchrum
Quo luctus irásque graues tollebat, & omnes
Illico mæstitias memori de mente fugabat.
Ac sæpe & miseram stragem sæuásque procellas
Æquoris effugiens placido bene numine quisquam
Has vnus seruauit opes, quibus amplius ipse
Lætatur qui multa ob commoda gestiat alter.
Quin etiam venerandum hominem facundia reddit,
Id liquido nobis monstrat Laërtia proles.
Namque ille æquoreis vix tandem emersus ab vndis,
Nudus, inops rerum, contusus membra, vagúsque,
Supplicibus verbis mouit variísque puellam
Alcinoo genitore satam, plebique patrique
Illa virum ostendit, qui quamuis naufragus esset
Atque hospes, splendore tamen super extitit omnes
Vincitur eloquio liuor quoque lumine sæua
In multos homines iaciens. nam liuor iniquus
Non summa virtute viris indicere bellum
Nouit, at his demum, noua quos inopinâque rerum
Prosperitas tumidos reddit, nimiúmque superbos.
Eloquium eloquij vires neruósque requirens
Quam cuperem exæquare tuas ego carmine laudes.
Ast quædam arripui: vires cessere quibusdam.
Cætera lingua mihi nati memorauit amica,
Ex cana desiderio properante, iuuenta.
Quæ mihi res etiam pectus magis excitat. Ergo
Vade age nate tuis precibus precibúsque parentum
Confisus, promptus, validus quoque corpore toto,
Spéque bona nixus, quæ te fert cúmque cupido
Sit tibi duxque viæ ductor bonus atque paternus.
Namque oculis vitam nostram Deus aspicit æquis,
Attica siue tuam oblectat luscinia mentem,
Seu magis arridet tibi Berytus est vbi sedes
Legibus Ausoniis, seu te magis vrbs capit illa
Nomen Alexandri quæ præfert inclyta regis.
Mercibus innumeris ex qua mercator onustus
Ad patrios læta remeat post mente penates.
Terra tuis pedibus propriis sit peruia cuncta
Sit plana & facilis, floresque educat amœnos,
Dulce sonent fluuij & blando dum murmure currãt
Ac leuibus ventis ad littora fida carinam
Æquor agat, placidis, delphísque supernatet vndis,
Et variis gyris caudam huc illúcque retorquens
Exiliat téque haud obliquo tramite ducat,
Vt quondam celebrem gestauit Ariona dorso.
Eloquij doctis lumen sis ipse magistris,
Atque inter primos numerent te protinus illi,
Nec minus ac natos te complectantur améntque,
Doctrinæ calicem sitibundo pectore ad imum
Fundum vsque exhauri mentémq; auidißimus imple
In tabulis, tua quæ pinget manus, antea sunto
Eque libro hyblæi stillet fauus vndique mellis.
Quod si Vere nouo recubans sub fronde virenti
Tunc cum purgatæ esse solent mortalibus auræ,
Vel capit ardenti cum Sol diuerberat æstu,
Addicta studiis omnino mente labores
Multa cicada tuum corpus volucrésque canore
Dulcisono cantu exhilarent reparéntque labori
Per socios cantus ad pugnam, téque lacessant.
Ast ego præcelerem per sibila grata caballum
Atque acrem ad cursum, celerem magis ipse citumq;,
Efficiam, cupidum palmæ, qua gloria surgit.
Grandæui aut instar pugilis fractique senecta
Fortibus athletis Pisæo in puluere scitus
Iussa dabo, grauibúsque incendam pectora dictis.
Natum auos in medio coitu mediísque caternis
Cernere, qui viridi sit tempora cinctus oliua
Non ego vel numis vllis, vt versibus à me
Exposcis, parcam vel digno patre labori,
Aut aliis rebus, paritur quibus aurea virtus.
Sacrilegis opibus sapiens præcellit egestas.
Non fontem claudam fluuium qui continet altum,
Non defectu olei lampas tua nate peribit,
Plantáque continuis crescet perfusa fluentis.
Ast ego te verbis abeuntem prosequor istis,
Eloquij Christus tibi sit, tibi dux quoque vitæ,
Sermo, sermones qui longè præterit omnes.
Ne tibi qui vitiis scateat, coniunge sodalem,
Namque ac infirmos pestis grauis occupat artus,
Non tu virtutem tribues sed dedecus ipse
Accipies, vitiis atque inficiere prophanis.
Iunge pudicitiam semper tibi. te iuuet vna
Ne sanctam elidat flammam scelerata cupido.
Vnam doctrina rem semper crede priorem,
Virtutem, studiúmque boni, morésque probatos.
Post vbi tu mentem rebus compleueris istis,
Quas speas idem repetenti patria tecta,
Dux extet, comitem qui se tibi iunxit eunti.
At patribus merces sit gratia, famáque læta,
Hæc tibi sint à me proles charißima. Quod si
Herculeas etiam cupias transnare columnas,
Illuc sit quoque dux superi tibi rector olympi.
Cur ego diffidam, si mentis acumine quiquam
Pollent, & sophiæ noctúque diuque recessus
Imos scrutetur ducibus præstantibus vtens,
Qualem tu quendam memorasti, sanguine nobis
Iunctum, quin tandem veniat virtutis ad arcem?

AD VITALIANVM, FILIORVM NOMINE.

Pater filiis Deus.

1 *O Pater, [1] hîc diuum mihi quem regnator Olympi*
Donauit, factum infectus, mortique daturum
Guttura, nulla timens tenebrosæ spicula mortis.

Per decus potestatem creandi intelligit.

Vt decus ipse daret mortali stirpe creatis
(Cunctorum namque vt genitor rectórque supremus,
Est Deus, immensum qui nutu temperat orbem:
Sic etiam natis pater est Deus) excipe quæso
Viscere diuino, quæ dicam, atque aure benigna.
2 *Namq; [2] Dei magni hoc etiam est: nec despicit ille*
Gentem hominũ, pro qua subiit mortémque crucémq;,
Quámque simul secum vitales traxit ad auras,
Ad quam etiam rursum supera descendet ab arce,
Pendat vt æquali mortalia facta bilance.
Tam sæuo quid dente petis tua pignora? quænam
Inuida Dira tuas, pater, insultauit in ædes?
Quæ tam fœlicem sortem procul egit Erinnys?
Tu certè & claros habuisti laude parentes:
Et tibi mortales inter noménque decúsque
Haud parũ est, prorsúsque Deus téque ac tua curat,
Qui fauet vsque piis, auersatúrque nocentes.
Scilicet ante Dei mos hic erat. At stupor ingens
Me tenet, vnde eadem, mentes quæ vexat iniquas,
Sors mala te cruciet, vulgi quodque ore frequenter
Voluitur, [3] ipse tui sis vnus vulneris author.

3 Suæ miseriæ fabrũ esse. Rerum humanarũ incertitudo.

Improuisa aliis natura incommoda mittit,
Nunc huc mortales agitans, nunc rursus & illuc:
Quémque ingens vitæ sit finem habitura procella,
Incertum, quoque appellet mea littore puppis.
Hunc mare cæruleum stygias detrusit ad vndas,
Aut viuum in terram eiecit, sed vestis egentem,
Ac miserum erronem, censu qui maximus antè,
Naufragio amissis opibus mersísque profundo.
Illum dura inter certamina, Martia letho
Vis dedit, aut certè captiuum tradidit hosti.
Fortunis alium princeps spoliauit, eadem
Luce illum ditem efficiens, opibúsque carentem:
Ac fures alium rursus, sæuique latrones,
Fraudibus obscuris, media vel luce ruentes.
Denique morbus atrox quorundam membra peremit.
At tibi nil horum, diuino munere, cessit,
Quæ memorata mihi (nec post hac accidat oro,
Sed te conseruet Deus internéque forísque)
4 *Nec [4] mœrore graui premeris, sed robore polles.*
Vnum autem hoc idem minimè tibi præbuit, vt tu
Auxiliere tuæ proli, curáque perenni
Hanc serues, oculi vt seruatur pupula chara:

Nemo aduersitatum expers.

Ne quisquam, instabiles vitæ dum traiicit vndas,
Iactitet, Vnus ego vitæ aduersa omnia fugi.
O [5] Samiæ quondam gentis qui sceptra tenebas,

Polycrates.

5 *Quàm prudens tibi consilium, dum sistere cursum*
Niteris optatæ sortis, nimiúmque secundæ:
In mare nam medium, placidus tibi liuor vt esset,
Annulus est iactus, pretio tibi charior omni.
Atque illo mira ipse quidem ratione potitus
Rursus es: at non fugisti miserabile fatum.
6 *Ast [6] nihil à nobis, quò sit minor impetus eius,*
Liuor habet. Non mirum igitur si nonnihil atræ
Offudit nostris domibus caliginis ille.
Caligo est etenim hoc verè, tenebræq; profundæ,
Inter progeniem fusæ eximiúmque parentem.
Quis satis hæc deflere queat? cui tanta facultas
Suppetit, vt possit lachrymas æquare dolori?
[7] Vt data sit priscis per casus fabula nostros. 7 Narcissus.
[8] Quidam olim formæ ipse suæ correptus amore 8
In fontem insilijt, pulchrique ex oris inani
Exilium traxit speculo, mortémque pudendam.
Nemo suas autem carnes exhorruit vnquam.
[9] At proprium quædam (sic narrant) fœmina natum 9 Penthei mater.
Sustulit, emota sibi dum spectare videtur
Mente feram, sæuúmque in apto defigere telum.
Reddita pòst autem menti, natúmque peremptum
Conspiciens, gremium lachrymis impleuit obortis.
[10] Altera natorum demisit in ilia ferrum, 10 Medæa.
A patre iura dolens tædæ prostrata iugalis.
[11] Denique venator quidam sub imagine cerui 11 Actæon.
Præda fuit canibus, nimiùm quos læuus amabat.
Hos inter ne te numeret, qui tristia cantat
Carmina, dum labes memorat, dum crimina patrum,
Atque intestini clades certaminis, & quod
Sanguinis est inter socios, in carmina cogit.
Ipse quidem vereor. culpa est mea, culpa parentis
Atque mei, maiórque etiam grauiórque parentis,
Moribus exuperat quanto me albáque senecta.
Aut si culpa patris non est, infamia certè est:
Quæ persæpe probos etiam deiecit ad ima.
Vera etenim vt multi norunt, ita magna vicissim Multi famã tãtum spectant.
Pars hominum famam spectat. quod pectore quæso
Pende pater, nam te cunctos præcellere laude
Omnibus in rebus cupio, licet ardeat ira
Cor mihi (naturæ nam lex hoc sertque iubétque)
Atque hominum fama celebrem super æthera ferri.
Qui fore te placidum externis facilémque putabit,
O pater, in sobolem qui tantas concipis iras,
Quam quondam à Domino votis precibúsque petebas,
Et cui clara datæ posuisti nomina luci?
Petrus ego, [12] Phocas frater (quæ discipulorum 12
Nomina sunt Christi.) verùm furor igneus ortus
Omnia Lethæis confestim mersit in vndis.
Quisnam more tuo, teneræ cum prolis amore
Flagrarit, pòst ipse fuit tam sæuus adultis?
Si vel mortalem supero cum rege liceret,
Cum patre vel sobolem aduersis contendere verbis,
Suppeteret fortasse aliquid, quod dicere possem,
Casibus & nostris grauibus prætexere. Nunc ast
Vnum illud tantùm mœsto promemus ab ore:
Siue boni simus, genitor, seu crimine fœdi,
Nos tua progenies, sit [13] seminis edita spica. 13
Siue malus, siue ipse siem sine crimine vitæ,
Laus tua sum, rursúmque tuum, pater optime, probrũ.
At decet (& nemo est hominum qui nesciat istud)
Vt virtute graues adamare, ita moribus ægros Lapsos miserari conuenit.
Supposita fulcire manu, nam pharmaca demum
His adhibere solent medici, queis corpora morbo
Fracta iacent, non qui sani rectéque valentes.
Nec volucrem quisquam vernanti in fronde sedentẽ,
Aut quæ præpetibus liquidum ferit æthera pennis,
Mœret, sed nido præceps quæ corruit alto:
Vnguibus accipitris vel quæ transfixa cruentis,
Ingemit, & tristes emittit pectore questus.
Tum tibi laus dabitur, tuáque in me gratia sese Nil magni facit, qui bonis tantum fauet.
Prodet, si vitiis atro tua viscera pandas.
Nam mihi si fandas veræ probitatis amanti,

Hoc

14 [14] *Hoc facis, ô genitor, quod iura paterna requirunt.*
Namque probi externis etiam nec sanguine iunctis
Esse solent blandi ac faciles, nec gratia summi
Numinis hac in re posita est, vt rite colentem
Munera iustitiæ nexu sibi copulet arcto,
Christus ob persecutores mortẽ subiit.
Sed magis vt facilem se det placidumque conenti,
Huncque solo manibus trahat in sublime iacentem.
Non etenim insontes propter Deus occidit, ad nos
Cum venit, iunxitque meæ sua numina carni:
Sed propter sontes, & quos damnosa parentis
Luc. 15.
Culpa Adami lecto dederat stygiæque paludi.
Non audis, minor vt natu genitore relicto
Filius in longè positas abscesserit oras,
In luxumque opibus patriis ac scorta profusis
Dira fames miseri vacuos distorserit artus?
At simul vt patrias humilis remeauit ad ædes,
Ac genua infelix supplex, pater illico pronus
Mat. 18.
In veniam natum manibus complectitur arctis,
Et fundit lachrymas, epulumque instaurat opimum.
Ac bonus vpilio, simul ac pecus vna vagetur
A grege, deserto mox illam quærit ouili
Quam si per montes, nemorumque per auia longè
Palantem inueniat, sublatam pectore læto
Fert humeris, reliquisque ouibus superaddere gaudet.
Hæc Christi lex sancta mei est, qui turgida corda
Despicit, ac pronos animos humilesque tuetur.
Sæpe grauis noxæ confessio sola salutem
Attulit, & lachrymæ scelus abstersere cadentes,
Candoremque prius vitiis mens atra recepit.
Matt. 18.
Septenis vicibus, geminatis sæpe, nocenti
Omnipotens, vt sacra canunt oracula, parcit.
3. Reg. 28.
Ecquem non scelerum superauit mole Manasses?
Vrbibus ex cunctis Niniue cui crimine cessit?
Denique quid dextra publicani nequius vsquam?
Attamen hos etiam Christus, commissa dolentes
Crimina, donauit venia, noxasque remisit.
Ast ego quid Christi, mortales quid loquor ignes,
Quos patrum natura parens in pectore fixit?
Etiam feræ suos fœtus amant.
Bellua quæque suæ sobolis deflagrat amore
Nonne vides vt sæuus aper, pardusque bouesque
Pro tenera semper tremulo sint pectore prole?
Nonne vides vt dura gerant certamina? nonne
Vt simul infestasque feras hominesque lacessant?
At tu sæuitia superas hominesque ferasque.
Ingentes irati animi iam comprime motus
O pater: aut aluit rupes te vasta, vel æquor,
Durum adamante magis retinentem in corde furorem
Ex opibus censuque tuo sua gaudia carpunt
Indigenæ, externi, stolidique, Deique colentes.
Alcinoi mensa.
Nam tua sunt cuiuis communis portus egenti
15 *Tecta, tua* [15] *Alcinoi mensa est iucundior horto,*
Plena viris, epulisque tumens, quas prodiga tellus
Porrigit, aut aer liquidus, pelagusque ministrat.
At nos quotidie per tecta aliena vagamur,
Arentes, vestisque inopes, ac frigore pressi
Nec nostris datur vlla malis medicina: cupitam
Quoque nihil grauius, faciem iam tempore multo
(Ex quo dira tuum pectus circunsidet ira)
Cernere nec nobis conceditur vlla potestas
Quod tamen & seruis, licet ira percitus, ipse
Haud rarò tribuis: verum considere mensis
Cogimur exiguis miseranda sorte: nec, ille
Luc 16.
Lazarus vt quondam, micas de diuite mensa
Surripimus, canibusque parem nanciscimur escam.

Atque tua causa nos multi odere fugantque:
Multi rursus amant res sanè mira, parentis
Est honor atque decus proles inhonora iacensque,
Quam lachrimis madidam recrearent frustula pauca.
[16] *(Nam qui mærores nostros tenuare laborant,* 16
Hos ipso mærore graues mage censet vterque)
Ast alij, nec qui simus, nouere, nec à quo
Patre sati patris prohibet nam dicere nomen,
Qui subit ora, pudor duo sunt tamen, aspera nostra
Quos mala permoueant: vt scilicet hac ratione
Tristia vel fugiant aduersæ nubila sortis:
Cõmiserationis duplex fructus.
Vel certè in duris) si quid fortasse procellæ
Intulerit dæmon) habeant solatia rebus
Quisquis enim iuuat afflictos, sibi consulit ipse.
Se iuuat qui afflictos iuuat.
Dicam aliquid maius sed tu, pater aure benigna
Excipias mea dicta precor, nostrisque medelam
Casibus hanc saltem tribuas; ne verba repellas.
Tu reliquæ stirpi, genitor sanctissime, præbes
Te facilem, æthereo vt fas est à patre creatum.
Haud equidẽ inuideo [17] *fratrum nam cõmoda fratres* 17
Fratres fratribus inuidere non debent.
Inuidiæ haud debent stimulis agitare cruentis.
Tu teneris natas aluisti sedulus annis.
Has tua cura leui docuit deducere filum
Pollice formauit sanctis has moribus illa
Fœmineos inter cœtus clarissima [18] *Chiron,* 18
Connubij cum iam non longè tempus abesset.
Post has eximia sociasti laude maritis,
Atque etiam largus donasti parte bonorum
At nos, quos eadem mater tibi protulit æuo,
(Fœmina virtutis specimen, mirandaque cunctis,
Quam te nunc etiam plorantem cerno frequenter)
Primigenos natos, quod non leue pondus amoris
Esse solet patribus, tam tu auersaris, & ardes
Nostri odio, miserosque tuis procul ædibus arces,
Quàm tu illis semper blandus facilisque fuisti.
Haud loquar ista lubens: sed vox erumpet ab ore
Hæc tamen, vt non me rumpat, si mente prematur.
Tæda iugalis erat, tæda & dignissima cœna.
Dolent se non interfuisse sororis nuptiis.
Omnia lætitiæ plenissima, munera, voces
Connubio dignæ, iucundaque ludicra multa
Turba propinquorum, atque frequens vicinia, quique
principis augusta superi dominantur in æde,
Ornabant epulum thalami, mystæque sacrati
Coniugium votis nectebant atque corollis
Cingebant iuuenem forma præstante sodales
Saltantes, ramo egregio similemque canentes.
Inque vicem ad thalamum niueo candore puellam
Plurima mirifico studio [19] *matrona parabat.* 19
Ac pater ob generũ & natam, dulcésque hymenæos,
Maxima tunc toto captabat gaudia corde.
At nos porcorum ritu, vel more ferarum,
Aut velut amissa forma cacodæmonis arte,
Ædibus inclusi procul à nubente sorore,
Talia perfusi lachrymis tum dicta dabamus,
Ortum tam miseræ vitæ afflictaque gementes.
O vtinam nunquam matris conceptus in aluo,
Nixibus in medijs vel raptus morte fuissem.
Vel semel ingresso miserandæ lumine vitæ,
Ortus quæ fuerant, necis hæc lamenta fuissent.
Tanta etenim non me premerent incommoda rerum.
Hoc autem supra reliqua omnia perpete luctu
Me cruciat, quòd cum non sim rudis ipse canendi,
Cumque meæ cuperem thalamos cantare sororis
Sicque patris placidam per carmina reddere mentem,

Hoc quoque non per te licuit mihi, perdite dæmon.
20 *Namque* [20] *meum versu vates decus extulit alter,*
Atque supercilium flauis sub crinibus atrum
Laudauit, niueásque genas, pulchréque nitentes.
21 [21] *Hesperon hic rursum cantauit, Phosphoion ille,*
Non etiam vates sal commodus. Ast ego mutus,
Spretus, mærorísque adopertus nube, tacebam
22 *Ac neque Pane velut cantante in montibus, Echo,* [22].
Ter miser extremas reparabam guttere voces.
Mortua, quæ primùm peperi, Iam carmina luctu
Prosequar. Impono iam finem versibus ipse.
Vos procul ite libri, procul ô procul ite Camænæ.
Quid iuuat in modulos numerosq; astringere verba,
Si mea non veniant chari genitoris ad aures
Carmina, nec duros silices, velut Orphica quondam
Testudo, trahat, & volucres sæuósque leones
In eos qui quosdam dūtaxat è liberis amant.
Hoc quoque munus habe liuor male: carmina cessent.
Non tibi nec superi regnator maximus orbis
Talia, nec socius quisquam, pater optime, reddat.
Quin metus hic etiam, genitor, me concutit ingens.
Nec nos prosequeris nec rursus amore sorores,
23 *Has licet &* [23] *manibus gestes, & ad æthera tollas.*
Nam nobis tua tecta quidem sunt clausa, tuúsque
Vultus: at his cunctorum odium hac ratione parasti.
Non etenim patrem lenem vni vult Deus esse,
Durum alij infensumque animo: vicibúsque frequēter
Mutatis premit hanc, nimiùm quæ chara parenti,
Progeniem, à patribus vertens ad pignora pœnas.
24 [24] *Ast hæc æquoreo mergantur gurgite, tectis*
Sintq; procul nostris, mala nec mala mœsta sequantur.
Sit satis hoc, primam sobolem quòd vexat Erinnis.
At, pater, in te ardent ira natique patrésque,
Quòd tibi sit durum, precibus nec flexile pectus.
Rumpit enim humanam patris indignatio vitam,
Quā thalamus, quā stringit amor, dirimitq; simultas.
Iam cum omnes ingens subeat miseratio, qui vel
Dignum aliquid gessere Deo, dignumue tulere,
Vitalianus etiā Episcoporū preces respuebat.
Tum presertim illos, faciunt qui sacra Tonanti.
Quos licet & donis oneres, & diuite tecto
Excipias, spernis tamen absentésque, frequenter
Et coram: quia te non tantùm molliter, atque
Ore monent blando, sed & aspera verba profundunt.
25 *Gregorium primum,* [25] *vitáque & nomine talem,*
Qui Triadis sancto eructat firmißimus ore
Numen adorandū: pòst Bosporium Amphilocumque,
Qui precibus, cultu & Triadis, sacrísque verendis,
Immanes morbos frangunt, rabidósque dolores.
At tu nec precibus, nec sacris flecteris vllis,
26 [26] *Nec pugiles tua corda mouent, quos ipse quotannis*
Martyres.
Muneribus donans amplis, epulisque, chorisque,
Ac multis viui dulcis cyathisque, thorisque,
Hac in re præcepta Dei legesque resoluis.
Præstat pauca Deo pectus mactare ferentem,
Quàm sacra mille offerre, animus si sordeat ater.
Nil etiam dignum cœlesti numine: non si,
Quæ mare, quæ cœlum, quæ fert humus, omnia iūgas.
(Omnia namque Dei) quid enim hac inueneris extra?
Vna Deo gratū sacrū
Vna Deo est purum gratißima victima pectus,
In qua vincit inops opibus persæpe tumentem.
Hoc quoque consilium, genitor charißime, miror,
Ac veneror, superas quo multos numinis aura.
Triplex natiuitas.
Non vnus tantùm miseris mortalibus ortus
Contigit, emanans è carne ac sanguine, qualis
Est hominum, qui pascuntur, rapidæq; metuntur
Falce necis, tenuesque citi voluuntur ad vmbras.
Primus hic est nobis ortus: at Pneumatis alter,
Tum cum purifici lustratis rore lauacri
Aduenit æthereus splendor, qui pectora luce
Compleat extremus lachrymarum est atque doloris,
Effigiem abstergens fuscatam crimine turpi.
Primum horum tribuere patres. Deus ipse secundum.
Virtutes Vitaliani.
Tu tibi postremi pater es, dans optima vitæ
Lumina, nam fluxi fregisti vincula mundi,
Atque pedem cœno extraxisti lætus olenti:
Tu Sodomæ horrendos ignes, flammasque furentes Genes. 19.
Fugisti, profugumque, loco quæ condita plano,
Excepit Segor, non iam ad fumantia tecta
Mærentes torquentem oculos, nigrasque fauillas.
Tu gemmam immensi pretij pro censibus vnam Matt. 13.
Omnibus in terra cepisti arentis eremi.
Tu Christum atque tuam sociasti fœdere mentem.
Tu tete, genitor, terreno vt ab orbe secares,
Tudisti nubem inferiùs, murumque locasti. Exod. 14.
Tu rabiem ventris, qui non saturabilis vnquam Venter insaturabilis gurges.
Est urges, pe nitus preßisti, animíque tumorem
Strauisti, fastumque grauem, motusque superbos.
Vna Deus magnus tibi gloria charior atque
Est tibi vir pietatis amans, quam sanguine iunctus.
Omnia succubuere cruci, qua prædo pependit
Hic mundus, clauis abs te confixus acerbis.
Denique splendorem triplicem regnantis Olympi
Laudibus & cantu celebras noctesque diesque.
Hæc laudanda quidem, & sancto contermina fini
Finis humanorum votorum plena Dei cognitio.
Sunt, genitor venerāde. (Deus mihi terminus autē est,
Non iam per speculum, sed visu notus aperto.)
Vna sed in medio mansit tibi pectore bilis,
[28] *Lætaque pernicies, qua mens arroditur ægra,* 28
Ita mors blanda.
Roditur vt scabra positum rubigine ferrum:
Quæ tibi serpentis stygij est immissa per iram.
Qui primos etiam per pabula pauca parentes
Callidus & sæuus viridi deiecit ab horto,
Et, qua lapsus erat, deitate orbauit eadem.
At, pater, ardentes Irarum comprime flammas.
Est etiam nobis Christus dominusque Deusque,
Cuius habes opus auxilio sanctoque fauore.
Talem te præbe soboli, cum pectore læuo
Deserit officium, trahiturque in crimina præceps,
Esse Deum qualem ipse tuis in casibus optas,
Si qua tibi occurrant aduersæ flamina sortis.
Aliorū exēplis patrem mouere nititur.
Non solus natis vitam lucemque dedisti.
Nec te vnum luctu proles ad iussa rebellis
Afficit, ô genitor vidi persæpe parentem,
Dißimulante oculo qui nati immanibus ausis
Cederet. Hunc iuuat ebrietas, hunc alea fallax,
Hunc amor, & blandæ veneris damnosa voluptas,
In quibus euertunt studiis censúmque domúmque.
Quinetiam aduersis alter confligere dictis
Cum patre non dubitat, dextrasque attollit Erinnys.
Et tamen his iram genitor meritasque remittit
Pœnas, nam [29] *scripta natura valentior omni* 29
Lege viget, patris irati quæ pectora mollit.
Multa vident, quæ se fingunt non cernere, multa
Dißimulant audisse patres, licet auribus hausta:
Ne tenerum abrumpat reprehensio dura pudorem, 30
Auxilium patribus quo [30] *nullum firmius vsquā est.* 31
Nimia obiurgatio impudētiā parit.
Probra [31] *etenim effrontes faciunt, bonitasque modestos*
Et venia, ac natos præsertim laudis amantes:
Cogere quos nequeas, verbis sed flectere poßis

Ira

Ira patris breuis. *Ira patris, flamma vt stipulæ, mox cedit in auras.*
Quasque dedit linguæ flammas, miseratio dulcis
Protinus aduentens extinxit lingua minaces
Proiecit voces, ac plurima dira precata est:
Mens contrà auxilium loquitur, dextramque leuando
Fert oneri, nato gemit inflictóque dolore.
Dauid, Abramidas reges qui claruit inter,
Omnibus ipse quidem mitis fuit: at mage natis.
2. Reg. 18. *Namque etiam lenem ac facilem se præbuit illi,*
Impia qui contra genitorem sumpserat arma.
Id [32] rex ille docet, qui postquam marte nefando
32 *Cum patre congressus, fugiensque in fronde pependit*
Arboris, & sceleris persoluit sanguine pœnas,
Non tantùm hunc genitor, nato velut orbus honesto,
Defleuit, verùm subita quoque morte peremit
Illum, pertulerat cædem qui primus ad aures.
At tu, consiliis læuis impulse, quid oro,
Passus es, indomitum teneas vt corde furorem?
Nam neque, qui debetur honos cultusque parenti,
Hoc te (nec sinat Omnipotens) fraudauimus vnquam:
Nec tua sacrilega vacuauimus horrea dextra,
Nec pecudes, nec equos tulimus, armenta boumque:
Nec vetitum conscendimus incestumque cubile,
Cur Vitalianus filios odisset. *Hostibus aut iuncti fraudem tibi struximus vllam.*
Hæc etenim iustos irarum patribus æstus
Ingenerare solent. At nostrum crimen id vnum
Pergraue, deterior nostrum quod vterque parente
Extitit, haud nulli formáque & mole secundo.
Quinetiam nobis haud sermo volubilis, atque
Lingua velut vinctis hæret constricta palato.
An scelus hoc nostrum pater est venerande, tuumne,
Qui meliore tuam haud donaris indole prolem?
Hic mihi finis erit dictis. At tu pater alme,
Tu quæso, Fili, placidum mihi redde parentem.
En barbam ipse tuam, pater, en genua ipsa capesso
Non secus atque Dei. diuinos ne occule vultus.
Non thalamos, magnas nec opes, nec tecta superba
Expetimus, dextram præbe, vultusque benignos.
Tu quoque tu patris, genitrix mea chara, sopore
Dum sua membra fouet, te deprecor, obiice menti,
Ac precibus miscens iram, memoransque cubile
Iucundum, & tædæ consortia læta iugalis,
Flecte virum votis, ac proli redde benignum.
Et [33] cantus subeunt, & sæui tædia belli. 33 *Omnium rerum satietas.*
Si meus, ô genitor, mouit tua pectora sermo,
Iam satis est quod iam tulimus, nimiumque doloris.
Sin rigidus maneas surdusque ad carmina nostra,
Natorum [34] Deus est etiam, nec deserit illos. 34
In varias miseri, velut antè, vagabimur oras.
Seu nostri curam abiicias, seu finiat æui
Mors spatium nostri, genitor, tua fama laborat.
Sis saltem nobis placidus post funera, tristes
Deque oculis lachrymas ob raptos proiice natos.

SCHOLIA.

1. *Hic diuum)* Patrem honoris causa Deum appellat, quòd parentes in procreando Deum quodãmodo imitẽtur. Deum autem progenitum ac mortalem vocant, vt eum à sempiterno Deo distinguant.

2. *Namque Dei magni)* Quasi dicat, Nõ est quod alienum à tua dignitate atque authoritate putes, aurem nobis præbere. Nam ne ipse quidem Christus Deus verus, supplices hominum preces aspernatur.

3. *Ipse tui sis)* Prouerbiali figura se conuulnerat, ac suo se gladio iugulat, quisquis sibiipsi malum accersit, ac velut architectus est suæ miseriæ.

4. *Nec mærore)* Lego enim οὐδέ τις ὅτι δὴν, vt legendum apparet ex eo quod sequitur εἰ δὲ, &c. Quòd si quis ab impressorum codicum lectione recedere nolit, retinendũ[que] putat οὐ δὲ, ita transferenda hæc erunt: Quòd si te aliquando dolor quispiam premat, insigni animi robore te Deus aduersus eum obsepsit.

5. *O Samiæ quondam)* de Polycrate vide infra in carmine de silentio.

6. *At nihil à nobis)* Gr. ἡμῖν δ' οὐδὲν ἄποινον ἔχει φθόνος. Hic quoque φθόνος ἀντὶ τοῦ φθονεροῦ δαίμονος accipi debet. Sensus est: Polycrates ille Samiorum tyrannus olim inuidiã placare summo studio contendit: nec tamen propterea ignominiosæ & calamitosæ mortis periculum effugit. Non est itaque mirandum, nos quoque, qui nullo munere inuidiam placare studuimus, ipsius quoque spiculum sensisse.

7. *Vt data sit priscis)* Quasi dicat, Res profectò lachrymis digna, cõmissum à nobis esse, vt veteres poëtæ fabularũ inuolucris veram nostram calamitatem tantò antè decantarint.

8. *Quidem olim)* Narcissum intelligit, qui cùm formæ suæ elegantiam in purissimo fonte conspexisset, confestim suiipsius amore exarsit, miseréque periit.

9. *At proprium quædam)* Agaue Bacchico furore afflata Pentheum filium, quem in illo mẽtis errore aprum esse existimabat, crudelissima morte affecit. Ouid. Metam. 3.

10. *Altera natorum)* De Medea loquitur, quæ cùm Iasonem maritum nouis amoribus animum addixisse perspexisset, vt iniuriam suam vlcisceretur, inaudita feritate communes liberos obtruncauit.

11. *Denique venator)* Notissima est Actæonis fabula, qui à canibus suis sub cerui specie ob Dianam nudam conspectam immanissimè discerptus est. Ouid. Metam. 3.

12. *Phocas)* Cùm Phocas hoc loco discipulus Christi vocatur, discipuli vox generali significatione accipienda est pro quouis Christiano. Neque enim Dorotheus, qui de 12. Apostolorum & 70. discipulorum vita synopsin edidit, vllam Phocæ mentionem facit. In Græco quidem Horologio hieromartyr dicitur, festúmque ipsius 10. Calend. Octob. celebratur.

13. *Sit seminis)* Hoc est, filiorum gloria vel dedecus in patrem redundat. Vt enim egregia spica argumento est, bonum semen terræ mandatum fuisse, & contrà: sic liberorum virtus parentibus gloriam conciliat, contráque ex eorum vitio nonnulla labes patrum nomini aspergitur.

14. *Hoc facis ô genitor)* Gr. τοῦ πατρὸς ἐμοὶ νόμος, id est, Si ita demum, ac non aliàs, mecum benignè agere, méque charum habere instituisti, si virtutis studium amplectar, quid facis, quod non alienissimi quoque faciant? Nam boni viri, iis etiam, quibuscum nulla ipsis necessitudo intercedit, chari esse solent. Ex quo perspicuè patet, in eo

quod sequitur in Græco, οὐ γὰρ ἀεί τι καὶ ξείνοις τελέθουσι φερτερίες, φερτερίες passiuè accipiendum esse, cùm tamen actiuam significationem habere soleat.

15. Alcinoi) Hic locus in Epistolarum annotationibus explicatur.

16. Nam qui mœrores) Græca sic habent Οἷς κοτύλη βαιή τις ἀναψύξω γοόωντας Ἄλγος ἄλγεσι φοβεροῖς γὰρ ἀρήγονες εἰσι χερείους. Vbi & cõstructionis & carminis ipsius ratio apertissimè mendum irrepsisse ostẽdunt. Quis enim vnquã γοάειν nisi absoluta significatione legit? Trochæus autem ἄλγος nonne carminis vitium perspicuè demõstrat? Quod si post γοόωντας punctum statuatur, & pro ἄλγος ἄλγεσι reponatur, nec in constructione nec in carmine vitium existet, & commodissima inde sententia colligetur. Hoc enim volũt Vitalliani filij, dolorem, quem ex abalienato à se patris animo capiunt, tantum esse, vt qui eum consolatione aliqua lenire student, eum potius exulceret, quàm mitigent. Quo etiam modo Iob amicos suos παρακλήτορας κακῶν appellabat.

17. Fratrum nam commoda) Hoc loco tamen pro κασιγνήτοισι fœmineum fortasse substituendum est satis enim apparet ex his, quæ sequuntur, de sororibus sermonem haberi, quarum commodis cùm tanto studio consuluerit pater, iniquum esse filij affirmant tam durè acerbéque secum agi. Emendationem enim hanc comprobat id quod interiectis aliquot versibus sequitur ὀαρατίσι χείρεσι.

18. Chiron) θηλυτέρης χείρωνος Aldus vertit fæminæ deterioris, quasi in Græco sit χείρονος. Alludit autem Gregorius ad centaurum illum Chironem Heroum suæ tempestatis magistrum. Proinde matronam eam, quæ puellas ad virtutem informaret, opificiáque mulieribus digna edoceret, aptissimo nomine fœmineam Chironem appellauit.

19. Matrona parabat) αἱ enim legendum non οἱ. Mulierum enim semper officium fuit, sponsas in nuptiis adornare.

20. Namque meum) Ad verbum pulchritudinem meam. i. sororis meæ.

21. Hesperon) Vesperus & Lucifer (quem etiam Phosphorum Græca voce Martialis appellat) vna eadémque stella est, nimirum Veneris sidus. Quod quidem si sero luceat, Vesperus dicitur: si mane, Lucifer. Quoniam autem clarissima hæc stella est, idcirco duplici eius nomine sororis pulchritudinem ornat.

22. Echo) De Echus amoribus vide Ouidij Metamorph. Quod autem ad huius loci explicationem attinet, vide pag. 204. Schol. 101.

23. Manibus gestes) Manibus gerere, id est arctissimo amore complecti, quemadmodum etiam ἐν ὀφθαλμοῖς φέρειν. quod pari elegantia Latini dicunt, in oculis ferre.

24. Ast hæc æquoreo) Prouerbiale est hoc apud Græcos loquendi genus, quo euentum eius rei, de qua verba fecerunt, deprecantur. Huic simile est illud, quo etiam interdum Gregorius vtitur, τῶν τὰ μὲν αὖραι φέροιεν, id est, hæc in ventos abeant.

25. Vitáque & nomine) Gregorij nomen ἀπὸ τοῦ γρηγορεῖν ducitur, id est vigilare. Hîc autem multiplex est constructionis vitium in Græcis exemplaribus. Nos tamen sententiam fideliter, vt puto, reddidimus.

26. Nec pugiles) Quid, inquit, prodest in martyrum honorem tot sumptus facere, si interim animus tuus perpetua ira aduersus filios tuos æstuet? Nihil enim hoc aliud est quàm culicem colare, & camelum deglutire.

27. Charior atque) ἀνδρομέου αἵματος. Potest etiam his verbis nobilitas ac generis splendor significari: quod vera nobilitas in virtute sita sit.

28. Lætaque pernicies) Alludit, vt opinor ad eam descriptionem, qua Homerus iræ naturam eleganter explicat lib. Iliad. 18.

> Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
> Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται ἠΰτε καπνός.

Iram ait liquido melle dulciorem in hominum pectoribus fumi instar augeri.

29. Nam scripta) Gr. γραπτῶν γὰρ βασιλεὺς νόμων ἀδίδακτος ἀνάγκη. Necessitas, id est necessarius, atque non cuiusquam magisterio, sed natura insitus amor scriptis legibus est superior. Nam cum scriptæ leges vindicanda maximè peccata ea censeant, quæ filij aduersus patres admittunt: tanta tamen vis est paterni amoris (φίλτρον Græci significantius dicunt) vt nullum tam graue filiorũ scelus esse possit, cuius non facilè veniam à parentibus filij obtineant.

30. Quo nullum firmius) Quandiu enim incolumis filiis pudor manet, facilè paterna iura ab iis parẽtes obtinẽt. Quò magis cauere debent, ne nimium crebris obiurgationibus eos ita iactent, atque obruant, vt ad omnem tãdem castigationem obdurescant, callúmque impudentiæ ducant. Præclarè enim Gregorius noster infrà in Parænetico ad Olympiadem,

> Αἰδῶς δ' οἰχομένη πάντων γενέτειρα κακίστων. Id est,
> Protinus extincto subeunt mala cuncta pudore.

31. Probra etenim) Admonet Author non semper vtendum esse verborum acerbitate, ac minis & asperitatibus in eos qui ab officio recedunt. Nõnumquam enim expedire lenitatem animique fatilitatem adhibere: eaque ratione eos, qui peccant, facilius ad officium reuocari.

32. Id rex ille) Hîc non satis animũ aduertisse videtur Gregorius. Neque enim is qui Absalonis cædem Dauidi nunciauit, capitali supplicio affectus esse scribitur: verùm hi duo qui Saulem & filium Isboseth interemptos nunciarunt. Nam quòd hoc loco de Absalone verba faciat, ex eo constat, quòd muli ipsius meminit, ac rami, cui in sylua caput eius adhæsit. Vide Reg. 2. cap. 18.

33. Et cantus) Nam cùm nulla in hac vita sit res adeò suauis atque iucunda, quin huius tandem fastidium contra-

contrahamus: multò profectò æquius est nobis in rebus odiosis & acerbis idem fastidium oboriri. Ad Homerum autem his verbis alludi ostendimus pag. 101. Schol. 5.

34. *Natorum Deus est etiam) Hoc est, Deum non parentum duntaxat curam gerere, sed filiorum quoque rationem habere, atque ipsorum saluti amantißimè consulere.*

IN DIVITEM MALE MORATVM.

Nobilis, at grauibus vitiis adopertus, honesto,
Non tamen illustri, commemorabat auos.
Risit ad hæc alter, scitéque hoc rettulit: Vt mî
Dedecori genus est, sic quoque tu generi.
Hoc memori condas animo, repetásque subinde:
Vt virtute tibi nil prius esse queat.
Quod si te salibus quisquam probrísque lacessat,
Quod tibi cum facie sit quoque fœdus odor:
An dices, Forma genitor præstabat, odórque,
Quem dabat è toto corpore, gratus erat?
An multas dices, timidus si forte voceris,
Imbellísque, atauus vicit Olympiadas?
Sic quoque, si quis te nequam stolidúmque vocarit,
Ne mihi, quos rapuit mors fera, profer auos.
Simile. *Pulchra rudes modulos dedit vni barbytus: vni*
Vilis at egregios edidit icta sonos.
Dic mihi quis fidicem melior censendus eorum?
An non qui docta barbyton arte ferit?
Ergo animos tollis, quod sis licet improbus ipse,
Diceris auratis patribus esse satus?
An tibi nobilitas sunt prisca cadauera, ficti
Sermones, & quos garrula fundit anus?
Ludis? ego at tantum specto (par omnibus ortus
Argilla est etenim) sis bonus anne malus.
Omnibus est eadem pellis: nos patria, opésque,
Nos tamen & tumidos reddit inane decus.
Vana quid ergo refers, patriã, genus? haud mihi ficta,
Haud mihi busta placent. temet ego inspicio.
Omnibus est idem pùluis, fictórque: tyrannis,
Non natura, homines scidit in ista duo.
Qui malus, hic seruus: quisquis bonus, hic mihi liber. Quæ verã seruitus.
Quid facit ad clarum mens nimis alta genus?
Quod probrum est mulis asino fluxisse parente?
Quod mulos asinis est genuisse decus?
Quin parit,[1] *at fœtus nido Iouis eiicit ales.* 1 Aquila fœtus suos eiicit.
Ergo te misso quid mihi promis auos?
Esse probus malim, quamuis ignobilis ortu:
Quàm claros, vitiis plenus, habere patres.
[2] *Ex spinis etenim rosa nascitur: ignibus at tu* 2 Simile.
Dignus es, è molli spina creatus humo.
Cur caput instar equi molitor sustollis aselle,
Obq; atauos, cum sis improbus ipse, tumes?

SCHOLIA.

1. *At fœtus nido) Aquila, vt inquit Basilius hom. 8. in Hexam. circa sobolis educationem iniquißima est. Nam cum duos pullos produxerit, alterum eorum pennarum ictibus propulsum in terram deturbat: alterum autem solum complectitur ac charum habet: ob educationis videlicet molestiam eum quem genuit, abdicans. Itaque idem Author parentes eos aquilæ non abs re comparat, qui in partienda bonorum suorum hæreditate iniquißimos se liberis præbent: dum, vt vnum opibus augeant, parum omnino aliis relinquunt.*

2. *Ex spinis etenim) Probos viros, obscura tamen familia ortos eleganter rosæ comparat, quæ licet ex spinis nascatur, tamen suauißimum odorem efflat: nobiles contrà, cæterùm improbos, spinæ, quæ è molli terra ortæ, nihil omnino vtilitatis habent.*

D. GREGORII PEREGRE PROFECTVRI AD CHRISTVM PRECATIO.

Christe potẽs rerũ, atq; hominũ bona cũcta tuorũ,
Rebus & in cunctis, qua pergant, semita recta,
Exod. 13. *Ingens qui flamma duxisti atque ignibus agmen:*
Ibid. 14. *Quique iter Isacidis freta per ventosa dedisti,*
Nilicolûm insanum mergens in gurgite regem:
Ibid. 16. *Cuius & æthereã panis delapsus ab arce est*
Ibid. 17. *Munere, & in vasta (facinus mirabile) eremo*
Maxima de rigido manarunt flumina saxo:
Ibid. 17. *Cuius & hostiles infregit dextra phalanges,*
Mose manus tendente pias in vertice montis,
Atque crucem signante, meum qua nititur omne
Iosue. 10. *Auxilium: Cuius iussu Sol lunaque cursus*
Ibid. 3. *Continuere suos, cessit properantibus amnis,*
Pronáque promissis patuit via lætáque ad oras:
Tu verò humanis iter ad cœlestia regna
Duplex Testamentum. *Monstrasti, iungens veteri cum calle recentem,*
Tunc cum mortalis simul & Deus incola terræ
Factus es, ac superas remeasti victor ad arces,
Hincq; etiam ad cupidos venies, quàm clarior antè.
Tu mare cum pedibus premeres, mox orta procella Luc. 8.
Concidit, & tumidis agitatum fluctibus æquor.
Tu mihi, sancte, viæ comitem te iunge vocanti
Hac luce, atque tuo sit iter mihi numine faustum.
Pro duce sit quæso bonus angelus: illius ipse
Fulciar auxilio firmo: méque ille periclis
Subducens, grauibúsque malis, nóctúque diúque,
Ætque viæ optatum finem tribuénsque laboris,
Incolumem educat tectis, rursúmque valentem
Sanguinis ad socios referat, charósque sodales:
Hic vbi pérque dies omnes noctésque quietus
Vota dabo, & vitæ spatium sine crimine ducam,
Atque ad te mentem, vitæ lux fulgida, tollam,
Donec mors cursum fragilis mihi finiat æui.
Atque vtinam sedes pertingere detur ad illas,
In quibus est iustis requies finísque laborum.
Viuo tibi, tibi Christe loquor, sedeóque, pedémque
Tollo meum. nam tu me dextra operísque tegísque.
Sit mihi meta viæ duce te lætißima Christe.

DE SILENTIO QVOD IEIVNII TEMPORE COLVIT.

ARGVMENTVM.

D. gregorius toto quadragesimæ tempore silentium sibi indixerat. Hoc itaque Carmine consilij sui causam exponit, quótque mala è lingua oriantur, docet: vt ad eam summo studio frænandam excitemur.

1 *Lingua sile: mutam at vocem mea penna tabellis*
Scribe,[1] oculísque animi concine sensa tui.
Cum carnem astrinxi, cupiénsque occumbere mundo,
2 *[2] Suppliciis Christi mystica sacra tuli,*
Ieiunis anima purgatur. *Vicenis, Christi vt lex fert, totidémque diebus,*
Purgatæ carni cum medicina venit:
Id primùm studui, mentem stabilire quiete,
Solus agens, animi cúmque dolore dies:
Totam intrò mentem referens cogensque. piorum
Pòst autem vt sequerer dogmata sancta virûm,
Cur silentium coluerit. *Portam ori apposui si causam quæris, vt omni*
Parte silens discam voce tenere modum.
Similia. *Nam quisquis multos ferro prostrauerit hostes,*
Haud ægrè exiguam fuderit ille manum.
Atque scopum quisquis ferit eminus, huius inanis
Haud vnquam, propius missa, sagitta volat.
Denique, quam duxit spatiosa per æquora, nauta
3 *Ducere non metuet per [3] freta parua ratem.*
Parua etenim si quis superet, maioráne possit
Vincere non certum est, id licet ipse velit.
At non est dubium, quin is qui maxima vicit,
Vincere perfacili parua labore queat.
Ergo etiam arcta meis inieci vincula verbis:
Ne posthac nimia garrulitate cadam.
Ac certè lingua nihil exitialius vsquam est.
Cursor equus semper, tela parata nimis.
Omnia nemo videt: vicináque sola prehendit
Nostra manus: totam nec pes obiuit humum.
4 *Non homicida labore caret: [4] mœchúmque libido*
Præter linguam nihil laboris expers. *Territat: est odio furibus atque diis.*
Est labor in censu: teneo amittóque vicissim,
Vt cui compressa stringitur vnda manu.
5 *[5] Æquoreum terrenum & iter, prædoque cruentus,*
Inuidiáque ardens alter amator opum.
Hæc auri cupidos incommoda cuncta fatigant.
Ærumnas insons denique sonsq; ferunt.
Linguã nihil coercet. *At linguam nemo properantem ad verba repressit,*
Non nix, non scopulus, non homo, non fluuius.
In promptu iaculator, in arcu sæua sagitta:
Circulum & in crena neruus adactus habet.
Quas animus misit, volitant feriúntque sagittæ
Viuos, victuros, cum superisque homines,
Lingua oẽs petit. *Hæc æquè incautos & cautos figit, amicos*
Atque hostes, prauos vulnerat atque bonos:
Vicinos, procul & positos, ac denique nil non.
Qui domat hanc, sophiæ culmina prima tenet.
Linguæ petulantia. *Hæc Veneri addictis ructat fœdissima multa,*
Risum aliis risu dignus vt ipse ferat,
Vibratus vibrans, simulacrum nobile turpans
Numinis. auribus hæc plurima tecta vomit.
Conuicia. *Sæpe etiam sexcenta leuis maledicta profundit,*
Quæ, veluti spumam, proiicit ira grauis.
Aut rursum ficto blandissima pectore fatur,
Atque aliud labris, mente aliúdque gerit:
Blanditiis plenas voces, mendacia, fraudes.
Dicere quis linguæ cuncta venena queat?
Illa domos domibus committit, & vrbibus vrbes Lingua rixas & dissidia parit.
Protinus. id nullo cúmque labore facit.
Committit populum regi, dominúmque subactis,
Vt stipulam incendit mox leuis igniculus.
Illa ratis socios, fratres, natósque patrésque,
Illa viros armat, participésque thori.
Illa malum insontem reddit, iustúmque nocentem. Linguæ inconstantia.
Rursus id inuertit. quis rogo tanta potest?
Lingua quidem parua est, at viribus omnia vincit.
O vtinam illa malis protinus occideret.
Porro cum stultis fraudem ferat omnibus illa,
Est mage sacrificis exitiosa tamen.
Sum lyra supremi regis, modulisque canoris Sacerdos est dei musicũ organũ.
Hunc cano, qui tremulo cuncta pauore quatit.
Non Troiam cano, nec celerem, quidã velut, [6] Argon, 6
Non [7] caput aprinum, aut Amphitrioniaden. 7
Non etiam æquoreis tellus aptetur vt vndis,
Non supera vt currant, non lapidum radios.
Non cano væsanos ignes, iuuenúmque decorem,
Pulsata vt quidam molliter antè lyra.
Sed mihi, supremus dominus cantatur, in vnum Quid canat sacerdos.
Quæq; coit numen ter veneranda Trias.
Angelicique chori, qui stat prope, carmina læta.
Hymnique, alterna quæ canit ille vice.
Harmonia & mundi præsens, meliórque futura,
Quam spero, iunget cum vltima cuncta dies.
Atque crucis Christi decus admirabile, qua me
Carne Deum iuncta cum deitate facit.
Ac mea præterea canitur mihi mistio. namq;
Miro opere humanus iungor Olympicolis.
Denique diuinas leges cano, factáque mundi,
Quæque pios maneant præmia, quæq; malos:
Virtuti vt studeas, atque omnia crimina vites,
Ac tua Iudicij conterat ossa timor.
Hæc mea lingua canit. vos, o sacra turba, cauete
Ne malè concinnum det lyra vestra sonum.
Ora ego seruabo puris non sordida sacris,
Queis nostrum supero cum patre iungo genus.
Non aliena etenim lingua, nec mente prophana,
Viuificum puro labis obibo sacrum. Vel, labe sacrũ faciam.
Fons idem haud dulces & amaras proferet vndas. Iacob. 3.
Purpureæ vesti res aliena lutum.
Sacrificóque satos olim noua flamma necauit, Leuit. 10.
Haud pura facerent quòd sacra dia manu.
Quin quondam labentem etiam qui contigit arcam, 2. Reg. 6.
Præcipiti ad stygias est nece raptus aquas.
Hæc ego cum norim, metuo ne sordibus ater,
Contingens Triadis numina morte cadam.
Atq; vtinã & mentẽ instabilem, nimiumq; vagantẽ
In varias, nulla fruge sequente, vias,
Ad metam iniecta reuocare liceret habena:
Aut etiam prorsus corde tenere meo.
Nam Christo si iuncta foret, splendore micaret
Illo, qui magno clarus ab igne venit.

Sed

Sed tamen haud tantum damni, dum clausa tenetur,
Efficit, à Christo sit procul illa licet.
Simile. *Nam neque, si firmis petris solidísque retenta*
Perstrepat internè flamma, vel vnda minax,
Aut densum nemus, aut vastat plena horrea: verùm
Intus, dimidia mortua parte, latet.
At simul vt sermo patulo manauit ab ore,
Iam furit, ac nulla pòst reuocatur ope.
Simile. *Curuum ergo vt ramum cultor dum corrigit agri,*
Hunc sensim ipse latus torquet in oppositum:
Atque ita, vi cessante, manet tum denique rectus,
Nec prius in vitium degenerare solet:
8 [8] *Impete sic ego cum ferri mea verba viderem*
Vlteriùs, ferret quàm modus atque canon,
(Sermo etenim quondã mihi vita erat) omnia verba
Suppressi. hæc vitiò certa medela fuit:
Scilicet vt discat, quæ fanda infandáque, lingua,
Quæque silet prorsus nunc, bona verba loqui.
Compressa est omnino, modum iam lingua tenebit.
Hæc lex immodicis fixa sit vsque viris.
In ira lingua comprimenda. *Vtile quinetiam fræno compescere linguam,*
Cum grauior pectus concitat ira tuum.
Nam lingua domita, fluctus quoque concidit iræ,
Non equidem promptè, concidit ille tamen.
Nam tu si tumidam linguam rabidóque furentem
Impete constringas, ira molesta cadet.
Extincto ductore fugam grauis ira capessit:
Ac citò compositis fluctibus vnda silet.
Ista quidem Christi ductum auxiliúmque requirunt:
Quæ clauum teneat, pòst quoque mentis egent.
Nam nisi dux hæc sit, nec labra silentia quicquam,
9 [9] *Nec vitæ asperitas, vtilitatis habet.*
Simile. *Atque angusta manu si clauseris ora paludis,*
Ac rursum reseres, protinus illa fluet.
Ast hinc te, bone vir, sermo clarissimus orsum,
Fluctum omnis vitij sistere rite iubet.
Cur sileat mea lingua, tibi, charissime, causam
Exposui: atque manu pectus habente loquor.
10 *Hic* [10] *meus est cursus, dispar tibi cursus, & alter*
Vento alio pulsus littora fida petit.
Altera silẽtij causa. *Eia age, nunc rationem aliam cur ipse silescam*
Accipe chara mihi, quæque inimica, cohors.
Robore mî quondam iuuenilia membra vigebant:
Inq́; hostem pugnæ me dabat Omnipotens,
Corde fidem medio mage firmam adamante gerẽtem,
Instructúmque armis vndique præualidis.
Lustraui sanctis animum sermonibus, hausto
Flamine, versarem dum sacra scripta manu.
Quorum ope, quæ libris inerat salsugo prophanis,
Hanc vomui, formæ fictitiúmque decus.
Ac feruens etiam corpus, florente iuuenta,
Plurimus edomuit, contudit atque labor.
Ingluuies compressa mihi est, [11] *rabiésque propinqua.* 11
Pupísque infixit lumina castus amor.
[12] *Fregi iram, membra & vinxi,* [13] *fleuiq́; cachinnum.* 12. 13
Omnia mortua sunt, quæ mihi chara prius.
Lectus humúsque fuit, laterum dolor [14] *asper amictus:* 14
Et pepulit somnos imber ab ore cadens.
Luce laborabam, diuinas nocte canebam
Laudes, lætitiæ nescia membra gerens.
Antè quidẽ hæc. feruebat enim caro praua, moratur
Quæ mentem ad superas dum studet ire domos.
Quin & opum molem abieci: mea pondere vt omni
Libera mens celeri tendat ad astra gradu.
At nunc, cum morbo crucior, tristíque senecta,
Damni aliud misera iam fero sorte genus.
Namq́; mihi effrænis lingua est, & garrula: per quam Ironia.
Liuor me innumeris afficit vsque malis.
Nullius in solium insilui, tellure nec vllum
Ejeci patria: fraus neque culta mihi.
Vipereo nullum mordax ego dente petiui:
Nec quicquam feci, quod sacra nostra vetent.
Non ego pastorem læsi, non de grege quenquam.
(Namq́; etiam in populi serueo bile duces,
De quibus hæc rumor iactat, queis plenáque terra est,
Et mare, quæque mihi fletibus ora rigant.)
Sed fraudi mihi sermo malus fuit. haud prius ipse
Hoc arbitrabar, sed fuit ille tamen.
Inuidiam charæ peperit mihi namq́; cohortis.
Liuor id à nobis accipe, lingua sile.
Paulum lingua sile: non vincta tenebere semper.
Misologo tantum non dabo munus enim.
Prospera rex [15] *Samius metuens, hanc* [16] *repperit artẽ,* 15. 16 Polycrates.
Liuorem vt placidum redderet ipse sibi.
Ingentis pretij lapidem coniecit in vndas.
Hoc capto piscis retia iacta subit.
Piscator regi piscem dat, rexq́; ministro.
Annulus in medio pectore piscis erat.
Ventre capit piscem, dextra capit atque monile:
Mæstitiam potuit nec reperire, volens.
Sic mihi, quòd liuor semper mea verba malignus
Infesto spectet lumine, labra silent.
[17] *Hactenus ipse imitor Samium. quisnam exitus autẽ* 17
Contingit tandem, non mihi scire datum est.
At preme liuorem, & sceleratis eripe linguis
Ad tua me rapiens lucida tecta, Deus.
Hîc vbi cum sancta & semper radiante caterua
Promam festiuos lætus ab ore sonos.
Hæc cape, muta manus tibi quæ dedit, vt monimẽtum
Non mutum mutæ vocis habere queas.

SCHOLIA.

1. *Oculísque animi) Vt enim lingua auribus loquitur, animíque sensa exprimit: sic etiam manus, cum aliquid scribunt, oculis quodammodo loqui videntur.*
2. *Supplicijs Christi) Ad verb. mortalibus Dei perpessionibus mysticum sacrificium offerens. hoc est, in honorem passionis Christi carnem excrucians.*
3. *Per freta parua)* βαιὸν *aduerbialiter lego, non* βαιῶν, *reclamante carminis lege.*
4. *Mæchumque libido) Hîc quoque in Græco mendum obrepsit,* μοιχοὶ δέ τε καὶ τροπέουσι λύσσαν ἑλώ. *Pro* τρεπέουσι *enim* τρομέουσι *legendum est. Hoc enim vult Gregorius, fieri nõ posse, quin adulteri, dum nefariam libidinẽ explere student, magno timore discruciẽtur, metuẽtes videlicet, ne à marito deprehensi iustas sceleris pœnas persoluant.*
5. *Æquoreum terrenum)* ὁδοιπορὶν *legendum sensus enim Gregorij est, iis, qui congerendis opibus incumbunt, labores innumeros terra marique subeundos esse, nec eas tanto studio ac diligentia conseruari posse, quin sæpe vel latrocinio, vel hominum inuidia ipsis eripiantur.*

6. *Argon*) Argo nauis ea fuit, qua Iason ad vellus aureum rapiendum cum multis clarissimis viris vectus est. Vnde etiam Argonautæ dicti sunt. Quorum expeditionem Apollonius poëta conscripsit.

7. *Aprinum caput*) Aprum Calydonium intelligit, de quo quædam annotauimus in tractatu De externa hominis vilitate.

8. *Impete sic*) Hic versus sic in Græco imperfectus legitur,

Ὡς ἐγὼ μύθοιο εὐτροχάλοιο ἐςαλώ, Explebitur autem versus si post ὡς, coniunctio ponatur, ὡς καὶ ἐγώ, &c.

9. *Nec vita*) In Græcis codicibus manifestum est mendum, οὔτε λιχαρτερίης ἀμείνονος ἔςʼ ὄφελος. Pro ἀμείνονος enim μείζονος legendum. Hoc autem loco per καρτερίαν ea omnia intelligit, quæ domando corpori à piis hominibus adhibentur, vt silentium, ieiunium, chameunia, lachrymæ, cæteráque asperioris vitæ genera.

10. *Hic meus est*) His verbis ad eos vti licebit, qui illud vitæ genus, quod sibi delegerunt, miris laudibus efferunt: cætera omnia damnant: quasi non in omni vitæ genere salutis negotium agi possit.

11. *Rabiesque propinqua*) Per rabiem ingluuiei propinquam, veneream voluptatem intelligit: quòd venter cibis distentus, in libidinem, vt ait D. Hieronymus, facilè despumet.

12. *Fregi iram*) Quod genus loquendi sit in Græco βρύξα χόλον alij viderint. Mibi certè non βρύξα sed ῥῆξα legendum videtur.

13. *Fleuique cachinnum*) hoc est, risum fletu ac lachrymis dignum esse censui. Sic enim aliàs quoque hanc locutionem accipit. Quanquam non me fugit, his verbis hoc etiam significari posse, Gregorium ineuntis ætatis risus lachrymis postea prosecutum esse. Sed prior sensus mihi magis arridet.

14. *Asper amictus*) Græca sic habent, πλευρῶν ἄχος, ἥματα λυγρά. Vbi non dubito, quin pro ἥματα, reponendum sit, εἵματα. Hoc enim vult Author, se ad inferendam lateribus suis molestiam cilicium adhibere consueuisse. Quod si pro ἄχος quispiam ἄκος legat, hic sensus erit: Gregorium, vt lateribus suis, quæ molliter habita lasciuire solent, mederetur, cilicio vti solitum fuisse.

15. *Rex Samius*) Polycratem intelligit, cui, vt perpetuum atque inoffensum felicitatis cursum molestia aliqua interrumperet, author fuerat Amasis Rex Ægypti: immodicas scilicet vitæ prosperitates, vt corporum habitudines ad extremum bonitatis perductas, admodum periculosas esse censens. quemadmodum in ipso Polycrate apparuit, de cuius miserrimo vitæ fine vide Herodotum. Præclarè itaque Philippus rex Macedonum, cui cùm vno eodémque die tres lætissimæ res nunciatæ fuissent, O Fortuna, inquit, leui aliquo malo me mulcta.

16. *Hanc ceperit*) Ad verbum, huiusmodi molestiam excogitauit. Nisi quis hoc quoque loco ἄκος pro ἄχος legat: sitq́; sensus, Polycratem placandæ inuidiæ causa hoc remedium excogitasse.

17. *Hactenus ipse*) Gr. τόσσον ἐμοὶ Σαμίοις. Vbi & in sensu & in versu vitium esse constat. Itaque putarim legendum σαμίοιο. Hæc enim est sententia: Polycratem ad placandam inuidiam egregium annulum in mare abiecisse: pòst tamen eundem recepisse, ac tandem ignominiosa morte affectum fuisse: se quoque leniendæ inuidiæ causa sermonem, qui ipsi hominum inuidiam conflarat, premendum duxisse, ac Polycratem hactenus imitatum esse. An autem vt illi, sic sibi quoque calamitosus vitæ finis futurus sit, incertum habere.

HYMNI AD CHRISTVM POST SILENTIVM, IN PASCHATE.

Pressa diu quoniam nunc tandem labra resolui,
    Maxime te primum vox mea Christe canet.
Sacrifici puri, si fas est dicere, pura
    Victima de nostro pectore sermo fluet.
O magnæ mentis Verbum, præstantius omni
    Eloquio, lumen luminis, Vnigena:
Æterni patris effigies, certúmque sigillum,
    Pneumate cum magno luce micánsque pari,
Æui author, fama celebris, donatur opúmque:
    Halitus & mentis, altithrone, omnipotens:
Conditor, atque dator vitæ, moderator & orbis,
    Nam tua sunt, curæ subdita quæq́; tuæ:
Tramite qui recto lati fundamina mundi,
    Atque tuo nutu cuncta ligata geris:
Tu facis vt Phœbi lux aurea contegat astra,
    Sidera sic, mentes tu velut, exuperans.
Tu facis vt noctis lumen viuátque cadátque,
    Détque suum rursus Luna nouata iubar.
1 Tu facis vt partes moderetur [1] Signifer anni,
    Tempora temporibus consociétque nouis.
Quinetiam in stellis sapientia mira refulget,
    Tam fixis, quàm quas cernimus ire vagas.
Lux tua sint omnes, habitant quæ sidera, mentes,
    Ac Triadis laudes quæ sine fine canunt.

Gloria rursus homo tua, qui velut angelus abs te
    Hîc situs est, decus vt cantet & ipse tuum.
Æterne, ac rursum mortalis: corporis expers,
    Atque hominum causa pòst quoque factus homo:
Viuo, loquórque tibi, tibi sum, bone, victima viua,
    Omnibus ex opibus sola relicta meis.
Pressa tibi est mea lingua, tibi mea lingua soluta:
    Da precor vt sanctè cedat vtrúmque mihi.
Quæ decet, ista loquar: quæ non, nec pectore voluam.
    [2] Depulso fundam margara chara luto. 2
Vernantémque rosam è spinis, aurúmque ab arena,
    Et spicis missa farra legam stipula.
Has tibi primitias nostri, bone Christe, laboris,
    Obtulit hæc primùm carmina lingua tibi.
Hac es, Christe, die leuibus reuocatus ab vmbris,
    Atque retudisti spicula dira necis.
Horrendas hac luce fores tua rupit Auerni
    Dextera: libertas est animísque data.
Visus es humanis hodie rediuiuus: ob illos
    Nam satus es, passus, redditus & superis:
Vt sursum nati, rediuiuique astra petamus,
    Atque Patris tecum regna beata tui.
Te chorus angelicus luce hac lætúsque micansq́;
    Victorem cinxit, læta trophæa canens.

Hac

Hac luce [3] insonui, compressáque labra resolui:
Ac vice me citharæ, te celebrantis, habes.
Mente priùs mentem cecini: verbo cano Verbum.
Postmodo Pneuma sacrum, si volet, ipse canam.

SCHOLIA.

1. *Signifer) Vel, vt iam vsu trito vocabulo græco dicimus, Zodiacus, quiquidem obliquus ille circulus est, quo duodecim signa continentur.*

2. *Depulso fundam) Profectò cœno margaritam fundere, ex arena aurum, è spicis triticum relicto culmo legere, prouerbiali loquendi genere idem est, quod, relictis deterioribus meliora complecti.*

3. *Insonui,) Hîc in græco legendum fortasse est ἔκρεξα, quemadmodum & sequenti versu κρέξω. Nam hoc verbum citharæ ac testudinis proprium est. Mente ergo, inquit, mentem, id est Patrem, cecini, tum nimirum, cum silentio vterer: Verbum autem, hoc est, Filium nunc sermone celebraui. Postea autem Spiritum sanctum etiam canam.*

PARÆNETICVM CARMEN AD OLYMPIADEM VIRGINEM NVBILEM.

ARGVMENTVM.

Hæc Olympias Anysij filia fuisse videtur. Nam in secunda Epistola, quam ad eum scribit, petit ab eo, ne molestè ferat, quòd aureæ filiæ suæ Olympiadis nuptiis minimè interfuerit. In libro quodam manu scripto eiusmodi huius Carminis est inscriptio, ἐφάμιλλός τις πρὸς ἐπίγαμον παρθένον ὀλυμπιάδα λεγομένην. Huic porro regulas ac præcepta quædam tradit, quibus honestè ac sanctè in matrimonio viuat.

Nata mea, hoc pulchrũ munus tibi mittitur à me
(Nil porro vtilius monitis meliúsque paternis.)
Non fuluum gemmis iunctum radiantibus aurum
Matronam decorat, variis nec pingere vultum
Artibus, atque nouam formæ superaddere formam.
Sint aliis pulchræ, Tyrio sint murice tinctæ
Vestes, purpureæq́, quibus nil scilicet affert
Splendoris probitas vitæ & præstantia morum.
Spiritualis pulchritudo curāda.
Cura pudicitiæ tibi sit, tibi cura decoris
Illius, occlusi quem demirantur ocelli.
Moribus haud vllus flos est mage lætus honestis,
Et fama egregia, certáque & labe carente.
Primò Dei numen, posthac venerare maritum,
Vitæ oculum, & tua qui sapiens consulta gubernat.
Hunc & semper ames vnum, læteris & vno:
Idq́ magis, flammas si senseris illius in te
Ardentes, stabilísque tui conseruet amorem.
1 *[1] Ne tibi sit, quantam cupit hic, fiducia tanta,*
2 *Sed quantum decet ac fas est. [2] námque omnia tandẽ*
Rerũ omnium satietas.
Tædia ferre solent animis. non expedit autem
Coniugis vt saturum capiat fastidia pectus.
In molem, mulier cum sis, ne assurge virilem.
Ne genus & proauos memora: ne pulcher amictus
Sit tibi vel vani sapientia causa tumoris.
Legibus est thalami sapientia cedere magna.
Cuncta etenim nexus communia reddit vtrique
Coniugij. Tu cede viro, cum bile mouetur,
Atque laboranti fer opem, mollíque loquela
Admonitúque probo mœrentia pectora fulci,
Simile.
Cum lea sæua furit, rabidáque exæstuat ira,
Robore corporeo domitor non comprimit illam,
Sed manibus mulcens domat hanc & voce suaui.
Ne damnum improperes, quamuis irata, marito,
(Pluris enim ille tibi est, quàm cõmoda cũcta putãdus)
Nec finem aduersum votis (namq́ haud decet istud.
3 *Sæpe fit vt non sit [3] prudentibus exitus idem*
Consiliis, verùm malè vertant optima cœpta)
4 *Nec teneras vires. [4] nam magnum robur in ense.*
Nec, quem non amet ille, virum laudaueris vnquam,
Versuto sermone notans pungénsque maritum.

Fœminam præsertim decet simplicitas.
Namq́ aliâs etiam sit oportet fœmina simplex.
Virq́ etiam, sed plus mulier. maioribus ipsa
Debet in hanc etenim studiis incumbere laudem.
Sint tibi lætitiæq́ omnes, sæuíque dolores,
Sint tibi communes charo cum coniuge curæ.
Nam domus his veluti gradibus se tollit in altum.
Dic quoq́ quid placeat, sed sit sententia victrix
Coniugis: hanc contra nimium contendere noli.
Cum iacet in luctu, paulum quoque contrahe frontẽ,
Ac sociam luctus te da. nam mœror amici
Afflicto esse solet dulcis medicina [5] doloris. 5
Protinus at vultum sumens cum mente serenum,
Mordaces animi curas luctúsque reuelle.
Nam mœsto est vxor statis benefida marito.
Pro studio, arguto tibi sit cum pectine tela,
Diuinique tuam teneat meditatio mentem
Eloquij: coniux externa negotia curet.
Limine, Nata, pedem nisi rarò efferre caueto,
Nec tu publica festa, inhonestos nec pete cœtus.
Namq́ verecundis etiam de fronte ruborem
Hæc adimunt, [6] oculísque procacia lumina iungunt, 6
Impudẽtia malorum omnium mater.
Extincto porro subeunt mala cuncta pudore.
Ad sanctos autem iubeo te tendere cœtus,
(Dum prudens matrona tibi se iungat eunti)
Egregium medio sermonem vt pectore condas,
Quo tua vel virtus crescat, vel noxa necetur.
Vrbs tibi sint ædes, tibi sint viridaria læta
Non cerni. excipio charos castósque propinquos,
Atque sacerdotem, & senium iuuenilibus annis
Vtilius multo ac melius. Quin, nata, monebo
Hoc quoque, fœminei vt vites consortia sexus,
Si qua sit extenta ceruice atque ore procaci.
Nemo sit vsqueadeo sanctus, mea nata, piúsque,
Cui pateant aditus ad te, si forte maritus
Oderit hunc, nolítque suis admittere tectis.
Quæ tibi tanta ferat, dic sodes, commoda quisquam,
Quanta feret thalami socius feruenter amatus?
Alto animo sis ipsa, licet, non mente superba.
[7] Hæc mihi laudatur mulier, quam turba virilis 7
Omnino ignorat. Fuge connubialia festa,

Atque dapes natalitias, vbi vina bibuntur
Largius, atque chori regnant, turpesque cachinni,
Ac lepor illepidus: quæ vel castißima mulcent
Pectora, tamq; citò penetrant, quàm feruida ceram
Lux Phœbi penetrare solet. Sed & ipsa caueto,
Ne præsente viro, vel eodem absente, Lyæo
Des operam; inq; tuis agites conuiuia tectis.
Gula fœminæ cauēda.
Forte queat venter rabidos compescere motus,
Dum modico gaudet victu: at si frena recuset,
Indomitúsque ruat, timeo hūc, timet huncq; maritus.
Ne gena subsultet lasciuis motibus vnquam,
Aut ira tumefacta graui. nam dedecus istinc
Fœmina virq; trahunt: at maius & illa. fit inde
Fœda etenim facies, turpique simillima monstro.
Iam suus auriculis mundus quoque constet, vt illa,
Quæ bona sunt, tantum excipiant, aduersa repellant.
Sint castæ & foribus clausis, & rursus apertis.
Virgineum tæda sociato funde pudorem:
Adq; hominum aspectus tingat rubor ora: oculique
Vt tibi sint cæci, & fixi tellure labora.
Lingua frænanda.
Quinetiam linguæ nisi frænum imponere cures,
Coniugis offendes animum. mala plurima sæpe
Innocuis etiam peperit malè prodiga lingua.
Præstat, cum verbis locus est tempusq;, silere,
Mittere quàm vocem, cū vox & lingua premēda est.
8 [8] *Fac tua vox cupidas semper labatur in aures.*
9 [9] *Quin pes elatè gradiens negat esse pudica*
Pectora. namq; etiam est in gressu sæpe libido.
Hoc quoque consilium capias charißima nata.
Effrenis ne te carnis trahat impetus: omni
Tempore nec lecti genialis gaudia quæras.
Ipsa virum dictis moueas,[10] *vt tempora sancta* 10
Sic colat, vt Veneris procul absit blanda voluptas.
Cedere diuinis placitis nam debet imago
Numinis: humana quamuis de stirpe creatis
Connubij legem dederit Patris vnica proles,
Ferret opem vt nobis, manibus quos finxerat ipse:
Vt dum alij abscedunt, alij veniúntque, trahatur
Vita fugax hominum, violenti fluminis instar,
Ob mortem instabilis, stabilisque ob pignora rursum.
Singula sed quid ego verbis includere pergo?
Consilium noui longè præstantius isto.
Est tibi, bella puella,[11] *Theodosis. hæc tibi viua* 11
Sermonisq; operisq; omnis fac prostet imago,
Est quæ nubilibus,[12] *Chiron quod priscus ephebis:* 12
A patre susceptam quæ te formauit honestis
Moribus,[13] *Amphilochi soror omni labe carentis,* 13
Quem cœli misi domino cum virgine Thecla,
Præconem veri celebrem, mihi dulce decusque.
Quod si quando meus venit tibi gratus ad aures
Sermo, velim hunc animi condas penetralibus imis.
[14] *Sic etenim, quamuis iactantem magna, maritum* 14
Sanaris, decus ipsa ferens præstantius illo.
Hoc nunc te magno donaui munere sin tu
Maius adhuc poscis, precor hoc tibi numine ab alto,
Area natorum sis vt fœcunda feraxq;,
Quò plures magni celebrent præconia regis,
Quo geniti sumus, ad quē etiā hoc properamus ab æuo.

SCHOLIA.

1. *Ne tibi sit*) *Sunt quidam homines adeò intemperantes ac belluini, vt nullum alium fructum matrimonij, quàm effrenatam quandam ac porcinam voluptatem agnoscant: vsqueadeo vt vxoribus quoque suis, nisi meretricio more lasciuiant, irascantur. Qualis erat impurus ille poëta qui dicebat, Lucretia toto sis licet vsque die, Thaida nocte volo. Admonet itaque Gregorius Olympiadem, vt, etiamsi plusculum aliquando licentiæ ipsi maritus afferat, pudoris tamen fines ne excedat, nec committat, vt expleta ipsius auiditas in fastidium tandem desinat. Obiter autem hîc quoque admonebo in Græco* ἀνδρὸς *legendum non* ἀνδρῶν *in plurali.*

2. *Omnium rerum*) *Græcum prouerbium est,* πλησμονὴ πάντων. *Id est, omnium rerum satietas. De quo vide Erasmum in Adagiis. Proinde summo studio cauendum esse mulieribus censet Gregorius, ne fastidium sui maritis obrepere sinant. Quodquidem omnino accidet, si ipsis expetita voluptate ad saturitatem vsque frui contingat.*

3. *Prudentibus*) *Hoc loco ad explendum carmen post* φέρει *ponenda coniunctio.*

4. *Nam magnum*) *Hîc quoque pro* κραταιόντι, κραταιόν τι *legendum. Est enim sensus, Nihil esse, cur vxor maritū ob corporis imbecillitatem contemnat. Gladium enim, quo ipse cinctus est, infirmitatem illam facilè compensare. Ab hoc non multum abludit elegans illa similitudo, quam affert Cicero in Oratione pro Sestio: vbi fortißimum etiam virum ipsa acie ferri à quamlibet imbecilli puero vulnerari posse ait, si ad nudum pectus accesserit.*

5. *Doloris leuationem*) *Hîc in Græco pro* ἄκος, ἄχος *reponendum est, vt ex præcedenti versu patet. Vult enim Gregorius nullam esse iucundiorem doloris medicinam, quàm amicorum condolentiam.*

6. *Oculisque*) *Id est, efficit vt mulieres virorum ora iam non erubescant. Recta autem est Aldi emendatio. Pro* μίσγε *enim* μίσγει *tertia persona legendum.*

7. *Hæc mihi*) *Præclara est, inquit, earum matronarum laus, quæ hominum cœtus ita fugiunt, vt ne illud quidem mares sciant, an vitæ huius luce fruantur. Insigne enim pudicitiæ argumentum hoc est.*

8. *Fac tua vox*) *Da operam, inquit, vt sermo tuus semper desideretur. Id autem fiet si pauca loquaris. Nostrates dicunt,* tenir en appetit, *cum aliquem vel sermone, vel vlla alia re saturare nolunt, ne sui fastidium tandē pariant.*

9. *Quin pes*) *Hunc locum exposuimus in Præceptis ad Virgines.*

10. *Ad tempora*) *Alludit ad Paulum, qui 1. Cor. 7. coniugatis suadet, vt orationis causa interdum à re vxoria abstineant.*

11. *Theodosis*) *Gr.* θεῶ τοι ὦ χαρίεσσα θεοῦ δόσις *quod tamen vno verbo scribendum esse puto. Est enim nomen proprium.*

12. *Chiron*) *Ad verbum, fœminea Chironis vide Scholia Carminis ad Vitalianum.*

13. *Amphilochi*) *Amphilochius hic Iconij Episcopus erat: ad quem egregium de Spiritu sancto opus scripsit Basilius.*

14. *Sic etenim*) *In Græco pro* ὧν δ' ἂν, *legendum* ὡς δ' ἂν.

DE SEIPSO POST REDITVM EX VRBE Constantinopolitana.

1 *AEquore [1] iam venio vitæ, trucibúsque relictis*
Fluctibus, hinc ventus quos grauis hincque mouet.
2 *Quæ [2] feci, hæc habeo: quæ sudaui, illa reliqui:*
Lætus ob hæc, tremulum pectus ob illa gerens.
3 *Dulce [3] nihil liqui, quod mæsto corde relinquam.*
Cessi inuita aliis mente, libente aliis.
Hæ solæ mihi diuitiæ, solúmque leuamen
Curarum, & requies sola laboris erat,
Nempe iubar Triadis, quam monstrans dissita longè
Arua libens adij, nobiliúmque choros.
Non tamen omnino incolumis. námque ipse petitus
Sum saxis. tibi sit gratia sancta Trias.
Monstraui tamen hanc, verbis pietatis & omnes
4 *Tornabam, vt [4] cum cui circulus efficitur.*
Cursus erat. sed me repulit morbúsque labórque,
Multum incusantem dæmonis inuidiam.
Qui teneros fœtus nostros excussit, in ipso
Cum starent vitæ limine iam superæ.
Atque meam Triadem rursum scelerata caterua
Dissecat inque foris, dissecat inque choris.
5 *Ac doctrina [5] viget petulans. quis percitus ira*
Hanc feriet, sancta confodiétque manu?
Nomine quis Phinees & re Zelator? iniquè
Percussæ fidei quis feret vltor opem?
Quis Moses, Phario figens in dogmate telum,
In populo magno grande decúsque ferens?
Quis totam in media deitatem mente locabit,
Nil Triadi minuens, nil adiménsque sacræ:
Aut prudenti animo contraria dicta refellet,
Et verbis, insit vis quibus ampla satis?
Tempore quis varióque fidem retinebit eandem,
Stabit & haud firmis firmus in imperiis:
Nec velut Euripi vnda means remeánsque subinde,
Verget in hanc partem, verget in háncque leuis?
Bella sacerdotum quisnam feralia sistet,
[6] Inq; vnum proceres iunget amicitiæ? 6
Hoc ego cũ cuperẽ (namq; imperat hoc quoq; Christus,
Nostra suis friget qui mala suppliciis,
Queis simul innocuos vinxit turbámque nocentum,
Quique [7] procul regno vel prope quisquis erat: 7
Vnde etiam est vtrisque lapis summangulus ipse,
Qui populos arcta nectit amicitia)
In me odiis illi prius exarsere, nec vlla
Consilio fuit his cedere cura meo.
Atque vtinam pugnæ Trias expers esset & ipsa!
Nam petitur telis. prælia siste Trias.
Nec [8] quenquam bellum graue vulneret: ipsa labores 8
Prouehe sed crescens, ô veneranda, meos.
Túque, fidem extinctam quæ per mea verba vocasti
Ad lucem, valeas dulcis Anastasia.
Te neque morte iacens tamen obliuiscar: & inter
Eximias statuam, pro grege vota ferens.

SCHOLIA.

1. *Iam venio)* ἔρχομαι lego non ἄρχομαι. *Verba enim sunt hominis ex diuturna peregrinatione in patriam reuersi.*

2. *Quæ feci hæc habeo) Alludere videtur ad eos versus, quos Sardanapalus, homo ventris ac libidinum omniũ seruus, sepulchro suo insculpenda mandauit,*

Ταῦτα ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφυβρίσα καὶ σὺν ἔρωτι
Τερπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.

Quæ Tullius ad hunc modum transtulit

Hæc habeo, quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit: at illa manent multa & præclara relicta.

3. *Dulce nihil liqui) His verbis innuit se Constantinopoli, nec gloriæ, nec opibus, nec deliciis & voluptatibus studuisse, vt propterea causa fuerit quamobrem his orbatus in luctu ac mærore versaretur.*

4. *Vt cum cui) Vt quispiam, inquit, circini opera circum centrum circulum efficit, ita etiã ego omnes velut tornabam, atque ad veræ fidei pietatem adducebam.*

5. *Ac doctrina viget petulans) Per* πορνικοὺς λόγους *hæreticam doctrinam intelligit, quæ, vt à piis viris confodiatur, optat, velut Phinees olim, vt habetur Num. 25. cap. Israëlitem cum Madianitide concumbentem gladio traiecit, aut quemadmodum Moses Ægyptium, Israëlitæ cuidam vim atque iniuriam inferentem obtruncauit. Nam hîc quoque rursum eleganter hæreticum sermonem* αἰγύπτιον μῦθον *appellat, quòd vt Ægyptij olim Israëliticum populum persequebantur atque acerbissimè vexabant, eodem modo hæretici omni animorum contentione in veræ & orthodoxæ fidei perniciem incumbant.*

6. *Inq; vnum proceres) Ad verb. propugnatores. Absurdum est enim eos qui amicitiæ atque charitatis propugnatores sese profitentur, ad eámque alios erudiunt, ipsos inter se simultates & dissidia exercere.*

7. *Quique procul regno) Alludit ad illud Pauli Ephes. 2. Nunc autem vos, qui aliquãdo eratis longè facti estis prope in sanguine Christi. Vbi etiam Christus lapis angularis dicitur, quod duos populos, hoc est, Iudaicum & Gentilem in vnum iungat.*

8. *Nec quenquam bellum) Hoc loco, cum perspicuum sit mendum esse in Græco, pro* μηδεὶ ἀθρήσεις, *lego* μηδένα δ' τρώσει. *Si quis meliorem lectionem afferat, huic gratiam habebo.*

AD FICTOS MONACHOS.

DElicias studio quidam mihi dixerat esse
Mentis inops rectæ, diuitiísque tumens:
Multa alia, atque istud referens, ditem esse vocandũ,
Cum fonte atque hortis otia quisquis habet.

Piorũ monachorum studia.

Ast ego, Túne siles lachrymas, ieiunia, noctes
Insomnes, genuum vulnera túne taces:
Queis veri monachi perimunt sua corpora morte?
1 (Nam [1] iubeo falsos ipse valere greges.)
Iam quid habere putas, quæso, pia corda laboris,
Cum carne & mundo dum fera bella gerunt?

Breuis mũdanorũ fastus.

Quid monachi dicant, mundani audite, tumétque
Queis sed ad exiguos mens nimis alta dies.
Diuitiæ vestræ, thalami, nati, omnia læta,
Quidquid habet tellus, quidquid & æquor habet.
At fontes nobis si sint, hortique vel auræ
Exiguæ, aut vmbras arbor opaca ferat,
Delicias istud libet appellare. quid? vtrum
Auras haud fas est ducere Christicolas?

Quæ omnibus cõmunia sint.

Lædimini hîc solum? Lex omnibus vna, Deúsque:
Omnes ex æquo Christus ad astra vocat.
At nos ad summum virtutis cogitis, vt si
2 Debeat [2] humanis nostra caterna nihil.
Sin Christo, hoc nouit: nec, cum sis nequior ipse,
Nequitiæ censor dignus es esse meæ.
Quàm mœstus palléńsque hic est! non calceus ipsi,
Non coma culta nitet, vixque dat ore sonos.
Ac Zona vt tunicam stringit, pullatáque vestis
Compositè extremos fertur adusque pedes!
Hæc an vera fides pariat, vita indicat omnis:
Sin fictè fiant, qui volet illa probet.
Tellurem iam nemo colat, tractétque ligonem:
Nemo vectigal pendat, alátque patres.
Barba tibi sit longa, tibi pro tegmine saccus.
Ceruicémque terens dogmata conde noua.
Quod si barbariem spires, [3] omnésque lacessas, 3
Angelus es. tantum barba pilúsque potest.
Moribus impuris si quis nunc est, vel auarus,
Aut homicida, mali dæmones atque domus:
Non se per lachrymas, non per ieiunia purget, 4
[4] Non per sudores: ridiculum istud enim.
Sed vitas versans, atque omnia verba reuoluens,
[5] Dogmata falsa serat. sic cadet improbitas.
Tendere per curas, & per ieiunia carnem 5
Vtile, pérque cruces, excubiásque sacras.
Purior hinc etenim efficitur qui crimine purus:
Hæcq́; adimit vitij nonnihil arte malus.
At si quis ficto sit pectore, [6] mî placet illum 6
Tundi. pœna etenim debita fraudis erit.
Præpingues nimium carnes ventrémque tumentem
Haud capit æthereæ ianua parua domus.

SCHOLIA.

1. Nam iubeo) Ad verbum, proiiciamus ad coruos, id est, valere iubeamus.
2. Debeat humanis) id est, perinde atque humana omnia à nobis aliena existimare debeamus, nec fas sit monacho quicquam oblectamenti capere.
3. Omnésque lacessas) Ad verb. omnésque lapidibus insecteris.
4. Non per sudores) πόνοισιν enim lego, vt rectè Aldus emendat, non πένησιν vt in vulgatis. Hîc enim non de benignitate erga pauperes, sed de corporis maceratione loquitur D. Gregorius.
5. Dogmata falsa serat) gr. αἱρεσιαρχείτω, id est, hæresiarcham se præbeat. Eo statu nunc res sunt, inquit, vt ad colligendam sanctitatis opinionem nihil necesse sit corpus ieiuniis, laboribus, ciliciis atterere. Modò quispiam falsum aliquod dogma in medium proferat, repente omnis illius improbitas ac morum peruersitas de medio tolletur. Quæquidem verba nostræ tempestatis hæresiarchis optimè conueniunt: quorum multi apud suos hoc vno nomine penè pro diis habiti sunt, quod multa noua & perniciosa dogmata seuissent, cum tamen eorum vita fœdissimis vitiorum maculis respersa esset.
6. Mî placet illum) Si quis est monachus, inquit, qui non pio ac syncero animi affectu, sed simulatione quadam, vt vel humanã gloriam, vel quæstum aliquem consequatur, corpus suum variis asperitatum generibus affictet, gaudeo eum in huiusmodi cruciatu versari, vt sic hypocrisis suæ pœnas pendet.

AD DIABOLVM IN MORBO.

VEnisti scelerate, tuas intelligo fraudes,
Venisti vt rodas pectoris ima mei:
Dum me succutiens sexcenta per aspera vitæ,
Effigiem sacram perdere morte cupis.
Insilis in validas carnes, méque eximis æuo,
1 Eximitur [1] vinclis dum pituita suis.
Qua siccam omnipotens madefecit dextera molem,
Cum iunxit calidis frigida, cuncta creans.
2 Scilicet incolume vt corpus [2] concordia seruet,
Ac fugere hinc vitæ dissidium admoneat.
Ad me lethifera venisti mente, tuaq́
Nequitiæ virus funditur omne mihi.
Non satis istud erat, quòd iam premor ipse senecta,
Quæ grauior [3] Siculis dicitur esse iugis:
3 Ni me etiam morbus laceret, redénsque quotannis
In miseram tabem debile corpus agat?
Hinc ædo gemitus, atque arctor more leonis,
Quem venatorum retia firma tenent.
Non ego vel plausum eloquij, dulcésque sodales,
Expeto, non epulas, non ego posco dapes.
Non fora, non hortos, non balnea postulo, pulchri
Denique non vita hæc subdola quicquid habet.
Nã neq; chara habui prius hæc, Christũ vt semel ipse
Complexus liqui terrea cuncta procul.
At gemo, quòd Christi me lux iucunda reliquit, Cur gemat Greg.
Cui mea non paruæ curæ erat antè salus.
Qui me etiam in materno vtero decorauit honore,
Fluctibus insanis eripuítque maris.
Ingenio, persanctæ quòd [4] ieci plebis habenas, 4
Non tamen abieci, sed neque iam teneo.
Plebis, quæ nostris verbis prius exiliebat,
Cum canerem Triadis numina sancta meæ.
At nunc haud secus ac puer à nutrice remotus Psal. 130.
Ora suæ siccis admouet vberibus
Matris, at incassum, nam vana est illa cupido:
Sic populus nostro pendet ab ore pius,
Fontis auens, multis qui prodigus antè fluebat,
Cuius ne guttam nunc habet ille quidem.

Dulcia

Dulcia depromunt alij, sed pectore mæret
Auditor, nec enim verba parentis habet.
Ah vbi nocturni statio est lætissima cantus,
Quo subnitebar non secus atque lapis,
Sermonem vel solus habens cum numine summo,
Alternè vel cum pluribus ipse canens?
Dulcis vbi flexi cruris labor (hinc ego mentis
Pellebam tenebras, fletibus ora rigans.)
Ah vbi dextra inopes & languida corpora curans?
5 *[5] Quóque abiit membris robur ab inualidis?*
6 *Non iam [6] tollo meas sacra ad purissima palmas,*
Miscens me Christi supplicijs grauibus.
Non iam Martyribus statuo celebróque choreas:
Horum nec canitur mors pretiosa mihi.
Sed situs in libris nostris, monumentáque nostra
Fine carent: summam his quis dabit, oro, manum?
Omnia viuenti sunt mortua. languida vita est
Iam mihi, quassata debiliórque rate.
At licet exagites miserum sæuissime dæmon,
Haud genua inflectam pectoris ipse tibi.
Illæsus matrem sed humum inflexúsque subibo.
7 *Quod [7] serpens rosit, vermis id arripiat.*
8 *Percute tu [8] pellem, mea mens illæsa manebit.*
Effigiem sistam, quam dedit ipse Deo.
Iob 1. *Tu quoque vinxisti Iobum. sed victus ab illo es:*
Magnus vt hunc lauro cinxit agonothetes:
Fecit & illustrem sua per præconia palmam.
Ibid. vlt. *Et, quæ tu abstuleras, congeminata dedit.*
Hic mos est bone Christe tuus. tu me ergo valentem
Esse iube. sermo nam medicina tuus.
Ioan. 11. *Lazarus exanimis iaceo: tu, Surgito, clama.*
Et vitam repetet, quem fera Parca tulit.
Ibid. 5. *Captus ego membris iaceo: tu, Surgito, clama.*
Atque thorum gradiar protinus ipse ferens.
Mat. 9. *Furor quam dat opem tua fimbria: comprime fluxum,*
Qui macie carnes conficit vsque meas.
Luc. 13. *Substernor tibi Christe, velut [9] Chananæa, recuruum*
9 *Corpus habens: tu me surrige summe parens.*
Mat. 8. *Vrget tempestas, carpunt tua membra soporem.*
Euigila, atque tua voce procella cadat.

Hoc quoque [10] me pungit, quòd morbis vrgear ipse: 10
(Nam nec ego humanis, nec vacat vllus homo.
Sic etenim iubet Omnipotens: ne turgida fastu
Colla gerat quisquam, par velut æthereis,
Diuinum at cuncti auxilium spectemus opémque,
Rectíque hinc nobis exacuatur amor.)
At non tam morbi causa doleóque gemóque Quid præcipuè in morbo eū angat.
(Quoddam etenim ex morbo noxa piamen habet,
Quo nemo est qui non egeat, licet optimus is sit.
Secum aliquid nigri nam caro nostra trahit)
Quàm metuo abiectis, ne quis, dum tot mala nostra
Conspicit, offenso corruat inde pede.
Pauci etenim sunt forti animo, qui lætáque cuncta
Excipiunt æqua duráque cuncta manu:
Certi, nil fieri sine causa à numine, quamuis
Tecta habent sophiæ sæpe profunda suæ.
At permulta malis insultat turba piorum, Piorum calamitates infirmos offendunt.
His tanquam pietas præmia nulla ferat.
Aut etiam infame hoc statuunt in pectore dogma,
Quòd casu extiterit quicquid hic orbis habet:
Nec pater æthereus mortalia cuncta gubernet,
Námque statu, quàm sint, res meliore forent.
Sis memor horum summe Deus, famulúmque tuere,
Nec cum labe meos rex bone claude dies.
Sum famulus tuus ipse, tuis immitto manúsque
[11] Donis, [12] substrati verticibúsque gregis. 11
Morborúmque etiam medicus vocor. ô bone parce: 12
Aut mihi da vires, queis mala cuncta feram.
Nec prorsus me sperne Pater, nec frange labore. Quid à Deo petat Greg.
Nec me [13] merge malis, nec mihi fræna nega. 13
Punge precor stimulo, non hasta: nec vel onustum
Immodicè, aut vacuum me maris vnda ferat.
Prosperitas fastum generat, tenebrásque dolores.
Excipiat fluctus lenior aura graues.
Pressisti elatum: nimios miserare labores.
Tempus adhuc veniæ est, arbiter æque, mihi.
Caniciem vereor, séque excruciantia membra,
Et sacra, tot pressus cœlitus ipse malis.
At quid ego leges statuo tibi maxime diuûm?
Sum tuus: vt libeat me bone christe rege.

SCHOLIA.

1. *Eximitur vinctis*) hoc est, dum catarrho laboro.
2. *Concordia seruet*) ἰσοςασίη (*sic enim legendum*) id est, *humorum temperies. Ait autem idcirco Deum corporis sanitatem & conseruationem in humorum temperie posuisse, vt hinc discamus intemperiem omnem in moribus, tanquam exitiosam ac pestiferam, summo studio vitare.*
3. *Quæ grauior Siculis*) *Hoc est, quod post Platonem ait Cicero, senectutem quibusdam onus Ætna grauius videri.*
4. *Quod ieci plebis habenas*) *Hoc loco discrimen ponit inter iacere & abiicere, ac per iacere nihil aliud significat quàm deponere: hinc videlicet illud significans, se magno quidem dolore affici, quòd Constantinopolitanæ Ecclesiæ clauum reliquisset, sed, vt id faceret, ob quorundam Antistitum inuidiam coactum fuisse.*
5. *Quóque abiit membris*) *Hoc loco videtur mihi legendum* πῆξις. *Nam alioqui quonam pacto quereretur* πῆξιν *abiisse, cum ea se confectum esse dicat.*
6. *Non iam tollo meas*) *Dolet vir sanctissimus se morbi grauitate impediri, quominus pro suo more sacris operari, ac venerandum Missæ sacrificium celebrare queat. Non iam, inquit, ad pura sacrificia manus mitto, magnísque Christi passionibus misceor.*
7. *Quod serpens rosit*) *Stipendia enim peccati mors, vt ait Apostolus. Stygij autem serpentis astu primi parentes in capitalem fraudem inducti sunt.*
8. *Percute tu pellem*) *Per pellem carnem intelligit. Atque ad illud Sathanæ alludere videtur, Pellem pro pelle, &c. Iob. 1. Idque apparet ex sequenti Disticho.*
9. *Velut Chananæa recuruum*) *Intelligit mulierem eā de qua scribit Lucas cap. 13. quòd habebat spiritum infirmitatis & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Tamen quod Chananæa esset, nulla illic fit mentio.*

10. *Hoc quoque me pungit) Ait Gregorius, se non tam dolorum suorũ rationem habere, atque hoc nomine angi, quàm quod metuat, ne, qui parum in fide stabiles sunt, causam offensionis hinc trahant, perinde ac Deus nulla pietati atque optimæ vitæ præmia constituat. Atq; in his verbis alludere videtur ad regiũ Vatem qui psal. 72. eandem ob causam parum abfuisse ait, quin ipsius pedes mouerentur.*

11. *Donis) Quod superius sacrificia dixerat, id nunc dona dicit. Nam etiã per τὰ δῶρα persæpe apud Græcos Theologos sacrosancta Eucharistia accipitur.*

12. *Substrati verticibúsque) Ego, inquit, etiam super capita eorum, qui mihi sese substernunt, manus iniicio, atq; ipsis bene precor, morbósque etiam interdum profligo. Quare minimè æquũ esse videtur, eum, qui aliis medeatur, in tam longo & graui morbo hærere.*

13. *Nec me merge malis) Quemadmodum Salomon à Deo petebat, vt nec diuitias nec paupertatem ipsi daret, sic etiam hoc loco Gregorius noster ab eodem supplex petit, vt nec nimiam prosperitatem, nec rursum nimiam aduersitatem ipsi immittat. Ac similitudinem à naui ducit, quæ vel si prorsus vacua & inanis sit, vel si mercibus nimium oneretur, in pari periculo versatur. Eodem enim modo & à secundis & ab aduersis rebus, cum modum excedunt, par periculum imminere ait.*

AD NEMESIVM.

ARGVMENTVM.

Ad hunc Menesium extat quoq; Epistola nostri Gregorii. Hunc autem in hoc Carmine ad abiiciendam Ethnicam superstitionem, atque impium idolorum cultum hortatur. Ad quod vt eum inducat, prodigiosos Gentilium errores late persequitur.

O Lux iustitiæ, lux doctrinæq; Nemesi,
Qui priùs ad sacræ Themidis subsellia magnum
Nomen & eximias laudes à rege ferebas,
Causidicúsque dabas Romanis legibus ingens Nemesius primo' causidicus.
Robur, iura tuens, sceleratáque verba refellens,
Ac nunc Cappadocum præses clarissime gentis,
Iustitiæ ipse tuæ nobis libamina monstras,
Carminibus doctis aliꝫ, cantúque sonoro,
Ac facunda etiam promentes pectore verba,
Eloquium, quo tu mortales præteris omnes,
Ac laudum celebrent præconia sancta tuarum.
Sufficis vnus enim multis sermonibus vnus,
(Distinctim si quisque velit tua gesta referre,)
Non secus ac magni fluuiꝫ diuisa fluenta.
Te rursum in tabulis mutum, licet ore diserto,
Altera pars sublimè ferat, vel cudat in ære,
Vrbibus in mediísque locet, decorétque locando Optimi viri etiam picti ad virtutẽ incitant.
Oppida, quippe ducũm facies vel sola bonorum
Venturu conspecta viris decus vrbibus amplum est.
Ast ego (namque mihi diuino munere summa
Imáque nosse datum est, ac mens per cuncta vagatur,
Flaminis ætherei scrutans cum luce profunda)
Hæc loquar effari quæ debet sacrificus vir,
Ac veri celebris præco, discipulus eorum,
A quibus est captus diuinis retibus orbis,
Cum neque pollerent opibus, nec viribus vllis
Eloquiꝫ, clarum nec haberent antea nomen: Cur indoctos discipulos elegerit Christus
Scilicet vt Christo domino laus tota daretur.
Eia age versibus his animum adiice, dulcia quique,
Sed vana, auriculas ad carmina sæpe dedisti
(Quorum fictitius lepor est, nec vultibus impar
Illarum, quæ iura thori sacrata resoluunt)
Subiice paulisper nostris sermonibus aurem,
Queis decor est sensus deleri nescius vnquam,
Luminibus puris clarissima lumina fundens.
Namque tuum supera feriat si Christus ab arce Christi à mor omniũ dulcissimus.
Pectus, & in medio figat tibi corde sagittam,
Seiunctim inspiciens vtrúmque oculatus amorem,
Quanto sit Domini stimulus mage dulcis habebis
Perspectum. Ipse quidem canenti vertice iam sum,
Ac morti rugosa mihi iam membra propinquant,
Atque & multa, diu viuendo, tristia sensi,
Et rursum iucunda habui permulta, sed illa Vitæ iucunditates breues.
Temporis haud longo spatio durantia: verùm
Nondum oculis patuit tam fulgida gloria nostris,
Quanta sit, ad Triadis venerandæ accedere numen.
Sola meum ardenti pectus stimulauit amore
Doctrina, Argolicæ quam gloria gentis Athenæ Gregorius doctrinæ amans.
Quæsiuere mihi, Solísque occasus & ortus:
In qua multum operæ posui, durósque labores
Tempore non paruo subiꝫ. sed & hanc quoque Christi
Ante pedes humilem pronámque iacere coegi,
Diuino verbo cedentem, quod sinuosa
Et varia humanæ mentis tegit omnia verba,
Non secus ac reliquos Sol igneus occulit ignes.
Ergo, ego quæ dicam (námque id magis vtile) cura.
Haud decet, haud fas est hominẽ, qui Numinis ingẽs
Est opus, & superi verbi immortalis imago,
Prædita mente, capax superarum gnaráque rerum,
Altigrada, idolis sese substernere vanis
Horum, quæ tellus habet, & quæ pontus & aer,
Materiæ fluxæ simulacris vilibus, arte
Atque manu factis, cuius rubigo laborem
Conficit, atque illo tineæ pascuntur edaces.
Quorum pars summo colitur pro numine, rursum Gentilium stupiditas.
Pars inhonora iacet. sed nec cœlestibus ipsis
(Quæ quamuis insigne habeant decus, haud tamẽ ipsa
Numina sunt, supero sed tantum à numine facta)
Lunæq; & Phœbo atque astris, quæ nobile cœli
Sunt decus: aut ipsi se denique sternere cœlo,
Quod motu nunquam cessante agitatur in orbem
Atque intus variis ornatibus vndique fulget,
Eximiæ præco celebris, tacitus licet, artis,
Omnia quæ fecit, nexu quoque iunxit amico:
Vt mortale genus per res, quas lumine cernit Quorsum tã pulchræ res creatæ.
Corporis, hæc rapiat quæ sunt fugientia visum.
Namque etiam quisquis magnas conspexerit ædes,
Extructorem oculis sibi protinus obiicit ille: Simile.

Aucto-

Extructorem oculis sibi protinus obiicit ille:
Auctorémque suum celebrat sine voce carina.
At tu cœlicolûm pater effectórque nouorum,
Non etiam impuris dubitasti flectere crura
Dæmonibus, quos & prauósque bonósque vocasti,
Cum mala sit tota illa cohors, infestáque semper
Genti hominum, inuidiaq; atro suffusa veneno,
Sæuáque, carnis amans, gaudens nidore, lutosa.
Quam Christus, cum se mortali in carne, sed expers
Criminis ostendit, supera virtute fugauit,
Tempore cum longo sceptrum tenuisset in orbe:
Sanguinéque infandos puro augustóque cruores
Soluit, & ostendit mentis venerabile sacrum,
Tectum antè, & pauci omnino quod cernere possent.
Solo Christi nomine prolato fugantur dæmones. Signũ crucis dæmones fugat.
Nec mirum. námque ipse etiam, sors inclyta Christi,
Prolato ipsius vel solo nomine sæpe,
Dæmonas eieci, stridentes atque gementes,
Clamantésque Dei robur dominantis Olympo.
Aëra vel medium signo crucis ipse notaui,
Illustrémque tulit typus hic ex hoste triumphum,
Mosis vt in manibus sancta pro gente precantis.
Quis det vt excelsam in speculam subuectus, ad omnes
Terrena de gente satos possim ista tonare?
Mortales homines, horum authorésque fabríque,
Quæ nil sunt, sempérne insomnia falsa sequentes,
Lusique his, ac ludentes, errabitis ima
In terra, mente haud sana simulachra colentes?
Nam vitiis fauor vt vestris accederet, atque
Promptius auxilium, diuos finxistis iniquos,
Mendaces, cædis constrictos crimine, vafros,
Falsum iurantes, raptores, androgynósque,
Iura resoluentes thalami, rabiéque nefanda
Miscentes sese pueris, generíque virili.
Cerne mihi quotnam formas, qui primus eorum est,
Induat, ardenti veneris dum carpitur igni?
Nunc taurus, nunc albus olor, nunc cærulus anguis,
Nunc aurum, vrsúsue efficitur, nũc denique quicquid
Vult amor, infirmúsque puer (sic dicitis ipsi,
Imbecilla iuuat quos fingere numina dextra.)
Nec solùm id, sed quod peius grauiúsque putandũ est,
Ipsa quoque infanda sacrastis crimina noxa,
Atque aliis alium vitiis qui præsit, habetis:
Scilicet vt crimen non tantùm vindice pœna
Sit vacuum, sed & obtineat laudémque decúsque,
Vt gratum acceptúmque Deo, cultúmque ab eodem.
Prodeat ante oculos tibi nunc exercitus alter,
Claræ suppetiæ, cornuti, semidracones,
Ityphalli obscœni, colli exortesque, feræq;
Eq; feris mixti variis, ridenda gerentes
Ora. quid hîc dicam? sua pignora talia cernant,
Talia quandoquidem stultè venerantur: amicis
Tale ferant ipsi auxilium, capiántque vicissim,
Arma infesta animósque gerens cum venerit hostis,
Ad mala quale ferunt ipsis sua numina robur.
Singula sed quid ego nunc persequor, atque sacrato
Spurcitias tantas ex ore effundere pergo?
Vnum autem cuncta exuperat (clauus mea dicta
Fulcit.) Nos etenim per dia volumina, pérque
Diuinos vates, per Christi denique sanctos
Discipulos, mentem qui sacro Flamine gestant
Exsculptam, Dominum purgato corde videntes
(Quæ summis est ratio capiendi numinis vna)
Notitiam rerum superarum luminis haustu
Traximus ætherei, ad superas & tendimus arces,
Terrigenis quantum hîc alto dominantis Olympo
Est data cognitio. trans nubem cernere namque
Difficile est, oculus quantumuis cernat acutum.
Quod superest, manet innocuas post funera mentes.
Votorum merces etenim est pia carpere vota.
At si vobis sunt tam turpia numina, quàm sunt
Turpes sermones, quàm sunt cultúsque nefandi,
Felices homines ac térque quatérque beatos,
Qui prauis assensum haud dant turbæq; nocenti,
Sed merita plectunt commissa piacula pœna.
Nam quales aris, hymnísque frequentibus atque
Concinnis ipsi colitis, clarísque hecatombis,
Tales sæpe epulum coruis prædámque dedere.
Sin, vt Theologis vestris placet (& quoque vobis
Sunt etenim exponant sacræ qui sensa camœnæ)
Ista quidem nil sunt aliud, nisi cantus inanis,
Léxque modi dulcis, fabellæ carmine mixto,
Atque subest formæ petulanti sensus honestus,
(Quem spectet qui mente valent) vultu velut Hermes
Ancipiti pictus, cernens à fronte retróque.
Hic quoque, quod nequeat subnecti, conspice dictũ.
Namque etiam in nostris gemina est sententia libris.
Hanc literæ externus cortex, dat spiritus illam.
Conspicua hæc paucis, multis spectabilis illa:
Scilicet vt sophia clari maiora reportent
Commoda, quàm reliqui: vel quòd sudore pararunt,
Maiore id studio seruent. nam spernere quisque
Id solet, exiguo quod colligit ipse labore.
At tamen in nostris & splendida littera verbis,
Et diuina itidem mens est, geminatáque vestis,
Purpurea, argento pellucens vndique molli.
Turpe nec est quidquã, mihi quòd Dominúmq; Deũq;
Contegat. ipse etenim suffunderet ora pudore,
Fabula si ferret deitati ficta medelam.
Quis te adigit Scyllæ scopulos tranare? Charybdim
Quis te adigit crudelem, Ithacæ dum tendis ad oras?
Antè etenim fortasse furens te oppresserit æquor.
Quis iubet in putri gressum te figere cœno,
Dum liquidam augustæ properas deitatis ad vndam?
Antè luto hærebis miser, ac te lympida lympha
Diffugiet. Quin tu perpendas hoc quoque dictum.
Maxima pars hominum praua est, ac vel duce nullo,
Labilis in vitium: rara est quæ tramite recto
Incedat, teneátque viam quæ ducit ad astra.
Difficile est amnis rapidos compescere cursus.
At contrà facilis per pronum voluitur idem.
Quòd si tu diuos statuas, si numina fingas,
Quæ vitio & sceleri præsint, prius ipse necaris
Mytholatrã, sequitur dum lucida promptáque sensa,
Prudenti quam tu tenebras sermone fugaris,
Fabula queis tegitur. Sed enim quid pluribus vti
Nunc opus est verbis? sic tecum disputo, vita,
Si potes hos laqueos te constringentis vtrimque
Sermonis: licet ingenij tibi tanta facultas
Suppetat, vt possis aliena refellere dicta.
Si Diuûm statuæ nil sunt, nisi fabula mendax,
Has prosterne solo. quid opes expendere magnas
Attinet, vt libem, quam nemo credat, honores,
Contemnásque Deum vitæ fontémque ducémque?
Sin nihil est ficti, quod, quæ sunt lucida, velet,
(Quòd vetulis vereare eadem confingere, gaudent
Quæ cyathis, & amant insomnes ducere noctes,
Ista quidem ponto pereant demersa profundo:
Parte velut magna iam disperiere. suis nam

Christus ad extremos fines à finibus orbis
Omnia collegit manibus, coniuncta tenétque,
In cruce quas pendens & dira morte tetendit.
Sin tu, quòd Christus per castæ membra puellæ
Venerit, ignaræq; viri, thalamíque iugalis,
Ortus more nouo, & morti concesserit atræ,
Ac superas rursum sese reuocarit ad oras,
Vt mea curaret sic vulnera, quem fera noxa
Strauit humi, turpe hoc censes (nam numina pura
Puris orta colis, vir cultor amánsque decori)
Non priùs auditos sermones excipe nostros,
Quos mihi spirauit, qui nescit fallere, Christus.

DE ANIMÆ SVÆ CALAMITATIBVS,
CARMEN LVGVBRE.

HEu miser, heu quã dira fero: quæ carmina nostris
Æqua malis, luctus, quis satis esse queat?
Nemo ita consortémque thori, charósque parentes,
Fleuit, vel sobolis tristia fata suæ,
Aut patrias sedes flammis hostilibus vstas,
Aut etiam morbo perdita membra graui:

Diuinam imaginem extinctam luget.

Quantum animæ deploro meæ miserabile fatum.
Effigies periit nam mihi sancta Dei.
Námq; homo figmentũ verè est & imago Tonantis,
A summo ad summum numine numen iens,
Qui sursum spectans, ac carnem mente retundens,
Pro duce habet vitæ præsidióque Deum:
Venturæ vitæ linguam, qui donat, & aures:
Et mentem, ac vires, diuitiásque suas:

Diabolus latro.

Eripiens mundo, Belial quæcunque tenebat,
1 *[1]Quæ iuris non sunt qui rapit vsque sui:*
Horreáque ad nostris (quæ sunt obnoxia furi,
Aut euersa cadunt) hæc meliora ferens:
Scilicet vt spectet Regem, carnísque remota
Craßitie fiat spiritus atque Deus:
Præmiáque exhausto referens maiora labore,
2 *Perueniat sedes lætus [2] ad angelicas:*
Nec tenues vmbras arcæ iam spectet, vt antè,
3 *Conscriptam fluxæ [3] legis & effigiem:*
Sed liquido mentis verum ipsum lumine cernat,
4 *[4]Festiuósque hilari promat ab ore sonos.*
Humanæ hæc vitæ meta est, huc horrida Christi
Supplicia, huc homines maxima probra vehunt:
Qui serui formam sumpsit, mortísque periclum
Fecit, & ad vitæ lumina mox rediit.
(Cum Deus, & vitæ certißimus arbiter esset,
Æterníque eadem prorsus imago Patris)

Cur Christus mortuus.

Vt me seruitio, me vinclis solueret Orci,
Redderet & vitæ, quæ sine fine manet.
At mihi non curæ mysteria dia fuerunt,
Cum superum ascensum mens mea docta foret:
Sed caro me depreßit humi, nec lumina quiuit
Coniicere in lucem mens onerata luto.

Terrenus spiritus Dei prospectũ eripit.

Aut cum terreno consurgens flamine visum
Abstulit opposita nube repente caro.
Mille quidem in medio voluuntur pectore curæ,
Dum vaga mens varias gaudet obire vias:

De[illegible]s solus amari vult. Lingua dimidiũ vitii continet.

Quæ Christum procul eiiciunt. Namque ipse recusat
Iungi animæ, quæ se dat quoque mœcha aliis.
Ac rursum in lingua sita sunt permulta venena.
Dimidium vitij nam cita lingua tenet.
Iram lingua, malum nudum, euomit! iráque rursum,
Cum caluit, mentem cogit abire gradu
Aut contrà occultans vulpinam in pectore fraudem,
Vulnerat ex molli leniter ore loquens.
Atque vtinam in partes volitantibus auribus omnes
Ianua firma foret, liminibúsque meis:
Hæc vt, quæ bona sunt, audire ac cernere possent:
Sponte sua ast esset ianua clausa malis.
Iam nihil est melius, quàm puras tollere palmas,
Hásque dare ætherei legibus vsque Dei.
Nil etiam melius, plano quàm figere calle,
Non super aut spinas, saxáve dura, pedes.
Omnia sed mihi cum dederit Deus, [5]ob bona, membra: 5
Hinc tamen improbitas repperit arma [6] necis. 6

Pia lamentatio.

Quænam hæc lex? cur me constringũt vincula carnis?
Spiritus & socium tam graue corpus habet?
Nec totus mens sum, nec totus puluis humúsque:
Puluere sed consto, mente leuíque simul.

Intestinum bellum.

Vnde etiam dum mens crasso cum corpore pugnat,
Perpetuos strepitus belláque sæua fero.
Numinis effigies cum sim, trahor in mala: dum, quod
Deterius, bellum cum meliore gerit:
Aut vitij labem fugio, magnóque labore
Post longas pugnas vinco fauente Deo.
[7]Nãq; duplex mihi mens. vna est bona, recta sequẽsq;: 7

Duplex mens.

Altera mens rursum praua, sequáxque mali.
Illa Dei semper iußis obedire parata est:
Ac lucem, sanctæ lucis amica, petit.
Excipere at tetrum Beliam mens altera prompta est,
Qui miseram in tenebras pertrahit, ínque necem.
Scilicet hæc gaudet terrenis, ac bona credit,
Quæ mox prætereunt labilis instar aquæ.
Hac rixas amat, & quæstus, epulásque iocósque,
Nocturnis tenebris dignáque probra tegi:
Atque via lata graditur, cæcáque laborans
Stultitia, risum, dum perit ipsa, capit.
Ast illam oblectant cælestia sola, Deúmque
Vnum habet, in quo spes fixerit illa suas.
Ac vilem tantùm reputat præsentia fumum
Commoda, quæ subsunt casibus innumeris.
Atque amat & sanctas curas, & pondera, duram
Pauperiémque, arcta gaudet & ire via.
Dum verò pugnant, diuinus Spiritus ad me
Acceßit, menti promptus opémque tulit.
Corporis ac soluit strepitus, fluctúsque repreßit,
Quos animi nubes mouerat atra mei.

Pugna mẽtis & carnis.

Nec tamen idcirco carnis fera bella quiescunt,
Sed dubium huc palmæ vertitur húcque decus.
Nunc etenim menti cedit caro, nuncque vicißim
Mens carnem sequitur, non tamen ipsa libens.
Namque bonum cupiens, facit id tamẽ ipsa quod odit: Rom. 7.
Seruitium lachrymis prosequitúrque graue.
Primigeníque patris fraudem, consultáque matris:
Ex quibus exortum nostra libido trahit.
Plorat & obliqui mendacia verba draconis,
Quem lapsus hominum, vita nocénsque iuuat.
Et ligni fructum, quo gens humana perempta est,
Pestiferum & gustum, mortiferásque fores:
Vtq; sit & fœdè nudatus, pulchro & ab horto, Gen. 3.
Vt vitæ ligno sit procul actus homo.
Hæc mens ægra gemit: caro verò praua parentes
Primigenos spectat, pestiferúmque cibum.

Ac

Ac dulces omnes semper complectitur escas,
Obiectat serpens quas malè blandus ei.
Ergo gemo, ac Regem obtestor, qui cuncta coërcet
Imperio, & recto pondere cuncta librat:
Vt placido arbitrio componat iurgia carnis
Atque animæ, bellum submoueátque procul:
Ac pars deterior meliori cedat, vt æquum est.
(Hoc vtrique magis namque salutiferum.)
Corporea nec mole grauis mens vergat ad ima,
Ac, veluti plumbi massa, profunda petat:
Sed sibi mens carnem, diuináque subdat imago,
Ac vitium, vt ceram feruida flamma, liquet:
Hæc oro, supplexque peto: morbúmque prementem
Pharmaca Gregorii. *Vt pellam, carni pharmaca multa fero.*
Atque velut sæuum firmis compesco leonem
Compedibus, fluctus dum tremo lethiferos.
Impono claustrum ventri, mærore animúmque
Conficio, & lachrymis os madet omne meis.
Curuo genu afflictum Regi, somnúmque repello:
Lugubris vestis squallida membra tegit.
Mundanorum studia. *Sunt aliis studio conuiuia læta, iocique,*
Atque chori, ætatis ludicra florigeræ.
Coniugibus gaudent alij, natísque, opibúsque,
Quarum abit in ventos gloria cuncta leues.
Balnea delectant alios, lucique, nemúsque:
Altúsque in celebri spiritus vrbe iuuat.
Laudibus atque suis gaudent, comitúmque cateruis.
8 *Ac frontem attollunt[8] desuper è tabulis.*
Multa etenim humano generi sunt gaudia vitæ:
Vitiosis effusa lætitia. *In vitio addictis fusáque lætitia est.*
Ast ego iam mundo sum mortuus, hincque pusillum
Iam spiro, atque vrbes vito, hominúmque genus.
Cum scopulis, trucibúsque feris ego dego, domúmque
Petram habeo: hîc vitæ tempora solus ago.
Non mihi calceus est, non est focus, vnica vestis.
9 *Spe viuo, vt[9] labes sum quoque terrigenis.*
Greg. probrũ hominum. *Pro lecto mihi sunt paleæ, pro tegmine saccus.*
Et madidus lachrymis puluis ob assiduas
Ferrea permulti gestantes vincla gemiscunt.
Est aliis rursum sordidus esca cinis.
Pocula sunt aliis fletu permixta calenti,
Altera brumali pars petitúrque niue.
Státque quater denis, velut arbor, recta diebus,
Subuectum ad cœli culmina pectus habens:
Nilque aliud prorsus, quàm Christum, mente volutãs.
Linguam alius fræno pressáque labra tenet:
Sic tamen, vt pateant hymnis, atque vt lyra viua
Pulsentur digitis pneumatis ætherei.
Nazaræi. *Ast alius, vota vt Christo persoluat inita,*
Intonsum seruat tempus in omne caput.
Aures atque oculos alius conclusit, vt omne
Obseptum stimulus mortis haberet iter.
Hæc ipse infestæ medicamina porrigo carni:
Atque ætas etiam fert mihi grandis opem.
Quin ingens etiam me vis inopina malorum
Exagitat, varius dilaceràtque dolor.
Carnis durities. *Non tamen hanc sermo flectit, subigúntve labores:*
Temporis aut tractu mitius ipsa furit.
Sed vitam aduersus semper ruit impete cæco:
Mar. 5. *Atque, velut Legio, sola barathra cupit.*
Quod si diuino cedat paulum ipsa timori
Cedat & ærumnis, eloquiísque Dei:
Simile. *Agricolæ vt manibus per vim stirps torta, priorem*
In vitij labem protinus illa redit.

O miserum mortale genus, quod mole malorum
Atteritur: proprio gaudet & interitu.
Ac neque natiuæ rationis lumen honorat, Hominum peruicacia.
Quod vitæ æthereа semen ab arce datur:
Nec metuit, verũ quæ quondam Christus adumbrans
In saxis rigidis iura notata dedit:
Nec quæ postremis fixit sanctissimus ille
Spiritus in nostro pectore temporibus:
Sed Christi consulta agitat contraria pœnis,
Queis me animi morbis traxit ab horrificis:
Dum carnem sumpsit, fixúsque est in cruce, nostras
Ac noxas, hostis fixit & imperium:
Vt rursum genito, tumulique è faucibus imis
Educta in supera sit mihi sede decus.
Multa quidẽ in cunctos homines sunt munera Christi,
Tantáque vt hæc nullus sermo referre queat.
Nos etenim ad vitam trahit, & cum verberat, & cũ
Verberibus missis prospera[10] cuncta facit. 10
Omnia nam placidus mortalibus ipse gubernat:
Abdita sint quamuis tectáque consilia.
Nam[11] magna inter nos nubes intérque Tonantem 11
Est sita, quam paucis fas penetrare viris:
Queis aciem mentis vitæ optima reddit acutam,
Sordibus & sophiam mens vacuata capit.
At me præcipuo Christus donauit honore.
Primum etenim matris me dedit ipse preci:
* *Illa autem (nato siquidem nil maius habebat)*
Me tibi perpetuum vouit in obsequium.
Post oculis visum quoddam nox obtulit atra,
Ex quo animum subiit virginitatis amor.
Hæc mentes audite piæ, contráque prophani
Occludunt aures ad mea dicta suas.
Hoc mihi tempus erat vitæ, vitiique bonique Adolescentia Gregorii.
Paruula quo primùm mens simulacra notat:
Ac solidis nondum firmisque est sensibus illa,
Sed primum alterius moribus imprimitur.
At mihi non prauos indebat vterque colores,
Sed virtutis erat doctor vterque parens:
Conspicuos cunctis pietas nam fecerat illos,
Et[12] concors animus, pectus idémque duûm:
Caniciésque simul, simul & præstantia morum. 12
Humanæ ac vitæ transiliere modos.
Fœlices validíque, pater procul à grege quondam Pater Gregorii quõdam Ethnicus.
Dissitus, imperium qui modo plebis habet:
Non ouis, inde ouium longè optima, postea pastor,
Nunc pater, & rector (quod mage laudo) patrum.
[13] *Qui licet ad vitem primis non venerit horis:* 13
Sudauit primis plus tamen agricolis.
At mater soboles sanctorum sancta parentum, Mater Gregorii.
Atque piæ stirpis surculus eximius:
Matronis haud inferior, queis cernere Christum
Contigit, è tumulo cum rediuiuus erat.
Paulum viuentes in terra, carne coacti: Coniunctim de vtroque loquitur.
Multo plus autem sedibus in superis.
Mens mea mollis ab his ficta est: ac cepit honestas,
Vt caseus calathi, protinus ipsa notas.
Atque per hoc visum, somnus dum membra teneret, Somnium Gregorii.
Virgineæ vitæ captus amore fui.
Namque videbantur binæ mihi stare puellæ
Non procul, insignes vestibus in niueis.
Æquales ambæ ac pulchræ: cultúque carere κόσμως ἀκοσμία.
His erat (hinc fit enim fœmina pulchra) decus.
Non auro collum fulgebat, non hyacintho.
Non ipsis etiam serica vestis erat.

Non albis tunicis tegebantur mollia membra:
Splendorémve oculo pupula picta dabat.
Fucus adulterii pharmacum.
Cuncta aberant, quæ fœmineo molitur in ore
Artificum ingenium, pharmaca adulterij.
Non coma flaua super tergum diffusa patebat,
Ludebátque simul cum leuibus Zephyris.
Pulchrum stringebant arctissima vincula peplum,
Imos velantem corpus adusque pedes.
Ac vittis caput, atque genas, adoperta gerentes
Candidulis, terræ lumina fixa dabant.
Tingebátque etiam pulchro pudor ora rubore:
Quantum sub velo cernere tunc poteram.
Demum ipsis labra alta silentia clausa tenebant,
Non secus atque calix, quo rosa clausa latet.
Has cernens (humano etenim præstantior ipsis
Vultus erat) toto pectore lætus eram.
Oscula iungebant illæ mihi blanda vicissim:
Non aliter proles quàm si vtriusque forem.
At mihi scitanti nomen, vocor, illico dixit
Altera, virginitas, altera Sophrosyne.
Quas Christo astantes capit insaturata voluptas,
Vtraque virgineos dum videt vsque choros.
Ergo age, nate, tuam nostris coniungere mentem
Sit studio, lumen luminibúsque tuum.
Vt te splendentem ac rutilum sublimè ferentes,
Sistamus radios perpetis ad Triadis.
Ac tum, me sectante oculis, rapiuntur in altum
Æthera: at id visum nil nisi somnus erat.
Ipse diu porrò simulacris noctis opacæ
Lætabar, vitæ virgineæq; typis.
Iam mihi crescebat ratio, quo tempore certum
Delectum recti mens vitiique facit.
Ac desiderium mea mens ductabat: apertas
Iámque dabat noctis visio nigra faces.
Simile.
Ac velut arentem stipulam cum tectus in imo
Deuorat igniculum, protinus ipse micat:
Flamma quidem primò tenuis, mox tollitur ingens:
Sic mihi cum visus vreret ossa decor,
Protinus exeruit sese, cunctísque refulsit,
Vt qui celari non potis esset, amor.
Quibuscũ consuetudinem habuerit.
Namque piæ cœpi me consociare cateruæ,
Quæ mundum hũc fragilem fugerat, & thalamos:
Vt Christum volucri sequeretur ad æthera cursu,
Hinc splendor abiens non sine mirifico.
Hos ego feruenti complectens pectore, habebam
Perpetuos vitæ cœlitis ipse duces.
Greg. a coniugio abhorret.
Pòst iuga connubij procul à me dura remoui,
Virgineos cupiens lætus adire choros.
Cœlicolûm ignorant thalamos namq; agmina sanctæ:
Cœlicolas etenim nulla libido premit.
Cœlebs est primùm superi dominator Olympi:
Pòst expers thalami grex etiam angelicus,
Qui primis radiis cùm summo à numine totus
Splendeat, impertit lumina deinde mihi.
14 *At* [14] *quibus ex animo natura & corpore constat,*
Effigiémque caro pugnat in æthеream,
Coniugium exoptant, iaciúntque in carne libenter
Semina: sed ratio, dum meliora vehit,
Me procul à carne, ac mundo impostore remotum
Cœlitibus iunxit, virgineísque choris,
Quo desiderium mentem rapiebat: humique
Figere non poteram protinus ipse gradum.
Greg. gustato lacte cœlesti ad voluptates mũdi redire nequit.
Verum cùm lactis gustum mellisve suauis
Cœpissem, fruitur quo sacer ille chorus,
Escam iam posthac gustare pigebat amaram,
Noxæ, hic quæ paritur, certáque nox animi est.
Non epulæ mihi iam, & curat quæ læta iuuentus,
Non mollis vestis luxuriánsque coma,
Non fœdi eloquij lepor illepidúsque placebat,
Non risus petulans, immodicéque procax.
Quin aliis montes, & equos, scopulósque reliqui,
Atque canum magnos præceleresque greges.
Omniáque excutiens, quæ vulgo magna putantur,
Colla dedi firmæ subdita sophrosynæ,
Oratio ad Trinitatẽ.
At Pater, atque Patris verbũ, Flaménque supremũ,
Cuius vita mihi nititur omnis ope,
Ne sine me quæso Beliæ procumbere dextra,
Cui spem perpetua est frangere cura meam.
Nec veluti nauem, quæ dextro concita vento
Fertur, & attiguum iam prope littus habet,
Sæua repente ruens in carbasa passa procella,
Et ventus miserum rursus in alta ferat.
Æquora, & hinc illincque ingenti mole malorum
Non secus ac rapidis fluctibus ipse premat:
Funestos ne me ad scopulos teterrimus hostis
Allidat, siquidem mens ea semper ei est.
Diaboli odium in hominem.
Namque homines odit semper, nec sustinet illos
E terra ad sedes scandere sidereas,
Ipse suum ob fastum supera deiectus ab arce
Infœlix, [15] *primum qui decus, atque Dei* 15
Mente parum sana dum summum affectat honorem,
Ex luce in tenebras decidit horribiles.
Vnde etiam tenebrosa iuuant hunc crimina, nigri
Et vitij in terris obtinet imperium.
Diaboli versutia.
Porrò forma duplex illi, versutáque mens est.
Nunc etenim hunc, illum nunc laqueúmq; parat.
Caligo ipse quidem est densissima: si tamen illud
Agnoscas, lucem protinus assimulat.
Leniter ac ridens demulcet corda: cauebit,
Qui sapiet, tenebras lucis adire loco.
Nam vitium, fugere est cuiusuis penè: retecta
Namque odium multis excitat improbitas.
At vero hunc ego laudo, oculis qui mentis acutis
Occultas hostis prospicit insidias.
At senium, canósque meos, pater optime, serua
Et facilis vitæ tempora claude meæ:
Antè velut tibi charus eram, faustéque fluebant
Omnes, & cum spe mi meliore, dies.
Hostibus exemptúmque meis, curísque molestis,
Ad portum regni da properare tui:
Vt cum luminibus iunctus, quæ nescia fati,
Decantem laudes tempus in omne tuas.

SCHOLIA.

1. *Quæ iuris)* Ad verb. *Alienorum raptor. Alludere videtur ad illud Luc. cap. 4. vbi diabolus ad Christum dicebat: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Hoc enim falsò iactabat.*

2. *Lætus ad angelicas.) Hoc est, quod aiebat Christus ad Sadducæos Matth. 22. In Resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.*

3. *Legis*

3. *Legis & effigiem*) Ad verbum figuram. Huic enim tabernaculo Paulus Hebr. 8. verum tabernaculum opponit, quod non homo, sed Deus fixit. Et cap. seq. Manufacta sancta cœlestium exemplaria, hoc est, figuras appellat.

4. *Festinósque hilari*) Alludit ad illud Dauidis Psal. 88. Sicut omnium lætantium habitatio est in te.

5. *Ob bona*) Vt ait Paulus Ephes. 2. Creati in Christo Iesu ἐπ' ἔργοις ἀγαθοῖς.

6. *Arma necis*) Hæc à Paulo mutuatus, qui Rom. 7. his verbis vtitur: peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.

7. *Namque mihi duplex mens*) Hoc est, quod ait Apost. Rom. 7. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

8. *Desuper è tabulis.*) ὑψόθεν ἐκ σανίδων. hoc loco σανίδας per Synecdochen pro toto vehiculo accipi puto: nisi fortè, vt vir quidam doctissimus legendum censet, pro σανίδων ζαπηνῶν reponamus: qua voce pro vehiculo Homerus in hymnis vtitur, aliíque complures: cui quidem coniecturæ si locus detur, σοβαρῶν quoque vir idem legendum existimat. Quanquam mihi nihil necesse esse videtur, quicquam in hac dictione immutare.

9. *Vt labes*) λώβη apud Græcos interdum extremum probrum ac dedecus notat. Sic apud Homerum Hector Paridem turpiter ex acie fugientem λώβην ἀνθρώπων vocat, id est, omnium probris expositum. Hoc ergo vult Gregorius, eo res suas recidisse, vt omnes eum iam quasi lepra laborantem, immò tanquam infaustum quoddam & inauspicatum omen auersentur. Vt Dauid Christum loquentem inducit, Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, id est, λώβη.

10. *Prospera cuncta facit*) μηδιόων hoc loco cum Aldi emendatione lego, potiùs quàm μητιόων, vt πληγῇσι respondeat. Quanquam altera quoque lectio non incommodum sensum habet.

11. *Non magna inter*) Posuit enim Deus tenebras Latibulum suum, vt habetur Psal. 17.

12. *Concors animus*) In Græco pro ἐμοῦ, ὁμοῦ legendum est.

13. *Qui licet*) De hoc vide Orat. funeb. de patre. Hic porrò alludit ad parabolam illam de qua Matth. 20.

14. *At quibus*) Gr. καὶ δυὰς χοὸς ἔκγονα μαργαινόμενου. quo loco nihil equidem dubito, quin mendum irrepserit. Alioquin velim mihi quispiam dicat, quomodo homo δυὰς χοὸς dici possit, quémque commodum sensum vox ἔκγονα habere queat. Itaque haud dubiè sic legendum est, καὶ δυὰς εἰσὶ, χοὸς εἰκόνι μαργαινόμενου. hic autem sensus est. Quoniam homo duplici natura constat, carne cum mente ad imaginem Dei creata bellum gerente. Idcircò coniugij cupiditate gestit atque incitatur.

15. *Primum qui decus*) Vera enim Aldini codicis emendatio est, qui πρώτου non πρῶτος habet.

INSOMNIVM DE ANASTASIÆ TEMPLO, QVOD IPSE CONSTANTINOPOLI FIXIT.

Somno ego me dulci dederam, cum luce cupita
Ante meos oculos venit Anastasia:
Hærentem quæ prima fidem radicibus imis
Montis ad excelsi culmina summa tulit.
Vnde etiam templum (manus hæc quod sedula fixit)
Hinc traxit sanctæ nomen Anastasiæ.
Sede alta, haud alta considere mente videbar.
Nam neque per somnum mente superbus eram.
Presbyterique graues sellis vtrimque sedebant
Demissis, ætas lecta, ducésque gregis.
Diaconi. *Vestibus in niueis at stabat turba ministra,*
Splendorem referens agminis angelici.
Plebs verò propius cupiens accedere, partim
Circa suggestum fusa erat instar apum:
Pars sese veniens ad limina sacra premebat,
Auribus approperans, approperansque pede.
Multifidique vrbis vici, foraque omnia, rursum
Mittebant alios ad mea dicta greges.
Denique virginei cœtus, matronæ & honestæ,
E tectis aures ad mea verba dabant.
Diuersum plebis studium. *Atque hic ludus erat noctis: cupidusque popellus*
Vocis erat nostræ, dispare sed studio.
Pars etenim sermonem humilem facilemque petebat:
Tollere quod nollet lumen ad alta suum.
Alto gaudebat rursum pars altera: curæ est
Cui duplicis sophiæ sensa profunda sequi,
Externæ ac nostræ clamor manabat vtrinque,
Dum traherent voces æmula vota meas.
At diuina mihi cupido Trias ore fluebat,
Vnum quæ in trino lumine numen habet.
Atque hanc, & firma voce, & feruente canebam
Pectore, vi magna dogmata falsa premens.
Laudabant alij: pars mirabunda silebat.
Stridula pars verbis vna erat, vna animo. 1
Denique pugnabant alij: nec dispar erat res,
Quàm cum flante oritur sæua procella Notho.
Eloquium at cunctos mulcebat, siue disertos,
Seu gnaros rerum quas sacra scripta docent:
Nostros, atque nothos, & qui procul à grege nostro
Numina ter miseri robore cassa colunt.
Tacta velut Phœbi radiis ardentibus vua, Simile.
Nec prorsus cocta est, nec peracerba manet:
Sed partim nigra est, partim quoque tincta rubore:
Partim ὄμφαξ rursum, parte subatra alia:
Sic hi, dum vitium coqueretur, bella ciebant.
Prælaque lætus eram iam mage lata videns.
Hæc ego. sed galli somnum mihi cantus ademit:
Cumque sopore simul dempsit Anastasiam.
Ac spectrum spectri quodam mihi tempore mansit:
Post etiam hoc liquit pectus inane fugâ.
Ac mihi duntaxat mansit dolor atque senectus
Heu mea sancta Trias, heu mea progenies.
Quid mihi fecisti liuor? iam tanta tulisti,
Ne misero immittas asperiora, precor.
Dotibus ampla quidem multis vrbs regia gestit: Constantinop.
Multaque, quæ visu sint speciosa, tenet.
At summum decus ipsius sunt maxima templa:
Templa ego quæ quondam, nunc alienus habet.

Templũ Apostolorũ. Inter quæ, quod quadruplici, crucibusque notato
Est latere, eximiè [2] fulget Apostolicum.
2 Ast ob ea haud tantus cruciat mea pectora mæror,
3 [3] Quantus ob ereptam vexat Anastasiam.
Multa quidem persæpe tuli terraque marique:
Hostes ac nostri dum mihi bella mouent:
Dum lupus, & pastor, morbusque, & curua senecta:
At nondum tantus contudit ossa dolor.
Non ita Chaldæas cum plebs traheretur ad oras,
Defleuit Solymæ tecta sacrata Deo:
Non ita cum sanctam cœpisset barbarus arcam:
Surrepta Isacides non ita prole priùs:
Non ita defleuit catulos lea sæua peremptos:
Extinctum pastor non ita morte pecus:
Non ita fleuit auis deiectum ex arbore nidum,
Pullosque implumes: non polypus thalamum:
Quantũ ego ploro recèns exstructũ nũc quoq; templũ,
Quod nunc alter habet, semina nostra metens.
Si mea mens non te memoret, si lingua prius quid
Proferat, haud Christus sit memor ipse mei.
Sæpe etiam absque sacris, mensa procul atque remotus,
Lustraui nostræ vulgus Anastasiæ:
Mente mihi fingens delubrum corporis expers,
Mæstaque perfundens fletibus ora meis.
Virgines cœtus, cantores, agmina chara
Nostrorum, & tellus quos peregrina tulit,
Pupilli & viduæ, atque vagi infirmique, manusque
Cernentes nostras non secus atque Dei:
Atque domus dulces, canæ altricésque senectæ,
Vestri, nec cupiens, immemor esse queam.
Quod si forte mei mentes obliuio vestras
Non prorsus teneat, gratia sit Triadi.
Multi namque suum flectunt ad tempora pectus:
[4] In leuium est solis luminibusque pudor. 4
At precor, o veneranda Trias, de mentibus vnquam
Ne teneris numen possit abire tuum.
Qui mala iuuistis, o reges, nostra, valete:
Vos quoque pugnantes Ortus & Occubitus.
Pontifices, geritis qui mutua bella, valete:
Vrbs mihi cum fastu præside magna vale.
Terrenis soliis ego sum sublimior, atque
Cœlestis famæ me rapit vnus amor.
At me sancta Trias conserua. postque videbo
Puræ vbi sit sedes inclyta Anastasiæ.
Gregorij hic luctus, mæsta dum mente requirit,
Illum qua pepulit liuor, Anastasiam.

SCHOLIA.

1. *Strudula pars*) Triplici modo, inquit, fidei hostes, cum me concionantem audirent, afficiebantur. Alij enim animo solo murmurabant: alij verbis etiam indignationem animi testabantur. Alij denique apertè repugnabãt.
2. *Fulget Apostolicum*) Vide Scholium 87. Orat. hab. in præs. 150. Episcop.
3. *Quantus ob ereptam*) Ad verb. Quantus ob Anastasiam, Bethleem secundam. Sic autem Anastasiæ templum appellat, quia, vt Christus in Bethleem natus est, sic etiam salutifera ipsius doctrina, ab hæreticis oppressa ac velut extincta, in Anastasiæ æde, Gregorij labore atque industria in lucem reuocata est.
4. *In leuium est*) Vulgatum est prouerbium, Pudor in oculis. Alio tamen sensu hoc vtitur Gregorius, ac multi solent Quod enim ait pudorem in leuium oculis situm esse, non hoc vult eum in huiusmodi hominibus elucere (in nullis enim minùs elucet) verùm hoc significat, homines leuitate & inconstantia laborantes, simulatque amici ex eorum oculis excesserint, amorem omnem & beneuolentiam ex animis eiicere solere. In eandem sententiam rursum hoc prouerbium vsurpat Gregorius in Carmine ad Necesium.

DE DIVERSIS VITÆ GENERIBVS: ET ADVERSVS FALSOS EPISCOPOS.

Similia. Optimus est pictor, veras viuúmque tuentes
Qui scitè formas exprimit in tabulis:
Non qui multiplices frustra variosque colores
Mistens, ante oculos florida prata locat.
Hanc ego laudo ratem, non quæ depicta venustè est,
Et vario in puppi tincta colore micat:
Artificis sed quæ manibus constructa periti,
Per mare per fluctus non timet ire graues.
Agminibus pulchris an non Mauortia præstant?
Non nitidæ firma est anteferenda domus?
Sic duplicis vitæ vita est hæc optima, Christum
Quæ metuens sequitur, crimen & omne fugit,
Ac firma & luctus expers manet: altera praua,
Debilis interius, robore nixa foris.
Mundani phreneticis similes. Robore nixa breui, dementibus adsimilique,
Qui verti instabiles omnia mente putant.
Sacrificis Christi mens & sententia talis.
Hic etenim humanum robur opesque colit:
Leuitas quorundã præsulum. Temporibus cedens, vt arundo agitabilis auris:
Exemplum vitij, non medicina, malis.
At tremulis alter manibus dat dona piisque,
Dum Christi carni sedulus obsequitur,
Et grauibus pœnis, quas hìc, vt mole malorum
Nos veterum dura solueret, ille tulit.
Cui soli viuit, quo solo gaudet, & ob quem
Distractum hinc animum tollit ad astra leuis.
Atque viris sanctis totum se addicit, & hæret:
Vtq; adamas nullis frangitur ipse malis.
Ingentes non curat opes, subselliaque alta:
Non, quod mortale est, serpit humique decus.
[1] Non hic magnanimi contectus pelle leonis, 1 Hypocrisis
Vulpinum occultat pectore seruitium,
Improbus, astutus, narus, sua crimina technis
Mille tegens, [2] pascens seq; cadaueribus: 2
Sed pura cunctis increscens mente diebus,
Iam venerandam etiam pertigit ad Triadem.
In medio cuius sculpsit sibi pectore formam,
Vnum dum triplici cernit in igne decus.
Diuinam & plebem reddens per sacra verenda,
Tandem animum mactat sacrificatque suum.
Horum ego cum cuperem numeros augere (fatebor
Istud enim) atque intra limina iam ipse forem: Greg. ab obeundo Episcopatu refugit.
Vt varias vidi fraudes, atque improba facta,
Pectore commotus terga repente dedi.

Quin

Quin etiam hæreticos inter, queis nunc quoque nostra
Vox ferit auriculas, plurima dura tuli.
3 *[3] Saxa mea, illorum fuit at Trias. hanc ego fixi*
Cordibus, hi contrà saxa dedêre mihi.
At quoque sic cessi, iam certum dogma relinquens,
Vndique iactatus fluctibus innumeris.
Iam iaceo, insulta liuor nequissime. sistam
Te forte extremis abditus orbis agris.
Ionæ 1. *Aut etiam æquorei tenebroso pectore ceti*
Inclusus, Ionas vt pius antè fuit:
Pectore corpus erit clausum: sed libera curret
Mens mea, quam nemo, qui remoretur, erit.
Libera mens etenim est, quæ vexit ad æthera sese:
Talisque, hanc vt vis carpere nulla queat.
Gregorius Imperatoris commensalis. *Non iam Gregorius mensis accumbere regum*
Adiiciet, folli [4] commoda pauca ferens:
4 *In medio cœtu positus, tristisque silensque,*
Vix sperans, ritu mancipiique epulans.
Non etiam iudex æqua me sede locabit,
5 *Aut humili [5] vt fastum deprimat ipse meum.*
Non iam sanguineis ego palmis oscula iungam:
Nec barbam, vt quiddam consequar, accipiam.
Non epulum natale adiens cum pluribus, aut quod
Funereum est, vel quod connubiale, petens,
6 *Cuncta ego partim dente premam [6] partimque rapaci*
Seruorum turbæ diripienda dabo.
7 *Atque domum serò repetam, ventérque [7] sepulchri,*
Et viuo & dapibus languidus, instar erit.
Vitalesque satur potero vix carpere flatus:
Cœnam aliam crudus persequar ipse tamen.
Nec cum præsideam sacris in sedibus ipse,
Vel solus, vel cum pluribus, illa loquar,
Quæ non Pneuma oleant, verùm illabantur in aures
Mollia, permultis charus vt esse queam.
Plausibus & gaudens, [8] mediis saltansque theatris, 8
Funigradus vocum, quæ fera bella gerant:
Non secus ac pugiles, qui colluctantur, & illi,
Certatim currus quos agitare iuuat:
Non [9] iram extinguens, rabidi nec corporis æstus, 9
Non præceps cæca pectus auaritia
Constringens vinclis, ratio quæ recta ministrat:
Non falsum ex animo discutiensque decus:
Non verbis vanum pellens de corde tumorem,
Non lachrymas lachrymis eliciensque meis:
Sed medicamen habens vnum graue, pectus honoris
Percupidum, ac verè pharmacon exitii.
Non [10] ego cum gruibus, non anseribusque sedebo 10
In Synodis, quæ se marte furente petunt. Gruum cōcilia.
Hîc rixa, hîc fera pugna, priusque abscondita probra,
Quæ ferale odium parte ab vtraque parit.
Propter eos abiecta etenim me sede locaui,
Ægris vt sanus pharmaca ferre queam.
Non etenim est nostri senii nunc ludere, seruum
Proque sacris hominum turpiter esse thronis.
Pro quibus à scissis totus discinditur orbis.
Heu quanta est nostri vis grauitasque mali!
Qui volet hæc faciat. [11] Cercopum sitq; potestas: 11
At mea gaudebit mens requieta Deo.
Quod si Christicolam est crimen graue linquere plebē,
Viderit hæc, quæ me depulit vrbe, cohors:
Instar equi excussis vt deuia currat habenis
In scopulos, necis & sit sibi causa suæ.
Opto ego sint ipsis curæ, quæ grata Tonanti:
Sim mala, sint aures hinc procul opto meæ.

SCHOLIA.

1. *Non hic magnanimi)* His verbis eos notat, qui ad altum dignitatis Ecclesiasticæ gradum euecti, subdolo tamen animo in seruitutem sese hominibus addicebant, vel lucrum inde, vel auram popularem captantes. Leoninam pellem prætendere, est aperta vi grassari. vulpinam autem prætexere, astu atque ex insidiis rem gerere. Vnde Horatius de versutis ac simulatis hominibus, *Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.* Alludit autem, vt opinor, Gregorius ad illud Lysandri, qui cùm leonina pellis nihil proficeret, tum demum assuendam esse vulpinam dictitabat, id est, cùm aperta vis nihil posset, ad artem fraudémque confugiendum esse.

2. *Pascens seq; cadaueribus)* Gr. νεκροβόρος, mortuorum deuorator, hoc est, funebribus epulis libenter operam dans, cum interim præcipua sua officia nihil curet. Nam etiam infrà eodem Carmine meminit funebris epuli, quemadmodum & eius quod in natalibus diebus vel connubialibus celebrari solebat.

3. *Saxa mea)* Ab hæreticis enim saxis in vrbe Constantinop. impetitus est. vide Greg. in eius vita.

4. *Folli commoda)* θυλάκῳ, sic ventrem vel etiam corpus totum vocat, Anaxarchi philosophi exemplo, qui cùm à Nicocreonte Cypriorum tyranno in pila saxea ferreis malleis contunderetur, tunde, inquit, Anaxarchi θύλακον (corpus videlicet significans) nam Anaxarchum non tundis.

5. *Aut humili vt fastum)* πνεύματι μέτρα ἡμῶν, id est, spiritus meos moderans, ac fastum meum & arrogantiam hoc modo minuens. Iudices enim, cum Episcopos ad tribunalia frequentiores esse conspicerent, quàm eorum dignitas requireret, minus ipsis propterea honoris habebant. Quemadmodum nunc quoque videmus eos, qui principum aulis nimium se addicunt, principibus ipsis in contemptum venire solere.

6. *Partimq; rapaci)* βριαρέω παλάμαις est in græco, id est, Briarei manibus. quæ verba propter Carminis angustiam huic disticho includere non potui. De hac autem re vide scholium sextum Orat. funeb. de patre.

7. *Venterque sepulchri)* Ad verb. viui sepulchri. Viuum sepulchrum circunfert, qui corpus cibo meróque distentum atque obrutum gestat.

8. *Mediis saltansque)* His verbis eos graphicè depinxit, qui ad ostentationem solam ac gloriam, non autem ad auditorum vtilitatem conciones suas conferebant: eósque histrionibus & funambulonibus comparat.

9. *Non iram)* In Heruagiano, & Aldino codicibus corruptè legitur οὐχ ὅλοι. legendum enim οὐ χόλον quemadmodum quiuis facilè iudicare potest.

10. *Non ego cum gruibus)* Concilia anserum & gruum vocat ea, in quibus nihil rectè atque ordine, nihil grauiter agebatur: sed confusis pugnantium inter se hominum clamoribus omnia perstrepebant. De particularibus autem conciliis loquitur, quæ tum nimis sæpe, ac potiùs cum pacis Ecclesiasticæ detrimento, quàm cum vllo fructu regebantur: id videlicet callidè agentibus Episcopis Arianis vt per huiusmodi coitiones Nicæni concilii

authoritatem infringerent. Vide Epist. Gregorij nostri ad Procopium.

11. *Cercopum) Cercopes vocat astutos & veteratoriæ cuiusdam improbitatis Episcopos, qui artibus suis ac dolis concilia omnia perturbabant. V. de prouerbium, cercopum cœtus, apud Eras. in Chiliad.*

AD EPISCOPOS.

ARGVMENTVM.

Hoc Carmine malorum Episcoporum vitia, mutuáque dissidia, quæ vniuersam Ecclesiam grauissimis detrimentis afficiebant, insectatur Gregorius. Ac potissimum in eos inuehitur, qui nec doctrina nec morum probitate cōmendabiles, ad dignitates sacras temere prosiliebant, ac præ dominādi libidine omnia sursum deorsúmque miscebant. Scripsit autem hoc Carmen Gregorius, cum, improborum inuidiæ cedens, ex vrbe Constantinopolitana, in qua religionis Christianæ causa plurimos labores susceperat, in patriam sese recepisset.

1
Sacerdotū descriptio. *O Qui sacra Deo offertis [1] non tincta cruore,*
Clari custodes animarum, quique Tonantis
2 *[2] Figmentum manibus regitis mirabile vestris,*
Quique Deum humano generi sociatis in vnum,
Lux vitæ, fidei columen, fundamina mundi,
Doctores vitæ, nullo quæ clauditur æuo,
Christiferi, soliis præclaris quique sedetis
Sublimes, pulchris qui gaudetisque theatris,
3. 4 *[3] Scenigradi, ligno [4] factis stantes pedibusque,*
Sub larua hiscentes pietatis debile quiddam,
Ast reliquis imo similes in pectore prorsus.
Ludite, si vultis, quæ fœde luditis ipsi,
Et grauibus verbis contraria cuncta patrate.
Ast ego, quamuis à vobis in classe nocentum
Collocer, ac vestra procul arcear ipse caterua,
Infelixque petar densis sine fine sagittis,
Perspicuis, tectis (vobis nam gratius istud)
Attamen hæc dicam quæ mens mihi dicere nostra
Simile. *Imperat, inuitus licet hæc, non mente libenti,*
Vt cùm fluctus atrox horrendi turbine venti
Externè impulsus, cæcas subiensque cauernas,
Æstuat occultè, quiddam tamen exilit illinc
Interdum, angustoque antrorum erumpit ab ore.
Talia nam patior: nec iam retinere potestas
Vlla mihi est animi motus, iramque frementem.
Parcite si quid ego mærenti pectore dicam,
Doloris medicina est dolorē narrare. *Quod vestros animos feriat. medicina doloris*
Est etenim miserum verbis efferre dolorem.
Ingens corpus erat Christi, Dominique Deique
Exod. 19. 1. Pet. 2. *Gloria, plebs orbis princeps, incredula quondam*
Simile. *Natio: nunc autem hinc quatitur possessio summi*
Numinis, hincq; graues fluctus velut æquoris alti,
Aut stirps, quæ validis impellitur vndique ventis,
Plebs hæc, à superis ad quam moderator Olympi
Sedibus accessit, mortali in viscere summum
Euacuans decus ipse suum: mortalibus ac se
Mortalis simul atque Deus coniunxit in vnum,
Atque ingens pretium tolerata morte pependit,
Martyres. *Fudit & hunc, vitij quo labes pulsa, cruore,*
Atque alios multos, quos pòst chorus ille profudit,
Qui cunctis fidei sparsit pia semina veræ,
Dulcemque oppetiit per plurima vulnera mortem:
Quæ causa dissidij Ecclesiæ. *Vt verbum coleret verbo, atque cruore cruorem.*
Quis quatit hoc corpus? quæ tanti causa doloris
Est mihi? quo pacto vitis populatus honorem Psal. 79.
Est nostræ furibundus aper? quæ tanta repente Diaboli astus.
Tam claram obduxit laudem caligo, decusque?
Scilicet ille furens rabie, versutus & hostis,
Væsanisque in nos odiis accensus & ira,
(Inde ex quo primùm paradisi sede beata,
Pestifero elusum fructu, vitaque perenni
Depulit infœlicem Adamum) cum tempore in omni
Innumerisque modis nos exagitansque premensque,
Mortalem arte sua prorsus tamen ipse nequiret,
Id licet ardenter cuperet, prosternere gentem:
Quin potius fidei igniculus, sublataque in altum
Fax Verbi totum celebris percurreret orbem.
Namq; etiam hostilis furor, atque immania quæque Persecutionib⁹ creuit Ecclesia.
Supplicia addiderant animis noua robora nostris,
Tormentisque fides grauibus mage fulta vigebat.
Confestim arte alia est vsus: firmissima vidit
Vt castra, inuictasque acies, funesta dolosus Diabolus schismatū author.
Ille odia iniecit ducibus rixasque furentes.
Nam labente cadit totum duce protinus agmen: Simile.
Ac facilè euertit vacuam rectore carinam,
Aut sæui allidit scopulis vis aspera venti:
Atque domos, vrbesque etiā, currusque, chorosque,
Lanigerosque greges, armentaque pinguia perdit,
Qui regere hæc nescit. loquor his quib⁹ agnita nostra est
Improbitas, populi imperium quicunque tenemus.
Antè [5] quidem, cædem qui commisisset, habebat, 5
In quibus exigeret profugus vitam, oppida quædam. Num. 35.
Certus erat sacris etiam, quæ [6] prisca solebat Leuit. 16.
Lex remouere, locus: certus locus atque cruoris 6
Christi, postremò quem fudit tempore væcors
Ac scelerata manus, pretium paruúmque malumq;
Eius habens, est qui pretio sublimior omni:
Non tamen inuiti (nolentem quippe tenere
Haud manus vlla queat Dominum) sed spōte cadētis.
At contrà omnes nunc, seu nostri, siue prophani,
Sedem vnam vitij norunt & mortis acerbæ,
Hanc, quæ doctorum sedes erat ante virorum,
Et grauium pietate hominum, vitæque probatæ,
Hos [7] quoq; qui mundos dirimūt (quorū effluit alter, 7
Alter at vsque viget, stabilisque in secula durat) Cancelli tēpli quid significent.
Diuosque atque homines discludunt limite certo,
Cancellos. Talis nimirum erat hic locus olim:
At nunc ridiculus contrà, discrimine nullo

Cum

Cum quisque haud clausis irrumpit ad intima portis:
Vt mihi iam medio in cœtu ingentique corona
Stans præco hæc alta videatur dicere voce.
8 [8] Huc agite o quoscunque iuuat turpißima vita,
Probra hominum, ventres, lata ceruice, pudoris
Expertes, fastu tumidi, vinoque madentes,
Errones, molli contecti veste, dicaces,
Osores veri, petulantes, falsa libenter
Iurantes, quibus est infelix præda popellus,
Raptores, infidi homines, quos liuor iniquus
Conficit, oblectantque doli, fraudesque malignæ,
Turpiter excelsis blandi, abiectisque leones,
Ambigui, ac fictis animis, & temporis vsque
Mancipia, & nũc hæc nunc rursum aduersa loquẽtes,
Pulypus ad petras solet vt mutare colores;
Connubio nuper iuncti, feruente iuuenta,
9 [9] Natiuæ aut flammæ fures, ob lumina habentes
10 Obscuram venerem, cum [10] declinatis apertam,
Cœlestis sophiæq; rudes quicunque, [11] recensque
Simile. Donati splendore, velut fuligine tincti,
Dum simul ingreditur vitium cum Flamine claro.
Huc agite intrepidi, latus thronus excipit omnes.
12 Huc agite, & [12] iuuenile manu demittite collum.
Sponte sua cunctis ceruix nam tensa rigensque
13 Prominet, & [13] rursum ex alto pluit æthere manna.
Quisque sinu condat, legat hic minus, amplius ille.
Si libeat vobis, nec sanctæ parcite luci,
In qua lex Domini mortalibus otia fecit.
Forte etiam in manibus cibus hic putrescet auaris.
Simile. Omnibus est tellus communis, & omnibus æther.
Omnibus est cœlum, conuexaque sydera cœli:
Deniq; commune est cunctis æquorque, thronique.
1.Reg.3.10. Ipse Saul etiam præstat, res mira, prophetam.
Ergo nec structor, nec cum sutore colonus,
Nec faber, atque feris trucibus qui retia tendit,
Sit procul, atque alio contentus præsule viuat.
(Iura dare est satius, quam danti iura subesse)
Sed posita hic properè stiua, posita ille securi,
Pelle alter, iaculis alius, vel forcipe curua;
Huc agite, ad sacram & vosmet contrudite mensam,
Quisque premens obnixe alium, pressusque vicißim.
Non alium solio dubitet depellere fortis,
Sæpe etiam per sanctum hominem, canumq; senecta,
Quique thronis insudauit multumque diuque,
Afflixitque suas carnes, & sydera mente
Incolit, ac mundum calcat, cumque Omnipotente
Partem habet, ac viuos homines est mortuus inter,
Et probus est summi regisque Deique sacerdos.
14 Ante [14] oculos exemplar habet cum pictor, ab illo
Dissimile. Effigiem pingit, formam capit atque tabella.
Vos autem inspiciens aduerso tramite quiuis
Ambulet ex vitiis vestris hæc carpitur vna
Vtilitas hæc sunt quæ præco dicere poßit.
Exod.19. At mihi, quid de Mose canunt oracula sacra
Dum mecum recolo, gelidus tremor occupat artus.
Ipse etenim solus penetrata nube Tonantem
Conspexit: reliquos autem radicibus imis,
Montis, & in puro lustratos iußit amictu
Solam audire Dei tremebundo pectore vocem:
Nam ne impune quidem bobusque ouibusque futurũ,
Sed promptum exitium, pareret quod saxea moles,
Si qua Dei sanctum tetigisset bestia montem.
Leuit.10. Quin etiam sancti proles me terret Aronis,

Quæ, quia non solitum sacris admouerat ignem,
Protinus insolita iacuit quoque morte perempta,
Sacrorumque locus mortis locus extitit idem:
Nec pater à natis pestem depellere quiuit.
Quin etiam Helidas horrenda morte prophana 1.Reg.24.
Sustulit ingluuies, quòd non dubitasset vterque
Ollis impuras sacris immittere dextras.
Ac neque diuinam effugit pater optimus iram,
Sed iustum oppreßit natorum venter iniquus,
Quamlibet hos grauibus solitum perstringere verbis.
Quod si tanta leues noxas est ira secuta,
Qualis erit quæso, cum quis mala plura patrarit?
Iam qui suppositis arcam sustollere palmis 2.Reg.16.
Labentem studuit, mox est dimissus in Orcum.
Atque etiam externus paries faciebat vt esset
Intacta omnino supremi numinis ædes.
Ergo genio, & prono quæso te corpore, Christe,
Ne qua reèdentem noua me infortunia vexent.
Deficiunt vires miserum, dum prælia longa
Consero [15] cumque lupis, & cum pastoribus ipsis. 15
Curua animus volucris senio iam membra reliquit.
Ac quiddam exiguum spiro, tum mole laborum
Fractus, tum vitiis nostris, probrisque pudendis.
Pars etenim, sedes ob sacras bella gerentes, Diuersa studia malorum præsulum.
Exagitant sese vt fluctus, feriuntque vicißim
Nec sitis hos ardens pugnandi deserit vnquam,
Pacem clamantes, captantes sanguine laudem.
Ac [16] Getthæo vtinã morbo premerẽtur, vt æquũ est, 16
Pœnas ob sedem meritas in sede luentes. 1.Reg 3.
Ast alij rursum studia in contraria scißi,
Quàque nitens oritur Phœbus, quaque occidit, orbem
Concutiunt: [17] Deus in carnes ac desinit illis. 17
A quibus & nomen sumit sibi mobile vulgus,
Et pugnæ rabiem. Paulum pro numine duco. 1.Cor.1.
Tu Petrum, ast illi rursum Deus alter Apollo.
In cruce sic frustra Christus cum sanguine vitam
Fudit. ab humanis etenim iam nomen habemus,
Non autem à Christo, cuius tum sanguine sacro:
Tum manibus nobis decus est & gloria parta.
Tanta animos nostros caligine cœcus honoris
Circunfudit amor, vel opum malesana cupido,
Vel liuor iusto crucians mala corda dolore!
Atque malo veneranda Trias prætexitur isti:
Sed reuera animos stimulat damnosa simultas.
Quisque tegit mentes sub ouina pelle lupinas,
Ac velut æs pisces obiecta intercipit esca.
Scilicet ista duces faciunt: plebesque sequuntur,
In vitium promptæ, dux quamuis nullus adesset.
Recti delectus nullus, vitiique prophani, Horrenda confusio.
Nullus cordati senij, stolidæque iuuentæ,
Nullus diuinæ vitæ luxuque fluentis.
Lex hæc vna viget, quo quis sit peior, vt idem
Commoda plura ferat, plures & carpat honores.
Ille velim misera procumbat morte, scelestis
Primus ad has quisquis tribuit conscendere sedes.
Delicias habeant ipsi mundique, Deumque, Ironia.
Et quæcunque manet iustos post fata voluptas:
At iusti vano crucient sua membra dolore.
Improba iudicibus placet hæc sententia nostris.
Exulet hinc Astræa procul, sint cuncta simulque,
Christus homo, lumen tenebræ, Sol stella, bonusque
Angelus, & nullos qui iam dat Lucifer ignes.
Æqua ferat Petro Christi mactator Iudas.

Æqua ferat Solymis Samaritis perfida sanctis.
Argenti pretium ferrique æquetur & auri.
Sint unum riui & fontes, adamasque lapisque,
Denique cuncta simul rursum iungantur, ut olim,
Tunc cum mundus erat rudis indigestaque moles.
Deut. 23. *Ammone non licuit quondam Moaboque creatis*
(Isacidûm namque intulerant mala plurima castris)
Intima diuini contingere limina templi.
Iosue 9. *Rursus aquis alios Iesus lignisque gerendis*
Addixit, fucum factum sibi questus ab illis.
At contrà magno Leuitæ in honore fuere.
Namque illis commissa fuit venerabilis arca.
Atque etiam his certus sacrorumque atque laboris
Ordo erat, hic etenim hoc, illud tractabat at ille:
Atque ita tum templi curabant munia, tum quæ
Extima. sic illi virtutem rite colebant.
At contrà (ô miseram mortem) nos præmia turpi
Constituisse iuuat vitio. quisnam ista peritus
Lugendi vates, ut tanta tragœdia poscit,
Deplorare queat? Iam quæso sistite, Amici,
Sistite iam quæso rabiem, tandemque laboris
Sit modus & finis, quo nos scelus usque fatigat.
Tandem aliquando Deo pia grataque sacra feramus.
Si mea dicta queant animos inflectere vestros,
Id satius fuerit: sin deteriora valebunt
Consilia, & iuuenum præceps audacia nostros
Sermones instar nebulæ obteget atque senectam,
Obstrepet & sanctis monitis ut garrula cornix,
Æterni testor patris dextramque, diemque,
Qui grauibus flammis paleas exuret inanes,
Quòd socium his non me iungam nec sede, nec actis,
Consilioque, comes nec ero terraque marique.
Qua vitæ cœpere via, hac insistere pergant.
Ast ego, qua mortis fugiam tristissima fata,
Noë arcam quæro. post ut procul ipse remotus, Gen. 7.
Queis Sodoma exarsit, vitem diuinitus imbres: Ibid. 19.
Ac mentem à mundo rebus mundique reducens,
Interiora vigil spectem, vitæque procellas,
Quæ prudentum etiam maculant deformiter ora,
Insequar effuso risu, diuinaque sensa,
Claraque nec permixta malis in pectore figens,
Ac studiis Triadi feruentibus usque propinquans,
Numinis ad summi veniam tandem ipse tribunal.
Hîc ubi cuncta liquent, æquas iudexque bilances
Christus habens manibus, mortalia ponderat acta.

SCHOLIA IN PRÆCEDENS CARMEN.

1. *Non tincta cruore) Gr.* ἀναιμάκτοις. *Malè enim Langus vertit, Sine sanguine. Nam cum hoc loco per incruenta sacrificia augustum Missæ sacrificium potissimum intelligat Gregorius, illud sanguinis expers esse Catholicorum nemo dixerit.*

2. *Figmentum manibus) id est, qui hominum genus à Deo fictum & procreatum gubernatis.*

3. *Scenigradi) Gr.* σκηνοβάται. *Sic improbos sacerdotes vocat, quòd velut histriones ac mimi alienam personam gererent, nec dignitate sua dignum aliquid præstarent, sed omnia sua ad inanem ostentationem ac vulgi plausum referrent.*

4. *Ligno factis) Grallas Nonius vocat. Nos Gall.* des eschasses. *Persistit enim Gregorius in sua descriptione, dum malos Episcopos notat, qui in Ecclesia tanquam in scena se gerebant, fœdissimáque hypocrisi laborabant.*

5. *Antè quidem) Habebant olim Iudæi, inquit, ciuitates quasdam ad quas homicidæ perfugiebant. Erat etiam reiectitiis victimis suus locus constitutus, ut hirco emissario desertum. Ac denique Iudæis ager quidam erat, sepeliendis agris dicatus. At nunc Episcopalis sedes sceleratorum omnium ac perditorum hominum sedes est.*

6. *Quæ prisca solebat)* ἀποπομπαίοις θύεσσι, *id est, hircis emissariis. Ineptum est enim quod Langus hoc loco annotat, nempe per* ἀποπομπαῖα *sacra, cauenda & detestanda sacra, per* πικρίω *hæreses, per sanguinem, paganorum vel Iudæorum sacrificia significari. Nulla enim hoc loco Allegoria est, ut patet ex præcedenti scholio. Amaritudo enim & sanguis, hoc loco agrum illum significant, qui quòd pretium sanguinis fuisset, dictus est hacel dema. Multo etiam alienius est quòd idem Langus ait D. Gregorium idcirco his verbis usum esse, quòd Theodosij factum improbaret, qui ab omni Ecclesiarum limine hæreticos submouerat. Tantum enim abest, ut hoc improbaturus fuerit vir sanctissimus, ut contrà eo nomine in sua vita Theodosium reprehendat, quòd nimium lenem se hæreticis præbuisset, nimiámque licentiam eis concessisset.*

7. *Hos quoque) Exponit quid cancelli illi templorum significent, quibus Laici à Clericis dirimuntur, nimirum distinctionem mundi huius fluxi ac perituri, & alterius certi & sempiterni. Atque hîc etiam fallitur Langus dum de S. Sophiæ templo sermonem haberi existimet: cum Gregorius in genere de omnibus templis loquatur.*

8. *Huc agite) Tota hæc Oratio amarulentis ironiis constat. Fingit enim se sceleratissimos quosque ad capessendos Episcopatus inuitare, cum tamen huiusmodi homines à tanti muneris susceptione quàm longissimè auertere conetur.*

9. *Natiuæ aut flammæ fures) Eos intelligere videtur, qui tametsi ab ipso libidinis opere abstineant, animo tamen flagitium admittunt, libidinisque simulachrum sibi fingunt. Aut etiam fortasse* συνεισάκτους *notat, qui cum apertè pudicitiam simularent, tectè tamen impudicitiæ operam dabant.*

10. *Cum declinatis apertam*) Langus hoc loco ἀλώεσθαι circumcursare transtulit, cum tamen nihil aliud significet quam ἐκκλίνειν. Sed fœdius adhuc errat, cum versu sequenti νηΐδες οὐρανίων, Naiades superûm vertit: non animaduertens scilicet νήϊδες idem planè esse, quod ἀνεπιστήμονες, ἀπαίδευτοι.

11. *Recénsque donati splendore*) νεολαμπεῖς, id est, νεοφώτιστοι, recèns baptizati. Videtur innuere Nectarium, qui simul atque baptizatus fuit, imò etiam antequam salutari aqua tinctus fuisset, Constantinopolitanus Archiepiscopus designatus est.

12. *Et iuuenile manu*) Corpus etenim in humilitatis argumentum curuant, qui ad sacros ordines prouehuntur. Ac tum Episcopi extensa manu ipsis bene precari solent.

13. *Et rursum*) Vt, inquit, Manna olim omnibus æquè fundebatur: sic nunc tanta rerum omnium atque Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatio est, vt omnes sibi æquè licere putent Ecclesiæ gubernacula tractare.

14. *Ante oculos*) Nihil aculeatius acerbiúsque hac collatione dici potest. Paucis enim verbis quanta esset multorum sui temporis Episcoporum improbitas, luculenter expreßit. Nam si is, qui vitam eorum intuetur, contraria omnino via incedere debet, nemini dubium esse potest, quin turpißima & flagitiosißima sit eorum vitæ ratio. Fabius figuram hanc ratiocinationem vocat. Atque vtinam tota hæc Oratio non in nostra quoque tempora quadraret. Hìc enim profectò locum habet illud Horatij, Tantalus à labris sitiens fugientia captat Flumina. quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur.

15. *Consero cúmque lupis*) Per lupos hæreticos intelligit: per pastores, Episcopos eos qui inuido atque infenso in eum animo erant. Hoc enim est quod ait in Orat. habit. in præs. 150. Episcop. κέχυνται καὶ λόγῳ καὶ φθόνῳ μαχόμενοι, καὶ πολεμίοις καὶ ἡμετέροις. Hoc idcirco annoto, quòd Langus putet tantum agi de malis Episcopis, ac non de hæreticis.

16. *Ac Gethæo*) Gethæi, vt habetur 1. Reg. 5. cum, vt cæteri quoque Philistæi ob captam Dei arcam in secretiori natium parte percußi sunt. Ait igitur Gregorius, nullo modo congruentius in eos, qui summas Ecclesiæ dignitates tanto studio persequebantur, animaduerti posse, quàm si ob adeo impotentem & effrænatam thronorum cupiditatem eadem, qua Gethæi pœna mulctentur, & pro sedibus sacris indigne occupatis, in sede, hoc est, in ano plectantur. Vulgatum est enim illud Scripturæ, per quæ quis peccat, per hæc & punietur.

17. *Deus in carnes ac desinit illis*) Nam cum se Dei causam agere, atque ipsius gloriam ob oculos propositam habere profiteantur, tandem tamen eos carnali affectu duci constat, atque hominibus, quàm Deo inseruire.

AD CONSTANTINOPOLITANOS EPISCOPOS, ET IPSAM VRBEM.

O Qui sacra Deo offertis nòn tincta cruore,
Vnum in personis qui colitisque tribus:
O leges, o sceptrigeri, pietate grauesque,
Vrbs Constantino quæ patre clara viges:
Roma noua, & tanto reliquas quæ præteris vrbes,
Quàm cœlum terram vincit & exuperat:
Vos miser inclamo, quibus heu me liuor iniquus
Affecit damnis! depulit atque procul
Sanctà à prole, diu postquam pia dogmata sæui
Et latices puros aspera petra dedit.
Ærumnas an cum tulerim tremulósque pauores,
Vrbs fidei primas dum capit ampla notas,
1 Gaudeat vt nostris alter sudoribus,[1] æquum est,
Impositus sedi iure vetante meæ,
In qua me Christus Christi famulique locarunt?
Morbus id, & famuli mî peperere Dei.
Qui sese alterius odiis & Marte petentes,
A me auersa nimis pectora quisque gerunt.
Namq; audax neutri volui me adiungere parti,
Nec quicquam Domino præposuisse meo.
Peccatúmque meum est, peccata aliena quòd odi,
Nec pugnam ingenti cum rate cymba gero.
Sic me odere leues, sacratæ sedis apertas
Queis placuit[2] seruis temporis esse fores. 2
Ast hæc alta velim tumulent obliuia, læta
Hinc autem egrediens ipse quiete fruar:
Cuncta simul, mystas aulásque atq; oppida linquens
Prompto animo, vt memini nec cupiisse priùs,
Tunc cum visa Deus me per nocturna vocauit,
Horrida cærulei pérque pericla maris.
Lætus ego inuidiam fugi, grauibúsque procellis
Ereptum iam me littora fida tenent.
Hic vbi sustollens animum, velut antè canebam
Voce Deum, tacita sic quoque mente canam.
Gregorij hic sermo, qui Christi ductus amore
Haud grauis abiecit quicquid habebat opum.

SCHOLIA.

1. *Æquum est*) ποῖα lego, vt emendauit Aldus, non τοῖα vt in editione Germanica. Idem enim est ac si diceret, τίνα δὲ λόγον ἔχει. quod Cicero totidem verbis reddit, Quam autem rationem habet &c.

2. *Seruis temporis*) καιροθέοισι φίλοις. *Eleganter sanè* καιροθέους *eos appellat, qui ad tempora fidem suam accommodant, ac tempus velut pro Deo habent. Quod hominum genus salsissime perstringit in vita sua, ironicè ad eos his verbis vtens,* ἂν μεταστραφῇ κύβος (καιροῦ γὰρ οὐδέν ἐστιν εὐστροφώτερον,) ἔχεις τὸ τεχνύδριον, ἔκδραμε πάλιν. οὐκ εὐμαθὲς πίστεως τὸ προσκαῖσθαι μιᾷ, *id est.*

---versa si sit alea,
(Nam nulla citius vertitur res tempore)
Ars non fugit te, linque quas partes tenes.
Vni imperitum est dogmati se adstringere.

ADVERSVS CARNEM.

Exitiosa caro, Beliæ tenebrosa procella:
Exitiosa caro, qua fluit omne scelus.
Exitiosa caro, mundi labentis amica,
Cœlesti ac vitæ prælia dira mouens.
Hostis amica caro, blandissima pugna, bonumque
Infidum, vetitos semper edensque cibos.
Cœnum, massa grauis plumbi, limosa cathena:
Bellua pugnaci prodita materia.
Pestifer æstus, heræque tuæ vinclum atque sepulchrũ,
Formæ, quæ supera venit ab arce mihi.
(Non vitiis finem statues? non improba cedes
Spiritui, & senio quod graue membra premit?)
Quam Christus solam manibus formauit, hylen cum
Immundam ornatu vestiit ipse nouo:
Quamque Deus tandem summus sibi miscuit, vt nos
Quos immortali fixerat antè manu,
Seruaret, vitiis oppressos dæmonis arte,
Morte sua & mortis faucibus eriperet.
Fac igitur iam me vereare, proculque repellas
Ingluuiem, ac cesses bella mouere mihi.
Ætherei dextram testor genitoris, in vnum
Quíque humana trahet (nec mora) cuncta diem,
Quòd te ita conficiam variorum mole dolorum,
Exanimi vt iam sis corpore debilior:
Mat. 9. *Ni contacta tibi quamprimum fimbria Christi*
Pestiferum fluxum comprimat atque scelus.
Ex imo venias lachrymarum pectore flumen:
Ex animo atque oculis iam fuge somne meis.
Vt sedes flammam, qua mens exuritur ægra,
Fœtoremque fuges, quem mihi noxa parit.
Durescant curuata solo mihi membra, famique
Pro dapibus lætis sit medicina cinis. Psal. 101.
Sit saccus pro veste mihi, qui pectora pungat,
Atque ferat menti, quam caro lædit, opem.
Cura veni carnis domitrix, pœnæque perennes
Fac subeant animum concutiantque meum.
Sic medeor stolidæ carni: at purissima vita,
Et rediuiua, tui est muneris, alme pater.
Quis generis nostri excepit vitiique parentem,
Vt fraudem luxit pestiferumque cibum?
Quisnam purgauit lachrymis fletuque Manassem, 2. Paral. 33.
Dauidis crimen sustulit atque graue?
Quis tristi Niniuæ dedit abiectæque salutem? Ionæ 4.
Natorum ob minimum cui maduere genæ? Luc. 15.
Quis puris gaudens, procul haud tamen ipse Telonas
Mouit? ouem dorso quis tulit atque vagam?
Quis lepram, morbos quis profligauit acerbos,
Carníque atque animo commoda magna ferens?
Dona tua hæc, hominũ lux splendida. tu mare nostrũ
Scande igitur: nam mox sæua procella cadet.

CARMEN QVO DIABOLVM AVERTIT, AC CHRISTVM INVOCAT.

Ex animo membrisque meis vitaque, dolose,
Iam fuge, fur, serpens subdole, flamma grauis,
Improbitas, Belial, mors, bellua, chasma dracoque,
Nox, furor, insidiæ, liuide, nex hominum.
Tu patribus nostris pestem exitiumque tulisti:
Nam vitij gustum mors comitata, viget.
In scopulos Christus rex te iubet ire, gregemue
Porcorum, aut fluctus ire sub æquoreos,
Vt quondam prauam legionem. diffuge iam iam:
Crucem omnia metuunt. *Ne cruce, quam metuunt omnia, te feriam.*
Namque crucem in membris medioq; in corpore gesto,
Inque viis: crux est lausque decusque meum.
Non mihi cessabis laqueos scelerate parare?
Non Sodomam, & præceps, conspiciesque atheos,
(Qui male non dubitant diuinum scindere numen)
Sed pectusque meum, canitiemque meam?
Per nigra me semper sensa inficis, hostis acerbe,
Nec sacra, nec Domini numina summa timens.
Præco fui sanctæ Triadis, cœnose propinquum
Ne me iam fato spiritus inficias:
[1] Luminibus puris quo possim occurrere purus, 1
Cum iubar à supero fulserit axe mihi.
Tendo manus. quæso me suscipe sancta caterua
Venturis post me parcito Munde, vale.

SCHOLIVM.

1. *Luminibus Puris*) *Per lumina hoc loco Angelos intelligit Gregorius, quemadmodũ & multis aliis in locis.*

LVCTVS.

Me miserum, caro quem remoratur perfida, cœli
Ad dominum cursu dum properante feror.
Errantis vita mihi nec patet exitus vllus,
Nec vitij, mea quod pectora fixit humi.
Atque improuisis circunstrepit vndique curis,
Gratia queis mentis deperit atque decor.
At grauibus me solue pater supreme cathenis,
Inque beatorum me trahe, sancte, choros.

AD ANIMAM.

Erige te mea mens, capiant te obliuia mundi:
Nec trahat in vitium te malè blanda caro.
Exigua hæc vita est: vt somnia, prospera ludunt.
Hac sorte vtitur hic, vtitur ille alia.
Nil stabile est præter vitam, quæ nescia labis.
Hanc multo melius viuere, certa manet.

DE NATVRÆ HVMANÆ FRAGILITATE.

Dic mihi, Munde fugax, quid me vt versatilis orbis
Vi trahis (aduersam dum tibi carpo viam,)
Formicam velut exiguam, quam motio torquet?
Tantillum tantus me tamen ipse trahis.
Tu certè diuinum opus es, tu gloria: at ipse
Sum quoque opus Christi, textus & ex superis,
Et simul ex imis. hinc ortum nam mihi corpus:
Mens autem est flatus numinis ætherei.
Casibus innumeris tamen hinc ego iactor & illinc
Quos ego, quósque mihi vis inimica parit.
Aëréque amissa morior delphinus vt vnda.
Præterij: populum Munde rege incolumem.

ALIVD.

Simile. *Vt volucres, celerésque per æquora lata carinæ,*
Mundũ ego, me Mundus præterit instabilis.
At non prætereunt, sed stant, quæcunque patraui.
Quo nihil in vita tristius esse potest.
Animi anxietas. *Quidq; optem haud habeo, vitamue an funera. parte*
Namque ab vtraque grauis concutit ossa tremor.
Vita mihi noxas cumulat: rursúmque medela est,
Si moriar, vitiis omnis adempta meis.
Hoc mihi portendit si vita onerosa, labores
Nec rursum soluit vita soluta meos.
Quid faciam? hoc vnum superest mihi scilicet, vt tu
Rex bone [1] sis oculos iugiter ante meos. 1

SCHOLIVM.

1. *Sis oculos) Hoc est, vt in te, tuáque benignitate atque clementia suspensam semper oculorum aciem habeam.*

DE DEI DESIDERIO.

Ærumnis grauibus cur sum conceptus, & abs te
Sentigeræ vitæ cur datus, ô genitrix?
Mirum, si vixisti illæsa vt corporis expers:
Sin læsa es, mihi lux haud ab amante data est.
Gens hominum vario grassatur tramite vitæ.
Agricola hic, salsas findit at alter aquas.
Hastis ille manus armat, canit ille peritus:
Ille pugil, sæuas opprimit ille feras.
At mea, sors magnus Deus est, multique dolores,
Atque grauis morbus, qui mihi membra quatit.
Ad breue me lacera tempus, scelerate: relinquam
Nam tecum gaudens aspera cuncta breui.
Cur mihi vita data est, nequeam cum voluere mente,
Nec fari, vt mea fert summa cupido, Deum?
Parua meis sanctæ Triadis lux fulsit ocellis:
Amplius at fugit lumina mœsta iubar:
Non secus ac fulgur, quod sese proripit antè, Simile.
Quàm splendore oculos exaturare queat.
Ast illi si te arripiam Trias, haud iam ego natum
Me querar, optanda namque ego sorte satus.
At mihi sis quæso, sis optime Christe saluti:
Extractúmque graui transfer ad astra luto.
Hîc vbi mens, non iam tenebrosa condita nube,
Te circum dulces læta agit vsque choros.

LVCTVS.

Heu miseros casus! quodnam scelus ipse patraui?
Solus an indignè factito sacra, Deus?
Triplex afflictionum causa. *Méne! per ærumnas purgas, factúmve aliorum*
Reprimis, ad pugnas instruis aut pugilem?
Ista quidem tu Rex sapienter Christe gubernas:
At mihi iam morti proxima membra iacent.
Omnes effudi lachrymas, sine fine gemisco.
An sceleratorum sub pede semper ero?
Ast fulci me quæso, malum licet, at tibi mystam:
Ne quis, conspiciens tot mala nostra, cadat.
Gloria mî periit: pereat quoque corporis angor.
Perdidi Anastasiam: cesset & improbitas.
Heu lachrymis madeo, pectúsque dolore tumescit.
Tu morbum duplicem rex bone siste precor.
Siste precor morbum. perij, rex maxime, soli
An clausa est veniæ ianua Gregorio?
Aut mihi te præbe facilem, mala tanta coërcens:
Aut præbe vt firmo pectore cuncta feram.

CARMEN SVPPLEX.

Christe hominũ lumen, mentiq; ignita columna,
Mortalis vitæ loca per deserta vaganti,
Tu Pharium regem, & præfectos siste furentes,
Méque luto, Ægyptóque graui, bonus extrahe, diris
Hostes afficiens plagis: iter ac mihi planum
Da facilis. quod si me vis inimica sequatur,
Tu mihi tu rubrum pelagus discinde potenti
Christe manu, vt siccis transmittam gressibus æquor,

Ad terram properans, cuius promißio certa.
Immensos amnes cohibe: gladiósque micantes,
Quos in me stringunt hostilia castra, retunde.
Si sacram attigero terram sedésque beatas,
Perpetuo ipse tuum celebrabo carmine numen.

Sequens Carmen in vulgatis libris malè cohæret cum superiori.

AD CHRISTVM.

CVr carnis laqueis tu me pater implicuisti,
Cur vitæ miseræ, cur cœnosóque barathro,
Si Deus & verè tua portio dictitor esse?
Ex membris periit robur mihi: crura labascunt:
Infregit me morbus atrox & mœsta senectus,
Et cura, atque odio qui me insectantur amici.
Nec tamen improbitas cedit, verùm acrius illa
Instat adhuc, trepido vt lepori ceruóque canum vis,
Exaturare famem cupiens, tu siste benignus
Ærumnas facilísque, aut post certamina longa
Excipe me quæso: modus atque doloribus adsit,
Aut nostram obducant nebulosa obliuia mentem.

EPITAPHIVM, ET EPITOME VITÆ IPSIVS.

CVr carnis laqueis tu me pater, implicuisti?
Cur subsum vitæ huic, quæ mihi bella mouet?
Diuino patre sum genitus, sanctáque parente.
Hac mihi lux vitæ namque precante data est.
Orauit, summóque Deo me vouit: at ortus
Est mihi per somnum virginitatis amor.
Ista quidem Christi: pòst at subiere procellæ.
Rapta mihi bona sunt: fracta dolore caro.
Pastores sensi quales vix crederet vllus,
Orbatúsque abij prole, malísque grauis.
Gregorij hæc vita est: at Christo postera curæ:
Qui vitæ dator est. exprimat ista lapis.

CARMEN POENITENTIALE ET DEPRECATORIVM.

EST propè certamen. cursum iam vita peregit.
Iam pœna est oculos criminis ante meos.
Tartara iam video, flammas, noctémque profundam,
Probráque, quæ nunc sunt tecta, adaperta nimis.
At miseri miserere Deus, sanctóque fauore
Relliquias vitæ da mihi quæso bonas.
Multa tuli, vereórque, Pater, præludia pœnæ
Ne sint, quæ patior nunc mala multa, grauis.
Ipse etiam mea fata feram, tumulúmque subibo,
Ærumnis cedens impiger innumeris.
At pòst venturis hæc mundo: Commoda nulla
Vita habet hæc. vitam fata sequuntur enim.

ADVERSVS DIABOLVM.

SIs procul, ac ne me turbes, ô barbare, Christum
Pingo. procul fugiat conscelerata cohors:
Ne fugiant ea, quæ collegi, sensa, valeto
Quisquis terrenis pectora fixa geris.

DE VERIS ET GERMANIS SCRIPTVRAE LIBRIS.

Vtilitas sacræ lectionis.

IN libris sacris linguáque & mente frequenter
Versare. aut etenim donat Deus ista laborum
Præmia, vt absconsæ lucis mens sedula quiddam
Conspiciat: vel certè istinc ea commoda carpit,
Vt per sancta Dei capiat præcepta dolorem.
Aut, quod postremum est, animos hæc lectio rebus
Abstrahit à fluxis, studia ad meliora vocatos.
At, tua ne libris fallatur mens alienis,
(Namque ascriptitij multi falsiq; vagantur)
Hunc habeas certum numerum à me Lector amice.
Bisseni libri veteris, sunt fœderis, omnes
Historici. Genesis primus liber, Exodus inde,
Leuiticus, Numeri, Legis tum scita secunda,
Pòst Iesus, Critæ, Ruth, Regum gestáque bini
Describunt libri. sequitur liber ille, vocatur
Qui Paralipomenωn. cunctorum est vltimus Esdras.
Quinque metris constant, Iob, Dauid, tres Salomonis,
Concio, & insignes Cantus, Prouerbia sacra.
Quinque Prophetarum sunt libri rursus, in vno
Bisseni vates sunt iuncti. nomina quorum,
Oseas, Amos, Michæas tertius, inde
Ioël, ac Ionas, Abdias sextus, at hunc post
Naumque, Habbacucque octauus. tum Sophonæus,
Aggæus, pòst Zacharias, atque vltimus horum
Malachias. liber hos vnus complectitur omnes.
Esaiam ast alter. Ieremiam tertius autem.
Ezechiel quarto, Daniel post ordine quinto.
Tot nempe Hebrææ quot sunt elementa loquelæ.
Perge age iam pacti libros numerare recentis.
Matthæus Christi Hebræis miracula scripsit,
Ausonibus Marcus, Lucas at doctus Achiuis,
Cunctis Ioannes, penetrans cælestia mente.
Inclyta Apostolicæ classis tunc gesta sequuntur.
Hinc bis septenæ literæ, quas numine Paulus
Æthereo scripsit. sequitur post vna Iacobi,
Atque duplex Petri, tres rursum authore beato
Ioanne, ac Iudæ postremo est vnica. sunt hæc
Omnia diuinæ germana volumina chartæ.
Quicquid præterea est, haud inter certa locandum.

ÆGY-

ÆGYPTI PLAGÆ.

ÆGypti plagas semper numerare memento,
Vt paueas sancti robora magna Dei.
Flumina purpureo sunt primum tincta cruore.
Hinc tellus ranas ædidit innumeras.
Aëra pòst cyniphes texerunt, aruáque cuncta.
Tum cynomya ferox visa repente fuit.
Quinto quadrupedes omnes mors sæua peremit.
Sexto afflixerunt vlcera Nilicolas.
Horrida pòst grando cecidit, simul igneus imber.
Octaua at rursum plaga locusta fuit.
Hanc plagam horribilis caligo deinde secuta est.
Vltima primigenûm mors inopina fuit.

AD MONACHOS IN COENOBIO DEGENTES.

SI sociam vitam sexus collaudet vterque,
Côiunctísque colens animis Dominumq; Deúmq;,
Vnà habitet, vitæq; viam gradiatur eandem,
Rectius id fuerit, nam virtus sola videri
Abnuit: eximium nec quicquam iure vocandum est,
Quod nō pulchrū aliquid superat, meritóq; probandū.
Paruáque amicitiæ est augustæ gratia prorsus:
Vt contrà lutulenta, nimis promiscua rursum.
Ast interiectum chaos ingens esse necesse est,
Distinctis illi vt degant, ac sedibus illæ,
Sicque piam vitam simili cum laude sequantur.
Soliuagis etenim non solis liuor iniquus
Imminet, at multo magis his, quos vita sodalis
Oblectat. grauior namque istos pugna fatigat.
Sin, nisi cum Christo, vis planè viuere solus,
Id quoque mî gratum est. metus at communis vtrisq;
Vt mihi, sit, ne hosti duce in certamine cedant,
Præcipitésque ruant tenebrosi ad tartara Ditis.

AD HELLENIVM PRO MONACHIS ADMONITORIVM CARMEN.

ARGVMENTVM.

Idem ab Hellenio petit, quod à Iuliano tributis imponendis & exæquandis præfecto in ea Orat. quam ad eum habuit, postulat.

QVam petis, eloquij nostri vis concidit omnis,
Vt fragili mundo mortua vita mea est.
Atque crucem (dulcis quæ sarcina, nostra salúsque) Crux dulcis sarcina.
Christo postponens terrea cuncta, tuli.
At mihi non tener est, nec qui demulceat aurem,
Sermo. nam Verbo ne placet ille quidem.
Non genus ergo tuum nec opes, queis pectora turgent
Læua, canam, vires eloquíque tui.
Non ingens etiam fratris noménque decúsque,
Vrbes qui magnas, vt regis ipse, regit.
Sint etenim vanis curæ sermonibus ista:
Spectat amicorum non meus obsequium.
Sed te consiliis sanctis multo meliorem
Reddet: præbe aurem tu modò mî facilem.
Ac cum forte meis hæc pendes præmia dictis,
Bis quinis plures vt bonus ipse iuues,
Hesterna mihi quos, vir optime, luce dedisti:
Paruo dans magnus munera magna mihi.
At dictis attende meis, quæ pectore ab imo
Deprompta ex libris proloquar æthereis.
Dant nummos alij, fului dant munus & auri.
Dant alij summo serica fila Deo.
Christo etiam est pura qui sese mente dicarit,
Et qui perpetuis fletibus ora riget.
Tu verò hoc dona. Christo sunt qui famulentur:
His sit libertas munere plena tuo.
(Qui puris animis tranquilla & mente cateruam
Ad cœli ducunt lucida tecta piam)
Christiferísque aliis, qui sunt sine coniuge, cura
Quos etiam & mundi iam prope nulla tenet.
Hymnis qui regem nocturnis atque diurnis
Concelebrant, fluxis diuitiísque carent,
Queis homines mundi princeps eludere gaudet,
Nunc aliis illas, nunc aliísque ferens.
Cunctarum quibus instar opum spes læta bonorū est,
Perdere quæ nemo, qui capit ipsa, potest.
[1] Qui costā haud quærūt, sua quā caro diligat ardens: 1
Nec sobolem, cuius sustineantur ope.
Qui non confidunt sociis, non fratribus ipsis:
(Qui cruor est, iamiam dispeniénsque cinis)
Qui ciues vrbésque inter non mente tumescunt,
Ventorum nixi robore debilium:
Nec decus humanum cupiunt, nocturna voluptas
Quod velut, vt mulsit corda, repente fugit.
Sed mentem Christo mittunt, vitæq; rudentes
Ad solidam petram nocte diéque ligant: Coloss. 3.
Ac vitam absconsam in Christo ducúntque colúntq;,
Vt rutilum obtineant hac rutilante decus:
Spectantes Triadis radios,[2] quæ cogitur in se, 2
Séque aperit rursum mentibus egregiis,
Angelicique chori decus ingens, amplius haud iam 1. Cor. 13.
Obscurè, veri per tenuésque notas.
Ast hæc posteriùs: nunc autem fumus inanis,
Et puluis sunt hi, quos pia vita iuuat.
Quorum pars specubus gaudet, cubat ínque cauernis
Desertis, odio prosequitúrque domos:
Desugit ac cœtus hominum, dulcémque quietem Quies sapientiæ soror.
Sancta colit, sophiæ est quæ soror ætheræ.
Compedibus rursum pars altera vincta laborat,
Cum carne vt vitium debilitare queat:
Pars alia exiguis tectis inclusa, ferarum
Ritu hominem nullum vidit in his latebris.
Bísque dies denos noctésque impasta remansit Diuturnū ieiunium.
Sæpius, omnigenis abstinuitque cibis.
Sit fas magna loqui, nostri pecus vnus ouilis
Horum erat, hinc abiens paruulo ab oppidulo.

Est etiam linguæ iniecit qui vincla loquaci,
Solo animo laudes personuitque Dei.
Est etiam in sacris qui totos ædibus annos
Constiterit, fundens vota precésque Deo.
Nec (quod vix credas) claudebat lumina somno:
Sed, lapis vt viuens, in prece fixus erat.
3 *Huicque cibi reliquum donabat* [3] *coruus: at ambos*
Fructum vnum tantum quod releuaret, erat.
Quin diuinum etiam in montem se sustulit alter,
Tunc cum Christus humum liquerat, astra petens:
Hîc vbi sermone immotum membrísque animóque
Iactabant venti prægelidæq; niues.
Nec precibus frangi poterat vir ille piorum,
Qui collo ipsius brachia iuncta dabant:
Sed Christo firmè hærebat, mentémque vehebat
Hinc ad cœlicolæ tecta beata gregis.
Exanimi donec constructa domuncula tandem est,
Curaret funus cum nihil ipse suum.
Mens audita horret: monachis, qui nomine réque
Se monachos præstant, moris id esse viris,
Quos multi norunt, pauci aspernantur, vt æquo
Plus acres, pietas quàm moderata ferat.
Cum quis ad hos pietate grauis se contulit, huius
Nostratis legis nescius atque rudis,
Hunc animo primùm excipiunt in tecta libenti,
Exceptum cunctis officiisque colunt.
Diuinisque animos curant attollere verbis,
Pellentes cœna splendidiore famem.
Pòst quidam in medium prodit, legémque cruentam
Commemorans, promit talia verba, rogans:
An Christi causa pulchrum est accersere mortem?
(Occultis verbis verba cruenta trahens.)
Si genus hoc mortis non prudens ille probarit,
Tum multas mortes, inquiet, isti obeunt.
Pars sibi namque manu vitam eripit, & fame dura,
Pars laqueo, in præceps pars scopulósque ruit,
Isti inquam veri testes, lætique relinquunt
Hanc vitam, & vitæ tristia bella nimis.
Parce piis animis, stolidis tamen, optime Christe.
Carceribus currunt nam procul instar equi,
Qui leuibus nimium pedibus confidit, & intra
Curriculum hunc fræni vis retinere nequit.
Ast alium rursus virtus iuuat altera. plures
Namque domus vt sunt, sic varij artifices.
Singula quid vero refero. nam tramite vitæ
Arcto, rara cohors quem tenet hîc hominum,
Incedunt isti: cœlestis & ardua portæ
Limina vix, magno cúmque labore, petunt.
Talis sors Christi est: talem fert ille parenti
Fructum supplicij, quod sine labe tulit:
Subsidium fidei, plebis laus, & basis orbis,
4 *Certans cum* [4] *cœli mentibus angelicis:*
Quorum præclarum genus est mihi. sit procul omnis
Liuor. eis quæso summe vir affer opem.
5 *Cledonio* [5] *leni primùm, qui viuit egenis,*
Et Christo prompto pectore cuncta dedit:
Se primò, pòst quicquid opum censúsque tenebat:
Nil humili vt vitæ liquerit ipse suæ.
6 *Margarus* [6] *in saxis, in stellis phosphorus alter:* — Pulchræ similitudines.
Ver in temporibus, floribus inque rosa.
Qui cum terrenis quondam floreret in aulis,
Maius apud nostros nunc habet ipse decus.
Astat enim Christo regi. tum deinde, gregem qui
7 *Exuperat multis partibus,* [7] *Eulalio.*

Dimidium nuper quem linquens frater ad agmen
Cœlicolûm abscessit maximus Heccadius.
Hic autem solus defuncto fratre remansit,
Nil vsquam melius cernere fratre valens.
Nuncque graui morbo fractæ afflictæq; parenti
Assidet, & nati fungitur officiis.
Quæ qualis mulier, longum est mihi dicere. natis
Talibus (hoc satis est dicere) digna parens.
Tu quoque Carterium, licet hunc acceperit alter,
Ob socios facies, vir celebrande, tuum.
Carterium, cuius, quia mentem tollit in altum,
Permagnum decus est inter Olympicolas.
Sis etiam magno Nicomedi quæso benignus,
Mortalem vitam qui dedit æthereæ.
Ac fuit Abrahami patris æmulus, ad sacra promptos — Nicomedes omnes filios Deo dicauit.
Dum natos studuit sanctificare duos.
Connubiúmque bonum fecit: tædásque iugales
Experto palmam vita soluta tulit.
Terrenos ramos nec terræ liquit: vt ipse
Sublimes totus posset adire domos:
Fructum fœmineo in sexu sexúque virili
Eximium: hanc illis, hunc dedit ipse viris.
Cœtibus & sobolem nostris sociauit vtramque
Cœlitibus dignam (sic reor ipse) choris.
Florentes ramos ab odora stirpe. parentes
Si superent, matris munus id estque patris.
Ast hæc in manibus diuinis sunt sita, magnas
Qui spes ingenti claudere fine solet.
At teneras natis genitor nunc dirigit alas,
More aquilæ pullis aduolitátque suis:
Qui nondum firmis agitantur in æthere pennis,
Sed trepido currunt per loca celsa pede.
Ac præcepta quidem pietatis multa dat ipsis:
At nullum maius dat pietate sua.
Diuinísque ipsos verbis, sanctísque dicauit
Moribus, à teneris sedulus vnguiculis.
Pauperiémque ipsis census dedit instar opimi:
Ad sanctum vitæ ne quid abesset iter.
Hæc tibi nostra domus, mea gloria, gloria ouilis
Ampla mei: iuncti qui mihi sunt genere.
Nec verò extremos inter laus danda Theogno,
Qui stans in terra sydera summa ferit.
Vir placidus, vir dulciloquus, vultúsque nitore,
Quisnam animi flos sit, conspicuum faciens.
Qui non fœmineo fucatum more colorem
Virtutis monstrat, fictitiúmque decus:
Sed premit in medio diuinum corde timorem,
Quem videt is, tectum cui nihil esse potest.
Qui recti stadium cum serò intrauerit, ô quot
Præterit primos passibus ille tamen!
Atque vbi gustauit sophiam, tum denique regna
Ostendit natis ad meliora viam.
Quamque priùs scalam à terra in cœlum vsq; patentē — Gen. 28.
Per somnum sanctus viderat Isacides
Hanc ipse ascendens, vt regem cernat Olympi,
(Lumina quem fontem cœlica lucis habent)
Hunc liquit, terit hunc pedibus, dextra arripit illum,
Atque alium rursus prospicit ipse gradum.
Namque via est hominum talis: talemque cruorem
Christo offert clarus nobilitate pater.
Multas rursus opes Euander pectore claudit,
Qui capite est cano, sed mage mente tamen.
Quisnam autem Asterium, fratrũ triademq; sacratã
Non memoret, prorsus sit nisi mentis inops?

Quos

Quos sophia, & vitæ ratio communis, in vnum
Coniungit, tantum dissociátque caro.
Prætereo sanctum Philadelphum, sanguine clarum.
Prætereo nostrum de grege Macrobium,
Qui pecus est nostra, & charus mihi: quemq; sub alis
Omnipotens Christus protegit vsque suis.
Rheginum altiuolum, atque Leontium & Heliodorū,
Qui Christi sophiæ culmina summa tenent:
Atque alios, qui ruricolis vt sydera lucent,
Et quorum paucis cognita vita latet.
Præstantes inter Christi pia membra. quis autem
Signa Dei numeret, sydera carnigera?
Qui cum sint omnes famuli dominique Deique,
Hic tamen hac, illa laude aliúsque viget.
Atque leui terram calcat pede sancta caterua,
Grexque pius, scita quem pater arte regit:
Ac templi magni pulcherrima saxa, ligauit
Quæ Christus sancti Pneumatis harmonia.
Qui mundo exiguè viuunt: minimósque fauores
Impendunt carni, qua mala cuncta fluunt.
Carne omnia mala fluunt.
Qui motus animi sistunt, sæuásque procellas,
Quas Beliæ horrendi vis inimica parit.
Atque modum imponunt verbis linguæq; silenti,
Risúmque, atque oculos auriculásque premunt.
Qui pede sunt nudo, duplici sine veste, gemúntque
In terra exanimes, mente polúmque tenent.
Atque oculo spectant vigili Dominúmque, choróśq;,
Fœlix in supera quos agit vrbe cohors.
Virgineas tu porrò acies, præconia regis
Quæ, sponsiq; sui, voce animísque canunt,
Atque oculis Christum expectant insomnibus vsque,
Lampadas accensas in manibúsque gerunt,
Vt decus ipse meum agnosti, complexus honore es,
Hanc, nostri gregis est quæ decus omne, colens.
8 Communis cunctis namque est ea gratia, cum [8] cui
Fit bene, ius istud poscit amicitiæ.
Scilicet his etiam mens maxima. corde virili
Nam procul à se Euæ subdola sensa fugant.
Scilicet his etiam saccus niger ossibus hæret:
Inq; solo cinis est, arma pudicitiæ.
Charæq; insomnes noctes, gemitúsque, precésque:
Et facies calidis fletibus ipsa madet.
Ac genibus robur subiit, langórque recessit,
Mat. 9. Arrepta vt Christi est fimbria firma manu.
Ac simul & teneræ carnes, & splendida vestis,
Quíque breui formæ marcet abitque decor,
Tam qui natiuus, quam qui fucatus, & arte
Partus, fœminei perpolit ora gregis,
Cesserunt menti. namque illas corpore fecit,
Vt sophiâ, æquales mens bene firma viris.
Nec mirum. Christum siquidem, cum sedibus altis
Demissus carnem venit ad ima gerens,
Humano generi peperit sanctissima virgo,
Humanæ legis, sed sine labe, sequax.
Ac postquam exiliit superata morte sepulchro
(Tertius at porro tunc erat ille dies)
Mat. 16. Viderunt primæ (dedit hoc incensa cupido)
Nunciáque eximio læta tulere choro.
9 Atque ita [9] gustato Christo feliciter ipsis
Gustato priùs est facta medela cibo.
Ac multæ tales toto versantur in orbe,
Quà se cumque Dei porrigit alma fides.
Pars animis paribus incensa cupidine regni,
Tecta eadem & vitæ par genus vsque colit.
Assidet infirmis pars altera patribus: aut cum
Fratribus in sancta virginitate manet:
Ast ego cum paucas habeam, cum pluribus ipse
Certo tamen, formas lætus ob æthereas.
Ac ramenta quidem [10] Lydiis dabat aurea tectis 10
Fabula: fundebat largus & amnis opes.
Diuitias [11] Indis etiam formica ferebat, 11
Quas ipsis auro subula plena dabant.
Nilus item Phariis dat opes & commoda regnis,
Pinguia dum lymphis prodigus arma rigat.
Oblectant alios volucres plantæque virentes,
Aut lapides, digiti queis, velut igne, micant.
At mihi supra alios Christus dedit hoc decus omnes,
Vt pietatis amans turba sit ampla mihi.
Quàm verum est, quòd prisca Dei promissa tulerunt,
Aspirat paruis numinis vsque fauor! Iacob. 4.
Vrbs mea parua licet, Bethlem quoque rite vocatur.
Edidit illa Deum: hîc chara cohorsque Deo.
Hic alius nostris fulget tibi cœtus ab aruis,
Huic par, qui vestra floret in Armenia.
Quæ gentes cum celsa caput super efferat omnes,
Virgineæ summum sunt decus eius opes.
His igitur gratum faciens, paruum mihi, magnum
At tibi, tu munus magne vir ipse dabis.
Ingentes sobolique tuæ sociæque cubilis
Diuitias pariens, quæ sine fine manent.
Quod si etiam priscæ memor es fortasse, sodalis,
Quo mihi nemo magis dulcis, amicitiæ:
(Non etenim sanctos inter mea numina ponam)
Ne me despicias, quæso, meásque preces.
Ob socios istud mihi da, quod postulo, munus.
Nam quædam multis est quoque cura mei.
Quod si non multis: at te, vir clare, mouere
Ius sanctum nostræ debet amicitiæ.
Omnibus istud erit iucundum prorsus amicis,
Quos hilarat, sanctis quisquis habetur honos.
Basilio at supra cunctos, quem Christus honorat,
Quíque procul positos iungit amore viros.
Ac nos communi melius deuinxit amore:
Cui rectè facias si nihil ipse neges,
Tum patriam veritus, studia & communia, pura
Et sacra, tum vitæ celsa tenentis iter.
Queis intra scenam, pedibus quæ peruia nullis,
Stans, vt Aron, munus sacrificique gerens,
Atque Dei cernens numen venerabile, iungit
Mortale æterno per sua vota genus.
Quæ mihi das, illi, quæque illi das quoque Christo,
Quæ Christo dantur, dantur & illa Patri.
Pro vita ætherea, supplex, pro mentibus oro,
Per membris, hausit quæ pietatis opus.
Te moueant noctis cantus, lucísque labores,
Téque χαμευνία, te gemitúsque graues.
Te saccúsque lacer, confectáque lumina fletu:
Te mentes puræ verbáque plena Deo.
Vt virtutem ornans, plures virtutis amore
Inflammes, ac sic præmia plura feras:
Virtutē honorans ad virtutis stu diū incen dit.
Atque feras hîc quæ remanent, ac semine fructum
Maiorem innumeris partibus ipse metas.
Te quoque permoueat patris veneranda senectus,
Mens stupet insignem cuius ad historiam.
Qui simul est vita, simul & venerabilis annis.
Extremum hoc, fractus debilitate, loquar.
Parce gregi nostro, fili charissime, nostro
Parce gregi, pro quo mî quatit ossa tremor.

Pro quo multa tuli, quémque annis pluribus ipse
Vt regerem, Domini gratia sancta dedit.
At tibi cuncta Deus donet, quæ donat amicis,
Cætera̓que, & Pylios cernere posse dies.
Hæc ad te sanctus genitor meus. ast ego pulchrum
Sermonem dicam, quem sacra scripta docent.
Ponderibus nostris æquantur pondera Christi:
Atque vt metimur, non secus ipse facit.
At meliora velim melioribus ipse rependat,
Nuncque, & cum fati venerit hora tui.
Nunc vel praua homines iaciunt fundamina vitæ
Mortalis, vel quæ læta futura sibi.
Atque Dei parua possessio magna bilance
Libratur: lanx hinc nunc quoque vergit, & hinc.
Séque homini iunxit Christus præsente tributo,
Cum dabat in tabulis nomina quisque sua.
Vectigálque Deus mortali soluit, acerbi
Seruitij vt nobis hæc medicina foret.
Gratia te Christi moueat. Scribaris vt ipse
Lætus in æthereo codice, scribe bona.
Sin secus, hæc alius referat quæ damna sequentur.
Sed tamen est sanctè scribere commodius.
Non satis est, graue prima iugum quod noxa scelúsque
Intulit humanis, plantáque causa necis,
Infestúsque anguis liuor, facinúsque parentis,
Prima & quæ nostrum perdidit esca genus:
(Quæ me sub mortis tristissima fata redegit,
Ac mihi ter misera viuere sorte dedit,
Ærumnas peperitque graues, ac corpore curuo
Fecit humum vt fractus membra labore colam)
Sed frater tanto dabit incrementa dolori,
Terra eadem, noxæ subditus atque pari?
Haud decet, haud fas est. namq; ægris ferre medelam
Rectius est, morbos quàm cumulare graues.
Hoc tibi nostra cohors mittit vir splendide munus,
Quod non tempus edax secláque cuncta prement,
O decus Armeniæ, nobis cui lance tributum
Vt statuas æqua, sors bene fausta dedit.
Atque vtinam Christi statuas cum cœlite dextra,
Ne tua lanx partem vergat in alterutram,
Mente malis lucris domita. namque omnibus æquas
Si teneas lances, numina summa timens,
Nos tibi permagnum dabimus noménque decúsque,
Exiguum nobis sit licet oppidulum.
Ac pictum hoc tabulæ gestabunt, Optimus hic vir,
Hic, cuius Momus carpere iura nequit.

SCHOLIA.

1. *Qui costam) Mulierem intelligit, quòd ea ex viri latere sumpta sit. Gen. 2.*
2. *Quæ cogitur in se) Subaud. quantum ad naturæ atque essentiæ vnitatem attinet. Atque eodẽ modo id quod sequitur, Séque aperit, de Personis intelligendum est.*
3. *Coruus) De Paulo primo Eremita verba facere videtur, quem cùm Antonius inuisisset, coruus integrũ panem ante eos deposuit. Tunc Paulus: sexaginta, inquit, anni sunt, quibus dimidiatum semper panem accipio: nũc ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam. Hier. in ipsius vita.*
4. *Cum cœli mentibus)* κάλλεσιν οὐρανίοις. *Per cœlestes pulchritudines, quemadmodum etiam in Nicobuli responso per* κάλλεα ἄσαρκα, *angelos intelligit. Eodem modo infrà* κάλλεα σαρκοφόρα, *i. angelos carnigeros, vel certè astra carne conuestita, homines sanctos, & in terra Diuorum vitam imitantes appellat.*
5. *Cledonium) Sic enim corrigit Aldus in emendationibus. Cledonium enim illum intelligit, ad quem duas Epistolas scripsit.*
6. *Margaris) Quatuor similitudinibus conglobatis eximiam quandam & singularem Cledonij gloriam posteris testatam reliquit Gregorius.*
7. *Eulalio) Hic fuit fortasse, quem Gregorius ætate iam admodum prouectus Nazianzenæ Ecclesiæ præfecit. Helladius autem, ni fallor, fuit ille, qui demortuo Basilio, Cæsariensi Archiepiscopo successit.*
8. *Cùm cui sit bene) Hoc est, quod præcipit Apostolus, vt cum gaudentibus gaudeamus, cum flentibus lugeamus.*
9. *Ita gustato) Gustum interdicti pomi intelligit, de quo Genes. 3.*
10. *Lydiis) Lydia regio est minoris Asiæ, Crœso rege & Pactolo aurifero flumine nobilis. Vnde etiam* χρυσορρόας *amnis ille dictus est. De quo vide Fulgent. lib. 2. Mytholog. cap. de Mida rege & Pact[illegible]o.*
11. *Indis) Indicæ formicæ, vt scribit Plin. lib. 11. cap. 31. aurum ex cauernis terræ eg[illegible]unt in regione Septentrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur. Erutum hoc ab iis tempore hyberno, Indi furantur æstiuo feruore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis.*

AD IVLIANVM.

3. Reg. 17. Gen. 8. *Alluit arentes campos, qui iunxerat, idem:*
E sæuis orbem traxit at alter aquis.
Est qui depulerit morbum, qui fregerit hostes,
Exod. 16. *Pauerit & supero millia multa cibo.*
At Deus imposuit tibi nunc Iuliane tributi
Lances, Iustitiæ pondera vt antè dedit.
Pondera Iustitiæ certissima. parcito quæso
Pauperibus, calamo parcito quæso tuo,
Pauperibus, fregit quos vis asperrima morbi:
Nomen vt obtineat pagina dia tuum.
Mar. 4. *Namque eadem nobis numen cœleste rependit*
Hic modo metimur qualia nos aliis.
Mortali fer opem: nam cuncti corpus habemus.
Da tenues micas, Lazarus ante fores.
Christus se nobis iunxit, cum lecta tributa:
Hinc animum moueant scripta coæua tuum. Luc. 1.
Te moueat tua sancta parens, quæ pascit egentes:
Atque domus, miseros quæ miserata iuuat.
Te meus & census moueat, quem prorsus egenis,
Vt crucifer Christo iungerer, ipse dedi.
Communes nautis portus, commune iuuamen
Pauperibus, queis pars cedere debet opum.
Sunt bona nostra, tua est rursum descriptio. nobis
Sint æqua ex pastis præmia pauperibus.

Multa

Multa quidem ſunt quæ diuino munere clarum
Te reddant, dotes vixque tot vllus habet.
Nobilitas, formæq; decor, facundia, cenſus,
Legibus & magnum robur in Auſoniis.
Exanimes at ſi tu iuueris [1] inque ſepultos,
Hinc decus hinc maior ſurget honóſque tibi.

SCHOLIVM.

1. *Inq; ſepultos)* ἀπίφυς νίκυας. *homines vocat diuturnis morbis intabeſcentes ac iam penè mortuos.*

DE HVMANA NATVRA.

ARGVMENTVM CYRI.

Poſtquam de Virtute humana vir diuinæ ſapientiæ laude præſtãtiſsimus ea diſſeruit, quæ ſuprema atque omnium rerum effectrix ſapientia ipſi conceſſerat, hoc carmine iam de ipſa hominum natura tractat, eiúſque fragilitatem ac vilitatem & inconſtantiam ſugillat & inſectatur.

IN nemus vmbriferum, confectus corda dolore,
Solus ego heſterna luce profectus eram.
Medicina Gregorii. *Namque meos luctus leuat hæc medicina: dolórque,*
Cum tacitus mecum colloquor ipſe, cadit.
Aura ſuſurrabat tenuis, volucréſque canoræ
Fundebant auido gutture mille ſonos.
Quinetiam cantu circum nemus omne ſonabat,
Quem rauca è viridi fronde cicada dabat.
Denique per tacitam labens ſine murmure ſyluam,
Tingebat noſtros frigida lympha pedes.
Aſt ego, læta licet, prorſus nihil iſta morabar:
Tantus amor luctus pectore fixus erat!
Mœſtus animus lęta omnia faſtidit. *Nam cum mens querulo ſemel eſt obſeſſa dolore,*
Ad læta occluſas tunc habet illa fores.
In partes variáſque animum diſtractus, & illuc,
Huc quoque, me verſans, talia dicta dabam.
Quis prius ipſe fui, quis ſum, quis eróque, nec ipſe
Noui, nec ſophiæ me quoque laude prior.
Sed vagor huc illuc, caligine tectus opaca,
1 *Nil [1] horum, quæ mens noſtra requirit, habens.*
Nam quibus impendet carnis denſiſsima nubes,
Sunt humiles omnes, ſunt inopéſque vagi.
2 *Ac [2] magis hic ſapiens, quem veri pectus inane*
Ironicè. *Decipit, & promptum fundere verba, magis.*
3. 4 *Sum [3]. Quid quæſo? [4] mei iam pars effluxit: at iſtud*
Sum nunc: atque aliud pòſt ero, ſi modò ero.
Nil ego ſum firmi, rapidi ſed fluminis inſtar
Voluor, & inſtabilis ſemper ad ima fluo.
5 *E [5] tribus his quidnam potius ſim, dic age: téque,*
6 *Hîc quamuis poſitus, [6] conſpice ne fugiam.*
Simile. *Quas ſemel, haud iterum fluuij tranſmiſeris vndas:*
Qui ſemel, haud iterum conſpicietur homo.
7 *In [7] patre antè fui: cepit me poſtea mater:*
Ex vtroque ſimul pòſt caro factus ego.
Non homo, ſed labes informis, muta, caréńſque
Mente: mihi tumuli mater & inſtar erat:
Duplex hominis ſepulcrum. *Sic [8] duo mi tumuli, viuóque in funera: quódque*
Vitæ [9] obeo, annorum certa ruina mihi eſt.
Hinc mihi canities fuſa eſt. poſt funera vero
10 *Si mihi, [10] quam memorant, vita perennis erit.*
Vita hæc mors eſt. *Diſpice num vita hæc mors ſit tibi, mors quoq; rurſus*
Vita: ſecus quamuis forſitan ipſe putes.
11 *Nil [11] ſum. cur ergo tanquam firmiſsima quædam*
Nil homini firmum prætercalamitates. *Res, adeo ſæuis opprimor vſque malis?*
Namq; homini hoc tantùm firmũ eſt, expérſq; ſenectæ,
Inde ex quo naſcens fletibus ora rigat:
Per lachrymas teſtans, quas vitæ in limine fundit,
Quótnam illum maneant agmina dura mali.
Eſt regio, vt quondam Cretæa, ignara ferarum: Creta ferarũ ignara.
Eſt alia hybernæ neſcia terra niuis:
At vacua aduerſis quòd vitæ tempora rebus
Clauſerit, haud quiſquam dicere iure queat.
Morbus, pauperies, partus, mors, hoſtis, iniqui:
Quáſque [12] feras etiam terra, vel æquor alit. 12
Ac [13] nullis ſociata bonis mala plurima vidi: Nulla mũdi voluptas pura.
At bona nulla, quibus non mala iuncta forent:
Inde ex quo vltrices pœnas mihi peſtifer eſus
Attulit, & ſæui dæmonis inuidia.
Iſta tibi ſint dicta caro, medicabilis ægrè,
[14] Hoſtis blanda, omni tempore bella gerens: Corpus hoſtis blãdus.
Ac fera damnosè mulcens, & frigidus ignis.
Quæ mihi ſi faueas, res noua prorſus erit.
Eia age mens. nam te nunc alloquar, atque ea dicam,
Quæ fore narratu non aliena puto.
Quidnam es, ô mea mens? & quis tibi contigit ortus?
Atque [15] cadauer olens quis tibi ferre dedit? Anima cadauerifera.
Quis ſolidis vitæ aſtrinxit grauibúſque catenis,
Pendentem aßiduè lumina fixa ſolo?
Vt craſſo flatus, carni mens iuncta, leuíſque es
Duro oneri? pugna eſt nam grauis inter ea.
Si [16] vitæ, cum carne ſimul ſata, prodis in auras: i. ſi anima eſt ex traduce.
Quàm procul eſt nexus peſtifer iſte mihi!
Numinis effigies ſum labe exorta: decúſque,
Proh pudor, eximium fœda libido parit.
Corruptum ſemen me gignit. nunc homo, rurſus
Non homo, ſed ſpes eſt vltima noſtra cinis.
Sin tu cœleſtis, quínam tibi, dic precor, ortus?
Si pars, vt ſentis, flatus & ipſa Dei es,
Crimina dum pellas, credam id. namque edita puro
Quæ ſit, eam cuncta labe carere decet.
[17] Nam neque ſol tenebras edit, nec pneumate prauo 17 Simile.
Spiritus exoritur ſplendidus atque bonus.
Quî rabidus porro tam te quatit hoſtis & vrget,
Spiritus æthereo cum ſit ab axe tibi?
[18] Namque ope nixa licet tali ſi vergis ad ima, 18
Heu quanta eſt vitij copia víſque tui!
Sin non orta Deo es, tibi quæ natura? verendum
Eſt animos inflet ne mihi vanus honor.
[19] Plaſma Dei, Paradiſus, Edem, ſpes, gloria, léxque, 19
Mundum imber delens, igneus imber item.
Legibus à ſcriptis demum eſt medicina petita:
Atque Deo genitus denique factus homo:

Cur Deus homo factus.

Vt patiens nostris ferret medicamina morbis,
Sanctáque nos faceret numina, factus homo.
20 Sed tamen indomitum est robur mihi:[20] nec secus atque
Trux aper, in ferrum concitus ipse ruo.
21 Quódnam huiusce bonũ vitæ est?[21] lux. dira tamẽ me
Caligo, inuidiæ plenáque, pellit ab hac.
22 Plus[22] ego nil habeo: quid non malus amplius autem?

Malis hîc omnia feliciora sunt.

Namque vtinam saltem pars foret æqua mihi.
Oppressus iaceo: diuinus me timor angit.
Conficior curis nocte diéque miser.
23 Me[23] sternit, pedibúsque terit vir quisque superbus,
Segnísque. ac mihi tu, quæ metuenda, refer.
Tartara nigra nimis, phlegethontes, verbera dira,
24 Dæmonas obscenæ[24] carnificésque animæ.

Mali futuras pœnas ludibrio habent.

Cuncta mali hæc ridẽt, & amant præsentia tantùm.
Non curat pœnas gens scelerata graues.
Vtilius[25] prauis esset post funera pœnas
25 Non dare, quàm pœnas hîc dare me sceleris.
Ast hominum quid ego, quid nostræ incõmoda gentis
26 Colligo? res planè[26] nulla dolore vacat.
27 Non terra intrepida est,[27] quatitur sed turbine venti.
Inque vicem cedunt[28] tempora prompta sibi. 28
Nox tegit atra diem, tempestas æthera fuscat:
Astrorum obscurat sol radiánsque decus.
Sol tegitur nebulis, rediuiuáque luna resurgit:
Dimidia cœlum parte latétque sui.
Angelicos etiam cœtus tu Lucifer antè
Qui fueras, supera lapsus es arce miser.
Quod dicam rogo sancta Trias ignosce: pepercit
Hæretici prorsus nec fera lingua tibi.
[29] Antè Pater rabidæ sensit conuicia linguæ: 29
Pòst Genitore satus, Spiritus atque sacer.
[30] Quò tandem vesana feres me cura? gradum iam 30
Siste. Deo cedunt omnia,[31] cede λόγῳ. 31
Me Deus haud frustra fecit. mea verba retexo.
Stulta nimis sunt hæc quæ mihi dicta prius.
[32] Nunc tenebræ, posthæc ratio, túmque omnia nosces, 32
Perpetiens flammas, conspiciénsve Deum.
Hoc mea conceptum coxit sermone dolorem
Mens mihi. sic redij luce cadente domum:
Nunc secus affectos ridens, nunc pectora luctu
Confectus, pugnas mente ciente graues.

SCHOLIA MAGNA EX PARTE
excerpta ex Cyro Niceta.

1. Nil horum quæ mens) Aueo enim Deum cognoscere: nec tamen sapientiæ ipsius perspiciendæ facultas vlla
Eccl. 7. est. Dixi, sapiens efficiar: at illa longiùs etiam, quàm antè, à me recessit.
2. Ac magis hic sapiens) Hæc ad hunc modum exponit Græcus interpres: Ego hoc demum exploratum habeo,
me eorum quæ sunt, aut fuerunt, nihil omnino, vt opus est, nosse. Atque in hoc doctrina mea scientiáque sita est,
quòd hoc vnum scio, nihil certò atque exploratè sciri posse. Me verò sapientior is est, quem præ cæteris animæ fal-
sitas decipit, hoc est, mentis inanis opinio, atque arrogantia, temere atque incõsideratè sermunculos, quos minimè
nouit, eructans, eáque quæ minimè comperta habet, asserens.
Eccl 1. 3. Sum quid quæso?) Hoc vnum Gregorio propositum hîc est, vt Ecclesiastis sapientiam explanet, qui cuncta va
Psal. 38. nitatem vanitatum, ac præsumptionem spiritus esse pronunciat: eámque item Dauidis, qui omnem hominẽ va-
nitatem esse canit, substantiámque eius tanquam nihilum esse in conspectu Creatoris.
4. Mei iam pars) Præteritum iam non est. præteriit enim. Futurum nondum adest. Præsens autem vix cogitare
incipio, cum ipsum dicto citius auolat.
5. E tribus his) Si enim dixeris me fuisse: iam præteriit id quod fuit. Si fore: nondum adest quod futurum est.
Si esse: at ne hoc quidem est, vt quod citius, quàm quisquam cogitare possit, effluat ac prætereat.
6. Conspice ne fugiam) His verbis eleganter & acutè docet quàm breue sit id quod præsens dicimus. Vide, in-
quit, ne, dum hîc maneo, te effugiam, hoc est, non iam is sim qui modò eram. Hoc porrò egregia similitudine illu-
strat. Quemadmodum enim, inquit, fieri non potest, vt qui flumen traiicit, bis eadem vnda pedem tingat: sic nec
tu hominem, quem prius vidisti, rursus eundem omnino, discriminísque omnis expertẽ conspicies. Nam & mente
in consultatione atque cogitationibus perpetuò immutatus, vtpote homo, varius atque inconstans in illis perspi-
citur (nisi fortasse Deus, qui sempiternus est, ac Verbum Dei in ipso manens, firmitatem constantiámque ipsi con-
ciliet:) & rursus animo, tum in sermonibus, tum in sensibus, tum in imaginationibus atque cupiditatibus in-
certus & instabilis cernitur, vt qui perenni motu, si hæc consideres, immutetur: corpore denique tum per migra-
tiones è loco ad locum, tum per affectiones & habitus, & colores euariat, nec vnquam inuerti desinit.
Heb. 7. 7. In patre antè fui) Vt literis sacris proditum est, Leui in lumbis Abrahæ extitisse: sic omnes quoque homines,
priusquam in lucem prodeant, in patris sui natura esse intelliguntur.
8. Sunt duo mî tumuli) Eleganter homines vocat διςτάφιας, id est, bis sepultos, quòd aluus quoque materna se-
pulchri cuiusdam instar sit.
9. Quodque vitæ obeo) quodcunque vitæ iter obiisse visus sum, id nihil aliud mihi est, quàm annorũ impensa,
temporísque profusio ac transitus.
10. Quam memorant) scilicet oracula sacra.
11. Nil sum) Hæc verba sunt hominis doloribus confecti, atque ob calamitates eas, quibus humana conditio ob-
noxia est, grauiter lamentantis. Nihil sum. Quidnam est igitur, quamobrem tot tantísq; malis conflictor & op-
primor, perinde ac firma res aliqua & solida? Quemadmodum enim Dei rerúmque diuinarum substantia vis
& gloria, ac beatitudo cœlestis, certa mutationísque omnis expers est: sic hominis quoque naturæ hoc vnum de-
mum certum, innatúmque est, nempe in ærumnis versari, aliísque atque aliis subinde malis laboribúsque con-
flictari.
12. Quásque feras etiam) Feras terræ & maris prædones exponit Cyrus, qui instar marinarum terrenarúmque
belluarum homines obterunt, vitámque iis asperam & iniucundam reddunt.
13. Ac nullis) Eorum quæ apud homines mala atque acerba dicuntur, plurima perspexi molesta prorsus atque
iniucun-

iniucunda, quæq́ nullo omnino adiuncto solatio leniretur. At eorum quæ in hac vita bona nominantur, nullum omnino mihi videre contigit, quod mœroris prorsus expers esset: iam inde ab eo tempore, quo exitiosus ligni esus, atque homicidæ diaboli inuidia amarulentam & acerbam mihi violati præcepti pœnam euomuit atque inflixit.

14. *Hostis blanda*) Caro amica est, quia ad virtutem adipiscendam sæpe nobis adiumento est. Hostis autem quia persæpe ad imum vitiorum gurgitem prona fertur. Ac belluæ perappositè comparari potest, adulatoriè quidem mulcenti, cæterùm non sine magno dolore interdum mordenti.

15. *Cadauer olens*) νεκροφόρον animam appellat, id est, cadauériferam, quoniam submota anima corpus nil aliud quàm cadauer est.

16. *Si vitæ*) Hæc apertius ita reddit Cyrus. Siquidem, ô anima mea, vnà cum corpore sata in maternam aluū iniecta es, atque ita in vitam prodiisti, heu quàm coniugium istud longo interuallo perditum atque exitiosum est! Nam cum imaginem Dei me esse sentiam ac prædicem, turpis libidinis atque infamis fluxionis filius efficior. Pudet me porro honoris mei matrem, hoc est, imaginis diuinæ, petulantem & impudicam carnis libidinem dicere, vel cogitare. Vereor rursus fluxionem animæ matrem appellare: quippe cùm illa corrupta sit, nimirum in hominis corpus concreta.

17. *Nam neque Sol tenebras*) Simile enim natura sibi simile gignit. Cyrus.

18. *Namque ope*) Si tali adiutore, hoc est, spiritu ad Dei imaginem condito, fulta & instructa, tantopere in terram propendes, atque vsqueadeo in vitium vergis, quid tandem esses hoc præsidio destituta? Proh quàm exitiosum est hoc vitium, atque omne boni commercium respuens. Sic fere Cyrus.

19. *Plasma Dei*) Enumerat adiumenta ea & beneficia, quibus Deus hominem afficit. Primùm enim Paradisum eum, qui in Edem erat, propter hominis animam plantauit. Ac deinde hanc ei primam gloriam infudit, vt ad imaginem similitudinémque suam eum conderet. Tum adiumenti causa mādatum ei imposuit, cuius obseruatione immortalitatis diuinitatísque consequendæ spes promittebatur. Quin etiam cum à mandato recessisset, illíncque ad vitam hanc perturbationibus & peccatis ac morti subiectam lapsus esset, ne sic quidem eum omni ope ac subsidio destitutum reliquit. Verùm pluribus disciplinæ generibus, tam publicis, quàm priuatis, impietates & flagitia eorum, à quibus nefariè offendebatur, iustè vindicans, sic paulatim eos ad sui agnitionem instituit. Atque vndis quidem obrutum orbem exitio tradidit: fulminibus autem Sodomitarum execrandam libidinem oppreßit, vrbésque in cinerem redegit. Posteà aliud medicinæ genus, hoc est, scripta lex, per Mosem inductum est. Ac denique remedium omnium valentißimum ac præstantißimum, summæq́ benignitatis plenum, ipse in temporum plenitudine, à sinu Paterno minimè excedens, Vnigenitus Filius diuinam naturam humanæ copulauit, totus toti personaliter arcano modo vnitus: quò nimirum Deus impaßibilis manens, humana parte perpetiens, paßionibus meis mederetur.

20. *Nec secus atque*) Quamuis, inquit, tot tantísque Dei beneficiis ornatus sim, nihilo secius tamen indomitum ac superbum animum habeo, atque aprorum in morem furibundus meipsum interimo, ac voluntaria cordis propensione in ferrum, hoc est, in mortem, quam Deus peccatoribus comminatur, consultò ruo.

21. *Lux*) Hæc simpliciter de luce hac in aspectum cadente exponit Græcus interpres. Quæ tamen non incommodè de spirituali quoque accipi posse mihi videntur. Quo sensu per inuidam caliginem intelligendus erit tenebrosus ille atque inuidus spiritus.

22. *Plus ego nil habeo*) Hæc ita explicat Cyrus, quasi ex antecedente disticho pendeant, queratúrque Gregorius se, quòd præ senectute cæcutiat, minus frui lucis huiusce bono, quàm homines impij & conscelerati: optétque hac saltem in re ipsis æquari, cùm alioqui morbis laboret, atq; vt plurimum in lecto iaceat, animámque pene agat. Mihi verò hæc non tantùm de luce, sed etiam de omnibus huiusce vitæ commodis accipienda esse videntur. Vult enim Gregorius improbos in hac vita multò meliore conditione esse, quàm eos, qui omnes vitæ suæ rationes ad Dei legem exigunt: seq́ præclarè secum actum iri putaturum, si vel pari saltem cum illis conditione esset. Eodem quippe nomine stomachabatur Dauid, cum amplificata impiorum prosperitate subiungeret: Et dixi, Ergo sine causa iustificaui cor meum, &c. Psal. 72.

23. *Me sternit*) οὗτος ὁ βελοτιύχλω. &c. Nullo modo hîc assentior Cyro qui βελοτιύχλω refert ad βίον. Sic enim hæc explicat: Hæc elata & arrogans vita, hæc supina, omnique doloris sensu carens, atque in voluptatibus prostrata, velut calcibus me petens, cursumq́ meum interrumpens, in tergum me repulit. Multum enim, ni toto cœlo aberro, aptius est, vt hæc ad arrogantes & insolentes homines referantur, à quibus iniquißimè crudelißiméq́ se obteri queritur vir pius.

24. *Carnificésque animæ*) πράκτορες propriè dicuntur qui tributa exigunt, φορολόγοι. Dæmones, inquit Cyrus, nunc quidem nobis ad peccatum operam nauant, adiumentúmque afferunt: at in tempore iudicij meritò nos excruciabunt, vt qui eorum consiliis obsecuti fuerimus.

25. *Vtilius prauis esset*) Hæc verba duplici modo exponit Græcus interpres. Primo sic: Melius conducibiliúsque esset peccatoribus in futuro æuo pœna vacare, nec cruciatus illos experiri, quàm me in hoc breui ac temporario vitæ curriculo molestiis & ærumnis conflictari atque angi. Secundo ad hunc modum: Expediret peccatoribus veniam peccatorum impetrare, ac tormentis liberari: ac me vitæ malis adeo discruciari. Vbi tamen pro καὶ ἐμὰ legendum puto ἢ ἐμὲ. Quanquam neutro modo satis explicare videtur sensum auctoris. Meo enim iudicio hoc vult Gregorius, multò melius actum iri cum peccatoribus, si in hac vita, quæ breui finem habitura est, cum ipsa multas acerbitates perferrent, quàm vt ad æternas pœnas reseruarentur.

26. *Nulla dolore*) Cum de rebus inanimis agitur, dolor hîc ἀντίστασιν significat, id est, repugnantiam.

27. *Quatitur sed turbine venti*) Venti enim occultè terram subeuntes, cùm postea exitum repererint, eam concutiunt.

28. *Tempora*) ὧραι, *id est, quatuor anni partes.*

29. *Antè Pater*) *Cuinam hoc loco probari poßit, quòd Cyrus hæc verba ad hæreticos refert, cum verba ipsa apertè hoc commentum respuant? Aiunt, inquit ille, audaces ac pernicaces homines: Primùm Pater erat. Deinde magnum Filium genuit. Pòst Dei magni Spiritus, vt in graduum disparilitate, quantùm ad substantiæ submißionem, variè ab hæreticis laceßitur. Atqui vel meridiana luce clarius est, non hæreticorum, sed Gregorij hæc verba esse, conquerentis tam proiectam & effrenatam eorum impietatem esse, vt nulli ex tribus Personis pepercerint. Quòd si quis ex me quærat à quibus Pater impetitus fuerit, respondebo, vt cæteros taceam, à Marcionistis & Valentinianis. Quicquid enim illi virulentæ maledicentiæ in Demiurgum effuderunt, id in Patrem recidit.*

30. *Quò tandem vesana*) *His verbis velut temeritatem suam reprimit, quòd ausus sit Trinitatem, quæ ab omni iniuria immunis est, in earum rerum classem adiungere, quæ variis incommodis atque iniuriis pateat.*

31. *Cede* λόγῳ) *Cede doctrinæ veritatis, inquit Cyrus, nec creatorem rebus creatis vllo modo compara.*

32. *Nunc tenebræ, post hæc ratio*) *Nunc, inquit, ignorantiæ nubes & caligo rebus offusa, veritatem, causámque earum mutationis, purè ac liquidò intueri nos minimè sinit. At postea ratio scientiæ, lucis instar, iis qui eius cupiditate flagrant exorietur: ac tum omnia perspicuè intelliges, perspiciésque quàm sapienter omnia administrarit is, cuius consilio atque prouidentia cuncta gubernantur. Etenim vel vt lucem Deum cernens, & in ipso rationes eorum omnium quæ fiunt contemplans, vel ab eo tanquam igne absumptus & excruciatus, nosces omnia, quæ per eum geruntur, æqua ac vera & vtilia esse.*

DE EXTERNI HOMINIS VILITATE, AC PRÆsentium rerum vanitate.

ARGVMENTVM CYRI.

Postquam superiore carmine de humana natura, ea quæ conuenire videbantur, exposuit, nunc ærumnas, & vtilitates, ac miserias, quæ ipsam comitantur, enumerat, atque exaggerat: sicq; arrogantium hominum fastum, & insolentiam comprimit.

QVis prius ipse fui? quis sũ, quis mox ero, magnũ
Figmentum ipse feres quò, bone Christe, tuũ?
Si modò quid magni est: namq;, vt reor ipse, superbũ,
Nil cùm sit, frustrà tollit in alta caput:
Si tantùm hoc esset quod cernitur, ac perituram
Post vitam hanc nullas prorsus haberet opes.

Miseria hominis per dissimilitudinẽ ostenditur.

[1] *Namque vtero exceßit vitulus simulátque parentis,*
Saltat, & impatiens vbera plena premit:
Ceruicémque iugo, cùm tres peruenit ad annos,
Subiicit, & magno plaustra labore trahit.
Maternáque etiam quàm primùm exiuit ab aluo
Hinnulus, huic iungit protinus ipse pedem.
Crudiuorósque canes, & equos fugit alite cursu,
Se nemoris densi proripit inque sinum.
At truculentus aper, pardúsque, vrsúsque, leóque,
Et tigris, vento non leuitate minor,
Vt ferri cernunt aciem, iuba protinus ipsis
Horret, in hostilem prosiliúntque manum.
Quin auis implumis primùm, mox prædita pennis,
Ætheris immensi læta per alta volat.
2 [2] *Antro rursus apis condit sibi tecta relicto,*
Aduersámque implet sedula melle domum.
Hæc cuncta vnius Veris labor. Omnibus autem
Perfacilem tellus sponte dat alma cibum.
Æquora nec sulcant, nec scindunt arua, nec illis
Pocula fert quisquam, suppeditátque cibos.
Pennæ auibus, syluæq; feris alimenta ministrant:
Hos labor exiguus, cura diurna tenet.

Leo prædæ suæ reliquias fasti- [illegible]

Ac leo cùm præda ventrem exaturauit, vt aiunt,
Cœnæ relliquias horret adire suæ.
Alternis sumítque cibos persæpe diebus,
Alternis (ventri sic moderatur) aquam.
Vsqueadeo minus his dura est atque aspera vita!
Pro domibus ramos, antráque semper habent.

Bruta animantia sine metu moriuntur.

Intrepidi, fortes, pulchri. sin morbus eosdem
Opprimat, haud tristes mors inamœna rapit.
Non alij atque alij lugubria carmina fundunt:
Non sibi mœsta comam vellit amica cohors:
Denique, quod maius, pereunt formidinis omnis
Expertes. fera nil mortua namque timet.

Humana miseria.

Iam nostrum mihi cerne genus, dicésque profectò:
[3] *Debile gente hominum nil magis esse queat.*
Fluxus me genuit, mater me protulit ægrè: 3
Nutriit ingenti cúmque labore diu.
Vlnis me primùm gestauit (dulce onus:) at pòst
Non sine tormento pes mihi rasit humum.
Tellurem hinc quadrupes triui: mox corpore recto
[4] *Expandi tremulis greßibus ipse manus.*
[5] *Obscurè ostendit vox h nc incondita mentem:* 4
[6] *Vim fletu exeruit pòst duce sermo suam.* 5
Quina quater firmum robur mihi contulit æstas. 6
[7] *Ac pugilis duri plurima more tuli.*
Altera nunc patior: fluxerunt altera: vitæ 7
Altera, traiiciens mens freta sæua, feres.
[8] *Nam velut aduersum studeo transmittere flumen:* 8
Atque maris fluctus, quos grauis aura quatit.
[9] *Ac mea me multum exagitat dementia: rursum* 9
Multa vehit dæmon, qui mihi bella mouet.

Tristia lætis præponderant.

Nam si cum lætis perpendas tristia vitæ,
Ac libræ lances æquus vtrasque trahas:
Protinus in terram verget depressa malorum
Lanx: iucunda tenens rursus at alta petet.
Pugna, mare, & tellus, durus labor, atque latrones:
Tristia [10] *quique graui voce tributa legunt:* 10
Causidici, libri, iudex, præfectus iniquus:
Hæc secum infelix ludicra vita trahit.

Voluptates vitæ extenuat.

Dulcia iam numera: ingluuies, & cantica, risus,
[11] *Vrna nitens fœdis plena cadaueribus:*
Dos, hymen, extincta repetitáque teda priore:
Mœchus, qui mœchi sanguine tingit humum.

Edita

Edita progenies turbat cruciátque parentem:
12 *[12] Ipsiúsque animum suspicione premit.*
Insidum illicium decor est: ignobilis autem
Forma malum est, omni quod caret vsque metu.
In cura est, soboles quem fecit pulchra parentem:
Qui genuit prauos, hunc dolor acris habet.
13 *[13] Fastum diuitiæ, mœrorem gignit egestas:*
14 *[14] Sphærula, quæ pueris mittitur atque redit.*
15 *[15] Hæc igitur cernens, crucior, vita optima cuiquam*
Si censetur, habet quæ mala plura bonis.
Non fles quæ passi veteres quoque sunt mala? Risu
Dignáne sint, lachrymis an magis, addubites.
16 *[16] Olim namque sophis quadrarunt ista duobus:*
Illi fletus, at huic omnia risus erant.
Horrida miscebant certamina, séque necabant
Argiui, atque Phrygum, pro meretrice, phalanx.
17 *Aspera [17] Curetes Ætolis bella mouebant,*
Pro capite, agrestis crinibus atque feræ.
18 *[18] Æacidæ celebres: sese tamen ille peremit*
Vesanus: mœchi est cæsus at iste manu.
Herculis est ingens nomen: nam cuncta domabat:
19 *[19] Carniuoris periit vestibus ille tamen:*
Aspera non Cyris, non Crœsis parca pepercit:
Hísque etiam, nuper sub quibus orbis erat.
20 *[20] Te quoque, Alexander, victor grassate per orbem,*
Perdidit immodici copia sumpta meri.
Omnia mors æquat *Inter defunctos quidnam est discriminis? ossa*
Et cineres Iri, Tantalidísque pares.
Par Constantino famulus meus (hîc ego tantùm
Excipio tumulum) diues, inópsque pares.
Atque hîc ista quidem: ast alio quæ condit in æuo
Vltima lux prauis, quis memorare queat?
Horrida flamma, grauis caligo à luce remotis:
Vermis, qui memores criminis esse facit.
Non natum esse tibi melius, scelerate, fuisset,
Aut natum prorsus more perire feræ:
Quàm mala tot passum in terris, sæuósque dolores,
Pòst grauiora iterum tempus in omne pati.
Laus vbi primigenæ? decus illud perdidit esca.
Doctus vbi Salomon? fœmina vicit eum.
Ille vbi, legatos quondam inter census, Iudas?
Exiguo lumen perdidit ære miser.
Hinc me, Christe potens, educ iam, quæso, malísque,
Queis crucior, medicam protinus affer opem.
Vnum homini est, certúmque bonum, fixúmq; beata
21 *Vita, [21] animus cuius languet amore meus.*
Cætera quæ terra voluuntur, nil moror ipse
Amplius, humanis linquere cuncta libet:
Externas simul & terras, patriósque penates,
22 *Atque thronos, [22] spretæ sedis & omne decus:*
Externos, consanguineos: probitatis amantes,
Et qui præcipites in scelus omne ruunt:
Perspicuos, tectos: vacuos liuore maligno,
[23] Quósque imo rodit pectore liuor edax. 23
Læta habeant alij vitæ: fugiam ipse libenter.
Quàm grauibus longa est hæc mihi vita malis!
Quantisper tandem [24] fimis hærebo? [25] voluptas 24. 25
Sunt equidem vitæ commoda cuncta biceps.
Quauis accipimus luce, eiicimúsque: [26] cloaca 26
Cætera, cum guttur paucula cepit, habet.
Bruma, calens Æstas, Ver, Autumnúsque vicissim:
[27] Spectra duo vitæ nox simul atque dies. 27
Cœlũ, æquor, tellúsque: [28] nouum nihil est mihi prorsus. 28
Non quæ sunt motu prædita, quæq; carent.
Nil moror hæc: alium mihi da, rex optime, mundum,
Propter quem hîc prompto tot mala corde fero.
Atque vtinam matris me mors rapuisset in aluo.
[29] Nam tenebræ nato mox mihi fletus erat. 29 Homo à sepulcro ad sepulcrum tendit.
Quæ vita hæc? tumulũ à [30] tumulo peto rursus. & ignis
Post tumulum rursus me tumulabit edax,
Idq; ipsum est quod viuo velut rapidissimus amnis:
Qui sursum exoriens semper ad ima fluit.
Nã magis haud stabilis vita hæc, quæ [31] pulueris instar 31 Vita hæc velut obiecto puluere Christi lucem nobis adimit.
Me tenebrat, Christi fax mihi ne rutilet:
Mœnia sed palpans vager huc, illúcque, procúlque
Ter miser æthereis sedibus ipse cadam.
[32] Ludus homo (posita verùm formidine dicam) Homo Dei ludus.
Numinis est, qualis luditur orbe frequens.
Larua tegit faciem, qua dempta protinus alter
Repperior, subitus tingit & ora rubor.
Talis vita hominum est, quos spes delectat inanis.
[33] Ad tempus teneant, queis lubet, ista breue. 33
Ast ego complectar mansura in sæcula Christum.
Cùm fuerint vitæ vincula rupta mihi.
Namq; duplex ego sum. terra mihi corpus obortum est:
Vnde etiam ad propriam debile vergit humum.
Numinis at flatus mens est: ideóque supernis,
Quæ potiora, bonis expetit vsque frui.
Sic nempe in pronum fons labitur: ignis at ardens
Vnam duntaxat nouit ad alta viam.
Magnus homo est, imò nouus angelus: ipse senecta
Si posita, [34] vt serpens, sidera summa petat. 34
De me actum est. [35] saltate sacri, saltate propinqui: 35
Non iam vos quatiet terror, vt antè, meus.
[36] Diuinam vobis veniam præcluditis ipsi: 36
At crux, abiectis omnibus, vna mihi est.
[37] Clara columna meæ quæ vitæ est: hîncque solutus, 37
Ætherea faciam lætus in æde sacrum.
Quò non inuidiæ labes occulta propinquat,
[38] Factum, vti hæc liceat si mihi voce, malum.
Próque illis ego nunc vacuus liuore precabor, 38
Qui sæuo inuidiæ me modò dente petunt.

SCHOLIA.

1. *Namque vtero excessit*) *Propositis pluribus exemplis, hominum vitam, pecudum, ac belluarum, & auium vita miseriorem esse ostendit.*

2. *Antro rursus apis*) *Apicula, inquit, saxum, in quo morabatur, deserens, ac verno tempore flores ruris circumuolans, résque sibi necessarias surripiens, aduersam domum construit, sexangulas nimirum fistulas incredibili quadam, atque omni sermone præstantiori solertia, fauis intexens, atque compingens, ædes suas suauissimo fructu complet.*

3. *Debile gente hominum*) *Alludit ad illud Homericum,*

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο,
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε, καὶ ἕρπει, *id est,*
Nullum animal toto spiratque & serpit in orbe,
Quo mortale genus multo mage debile non sit.

4. *Expandi tremulis)* Rursus, inquit, hinc sublatus, ac tremulis vestigiis ingredi tentans, prolapsionis metu manus extendo.

5. *Obscurè ostendit)* id est, per inarticulatæ vocis balbutiem, tenue quoddam, ac perimbecillum humanæ mentis vestigium apparet.

6. *Vim fletu exeruit)* Ducibus ac magistris lacrymis, prima ac secunda ætate progrediente, sermo sese expedit, & explanat.

7. *Ac pugilis)* πρόσθεν hoc loco interpres Græcus exponit κατὰ πρόσωπον, vt idem sit πρόσθεν ὑπαντιάσαι, quod ὁμόσε ἐχώρησα.

8. *Nam velut aduersum)* ἑλκον ὀπισθότατον, id est, ἀνάρροον, tractum aduersum, téque contrà ac vis raptantem. In impresso codice ἀπιστότατον habetur, id est, maximè infidum. Quam lectionem nihil sanè habeo quod asperner.

9. *Ac mea me multum exagitat)* Quatenus videlicet stultis ac pestiferis cupiditatibus obsequor.

10. *Quique graui voce tributa legunt)* πράκτορες εὐρυβόαι. Alludit ad illud Iob cap. 39. non audiunt vocem exactoris. Vbi 70. habent ὁμοκλὴν φορολόγου, id est, vociferationem eius, qui legendis vectigalibus præfectus est. Quæ quidem allusio Græcum interpretem hoc loco fefellisse videtur. Sic enim ait, τοῖς εὐρυβόαις μὲν, καὶ πολυκλησίαις χαίρουσι δασμοσκάφοι καὶ ἐξισωταὶ, cùm ipsimet sint εὐρυβόαι.

11. *Vrna nitens)* Ad verb. sepulcrum fœtidis cadaueribus semper plenum. Hæc intelligit Cyrus de magnificorum sepulcrorum extructionibus. Ego verò vel de aqualiculo cibis distento, vel de externo splendore, sub quo persæpe impurissima, & flagitiosissima vita delitescit. Alludit enim, ni fallor, Gregorius ad sepulcra illa dealbata, de quibus loquitur Christus in Euangelio, quæ extrinsecus pulcra apparent, cùm intus plena sint ossibus mortuorum. Matth.23.

12. *Ipsiúsque animum)* Semper enim in suspicione versantur parentes, ac metuunt ne quid mali filiis accidat. Sic Cyrus. Potest etiam hæc suspicio ad parentum Zelotypiam referri, qua fit vt nonnunquam metuant, ne alienos liberos pro suis alant.

13. *Fastum diuitiæ)* Ad verb. Diuitiæ & paupertas duplex malum, insolentia, mœror. Insolentiam ad opes refert Cyrus, siquidem iis quispiam malè vtatur: mœrorem ad paupertatem.

14. *Sphærula, quæ pueris)* Eleganter sanè humana omnia pilæ comparat. Vt enim in iuuenili ludo pila ab aliis ad alios mittitur, vicissimque remittitur: sic tam commoda quàm incommoda huiusce vitæ ab aliis subinde ad alios migrant: ac sæpe qui hesterno die opibus copiisque circunfluebant, hodie in summa paupertate versantur: & contrà.

15. *Hæc igitur cernens)* Stultos esse ostendit eos, qui vitam hanc opinionis errore beatam esse statuunt, in qua longè plus fellis quàm mellis sit.

16. *Olim namque sophis)* Democritum & Heraclitum intelligit, quorum alter perpetuo risu, alter perpetuis lacrymis vitæ humanæ inconstantiam, fortunæq; ludibria prosequebatur.

17. *Curetes)* Κουρῆτές τ' ἐμάχοντο, &c. Hic versus ex Homero sumptus est Iliad. 10. Vbi Phœnix narrat quemadmodum circa apri Calydonij caput inter Curetes & Ætolos grauissimum prælium commissum sit.

18. *Æacidæ celebres)* Hæc de Aiace & Achille exponit Cyrus, quorum alter mentis errore affectus seipsum interemit: alter μαχλοσύνῃ διεφθάρη ἀπαλαμῶς, in adulterio deprehensus obtruncatus est. quod tamen nullus vnquam veterum memoriæ prodidit. Hoc autem ad Agamemnonem (quem memoria lapsus Gregorius Æacidem quoque vocat) haud dubiè referendum est, qui confecto bello Troiano domum reuersus, ab Ægysto, Clytemnæstra ipsius vxore per adulterium abutente, interfectus est.

19. *Carniuoris periit)* Quemadmodum Hercules, cùm tinctam Nessi sanguine vestem induisset, totus statim exarserit, miseréque interierit: vide Senecam in Tragœdia, quæ inscribitur, Hercules furẽs, & Ouidiũ in Metam.

20. *Te quoque, Alexander)* καὶ σὲ δρακοντιάδη, id est, anguigena. Ferunt enim visum fuisse quondam draconem cum Olympiade Alexandri matre cubantem. Vnde etiam Iouis Hammonis filius haberi voluit. De quo vide Lucian. in Dialogis mortuorum.

21. *Animus cuius languet amore meus)* ὀλίγον λιπαρεῖ, idem mihi hoc loco esse videtur quòd ὀλιγοδρανεῖν, ὀλιγοψυχεῖν. Exponit tamen interpres, in quibus s. spebus vitæ æternæ nonnihil respiro. Prior tamen sententia aliquanto commodior mihi videtur.

22. *Spretæ sedis & omne decus)* ἀπόθρονον εὖχος, id est, τὸ ἐπὶ τῇ αὐτῶν παραιτήσει καύχημα καὶ κλέος, id est, gloriam repudiandis & aspernandis thronis comparatam. ἄχος aliquando legendum putaui. Videbatur enim mihi hæc eò dicere Gregorius, ne quis putaret eum animo discruciari, quòd Constantinopolitano solio per summam contumeliam exturbatus fuisset. Sed quoniam huic lectioni Sirleti quoque liber refragatur, commodéque εὖχος explicat Cyrus, nihil iam temere immutandum reor.

23. *Quósque imo rodit)* Liuorem αὐτόφονον κακίην vocat Gregorius, quia antequàm aliis noceat, inuidum ipsum exest, & conficit.

24. *Fimis hærebo)* κόπροις. sic vocat cibos, postquàm in stomacho percocti sunt.

25. *Voluptas)* δίτομος χάρις, id est, anceps voluptas. id quod intelligit de cibis, quos nunc accipimus, nunc vicissim per aluum egerimus.

26. *Cloaca)* ἀμάρη, id est, postquàm guttur nonnulla voluptate titillatum fuerit, reliqua omnia postea in eam corporis partem voluuntur, quæ educendis fæcibus à natura destinata est.

27. *Spectra duo vitæ)* Vitæ vanitatem paucissimis verbis luculentissimè describit, cùm ait nos non modo noctu, sed etiam interdiu, quasdam duntaxat, velut in somnis, rerum vmbras amplecti, nec quicquam certi ac solidi tenere. Quod quidem parum animaduertisse videtur interpres Græcus.

28. *Nouum nihil)* Alludit, inquit Cyrus, ad illud Ecclesiastis, Nihil nouum sub Sole.

29. Nam

29. *Nam tenebræ*) *Etenim simulatque in lucem editus sum, lacrymæ statim, tanquàm caligo quædam & afflictio, me subsequebantur. Sic enim hæc Cyrus exponit.*

30. *A tumulo*) *hoc est, vtero materno. Quod autem sequitur, & ignis, &c. de vindice igne intelligendum est, qui peccatores manet. Loquitur enim in persona peccatoris, scelerum pœnas post hanc vitam subituri.*

31. *Quæ pulueris*) *Vitam hanc præsentem pulueri confert, qui, oculis iniectus, omnem prospiciendi facultatem homini eripit.*

32. *Ludus homo*) *Audax, inquit, mihi quidpiam in mentem venit dicere, quod tamen à vero non abhorreat: Ac proinde illud pronunciare non verebor, nempe, Dei ludum hominem esse, & quidem eiusmodi, qualis olim in quibusdam vrbibus instituebatur. Laruas enim diuitum & pauperum, regum ac belli ducum, doctorum & indoctorum, virorum denique ac mulierum construentes, easque, cùm in eo studio sese antè exercuissent, induentes, atque in theatrum ac scenam prodeuntes, congruentem cuique actionem, inspectantibus omnibus, effingebant, ac postquàm, iuxta veterum historiam, fabulosam hanc rerum speciem, quàm accuratissimè fieri poterat, per imitationem expressam ostendissent, tum denique detractis laruis, qualis eorum quisque erat, apparebat, domúmque se recipiebat. Ad eundem modum in hac quoque vita alij quidem aliud quoddam vitæ genus & institutum colunt, ac velut in scena & theatro suam quisque vel virtutis vel vitij actionem per imitationem ostendunt. At postquàm mundi larua per mortem ipsis detracta est, tum verò omnes repente, quales natura sunt, apparent, omnique integumento vacui, hinc ad alteram vitam concedunt. Sic Græcus interpres. Quem tamen fugit quò hîc alludat Gregorius, nempe ad Platonem, qui lib. 1. & 7. de Leg. παίγνιον θεοῦ, hominem vocat. Quod etiam præclarè dictum fuisse ait Synes. Orat. de Prouid. quòd Deus in rebus humanis semper ludat, ac velut aleatorem agat. Idq́ue Homerum quoque animaduertisse, cùm in iis certaminibus, quæ ad honestandum Patroclis funus edebantur, eos semper victos inducit, quos nemo non superiores fore existimabat.*

33. *Ad tempus*) *Quibus vani, atque insomnio fallacioris, huiusce mundi spes chara & expetenda est, ij sanè opibus, vti vocantur, ac voluptatibus, deliciisque, & honoribus, ad breue tempus fruantur, falsaque rerum specie, si ita lubet, perinde atque in theatro ludant ac ludantur. Cyrus.*

34. *Vt serpens*) *id est, si vt serpens senectutem, sic ille vitiorum pellem ac maculam per angustam viam præclarè abraserit, atque in spiritalem ætatem renouetur. Quónam autem modo serpentes senium excutiant, vide Arist. lib. 8. de Hist. animal. cap. 17. & Eras. in prouerb. Nudior leberide.*

35. *Saltate sacri*) *id est, Episcopi, inuidiæ œstro in me perciti.*

36. *Diuinam vobis*) *Vos per ea quæ facitis, quæq́ue aduersum me molimini, Dei misericordiam vobisipsis præcluditis, & obturatis. Vnius elementi detrimentum mihi, hæc oratione soluta primùm transferenti, imposuerat. Habet enim excusus liber οἶκον, pro quo οἶκτον legendum est, quemadmodum & legit Cyrus.*

37. *Clara columna meæ*) *Alludit, vt opinor, ad illam nubis columnam, quæ Israelitis olim ex Ægypto egressis iter præmonstrabat. Exod. 13. cap. 38.*

38. *Factum, vti hac liceat*) *κρυπτὸν quidem habet excusus codex, & certè exponit Cyrus, λανθάνον. Sed quia verba ea, quæ mox sequuntur, εἰ θέμις εἰπεῖν, frigida planè sunt, si ita legamus (quid enim magni fuit dicere inuidiam occultum malum, vt postea necesse esset subiicere, si ita dicere fas est?) non possum quin probem τυκτὸν κακὸν, vt habetur in textu Græco illius libri, quem mihi eruditissimus Cardinalis Sirletus commodauit. Vocat enim Gregorius inuidiam, factum malum, hoc est, sponte contractum, cuiúsque inuidus sibiipsi velut faber est. Quoniam autem nouo loquendi modo id exprimebat, idcirco addit, si ita loqui liceat. Vtra autem lectio sit præferenda, iudicium lectori relinquo. Absurdum id sanè est, quod Cyrus subiicit hæc verba, εἰ θέμις εἰπεῖν, pòst ἥλικα καὶ φθονερῶν.*

DE VITÆ ITINERIBVS.

ARGVMENTVM CYRI.

Hoc quoque carmine D. Gregorius eorum, qui effrænato, atque insano quodam impetu ad acquirendas res fluxas, & perituras feruntnr, vanitatem & amentiam reprimere conatur, atque ostendere quàm labilis & incerta, imò quàm planè nihil hæc præsens vita sit.

Eccunde in lucem veni? terráque sepultus,
Ex cinere exiguo quis rediuiuus ero?
Méque vbinam statuet magnus Deus? ánne periclis
Extractum ad cœli littora tuta feret?
Nullũ vitæ genus ærũnarum expers. *Multas vita vias habet ærumnosa, viarum*
Cunctarúmque suo nulla dolore caret.
Nec bona sunt hîc vlla malis non mixta: bonorum
Atque vtinam non pars cederet ipsa malis.
1 *Diuitiæ infidæ, [1] solium quoque fastus inanis:*
Vincula pauperies, atque subesse labor.
Fulgure forma breuis magis est, æstúsque iuuenta
Temporis, & vitæ meta senecta grauis.
[2] Sermones celeres, [3] decus aër, robur [4] aprorum: 2. 3. 4
[5] Et veteri constat sanguine nobilitas. 5
[6] Ingluuies petulans, vinclum connubia: cura est, 6
Si bona sit, morbus, si mala, progenies.
Discitur inque foro vitium, tranquilláque vita
Inualida est: artes vilia corda decent.
[7] Angusta est offa alterius: labor arua secare: 7
[8] Per mare quo currunt, pene tot orcus habet. 8

9 [9] *Patria cuique sua est barathrũ, terra extera probrũ:*
Cuncta homini hîc risus, cuncta labórque grauis.
10 [10] *Lanugo, spectrum, ros, & leuis vmbra, vapórque,*
Flumineus fluxus, fluctus & aequoreus:
Somnia, fluctiuagae nauis vestigia, ventus,
Penna celer volitans, puluis, & aura leuis:
Circulus, aequali qui motu cuncta volutat,
11 [11] *Constans atque rotans, fixus & interiens.*
Namque anni partes voluit, noctésque diésque,
Duráque, maestitias, terribilémque necem.
Et morbos, casúsque graues: ac rursus amoena
Gaudia, & optatae prospera sortis habet.
Nil autem hîc firmum prouidit Christus vt esset: Cur nihil hîc firmum Deus esse voluit.
Quò tua firmorum pectora tangat amor.
Cuncta ego perlustraui animo noua, priscáque: verùm,
Par nihil esse homini debilitate potest.
Vnum illi, verúmque bonum, certúmque putandũ est,
Vt leuis hinc abeat, perferat atque crucem:
Vt ruat in sanctos gemitus, diuináque curet,
Huic, puris gaudens, irradiétque Trias:
Carnalem affectum vt soluat: quámq; hausimus ipsi
Caelitus effigiem, seruet vt incolumem:
Vtq; nouam degat vitam, mundúmque ruentem
Cum stabili mutans aspera cuncta ferat.

SCHOLIA.

1. *Solium quoque fastus inanis) Thronus & gloria fastus est insomnio similis. Vana enim est opinio, atque inanis tumor aduersus eos, qui subsunt, mentem eius qui praeest ad aliquod tempus eludens atque inflans, ac de rectae rationis gradu deturbans. At cùm è dignitate atque imperio quispiam tanquam è somno excidit, nihil, vt Scripturae verbis vtar, in manibus suis inuenit.* Psal. 75.

2. *Sermones celeres)* πτερόεντας, *id est, pennati, quòd pennarum instar quàm ocyßimè fluant ac dilabantur. Cyrus. Epithetum sermonum frequens apud Homerum.*

3. *Decus aër) Cur gloria aër dicitur? Quoniam aër vtpote natura pellucidus, lucem quidem & colores omnes ad visum, odores autem omnes ad olfactus organum transmittit: eodémque modo, cùm penetrandi facultate praeditus sit, sermonem, ac vocem omnem, & sonum ad auditum deuehit. Sic Cyrus. Ego verò simpliciter hoc velle Gregorium censeo, gloriam humanam, nil aliud esse, quàm aërem ac ventum.*

4. *Robur aprorum) Quid ergo est quamobrem quisquam ob corporis robur glorietur, quod illi cum apris est commune?*

5. *Et veteri constat) Quid aliud sunt nobiles, aut quid aliud nobilitas, quàm vetus sanguis iam putridus, atque ad breue quoddam tempus aliquando cultus & honoratus? Cyrus.*

6. *Ingluuies)* κόρος *accipi potest pro amplißima quadam prosperitate, quae impiè Deum lacessendi occasionem iis praebet, qui ea vti nesciunt.*

7. *Angusta est)* στεινὴ δ' ἀλλοτρίη μάζα. *Prouerbium elegans de iis, qui duriore fortuna conflictantur, facultatibúsque lapsi sunt, qui sanè aliorum mensam admodum angustam experiuntur, hospitibúsque suis citò in fastidium veniunt.*

8. *Per mare) Alludere videtur ad illud, quod de quodam memoriae proditum est, qui percunctante aliquo, maiórne viuorum an mortuorum numerus esset, quaesiuit ipse, quo in numero ponendos eos censeret, qui nauigarent. Quibus verbis indicabat, eos in grauißimo vitae discrimine versari. Cyrus ita exponit: Nauigare periculosissimum est, ac vita eorum magna ex parte in inferno est.*

9. *Patria cuique) Sua cuique patria barathri, hoc est, scrobis cuiusdam vice est, in qua vel optimus quisque ac probatißimus vir contemnitur & obteritur, vicinorum nimirum inuidia proditus. Cyrus.*

10. *Lanugo) Vita haec lanugo dicitur, quòd facilè dilabatur & intereat. Vmbra, quòd facilè transeat. Spectrum, quod nos velut in somnis ludificetur. Ros, quia facilè siccatur, parúmque durat. Aër, quia ad breue tempus recreare videtur. Penna, quia quàm celerrimè effugit. Vapor, quia cùm parumper conspecta fuerit, statim euanescit. Somnium, quia humana iactatio incerta & inanis est, nihilque omnino solidi habet. Denique fluctibus maris, & fluminum vndis, & nauis per mare incedentis vestigiis, & ventis, ac pulueri vita in Scriptura comparata est, quia instabilis, & infida est. Cyrus.*

11. *Constans atque rotans) Circulus perpetuo motu praeditus, haec vita est, aequalia omnia semper voluens, stánsque simul, & currens, quale caelum esse philosophi aiunt, nempe eiusmodi, vt simul & soluatur, & fixum ac firmum sit, quòd videlicet motus sui ratione certum & stabile sit. Etenim in hoc constans est ac stabile, quòd tum per quadripartitas anni partes, quae aliàs alia ferunt, vicißimque corrumpunt ac labefactant, soluitur & mouetur: tum per dies ac noctes, in laboribus & aerumnis singula immutantes aut renouantes, ac denique per morbos & interitus, per aduersa & prospera, per depreßiones ac maerores, per euectiones & voluptates. Cyrus.*

BEATITVDINES, ET SPIRITVALIS VITAE REGVLAE.

ARGVMENTVM CYRI.

Postquàm Gregorius res humanas extenuauit, ac miseras esse ostendit, atque omnes huius mundi voluptates (ex quibus carnalis affectus robur colligit, vt Deo resistat, arrogantiáque efferatur) tanquam incertas ac mutabiles depressit, ac suggillauit, iam his versibus Euangelicae legis capita, spiritalísque affectus nunquã intermorituram gloriam, vt vires indicat: eodem nimirum sensu, atque iisdem vocibus cum Christo beatos eos, bonísque plenos praedicans, qui in veritate viuunt, aut victuri sunt. Quos quidem Christus in Euangelij initio beatos esse pronunciat.

Felix,

Vita solitaria. FElix, à mundo abstractus, qui viuit eremo
In rigida,[1] & mentem tollit ad astra suam.
Vita communis. [2] Felix, qui multis iunctus, non plurima versans
Distrahitur, pectus sed dedit omne Deo.
Paupertas voluntaria. Felix, qui Christum fortunis omnibus emit:
Cunctorúmque crucem, quam gerit, instar habet.
Opes sanctè administratæ. Felix,[3] qui puris opibus dominatur: amicam
Pauperibúsque libens porrigit vsque manum.
Virginitas. Felix virgineus chorus est, qui carne repulsa
[4] Non procul à summo numine purus abest.
Connubiū. [5] Felix, qui paulum thalamo, tædæq; iugali
Concedens, tribuit plus tamen ipse Deo.
Antistites. Felix, qui plebem imperio dum rite gubernat,
Humanis placat per pia sacra Deum.
Priuati. [6] Felix, qui primos inter numerandus ouilis
Christicolæ, tacitus se tenet inter oues.
Contemplatio. [7] Felix, qui puræ subuectus acumine mentis,
Prospicit æthereæ lumina sancta domus.
Actio. Felix, qui Christum [8] manibus non segnis honorat,
Multísque est vitæ regula lèxque piæ.
Horrea siderei complent hæc omnia cœli:
In cœlo multæ mãsiones. Queis, peperit quas mens, excipiuntur opes.
Diuersis diuersa bonos nam sedibus infert
Virtus: ac vitæ mansio cuique sua est.
Beatitudines Euangelicæ. Felix,[9] cuius inops mens criminis omnis & expers:
Qui vitæ in luctu tempora cuncta terit.
Cœlestes quique ore auido suspirat ad escas:
Mite cor innumeras cuique recondit opes.
Quique aliis facilis, dominum sibi flectit Olympi.
10 [10] Quem pax, quem cordis munditiésque iuuat.
Denique pro Christo patitur qui multa libenter:
Æternum in cœlo carpet ob idque decus.
Quam males, hac perge via. si triueris omnes,
Nil melius. Multas? laudis id eximiæ.
Vnam? dum summè, gratũ id quoque præmia magnis
Sunt tamen, & paruis digna parata viris.
Et Raab, haud castis pollebat moribus: ipsi
Laus tamen hospitij sparsit in orbe decus.
Et quia non tumidus Pharisæi more Telones
Extitit, hoc vno nomine plura tulit.
[11] Virginitas thalamo melior: sed dedita mundo 11
Si fuerit, fluxis iunctáque, peior erit.
Monticolæ atque [12] inopis monachi celsissima vita est: 12
Strauit at hunc fastus sæpe superbus humi.
[13] Nam dum non aliis, decorat quos maxima virtus, 13
Se confert, temerè sæpius alta petit. Præposterū pietatis studiū multis fraudi fuit.
Feruentique animo currens, atque impete magno,
Metam vltra fertur, more ferocis equi.
Quare vel leuibus cinctus pete sidera pennis:
Vel tutam infirmus carpe per ima viam.
Ne nimio in terram vergat tibi pondere penna,
Ac miserè, dum tu tendis ad alta, cadas.
[14] Paruula, quæ densis clauis compacta carina est, 14
Quàm malè nixa ratis maxima, plura gerit.
Arcta quidem æternas cœli via ducit ad ædes.
Tendit ad hanc vnam semita multa tamen.
Ergo alij hanc teneant (ita quos natura parauit:)
Illam alij: ast arctum nemo relinquat iter.
Non vna esca placet mortalibus omnibus: omni Simile.
Congrua Christicolæ vita nec vna viro.
Vtilis est cunctis fletus, labor, excubiæq;,
Imperio affectus atque tenere feros:
Et tumidum ventrem compescere, séque Tonanti
Subiicere, extremum pérque timere diem.
Si summum exactè teneas iter, haud homo [15] iam tu 15
Es mihi, verùm aliquis de grege cœlicolùm.

SCHOLIA.

1. Et mentem) Ad verb. mentem diuinam reddidit. s. per purissima desideria colloquiáque cum Deo.
2. Felix, qui multis iunctus) Beatus quoque is est, qui licet loco & corpore cum hominibus versetur, tamen animi constantia & grauitate monachum præstat: atque ab impuris, & sceleratis studiis auersus, cor suum totum Deo per orationes copulat.
3. Qui puris opibus) id est, iuste partis.
4. Non procul) Felices, inquit, qui excussis omnibus carnis voluptatibus ac delitiis, per affectuum ipsius interemptionem hoc consequuntur, vt à diuinitate non longè remoti sint.
5. Felix, qui paulum) Felix, inquit, is quoque, qui posteaquàm matrimonij legibus nonnihil indulsit, ac procreandorum liberorum munere perfunctus est, maiorem amoris sui partem Deo consecrauit.
6. Felix, qui primos) Felix, ait Gregorius, is etiam, qui cùm patris ac pastoris munus non gerat, sed Ecclesiastici ouilis eximia pecus sit, vt qui inter primarios censeatur, atque inferioribus præeat, perfectissima Christi ouis est. Sic Cyrus. Sed non satis explicat hæc verba, χώρου ἀγ. Hoc enim vult Gregorius, felicem hunc quoque habendum esse, qui cùm ad antistitis munus obeundum minimè vocatus sit, non eam prouinciam arripit, sed plebeia sorte, & conditione tacitus acquiescit: quamlibet etiam in plebeio ordine primas ferat, atque eò virtutis processerit, vt aliis etiam morum exemplo atque doctrina præeat. πρώτιμα πρόβατα, oues eæ sunt, quæ, cùm pabulatum eundum est, reliquas antecedunt.
7. Felix, qui puræ) Felix, qui purissimæ & sanctissimæ mentis impetu, hoc est, spiritualibus contemplationibus, supercœlestes, omniq; sermone præstantiores Trinitatis splendore atque pulchritudines intuetur. Cyrus.
8. Manibus non segnis) vitæ actiuæ laudem contemplatiuæ subiungit.
9. Cuius inops) ὃν πτωχὸν πάθιον, id est, ἀπαθῆ, tranquillum atque omni perturbatione vacuum.
10. Quem cordis munditiésque) Deus enim in cordis puritate, tanquam in speculo quodam, cernitur. Cyrus.
11. Virginitas melior thalamo) Quoniam dixit fieri posse, vt quis per vnam duntaxat virtutis viam, modò accuratissimè & pulcherrimè confectam, ad regnum cœlorum perueniat, idcirco ne quis existimet virtutem vitio, vt in hypocritis cernere est, occultè coniunctam, Dei iustitiam efficere posse, per discretionis spiritum huiusmodi rem euangelicè explicat. Nos enim lex spiritus probos esse, non videri vult. Ac proinde ait: Bonus est cœlibatus, atque adeò coniugio melior ac præstantior, sed verus cœlibatus [est] virginitas. Nam cùm ea mundo adiuncta est, contubernalibúsque mulierculis, ac terreno affectu præditis, tum demum coniugio

inferior est. Castitatis enim opinionem illa quidem in aperto, non autem veritatem Christo in occulto ostendit.

12. *Inopis monachi) Hæc enim de monachis intelligit Cyrus: & rectè.*

13. *Nam dum) Duas causas affert, quamobrem ij, qui solitarium vitæ genus consectantur, in fraudem incidant. Vnam, quia virtutem suam non cum præstantioribus metiuntur, (quæ illis esset humilitatis occasio) sed cum iis duntaxat, quos virtute antecellunt, eóque fit, vt in superbiam, & mentis elationem cadant. Alteram, quia persæpe feruida quadam animi alacritate prosilientes (vt solent equi parum exercitati, nec freno satis ob-*
Rom.12. *sequentes) atque, vt Pauli verbis vtar, sapientes vltrà quàm sapere oportet, ac non iuxta monasticæ vitæ leges munus illud obeuntes, vel immodicis ieiuniis, vel intempestiuis vigiliis sese conficiunt, longéque vltra metam abrepti, victoriæ præmiis excidunt.*

14. *Paruula quæ) Quemadmodum parua nauis, densis clauis commodè compacta plures merces gestat quàm magna, cuius partes clauis haudquaquam inter se iunctæ sint: sic etiam monachus, tametsi vilis, paruique precij habeatur, paucísque imperare videatur, obscurique nominis sit, tamen si crebris, densisq; spiritus cogitationibus, tanquam clauis quibusdam communitum pectus habeat, internásque virtutum opes gerat, spiritales prædones fallet, ac vitæ huiusce mare tutò traiiciens, dignas hero suo merces comportabit: cùm contrà is, qui sanctitatis nomine gloriatur, compluribúsque salutem afferre se putat, tametsi interim Spiritus cogitationibus haud admodum septus atque compactus sit, verùm solutus potius, ac negligens, impostorúmque laudibus incassum intumescens, repente spiritali tempestate, ac dæmonum impetu, turpibúsque cogitationibus, velut fluctibus quibusdam, agitatus, in grauissimum discrimen cadit, ac perit, quásque se ferre opes arbitrabatur, iis facilè spoliatur. Sic hanc similitudinem explicat Cyrus. Ego tamen per paruam ratem hoc loco eum potius significari censuerim, qui humilius quoddam in specie, abiectiúsque piæ vitæ genus profitetur: per ingentem autem nauem, eum, qui sublimissimum ac sanctissimum vitæ institutum temerè, nec satis firmo & constituto animi iudicio sequitur. Hic enim sensus, ni opinione fallor, melius congruit cum his, quæ proximè antecedunt.*

15. *Iam mihi) id est, Meo iudicio. In excuso codice legebatur νόμος. Sed νόμοις habet liber manuscriptus: ad eámque lectionem interpretationem suam accommodat Cyrus. Tu iam, inquit, cœlestis quidam homo futurus es, Gregorij legibus perfectus ac numeris omnibus absolutus.*

IVSIVRANDVM GREGORII.

ARGVMENTVM CYRI.

Hoc carmine sub iurisiurandi, seu voti, forma, Gregorius sanctissimæ vitæ, atq; ad Euangelicæ perfectionis normam compositæ, regulas breuiter tradit. Erat autem istud carmen in manuscripto libro connexum cum præcedente: quod nos tamen non sine causa, excusi codicis auctoritatem secuti, distinguendum putauimus.

1. 2 *VErbum [1] iuraui, mihi qui Deus, [2] ortus ab ortu,*
Atque immortali qui Genitore satus.
Archetypi effigies, par & natura Paternæ,
Qui supero ad nostrum venit ab axe genus:
3 *[3] Quòd mea nec mentem mens abiectura supremā est,*
Discindent rursus nec mea verba λόγον.
Si Triadis claræ subeat mihi scindere numen,
4 *[4] Dum nutum aduersi temporis ipse sequor:*
5 *Si mentem extimulet sedes mihi celsa, [5] vel illos,*
Quos agitat sedis dira cupido, iuuem:
6 *[6] Ante Dei humanum auxilium si forte locarim,*
Inualidæ & petræ sit mea nexa ratis:
7 *[7] Læta ferente Deo si mens sit turgida fastu,*
Rebus in aduersis rursus at illa cadat:
Si iudex æquum peruertam iúsque, superbis
Plus tribuens, grauibus quàm pietate viris:
Prospera prauorum cernens, [8] scopulósque bonorum, 8
Si linquam dextrum non bene sanus iter:
Si me liuor edat, si [9] casu læter iniqui, 9
Non secus ac firmo stet mea vita gradu:
Si mentem sternat sæuus furor, ac sine freno
Sit mea lingua, oculus sit meus atque procax:
Si mihi quisquam [10] odio sit frustra, vlciscar & hostē 10
Perspicuè, aut tectis fraudibus, ipse meum:
Si vacuis à me manibus discedat egenus,
Cœlestésque petit qui sitibundus aquas:
Sit clemens aliis Christus, facilísque, labores
Fruge mihi vacuos at leuis aura ferat.
Legibus his deuinxi animum. compleuero vota
Si pia, Christe, tui muneris istud erit.

SCHOLIA.

1. *Verbum iuraui) Quoniam non nudis atque infrugiferis doctrinæ sermonibus lex spiritualis, inter perfectos traditur, quemadmodum Iesus ipsemet spiritus consummator ac Legislator operibus primùm, ac deinde verbis* Act.1. *docuit, sic germani quoque ipsius discipuli, atque adeo sanctißimus hic vir, diuinarum rerum cognitione penitus imbutus, earúmque doctor, postquàm beatorum hominum vitas breui oratione descripsit, atque vltimo loco, id quod summæ perfectionis erat, subiunxit (nimirum omnes vitij vias odisse ac detestari, contráque omnia Dei mandata exequi) nunc iam vitæ suæ legem ac regulam tradit, votáque, quibus Deo sese obstrinxit, tanquam doctrinæ suæ sigillum, atque Euangelicæ vitæ rationis confirmationem nobis proponit, modò non istud omnibus inclamans, Imitatores estote mei, sicut & ego Christi. Iuraui enim, vt cum Psalmista loquar, &* 1 Cor.4. *statui custodire iudicia iustitiæ Christi.* Psal.118.

2. *Ortus ab ortu) id est, principium ex principio.*

3. *Quòd*

3. *Quòd mea nec mentem) Iuraui, inquit, me nec praui quicquam cogitaturũ aduersus Deum, hoc est, nec magnam illam mentem, Patrem nimirum, proiecturum, contumeliáque affecturum (quod quidem fit, cùm quis eum sibi æqualem, eiusdémque substantiæ Filium gignere negat) nec Filium ipsum alieno sermone, hoc est, eum à Patre abalienante, repudiaturum. Hæc sic à Cyro exponuntur. Appositè autem cùm de cogitatione sua loquitur Gregorius, daturum se operam ostendit, ne magnam illam mentem offendat (Pater enim νῦς appellari solet) cùm autẽ de sermone, studio sibi fore pollicetur, ne in τῦ λόγυ i. Verbi offensionem incurrat.*

4. *Dum nutum aduersi) Hoc est dum impiorum principum voluntati obsequor, atque ad ea tempora, in quibus hæretici rerum potiuntur, fidem meam accommodo.*

5. *Vel illos) Eos notat, qui amicos in rebus iniquis & flagitiosis iuuant, ipsisq́ ad altißimos Ecclesiasticarum dignitatum gradus aspirantibus præposterè fauent. Amici enim amicitiæ quidem officia præstare debent, sed vsque ad aras, vt dici solet.*

6. *Ante Dei humanũ) Hunc locum non satis commodè mihi explicare videtur Cyrus. Posteriorem enim versum ad Deum refert, cùm perspicuè ad hominem referendus sit. Sic enim exponit:* εἰ ἐμπροσθεν τῦ θεῦ καὶ τῦ Χριςῦ αὐτῦ τῆς βεβαίας πέτρας καὶ ἀσφαλῦς τὰ πείσματα ἀναψάμενος ἄνθρωπον πλείω ἐπίκουρόν μοι καὶ βοηθόν. *Atqui Gregorij verba hunc sensum habent, Si diuinæ opi auxilium humanum anteposuero, vitæ scilicet meæ rudentes ad infirmam petram alligans. Quid enim humano auxilio imbecillius?*

7. *Læta ferente Deo) Hìc sanè plurimùm ab Auctoris sensu Græcus interpres aberrat. Sic enim hæc explicat: Siquando homine aliquo recta agẽte, aut loquente, superba cogitatione efferar, aut rursus in malos & impios incidens, imbecillum ac dißimulantem me præbeam, nec eorum vitia coarguam. Quæ verba, ne quid grauius dicã, à Gregorij mente remotißima sunt. At cùm in vocabulo* φέροντος *subauditur Deus, ita planus & dilucidus sensus est, vt eum explicare velle, nihil sit aliud, quàm lucernam in meridie afferre.*

8. *Scopulósque bonorum) Ne hîc quidem mihi placere potest, quòd Cyrus scopuli vocabulum ad malos torquet. Sic enim exponit: Si improbos & crudeles ac pestiferos homines (qui proborũ virorum scopuli, ac præcipitia sunt, vt qui tam per ea quæ perpetrant, quàm quæ consulunt, ad eandẽ secum iniquitatis foueam eos impellant) tranquillos, atque in rebus vanis florentes, felicésque conspiciens, eos propterea beatos duxi, ac peccatorum pacem videns, idem mihi penè accidere sensi, quod olim Dauidi, nempe vt præ iracundia mentis meæ gressus effunderẽtur,* Psal. 72. *atque ipse à dextro itinere deflecterem ac titubarem. Sic ille. Mihi tamen hoc loco per scopulos bonorum, simpliciter eorum calamitates accipi debere videntur: vt sit sensus: Si vel impiorum res secundas, vel piorum sinistras, atque acerbas intuens, de virtutis curriculo propterea deflexero.*

9. *Si casu læter iniqui)* εἰ γελάσαιμι πτῶμα καὶ οὐχ ὁσίων, *&c. si proximorum casum risero, tanquam ipse firmũ, atque ab omnis lapsus periculo immunem in bono pedem habeam, ídque cùm nec pij, nec iusti sint,* ἢ ταῦτα οὐχ ὁσίων ἢ δικαίων ὑπαρχόντων. *Cyrus. Quo loco, pro* καὶ ταῦτα, *debuit ille dicere,* καίπερ, *vt facilè animaduertent, quibus Græcæ linguæ scientia comparata est. Ineptum enim est ita dicere: Non debes proximi casum insectari, ídque impij ac scelerati. Quid enim, diceret aliquis, æquiúsne esset pij hominis casibus insultare?*

10. *Odio sit frustra) Frustra adiunxit propter Dei hostes, atque ad mortem apertè peccantes: quos quidem auersari, atque infestis animis insectari debemus, siquidem præceptis diuinis parere in animum inducimus.*

GREGORII NAZIANZENI SENTENTIÆ DISTICHIS VERSIBVS CONSTANTES, QVORVM primæ litteræ in Græco hæc duo pentametra efficiunt.

Γνῶμαι Γρηγορίου δίστιχος εὐεπίη.
Καλὸν ἄθυρμα νέοις, καὶ χάρις ἐξοδίη, *id est,*
Sententiæ Gregorij disticho carmine constantes:
Pulcher ludus iuuenibus, & gratia discessus.

ARGVMENTVM CYRI.

Præter alias enarrationes, quas per Theologi intercessiones, & gratiam in obscurissima quæque ipsius carmina superius adhibuimus, hæ quoque sententiæ in spiritus virtute nobis exponendæ sunt. Est porro sententia, vt veteribus placet, sermo breuis ac summarius, adhortationem vel dehortationem continens. Atque illi quidem, qui inter prophanos philosophos, & oratores, ac legislatores præstantissimi habentur, pro sapientiæ suæ virtutísque ratione ac modo, ad familiares suos plurima verba effundunt, sententiásq; contexunt. At Gregorius hic nostrorum Theologorum excellentissimus, atque in diuinis rebus explanãdis exercitatissimus, cùm omnem ab extraneis philosophis, ac poëtis, & oratoribus vtilitatem, quantum sat esset, decerpsisset, (vt qui in omnibus eorum artibus ac disciplinis felicissimè versatus esset) cúmque omnem sermonis vim, omnéque humani ingenii fastigium ad summum vsq; excoluisset, tum demum, quicquid id erat, ad Euangelicæ sapientiæ

pedes abiecit, atque ita se comparauit, vt quicquid diuinitus inspiratæ Scripturæ, & Euangelicæ veritati consentaneum, atque tum ad cõtemplationem, tum ad actionem consonum animaduertit, id omne, tanquam veritatis patronus, lucubrationibus suis insereret, atq; in sententias referret: quicquid autem ad fabulas & errores, exitiíque voraginem ferebat, contemneret, atque ad coruos relegaret. Quocirca ad alios suos salutares de Deo sermones, hanc quoque sententiosam, atque acrosticham lucubratiunculam adiungit, quam etiam velut ludum se iunioribus tradere profitetur, bonum quidem illum, propter consiliorum vtilitatem cum salute coniunctam, ludicrum autem propter poësis, hoc est, numerosi scribendi generis leporem, quo iuuenes non mediocriter delectari, gloriaríque perspectum habet. Hoc autem carmen etiam ἐξόδιον gratiam appellauit, nimirum tanquam postremum ac velut testatorium quoddam apophthegma suis amicis ac discipulis donans.

Acrostichũ carmen est, cuius prima versuũ litterę inter se cõpositæ aliquid efficiunt.

Paupertas voluntaria. Mortis memoria.

NVdus[1] ara vitæ pelagus, nec onusta carina
In mare, ne pereas, te dato fluctiuagum.
Fac tibi mors nunquam memori de mente recedat:
2 *[2] Mors tibi sic veniens haud grauis hostis erit.*
3 *[3] Vt statua in medio tibi pectore corporis expers*
Sit Deus, huic templum construe mente tua.
4 *[4] Te noscas, & quæ tibi sit cælestis origo:*
Sic facilis venies ad decus archetypum.
5 *[5] Ad lucem lux te ducit, voluuntur inanes:*
At constanti animo stat sine nocte dies.

Vbi Israël, lux est.

Fidere quæ veniunt rebus, fugiúntque vicissim,
Fluminis est rapidis fidere semper aquis.

Sermo & vita comites indiuiduæ.

Par mihi sermo malus, sceleratáque vita: duorum
[6] Alteruter tibi sit, mox comes alter erit.
[7] Sacrificare graue est non pura mente, sed omnis
Defuncti peccat qui colit ossa, magis.

Semper ad vlteriora tẽdendum.

[8] In recto ne fige gradum. Qui crimine licto
Insistit, vitij rursus ad ima redit.
Nil videt is, qui non cernit quò crimina ducunt:
9 *[9] Qui loca trita feræ prospicit, ille videt.*

Confitẽda crimina.

Cùm medicum poscant tua vulnera, si tegis illa,
Pestiferam saniem nil prohibere queat.
10 *[10] Sit tibi sermo bonus, mihi contrà innoxia vita:*

Vita sermoni præstat.

Ambiguam à verbis quærat iniquus opem.
11 *[11] Ingluuies petulans. tu verò totus in hoc sis,*
Perpetua vt menti suppetat esca tua.

Mundi bona aranearum telis similia.

Sit tibi pro cunctis opibus Deus. At bona mundi
Semper arachnæi staminis instar habe.
Quæ tenet hic mundus, cuncta hæc aliena putato.
Virtus, hanc habeas si modo, sola tua est.
Noscendam ad Triadem (sermo diuinus ad omnes
Inclamat) celeri mox properate gradu.
Vos thalamus mundo quos iunxit, in [12] horrea fructũ 12
Maiorem superæ tendite ferre domus.
At vitam amplexus Christi quæcunque secutæ
Virgineam colitis, vos date cuncta Deo.
[13] Eximius splendor virgo est, modò carnibus ipsa 13
Stet procul, ac mundo sit quoque mente procul.
[14] Non fuco simulanda fides, sed corde tenenda est. 14

Fugiẽda hypocrisis.

Eluitur fucus. pectoris ima [15] peto.
[16] Nec tibi ius rigidum, tibi nec prudentia rursus 16
Subdola sit. melius nil queat esse modo.

Modus optimus.

[17] Fortis in audacem migrat moderamine dempto: 17
[18] Iucundíque aliquid castus habere potest. 18
Mens tua diuinis pateat sermonibus: vt sic
Noscas quæ supera sanxit ab arce Deus.

Non curandum vt malis placeamus.

Esse bonus cura: prauis ne quære placere.
Gloria nam fœda est velle placere malis.
Turpe bono est prauis sese præbere patronum:
Nec minus id quàm si pessimus ipse foret.

Aduersis probantur boni.

Vir probus aduersis tentatur, vt ignibus aurum.
[19] Sæpe leuis magis est prosperitate dolor.
Qui patrem, idem etiam Christũ, mihi crede, negarit.
Qui tibi dux fidei est, hunc quoque nosce patrem.
Cuncta vorant tineæ: [20] nec tu tua linque sepulcris. 20
Egregium est funus nomen habere bonum.
[21] Hospitibus parcat tua vox nostratibus, hísque 21
Præsertim, quibus est vltima clausa dies.
Huc age, cum mundo mundi quoque pondera linquẽs,
Protinus ad superas carbasa pande domos.
[22] Nullo cum strepitu semper, quæ recta, facesse: 22
Eximiæ at curæ sit tibi sancta Trias.

SCHOLIA.

1. *Nudus ara vitæ pelagus*) *Mundi vitam, mare ex Scripturæ vsu appellat, tum ob ipsius instabilitatem, multiplicémque mutationem, tum ob peccati, mortísque, quæ peccato contrahitur, salsuginem & amarulentiã. Admonet itaque prudens animarum nostrarum gubernator, vt nudi huiusmodi mare traiiciamus, hoc est, opibus omnibus carentes, atque ab omnibus mũdi negotiis feriati: ne alioqui, huiusce seculi materiis, grauibúsque vitiis, animíque perturbationibus, non secus ac mercibus supra modum grauati, nauis cuiusdam instar deprimamur, atque in peccati mortem pessum eamus.*

2. *Mors tibi sic veniens*) *Quid enim morti tantas aduersus hominem vires suppeditat, quàm quòd nunquam nobis moriendum esse cogitamus? Quare non mirandum si improuisus ipsius impetus animos nostros frangat, metúque debilitet. Fortasse etiam alludit Gregorius ad illud Scripturæ, Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Eccl. 7.

3. *Vt statua*) ἵδρυμα *hoc loco exponit Cyrus fulcimentum, robur, ac fiduciam. Mihi tamen simplicius videtur, vt statuam atque imaginem exponamus. Hoc enim vult Gregorius, eum, qui per vitæ puritatem & innocentiã templum Christo in animo suo construxerit, ipsum velut statuam quandam materiæ expertem in se degentem habiturum. Atque hanc sententiam confirmat vox* ἄϋλον, *quæ ad statuarum, ligno, & lapide, aut alia aliqua materia, constantiũ differentiam adiecta est. Vnde etiã in Iambico carmine de Virtute,* ἱδρύματα ὕλης, *eas vocat.*

4. *Te*

4. *Te noscas) Fac noscas, te à Deo ad ipsius imaginem factum esse: itémque te mortalem esse, non Deum, vt qui carne quidem è terra sumptus sis, spiritu autem diuinitus insufflatus. Hoc etenim exploratū habens, tum eum, à quo creatus es, ob acceptum beneficium coles, tum animi elationem, ob puluerem, ex quo ortus es, fugies. Atque ita fiet, vt & te, sicut æquum est, deprimens, & tot beneficiorum auctorem laudibus vehens, facilè primigeniam pulchritudinem consequaris: actione nimirum teipsum humilians, contemplatione autem, conditorem celebrans ac speculans. Sic Cyrus.*

5. *Ad lucem) Quilibet dies ad posterū diem nos ducit. Quisquis igitur leui, parúmque firma & stabili mente est, velut leue quoddam lignum in fluctibus marinis volutatur, ac transfertur, vt qui ad alias atque alias cogitationes & actiones subinde migret. At qui firma constantíque mente, rupis cuiusdam instar, in veritatis doctrina defixus hæret, firmum ac perpetuum in se diem habet: vt qui humana quidem pro libitu fluere sinat, ipse autem Deum, hoc est, diem vnum immobilem pro mille humanis diebus, atque æuum vnum indelebile, tempúsq; fluxionis omnis expers habeat.*

6. *Alteruter tibi sit) Nam & impura, ac nefaria vita, omnem emendationem respuens, ad exitiosas hæreses, & impuros, atque execrandos sermones peccatorem prouoluit: ac rursus fidei doctrina peruersa, & hæretica, ad flagitiosam ac detestabilem vitam detorquet.*

7. *Sacrificare graue est) Deum probro atque contumelia afficit, qui impuram & execrandam vitam ducens, ad diuina mysteria accedit, ac rem sacram facit: at hoc grauius peccat, qui omnes mortuorum reliquias colit, hoc est, cùm purus sit, prophanis & hæreticis, pietatis prætextum colens, sese subiicit, ac cum mortuis cōmercium habet. Sic hunc locum exponit Cyrus. Nil tamē impedit, quin simplici sensu eos notet Gregorius, qui præpostero quodam affectu impulsi, atque Ecclesiæ iudicium, imperiúmque anteuertentes, eos, quos morte amiserunt, in sanctorū album ascribunt. Neque enim absolutè eum honorem, qui sanctorum reliquiis à piis hominibus haberi solet, reprehendit & exagitat: quippe cùm ipsemet Cypriani cineres plurima miracula edidisse scribat. Quæ omnia, inquit, possunt vel ipsi Cypriani cineres cum fide, id est, vt ibi exponit Nicetas, si quis cum fide accedat.* Orat. de Cyprian.

8. *In recto ne fige gradum) Admonet, inquit Cyrus, vt in bonorum operum via nunquam insistamus, sed ad ea, quæ Deo grata sunt, perpetuo motu feramur: malúmque esse ostendit in profundum repere, hoc est, cum peccatoribus abstrahi, & cum iis, qui iniqua flagitia committunt, perire. At ne quis dicat, Quo pacto in via minimè insistendum esse monens, non rursus leuitatem & inconstantiam præcipis? subiungit statim,* σοὶ στάσις, *&c. id est, Hoc laudanda statio, hoc in bono firmitas atque constantia est, nempe vt quis à vitio semotus in bono firmè hæreat, nec vnquam insistat, hoc est, laboris tædio bonis operibus incumbere desinat. Quæ quidem expositio planè detorta est, atque ab auctoris mente alienißima. Ac ne mihi quidem placet Langi translatio, quæ sic habet:*

Tramite perge boni, ne præcipitere profundo:
Stare volens, extra limina stato mali.

Sic enim ista transfert, quasi nil aliud velit Gregorius, quàm in via peccatorum standum non esse. Atqui longè alia eius mens est. Postquàm enim initio distichi admonuit nunquam esse remittendum virtutis studium, sed nouos in ea subinde progressus faciendos, velut rationem consilij sui mox subiicit, atque ei, qui à turpi & flagitiosa vitæ ratione excesserit, stare, perinde esse ait, atque in vitium relabi. Quale est illud, quod vulgo dicitur, In via virtutis, non progredi, regredi, non proficere, deficere est. Quemadmodum contrà, referente Antonio Monacho in prima parte Melissæ serm. 7. ait Chrysostomus, τὴν στάσιν κακοῦ, ἀρχὴν τῆς κατ' ἀρετὴν ὁρμῆς εἶ), *hoc est, compressum vitij cursum, initium esse progressus ad virtutem.*

9. *Qui loca trita feræ) Ad verb. Vestigia feræ indagare acutißimorum est oculorum, id est, diaboli cogitationes peruestigare, atque intellectualibus oculis, hoc est, occultis contemplationibus, ipsius insidias occupare ac propulsare. Cyrus.*

10. *Sit tibi sermo bonus) Sic hæc exponit Græcus interpres, quasi Gregorius Deum alloquatur, sitque hic sensus: Tuum est, Domine, quæ salutaria sunt mihi præcipere, ac velut lege lata promulgare: meum autem ea opere præstare. At qui bonis operibus caret, probum sermonem habeat, hoc est, humilitatis, pœnitentiæ, submißionis, sermonem, inquam, Dei misericordiam prouocantem, ancipitémque ad patrocinium opitulatorem, hoc est, tum ad iracundiæ diuinæ ob peccatum suum conceptæ auersionem ac depulsionem, tum ad miserationum ipsius conciliationem. Quæ quidem expositio prorsus ab auctoris sensu dißidet. Neque enim Deum hoc loco alloquitur Gregorius, sed eū, qui flagitiis suis præsidium ab honesta oratione quærit, satisque habet bellè loqui, cùm peßimè viuat. Cui quidem pulchrum illum ac fucatum sermonem, quem vitiis suis tanquam laruam prætendit, ambiguam opem afferre censet. Quatenus enim pulcher ac laudabilis est, ipsius partes tueri videtur: quatenus autem à vita moribúsque discrepat, eidem aduersatur. Ex verbis enim suis, vt ait Christus, quisque iustificatur, & ex verbis suis condemnatur.* Matt. 12. *Qui enim impudicè viuens, pudicitiam laudat, an non eiusmodi laus graue aduersus eum testimonium dicit?*

11. *Ingluuies petulans) Saturitas tum ciborum, tum opum, ac denique omnium, quæ ad corpus spectant, contumeliosa, ac proterua, & insolens est. Eiusmodi enim est, qui inexplebili quadam opum cupiditate flagrat. Ego autem, ô discipule optime, inquit sanctus magister, in eam te perpetuò curam incumbere volo, vt animam verbo diuino alas. Hæc enim est illius confirmandæ atque ædificandæ ratio. Cyrus.*

12. *In horrea fructum maiorem) Coniugatos admonet, inquit Cyrus, vt tanto maiorem, copiosiorémque fructum in horrea diuina, & Dei Ecclesias inferant, quanto maioribus huiusce mundi bonis abundant. Mihi tamen hæc perinde esse videntur, ac si diceret Gregorius: Vos qui matrimonij vinculis astricti estis, ac proinde diuisi, vt Apostoli verbo vtar,* 1. Cor. 7. *id curate, vt quoniam non totam vitam Dei cultui consecrare potestis, maiori saltem ex parte ipsi seruiatis, plúsque studij atq; operæ in pietatis ac salutis negotio, quàm in rebus fluxis & caducis impendatis.*

Hanc esse veram sententiam perspicuum est ex eo quod mox sequitur de virginibus, quas vult omne vitæ tempus in pietatis colendæ studio traducere.

13. *Eximius splendor virgo est)* μονότροπος *dicitur, qui virgineam ac cœlibē vitam Deo vouit. Is porro, si quod professus est præstare cupit, tum mulierum cœtus ac familiaritatem fugere debet, tum etiam animo ac voluntate ab omnibus rebus mundanis abhorrere.*

14. *Non fuco) Hoc quoque ad monachos refert Cyrus, à quibus hoc exigitur, vt monasticam virtutem ac fidē, non tantùm per pullas vestes (nam hic semper monachorum color fuit) sed etiam per sanctißimā, atque in omni virtutis genere perfectißimam vitam ostendant. Similitudo ducta est à meretricibus, quæ oris deformitatem, adhibitis pigmentis, tegunt.*

15. *Ima peto) Ad verb. intimum mihi amicum est, id est, vera miniméque fucata virtus.*

16. *Nec tibi ius rigidum) Iustitia enim, si modum excedat, in rigidam quandam, atque à misericordia alienam affectionem degenerat. Eodémque modo prudentia à simplicitate, ac recta ratione remota, atque obliquè cum aliorum detrimento commoda sua excogitans, virtutis nomen amittit.*

17. *Fortis in audacem) Perit hîc interpreti gratia, quæ in horum nominum affinitate inest,* θάρσος *&* θράσος, *quorum alterum fiduciam, alterum temeritatem significat.*

18. *Iucundíque aliquid) Tacitè perstringit eos qui virtutem in rigida quadam ac tetrica seueritate sitam esse putant, atque lætæ ac serenæ menti suam quoque castitatis ac pudicitiæ laudem constarè posse.*

19. *Sæpe leuis magis est) Leuior est pro pietate susceptus dolor impiorum voluptate: probóque ac sancto viro longè suauius magísque expetendum est cum Christo pati, quàm cum Christi hostibus genio ac voluptatibus indulgere. Cyrus.*

20. *Nec tu tua linque sepulcris) Tua, inquit Cyrus, ne sepulcris quidem ipsis relinque. Id porro assequeris, si non modò magnificum funus ac sumptuosum respuas, sed etiam carnes ipsas inedia conficias, ac nuda ossa tumulo tradas, vt ne in ipso quidem sepulcro tineæ de te gaudeant.*

21. *Hospitibus parcat) Hæc sic exponit Græcus interpres: Hospites nostrates indigenas & amicos vocat, quibus inuidiæ morbo aduersus vicinos laborantibus, ipsisq; insidias struentibus, ac molestiam exhibentibus, parce, atque eorum improbitates acri oratione coarguere caue, ne grauius in te eo nomine odium concipientes, ac te auersantes, tua culpa pereant. Iis porro, qui humana omnia morte reliquerunt, multo etiam magis parce, eósque insectari caue. Sic ille. Mihi tamen non displiceret, si hæc ita interpungerentur,* ξείνων, ἡμεδαπῶν, φθιμένων φείδεο, *sensúsque hic esset: Ita te compara, vt nec hospites, nec nostrates, ac multo minus eos, qui vita excesserunt, maledicis vocibus incessas.*

22. *Nullo cum strepitu) Omissum est hoc loco propter carminis breuitatem vocabulum Græcum* θεοτρεφὲς, *id est, vt Cyrus exponit,* τοῖς θείοις θεωρήμασιν ἐντεθραμμένε, *in diuinis contemplationibus educate. Ex quo liquidò patet in Heruagiano codice corruptè legi* θεοπρεπὲς.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ, ΤΟΥ θεολόγου, γνωμολογία τετράστιχος, δι' ἰάμβων.

TETRASTICHA D. GREGORII NAZIANZENI.

Cyri Nicetæ, Dadybrensis Episcopi, in D. Gregorij Nazianzeni Tetrasticha,

PRÆFATIO.

Mihi quidem in animo erat longiores commentarios edere, atque ad singula Theologi Gregorij poëmata congruentem explanationem contexere, tum vt animo ipse meo obsequerer, qui in sublimibus præstantißimi viri speculationibus, theologicísque sermonibus mirificè sibi placet, tum etiam vt huiusmodi opera posteris quoq; prodessem. Verum aliud mihi regium ac paternum præceptum in mentem venit, Fili mi, inquiens, caue ne multos Eccl. 12. *libros facias: atque hanc causam subiungens, Quoniam non est finis vllus aut consummatio voluminum infinitæ Dei sapientiæ: illúdque asserens, immodicam huiusce rei meditationem animum quidem & corpus fatigare atque vexare: vtilitatem autem, quæ hinc redit, atqueadeo totius diuinitus inspiratæ Scripturæ vim omnem, ad Dei metum ac mandatorum obseruationem breuiter redactam, nobis capere licere. Quocirca audito hoc præcepto cauendum mihi censui, ne post obscurorum versuum expensionem longiùs in exponendo progrederer. Ob idq; postremis hisce tetrastichis sententiis, quæ tum ad actionem, tum ad contemplationem satis supérque nos erudire possunt, explanatis, scribendi finem sum facturus.*

1. Πρᾶξιν προτιμήσαις, ἢ θεωρίαν;
Ὄψις τελείων ἔργον, ἡ δὲ πλειόνων.
Ἄμφω μὲν εἰσὶ δεξιαί τε καὶ φίλαι.
Σὺ δὲ, πρὸς ἣν πέφυκας, ἐκτείνου πλέον.

Quæ præferenda est, actio, an theoria?
Hæc est adultæ mentis, illa plurium.

Amba

Ambæ tamen sunt laudibus dignissimæ.
Ad quam aptiorem te vides, hanc arripe.

NICETAS. CVM beatissimus Gregorius, tam virtutis actionem, quàm contemplationis ascensum, secũ ipse perpendisset, atque illam quidem eam vim habere perspexisset, vt non modò corpora, sed etiam animas purgaret & illustraret, hanc autem ea facultate prædita esse, vt corda & mentes velut omnibus numeris absolueret, ac diuinitate afficeret: cúmque quàm ad percipiendum adoptionis beneficium, salutémque consequendam vtraque necessaria esset, non sine admiratione quadam animaduertisset. Vtram tandem (exclamauit) præstabiliorem censeas, actionémne an contemplationem? Nam cùm eius, qui per spiritalem scalam ad Deum ascendit, velut duo oculi sint, æquè, ac pari facultate, in id vnum, quod verè bonum est, intuentes, haud ita procliue est alterum alteri anteferre: quippe cùm vterque alterius ope atque adiumento iuxtà opus habeat. Ad hunc modum actio quidem ad contemplationem dux est: contemplatio rursus actionem obsignat, atque in tuto collocat. Ex quo efficitur, vt perfectus omnino is esse nequeat, qui alterutra harum careat. Verùm quoniam non omnes sancti, vtpote homines, ita comparati sunt, vt parem in vtraque laudem obtinere queant, visio quidem, ac pura cõtemplatio, perfectorum studium atque opera est: quatenus nimirum, cùm per actionem sese perpurgarint, hoc diuino beneficio consequuntur, vt & Deum, & res diuinas apertiùs cernant: actio autem plurium est, atque infra summam perfectionem subsidentium: ac proinde, vt crassior & humilior, cõtemplationis album minus ferit. Dextræ tamen atque commodæ ambæ sunt, Deóque gratæ: atque ad Trinitatem, cœlestémque vitam æquè ducunt. Quoniam autem non vnam eandémque gratiarum facultâtem omnes acceperunt, verùm hic illam, hic istam: idcirco tu, inquit diuinus Præceptor, ad quam te à natura probè comparatum, quámque te facilè præstiturum vides, siue ad virtutis actionem, siue ad doctrinæ fidei contemplationem, ad hanc plurimum studij ac diligentiæ conferens, teipsum extende, ac prosperum iter tene. Actio & cõtẽplatio velut duo oculi animæ.

Ἤρετό με τίς πρόβλημα τῶν ἐκ πνεύματος. 2.
Ἦν ἐρρυπωμένος, εἶπον· ἀλλὰ σωφρονῶ.
Ἦν ἐρρυπωμένος· νῦν δὲ δεῖ καθαρσίων.
Μύρον δοχεῖον σαπρὸν οὐ πιστεύεται.

Quidam explicari quid sibi quæsiuerat Vitæ puritas scientiã anteire debet.
Sublimioris. Purus, inquam, sis prius.
† At mente consto. Sordibus verùm scates.
† Vnguentum olenti vasculo non creditur.

NICET. Secundum hoc Tetrastichũ priori aptè subnectit Gregorius. Virtutis enim actionem ad contemplationis adeptionem necessariam esse demonstrat. Quãdoquidẽ id quisq; priùs studere debet, vt vitiorũ labes eluat, atque ita demum ad veritatis scopum collimet. Etenim nisi mens per actiones omnes Deo gratas ab omni spurcitie mentis & spiritus abstergatur, fieri non potest, vt veram sapientiam, ac spiritalem visionem, pro eo ac decet, consequatur. Ac proinde ait, Quæstionem quandam spiritalem, ac cum mystica contemplatione cõiunctam, mihi quispiam proponebat. Ego verò, cùm eum haud purè atque integrè viuere, imò verò fœdissimis ac spurcissimis vitiis laborare perspectum haberem, dixi non exponendam hanc quæstionem esse, nisi priùs sese purgasset. Tum ille, Etiamsi quondam sordidus fui: at nunc tamẽ esse desij. (Hæc enim verba subaudienda sunt) Ego verò rursus his eum verbis allocutus sum: Quamuis tu nunc iam te castè ac temperanter viuere profitearis, tamen nisi veteres quoque maculas absterseris, nefas est tibi spiritus mysteria impertire. Faciendum enim tibi est, vt omnẽ mentis atque animæ næuum ac labem per actionem expurges, atque ita demum sublimis diuinarum rerum contemplationis compos fias. Atque exemplum appositum sanè, valdéque congruum adhibet. Vasi enim fœtido atque olenti, spurcóque ac rancido, nemo eximiam vnguenti fragrantiam commiserit.

† At mente consto) Mihi simplicius hoc loco videtur ita exponere verbum σωφρονῶ, quàm, vt Cyrus, pudicitiam colere. Hunc enim sensum respuunt quæ sequuntur. Bill.

† Vnguentum olenti) Sic Horatius: Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit. Et Christus ipse in Euangelio vetat ne vinum nouum in veteres vtres mittatur. Matt. 9.

Μήτ᾽ ἀντίτεινε πᾶσι, μήθ᾽ ἕπου λόγοις, 3.
Ἀλλ᾽ οἷς ἐπίστῃ, καὶ ὅσον, καὶ πηνίκα.
Θεοῦ δὲ μᾶλλον ἐξέχου, ἢ προστάτει.
Λόγῳ παλαίει πᾶς λόγος, βίῳ δὲ τίς;

Nec cede cunctis, nec resiste vocibus. Nec in omnibus cedendũ, nec reluctandum.
Fac antè noscas: tum modum & tempus tene.
Nec tam tueri, quàm sequi cura Deum.
Aduersa verbis verba sunt: vitæ nihil.

NICETAS. Postquam actionem & contemplationem perfecto viro æquè necessarias esse docuit, de generali atque vniuersali philosophia & virtute iam tractat, quæquidem in actionem, ac speculationem, velut duas species, diuiditur. Quánam itaque ratione hæ præstandæ sint, seu quo pacto hoc consequi possimus, vt actuosa sit contemplatio, hac sententia ostendit. Admonet enim ne quibusuis sermonibus peruicaci animo aduersemur,

(id enim à pietate remotum esse) nec rursus quibuslibet aurẽ sine discrimine subiiciamus, atque assentiamur (hoc enim præcipitis hominis esse, ac iudicio carentis) verùm, tam de his quæ in contemplatione, quàm quæ in actione versantur, iis demum nobis obluctandum ac repugnandum esse noscamus, quæ ab Euangelica doctrina & lege discrepare perspectum & exploratum habemus: ac rursus his assentiri atque hærere, quæ, vt Spiritu sancto dignum est, ad nos dicta fuerint. Adhæc, vt iis moderatè, & quantum opus est, aduersemur, quibus aduersari ac repugnare operæpretium est: rursúsque iis, quantum conuenit, subscribamus, quibus assentiri par est. Denique vt & in repugnando, & in assentiendo, temporis rationẽ habeamus. At vero, vt ex Deo potius pendeamus, ipsiq; arctissimè hæreamus, præcipit, quàm vt ipsius defensionem suscipiamus. Præstat enim per fidem ex Deo pendere, totámque in eo spem ac fiduciam positam habere, quàm copiosissimis verbis ipsius causam tueri, ac pro eo scilicet cum aduersariis confligtari. Quid ita? Quia ei qui longam orationem habet, ac superuacanea quadam sapientia pollet, ex sermonis prolixitate næuus haud defuturus est: atque omnis sermo † in contrarium ipsi relabetur: at quietæ ac tranquillæ vitæ atque spiritali, magnáque ex parte in actione versanti, nec ita multum temporis sermoni ac disputationi tribuenti, quis tandem erit, qui aduersarium se præbeat? nisi fortè flagitiosus quispiam, ac vitæ omnino improbatæ.

† In contrarium ipsi relabetur) Hîc quidem quin περιστήσεται sit in Græco legendum, non παραστήσεται, vt habet codex Sirletianus, nullo modo ambigo. Sed tamen, siue ἀντίπαλον in neutro genere accipiamus, siue in masculino, non satis perspicuè exponit quæ mens sit Gregorij. Hoc enim vult, nullum esse sermonem, cui non alius sermo contrà opponi possit: at piæ atque integræ vitæ eam esse rationem, vt nemo, nisi perditissimæ impudentiæ atque insaniæ, ei aduersari queat. Non autem hîc putet quisquã Gregorium eos improbare, qui pietatis Christianæ doctrinam aduersus hæreticos strenuè constantérque tuendã susceperunt: verùm eos tantùm admonere, vt non tam eruditione sua, disputandíque subtilitate atque acrimonia nitantur, quàm è Deo ipsiúsque ope pendeant. Langus hoc loco προστατεῖν, malè vertit, præire, quemadmodum & seq. vers. parum commodè transfert hæc verba, λόγῳ παλαίει πᾶς λόγος, Contendit ore quisque. λόγῳ enim hoc loco idem planè est, quod κατὰ τοῦ λόγου, vt liquet ex eo quod sequitur. Billius.

4. Η μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τῷ τρόπῳ.
Μὴ τῇ μὲν ἕλκειν, τῇ δ' ἀπωθεῖσθαι χεροῖν.
Ἧττον δεήσῃ τοῦ λέγειν, πράττων ἃ δεῖ.
Γραφεὺς διδάσκει τὸ πλέον τοῖς ἐκτύποις.

Moribus quoque docendũ, non modò verbis.

Vel ne doceto, vel doceto moribus:
† Illa trahas me ne manu, pellas at hac.
Erit loquendum, si probè viuas, minus.
† Sermone non tam, quàm manu, pictor docet.

NICETAS. Præclara res est silentium, inquit Theologus, his videlicet, qui virtutem colere incipiunt, nec ad eam docendam adhuc acciti sunt. Quòd si hi quoque docendi cupiditate flagrant, moribus potiùs, ac composita, & moderata vitæ ratione, docendi munus obeant ac profiteantur. Nam cùm vita & sermo duplicis manus instar sint, haud æquum ac pium fuerit vna quidem manu discipulos allicere ac pertrahere, altera autem eosdem propellere ac propulsare. Quod quidem tum fit, cùm vitam quidem honestam atque ab omni reprehensione alienam præferimus, sermonem autem turpem ac vitiosum: aut, cùm sermone recto, ac rectè incidente vtamur, in impuræ tamen ac scelerata vitæ cœno volutamur. Etenim illud quidem longè optimum ac præstantissimum fuerit, vtraque laude excellere: verùm si vtraque non licet, id potius nobis curæ esse debet, vt actionis ac vitæ grauitate excellamus, ac per eam id, quod sermoni ac doctrinæ deest, suppleamus. Quemadmodum enim pictor non tam sermonibus, quam iis formis, è quibus exempla ducuntur, eos, quos in disciplinam accepit, iuuat: sic qui accuratissimum, atque omnibus pietatis numeris absolutissimum piæ vitæ genus feliciter profitentur, dum hac ratione eos, qui ad se accedunt, amplius erudiunt, id assequuntur, vt eos ore ac sermone docere minus opus habeant.

Vita & sermo velut duæ manus sunt. ὀρθοτομεῖν. Pauli voca. 2.Tim.2.

† Illa trahas me) Altera manu trahere, altera repellere, prouerbium est de his, qui sibiipsis minimè constant, quódque sermone struunt, moribus euertunt. Cui finitimum est illud, τῇ μὲν ὕδωρ φορεῖν, τῇ δ' ἑτέρῃ πῦρ, id est, altera manu aquam, altera ignem ferre. Bill.

† Sermone non tam) Langus, Pictor tabellis comprobatur editis: parum sanè ad Auctoris sensum appositè.

5. Ὑμῖν λέγω μάλιστα τοῖς τοῦ βήματος,
Ὀφθαλμὸν εἶναι μὴ σκότους πεπλησμένον,
Μὴ καὶ πρόεδροι τοῦ κακοῦ φαινώμεθα.
Εἰ γὰρ τὸ φῶς τοιοῦτον, τὸ σκότος πόσον;

Præsuli cauendũ, ne malo iis, quibus præest, exemplo sit. Matt.6.

Cauete, quæso, maximè vos præsules,
Ne lumen omni prorsus orbum lumine,
Vitiíque tantùm, non boni, sitis duces.
Si tale lumen, quantus est tandem nigror?

NICETAS. Vos, qui ad altare, ac sacrosanctam mensam vosipsos inseritis, gloriæq; & dominandi studio per vim intruditis, ad magni huius præsulis verba animum attendite. Ad vos, inquit, sacræ plebis antistites, hæc mea admonitio spectat. Ne oculi tenebris pleni, sed vndiq; clari ac lucidi sitis: ne cõmittatis, vt iniustitiæ, aut ignoran-

ignorantiæ, aut impietatis, sed iustitiæ, & scientiæ, ac pietatis exempla à vobis petantur. Necesse enim est plebē, cui præestis, in vos intuentem, siue virtutes vestras, siue vitia imitari, atque ad similitudinem vestram accedere. Vos quippe corporis Ecclesiæ lucerna estis. Quemadmodū igitur, cùm simplices ipsi, atque illustres, & puri estis, totum corpus in luce incedit, itérque suum prosperè conficit: sic contrà cùm inscitiæ vitio ac sceleribus laboratis, Ecclesia tota grauibus incommodis afficitur, atque in flagitiis versatur. Si ergo, inquit, is qui eorum omnium, qui ipsi subsunt, lumen atque oculus esse videtur, in tenebris ambulat, populus ipse, qui fere in vitiis hæret, quanto magis sub vitij dominatu erit? Matt. 6.

Ἄφωνον ἔργον κρεῖσσον ἀπράκτου λόγου. 6.
Βίου μὲν οὐδεὶς πώποθ' ὑψώθη δίχα·
Λόγου δὲ πολλοὶ τοῦ καλῶς ψοφουμένου.
Οὐ γὰρ λαλούντων, εὖ βιούντων δ' ἡ χάρις.

Infecta verba muta vincit actio.
Nemo absque vita magnus vnquam vir fuit:
At absque verbis plurimi mulcentibus.
Namque est agentis, non loquentis gratia.

Præstat rectè viuere, quàm rectè loqui.

NICET. Præclarissima quidem res est, ait vir sacrarum rerū interpres accuratissimus, cùm is, qui Ecclesiæ, vt par est, præesse cupit, tum doctrinæ, tum vitæ ac morum præstantiam sibi comparauit. Sin autem quispiam est, qui vtramque laudem consequi nequeat, tum verò præstabilius ei atque conducibilius fuerit, virtutis actione ac morum probitate excellere, quamuis alioqui ab eruditione deficiatur, quàm nudo & infrugifero, atque ab actione remoto sermone vtentem, nec quicquam garrire, ac magnificè loqui, aliósque ea docere aggredi, quæ ipse minimè præstiterit. Quid ita? Quoniam sine vita legi diuinæ consentanea, atque virtute, nemo ab æuo condito ad vllam vnquam magnitudinem euasit, gloriámque consecutus est, vt qui ad Deum propiùs accesserit, sanctitatéque floruerit: at citra grauem, & ornatum sermonem, iucundéque ac modulatè auribus insonantem, innumerabilia hominum millia euecta sunt, atque etiam euehentur. Neque enim eorum qui eleganter garriunt, & scito ac polito & lepido sermonis genere vtuntur, est gratia: sed eorum qui, vt sanctos homines decet, piè, sanctéque vitæ suæ rationes instituerunt.

Δῶρον θεῷ κάλλιστόν ἐστιν ὁ τρόπος. 7.
Κἂν πάντ' ἐνέγκῃς, οὐδὲν οἴσεις ἄξιον.
Ὃ καὶ πένης δίδωσι, τοῦτο πρόσφερε.
Μίσθωμα πόρνης ἁγνὸς οὐ μεείζεται.

Virtute nullum gratius donum Deo.
Quiduis licet des, nil tamen dignum feres.
Hoc offer ergo, quod queat pauper dare.
† Meretricis horret purus ille præmium.

Nil Deo virtute gratius offerri potest.

NICET. Quoniam diuites nonnulli sunt, qui, quamuis impurè, ac petulanter, & flagitiosè viuant, tamen per promptam, atque hilarem largitionem sese Dei regnum adepturos esse arbitrantur: hanc eorum opinionem retundens Theologus, præclarum, Deóque gratum, atque acceptum munus mores esse pronunciat, hoc est, animi integritatem, ac puritatem: non autem opum copias, rerúmque terrenarum atque interitui obnoxiarum largitionē. Exigua enim hæc esse, ac Dei maiestate indigna. Tametsi enim, vt ita fingamus, omnia, quæ terra edita sunt, Deo quisquam obtulerit, nihil tamen, quod ipsius magnificentiæ par sit, obtulerit. Omnia enim ipsius sunt: nec pretij cuiusquam ea æstimabit. Quocirca hoc demum offerre operæpretium est, quod & pauper, quique nullas humanas opes habet, dono dare potest, id est, fidem per charitatem operantem: quod quidem etiam Deus à diuitibus offerri vult. Quid autem sibi volunt hæc verba, Meretricis horret, &c. Omnis anima per carnalem atque impudicam concupiscentiam diabolo sese, ac mundo, velut pretio addicens, ex opibus illis, atque copiis, quas ipsa contrahit, puro Christo aliquid offerens, libidinísque suæ mercedem dono dans, execrando, Deóque inuiso sacrificio fungitur.

† Meretricis horret) hoc est, Deus munus ab impuro, & scelerato animo proficiscens auersatur, quemadmodum & Psal. 40. non patitur ab homine iniquo & flagitioso laudes suas prædicari. Alludit autem hoc loco Gregorius ad illud Deuter. 23. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini tui, quicquid illud est quod vouerint, &c. Per meretricem autem allegoricè intelligit Theologus vitiosam animam, libidineq; affectam, vt Nicetas Sarronius exponit, quæ per carnalem, & mundanam cupiditatem aliquid elucratur, idque Deo offert. Quod quidem munus ipsi execrationi est. His autem verbis non hoc agit Auctor noster, vt improbos, ac flagitiosos homines à misericordia & liberalitate erga pauperes auertat, ac deterreat, sed eos admonet, ne hunc sibi beneficentiæ scopum proponant, vt sibi licere putent in scelerata vitæ ratione perstare, modò de pauperibus bene mereantur. Bill.

Μηδὲν ποτ' εὔξῃ, μηδὲ τῶν μικρῶν, θεῷ. 8.
Θεοῦ γάρ ἐστι πρὶν λαβεῖν. τί οὖν λέγω;
Κλέπτεις τὰ σαυτοῦ μὴ διδούς. καινοῦ ξένοις!
Ἀνανίας σε πειθέτω, Σάπφειρά τε.

Vota fideliter præstanda.

Nil pollicere, sit licet paruum, Deo.
Nam munus antè iam Dei est, quàm sumpserit.
Fur es tuorum (o debiti genus nouum!)
Act. 5. *Nisi des. Docent hoc Saphira, & vir perfidus.*

NICETAS. Nihil te Deo daturū pollicere, ne parua quidem & interitui obnoxia, cuiusmodi sunt omnia terrena. Hæc enim omnia, quæ nobis habere videmur, priusquàm aut ab eo acceperimus, aut ille à nobis sine vlla controuersia ipsius sunt, vtpote rerum omnium parentis & opificis, cuiúsque munere ac beneficio omnia nobis suppetunt. Quid igitur est, quamobrem Deo, ea quæ ab eo condita sunt, te daturum profiteris? Quódque sceleratius est, ne vota quidem tua præstas: contemnens videlicet illud Ecclesiastis, Melius est non vouere, quàm quod voueris non reddere. Quid igitur facis, cùm voto eo, quo te obstrinxisti, defungi non curas? Nempe aut tua ipsemet furaris, si quidem hoc demus, tua ea esse: aut quæ Dei sunt, nefariè ac sacrilegè surripis, Ananiæ & Saphiræ instar pecuniam auertens, Deóque, non hominibus mentiens. Interímque Gregorius huiusce debiti nouitatem admirabundè extulit.

Eccl. 5.

D. Gregorius hoc tetrasticho pia vota minimè improbat: sed hoc docet, ei, qui Deo aliquid vouere in animum induxerit, cauendum esse, ne hac falsa opinioñe imbuatur, quasi ipsi aliquid det, quod non priùs ipsius esset. Domini enim est terra & plenitudo eius. Nam alioqui non adeo literarum sacrarum rudis erat, quin præter innumera alia Scripturæ testimonia, illud quoque Dauidis ipsius memoriæ insideret, Vouete, & reddite Domino Deo vestro, &c. Langus, dum non aduertit in his verbis vers. 3. καινοῦ χρέους, subaudiri hanc particulam admirantis, ὦ, perperam hæc cum sequentibus connectit. Annotat porro Nicetas Sarronius in quibusdam codicibus, κενοῦ legi, non καινοῦ, sed in ea interpretatione aqua ei hæret, vt est in prouerbio. Nihil enim affert, quod cuiquam acri iudicio prædito satisfacere queat. Bill.

Psal. 23.
Psal. 75.

9. Πανήγυριν νόμιζε τόνδε τὸν βίον.
Ἢν πραγματεύσῃ, κέρδος. ἀντάλλαγμα γὰρ
Μικρῶν τὰ μείζω, καὶ ῥέοντ' ἀϊδίων.
Ἢν δ' αὖ παρέλθῃ, καιρὸν ἄλλον οὐκ ἔχεις.

Nundinarum instar vita hæc est.

Hanc esse vitam nundinas credas velim.
Negotiari si scias, lucrum feres,
Caduca mutans commodis perennibus.
Post tempus istud, alterum non suppetet.

NICETAS. Finge animo, inquit Theologus, te in hac vita tāquam in nundinis quibusdam, versari. Quocirca si probè negotiandi rationem teneas, lucrum hinc atque opes tibi accedent: contrà si negotiationis munus nō rectè obeas, detrimentum, & egestas. Quónam ergo modo commodè negotiaberis? Nimirum, si parua & terrena magnis ac cœlestibus bonis commutaris: proiectísque iis, quæ fluxæ caducæq; naturæ sunt, ea, quæ fluxus omnis expertia, & sempiterna sunt, adipiscaris. Etenim ea omnia, quæ ad voluptatem, & luxum, ac temporarium corporis cultum ab iis, quorū terrenus affectus est, studiosè quæruntur, & expetuntur, prætereunt: contrà ea omnia, quæ spiritalia sunt, Deóque grata, quæcunque sancta, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, ea, inquam, si omnibus viribus, atque omni animi contentione perficias. pulcherrimè negotiatus eris, amplissimúmque lucrum feres. Sin autem probas, atque cum virtute coniunctas actiones negligens, ac pro nihilo ducens, ea tantum, quæ in terra pereunt, ag gerere studeas, proculdubio salute ea, quæ probis recondita est, carebis. Atque eiusmodi sunt huiusce vitæ nundinæ: &, quemadmodum diximus, tum fructuosæ, tum incommodæ, ac detrimenti plenæ redduntur. Quæ cùm semel effluxerint, nullum iam aliud rei bene gerendæ tempus reperiri poterit.

Phil. 4.

10. Πολὺς μὲν ἐστὶν ὁ προκείμενος δρόμος.
Πλείων δ' ὁ μισθός. μὴ βλέπων τὸ πᾶν ἅμα,
Τοῦ παντὸς ἐκστῇς. καὶ πλέεις οὐ πᾶν ἅμα.
Καὶ τοῦτο πεῖρα πολλάκις τῶν δυσμενῶν.

Paulatim in virtute progrediēdum.

Est cursus ingens, qui tibi proponitur:
At ampla merces. Ne simul totum videns,
Totum relinquas. Non maris totas simul
Transmittis vndas. Hostis est sæpe hic dolus.

NICETAS. Hæc sententia ita accipienda est, quasi per obiectionem superiori subiungatur. At, inquies, ingens est curriculum, ac tempus longum, durúsque & grauis labor, qui virtutis causa suscipitur. Et quisnā est, qui hanc ærumnam exantlare, atque hoc certamen ad finem vsque obire queat? Verùm ita te compara, vt non laborem, sed laborum præmium, tibi ob oculos proponas. Etenim multo amplior atque copiosior est merces, nec duplo tantum, aut triplo, sed infinitis partibus maior, vtpote sempiterna, quàm molestia, quæ breui temporis spatio finitur. Quocirca tibi prouidendum est, ne ad vniuersum simul illud tempus, quo virtuti opera danda est, non sine animi dolore atque acerbitate oculos coniiciens, ac metu fractus & titubans, à certamine resilias. Nam ne ii quidem, qui nauigant, totum simul pelagus prospiciunt, ne alioqui nauseam hinc contrahant, ac protinus à suscepta nauigatione refugiant: verùm de die in diem itineris spatium fallentes, sensim tacitísque progressibus

cursum eum omnem, quem sibi proposuerunt, absoluunt. Etenim id quoque insidiosa quaedam ac veteratoria hostis nostri tentatio est, id agentis, vt in ipsis certaminis auspiciis imbecillitatem animi nobis ingeneret, tædióq; nos afficiat, ac resupinos prosternat. — Vitę sanctę difficultatē diabolus proponit.

11

Μὴ σφόδρα θαῤῥεῖν, μηδ᾽ ἀπελπίζειν ἄγαν.
Τὸ μὲν γὰρ ἐκλύει σε, τῷ δ᾽ ἀνατρέπῃ.
Τὸ μὲν κατόρθου, τοῦ δ᾽ ἔχου, τοῦ δ᾽ οὐ φθόνος.
Οὐχ ὡς ὁδοῦ τὸ λεῖπον ἀχρεῖοι πόνον.

Ne fide multùm, nec nimis spem proiice.
Mens languet illinc: prorsus hinc euertitur.
Hoc fac: tene illud: si nequis † porrò, vt viæ
Cassum haud laborem, quod tibi restat, facit.

Nō desperandum, si perfectionē assequi nequeam.

NICETAS. In proposito tibi virtutis certamine nec nimis confide, ac tanquam omnino hosti victoriam erepturus, animos attolle (id enim temeritatis nota non caret:) nec rursus per animi imbecillitatem, & ignauiā, spe omni abiecta cursum abrumpe, pedémque refer. Id enim ignaui ac timidi est animi: párque in vtroque periculum inest. Nam & nimia fiducia languorem ac socordiam parere solet: ac rursus nimia desperatio id affert, vt fractus ac depressus animus à certamine resiliat. Fac ergo (mediocritatis ac virtutis doctor admonet) ex his quæ tibi in via obiiciuntur, alia iam præstes, atque omnibus numeris absoluas, hoc est, ad lætū finē perducas: ac rursus alia capessas, totóque pectore in ea incumbas, nec per segnitiē inchoata relinquas. Si nequis porro, &c. Quamuis, inquit, ingens admodum ac naturæ tuæ facultate præstantius illud esse suspiceris, quod tibi Lex diuina agendum præscribit: caue tamen ob eam causam id facere cuncteris, ac pedem referas. Neque enim inuidiæ vitio Deus laborat, vt eum, qui cum pietate ac fide id quod verè bonum est agere instituit, propellat atque abiiciat. Vt viæ &c. Horum verborum mea quidem sententia hic sensus est: In iis peregrinationibus, quæ in hoc mundo suscipiuntur, nisi viator eam itineris metam, quam sibi proposuit, attigerit, frustra cadit omnis antè susceptus labor, inutilísque censetur. At qui per actionem & contemplationem ascensiones ad Deum disponit, Psal. 83. cùm aliud iam, vt ante dictum est, præstiterit, aliud nunc præstet, alia denique spe percipiat, etiam si ad summum ascensionis diuinæ fastigium minimè perueniat, animo tamen idcirco frangi minimè debet. Neque enim labor ille, quem pertulit, fructus expers ipsi est, quemadmodum illi, qui extremam viæ metam non attigit. Quin Phil. 3. potius quò propius ad finem accesserit, atque ad brabium supernæ vocationis appropinquarit, tanto magis salutem per spem percipiet.

† Porro vt viæ) Hunc locum sic fere exponit Nicetas Sarronius: Ne idcirco animo concidas, spémque omnem salutis abiicias, si numeros omnes virtutis explere nequeas. Est enim mediocri quoque virtute præditis in cælo sua sedes constituta. Multæ quippe sunt apud Patrem mansiones, vt ait Christus in Euangelio. Ioan. 14. Non enim iter aliquod facientium, & ad salutem contendentium eadem est ratio. Illis enim, nisi ad eum locum, quem sibi proposuerunt, peruenerint, irritus est omnis labor: at non item ei, qui in honesta viuendi ratione versatur, atque, vt Dauidis verbis vtar, ascensiones in corde suo disponit. Nec enim, si supremum virtutis apicem non attigerit, propterea desperatione frangi debet, perinde ac laborum omnium, quos exhauserit, nullus omnino futurus sit fructus. Langus hoc loco præterquàm quòd ab Auctoris sensu longissimè aberrat, in hoc quoque labitur, quòd κατορθοῦν vertit corrigens. quod quidem verbum longè hîc aliud significat.

12

Μὴ θερμὸν ἅπτειν, ἐμμένειν δ᾽ οἷς ἂν κρίνῃς.
Κρεῖσσον προκόπτειν, ἢ τι κόπτειν τοῦ καλοῦ.
Καὶ γὰρ κακοὺς καλοῦμεν, οὐχὶ τοὺς κάτω,
Τοὺς δ᾽ ἢν ὑψωθῶσι, πίπτοντας μέγα.

Præceps agas nil: cœpta sed ne deseras.
† Proficere præstat, quàm boni quid scindere.
Manens deorsum nam malus non dicitur,
Ad ima sed qui, celsius vectus, ruit.

Nec temere quicquā inchoādū, nec deserēdum.

NICETAS. Rursus admonet sacrosanctus virtutis Legislator, ne feruentiùs subsiliamus, atque actionibus vires nostras superantibus, aut contemplationibus naturæ nostræ captum excedentibus, temerè attollamur: verùm quæ certo iudicio ac considerata mente, réque certissimè comperta, atque vndecunque circunspecta & explorata, recta esse cognouerimus, in his demum firmè atque constanter perstemus: quoad melius aliquid diuinitus sese ostendat. Præstat enim id, quod hominum opinione vilius abiectiúsque esse censetur, eligere, ac paulatim in eo incrementa facere, quàm, dum sublimius aliquid, siue in sacris Ecclesiæ gradibus, siue in aliis, per ambitionem eligis, ac deinde progredi nequis, boni aliquid abscindere, atque imminuere. Hi etenim mali propriè appellantur, non qui humilem & abiectum inter homines gradum nacti sunt, sed qui præcipiti quodam animi impetu per ambitionem sese in altum efferunt, ac deinde per arrogantiam humi prolabuntur.

† Proficere præstat) Præstat, inquit Nicetas Sarronius, paulatim in virtute progredi, paruásque quotidie accessiones facere, quàm per animi oscitantiam & temeritatem hoc quoque bonum, quod iam adeptus eras, excindere. Pulchra autem est in Græco antithesis horum verborum προκόπτειν & κόπτειν.

13 Σπινθὴρ ἀνάπτει καὶ βραχὺς πολλὴν φλόγα,
Καὶ σπέρμ' ἐχίδνης πολλάκις διώλεσε.
Τοῦτ' οὖν ὁρῶν, ἔκκλινε καὶ μικρὸν βλάβος.
Μικρὸν μέν ἐστιν, εἰς δὲ μεῖζον ἔρχεται.

Etiã leuissimæ noxæ fugiendæ.

Scintilla magnas parua flammas excitat:
Ac viperinum semen haud rarò necat.
Ob idque noxam, quamlibet paruam, fuge.
Nam parua primùm sit licet, crescit tamen.

NICETAS. *Quemadmodum semen omne, quamuis perexiguum sit, tamen cùm terræ iniectum est, congruénsque alimentum accepit, paulatim amplificatur, atque ad ingentem magnitudinem excrescit, & exigua scintilla affrictu ferri ex silice prosiliens, in maximam flammam excitatur, ac denique viperæ semen, velut minima quædam guttula humano corpori furtim immissa, ei, qui morsus est, mortem plerumque affert: eodem quoque modo licet peccatum, cùm hominem primùm adoritur, paruum sit: neglectum tamen, ac postea paulatim progrediens & augescens, graue malum, animæq; perniciem iis, à quibus perpetratur, comparat. Eámque ob causam monet Gregorius, vt peccatum omne, quamlibet paruum ac leue videatur, suspectum habeamus, ac quandiu exiguum & imbecille est, pestem atque exitium, quod hinc nobis creatur, caueamus, ac per pœnitentiam deleamus: ne, si diuturniorem moram traxerit, viresque collegerit, tandem in insanabile malum desinat.*

14 Ερεύνα σαυτὸν πλεῖον, ἢ τοὺς τῶν πέλας.
Τὸ μὲν γὰρ αὐτὸς κερδανεῖς, τόδ' οἱ πέλας.
Κρείσσων λογισμὸς πράξεων, ἢ χρημάτων.
Τὰ μὲν γάρ ἐστι τῆς φορᾶς, τὰ δ' ἵσταται.

Præstat seipsum excutere, quàm alios: & virtutibus quàm pecuniis diuitem esse.

Te potiùs ipsum, quàm propinquos excute.
Lucrum tibi illud, proximis istud feret.
Numerare præstat acta, quàm vastas opes.
Nam semper acta permanent: opes fluunt.

NICETAS. *Quoniam nihil est quod homines promptius ac libentius faciant, quàm vt aliena, siue mala ea, siue bona sint, circumspiciant, sua interim vt plurimum negligentes: admonet Gregorius, vt nostra potiùs perscrutemur, quàm in aliena curiosè inquiramus. Etenim suorum scelerum indagatione ille ipse qui se explorat atque excutit, plurimum vtilitatis capit, dum videlicet iniquitatem suam, tanquam serpentem aliquem in pectore suo delitescentem, prodit, ac per confessionem interimit. At cùm proximi peccata scrutatur, in eáque inquirit, illi quidem vtilitatem conciliat (vt qui reprehensionis metu sese præmuniat, cautiúsque vitam instituat, ac fortasse peccandi finem faciat) ipse verò detrimento afficitur, siquidem non salutis illius cura, sed liuore atque improbitate adductus, alienam vitam curiosiùs sibi rimandam & explorandam existimet. Ob idque ait: Præstat actiones suas subducere atque excutere, quàm pecuniarum numerum ac rationem inire. Hæ enim, quamlibet earum incrementum supputes, quamlibet accuratè rationem iniens, amplificare tibi eas videaris, tamen cùm fluxæ sint, aliàs ad alios migrant, nec constanter tecum permanent. At verò actionum perpensio, ac cogitationum animi indagatio, & examinatio, ac perpurgatio, ad tranquillitatem omni perturbatione vacuam ducit, atque in omne æuum manet.*

15 Ὁ νοῦς ἀεί σοι καμνέτω τυπούμενος
Θείοις νοήμασί τε καὶ βίου λόγοις.
Γλώσσης δὲ φείδου. καὶ γὰρ εὐκολωτέρα
Βλάπτειν, τὸ κέρδος δ' ἧσσον εὖ κινουμένης.

Coërcẽda lingua.

Diuina menti sensa fige sedulus:
Sempérque vitæ sculpta sit sermonibus.
At parce linguæ: nam nocet promptissimè:
Minúsque prodest, cùm celer fundit sonos.

NICETAS. *Audiamus nos, qui monasticam, ac cum virtute coniunctam vitam profitemur, quid faciendum nobis virtutis Legislator censeat. Nempe vt mens nostra in perpetua cura ac solicitudine versetur, nimirũ & in sacris ac diuinis cogitationibus, & in Scripturis diuinitus inspiratis meditans, idque agens, vt vita nostra his informata, ac velut ad normam directa, tum ad actionem, tum ad contemplationem probè comparetur. At verò, linguæ vt parcamus, ipsiúsque petulantiam comprimamus, præcipit vt ne promptè ac temerè ad docendum, vel ad prodenda fidei dogmata per arrogantiam prosiliat. Nam ipsa ad omnem loquacitatem effrænato impetu concitata, in hæreses atque exitium eos, qui ab ipsa non satis sibi cauent, detrudere atque impellere, animámque facilè in periculum inferre consueuit. Quinetiam, vt eam demus probè ac præclarè moueri, pietatísque doctrinam rectè pronunciare: tamen nisi vita quoque eiusmodi sit, in quam nulla reprehensio cadat, haud ita multum fructus atque vtilitatis ex huiusmodi facundia ad auditores redit.*

Ὄφις συνήρπασέ με, πλὴν ἀλλ᾽ ἐχέθη. 16.
Εἴδωλον οὐκ ἔστησα τῆς ἁμαρτίας.
Εἴδωλον ἐστι; πεῖραν ἐκπεφεύγαμεν.
Βαθμοὶ τάδ᾽ εἰσὶ τῆς πάλης τοῦ δυσμενοῦς.

Gradus peccati.

Visus quidem me cepit: at repressus est,
In mente forma picta nec noxæ est mea.
† Imago picta est? facinus at vitauimus.
His gradibus hostis subdolus nos impetit.

NICETAS. Posteaquàm Gregorius mentem ac linguam instruit, nunc iam singulos animæ sensus componit, aitq́; Visus repente me corripuit: nimirum corporis puchritudine perstrictus, aut quapiam alia re, quæ auidis oculis admirationem commouere solet. Est autem visus sensuum omnium præstantißimus, vt qui sensile omnium pulcherrimum, hoc est, lucem, arripiat. Oculus ergo repente corpus aliquod splendidum, aut eximia pulchritudine præditum, conspicatus, me abripuit: id est, me de mentis gradu deiecit, ac conspectæ rei pulchritudine totum inflammauit. At repressus est, Deique metu coërcitus, ac præcepti diuini recordatione ita euersus & extinctus, vt ne simulacrum quidem, hoc est vestigium, & imago malæ cupiditatis in animo remanserit. Primus hic gradus est, ac peccati expers: quoniam simplex assultus extitit. Quòd si simulacrum hæserit, ménsque rei conspectæ formam, aut elegantiam libidinoso quodam affectu sibiipsi insculpserit, hic iam secundus gradus est, atque inchoatum peccatum existit: si modò peccatum ipsum non reipsa expleuit ac perpetrauit. Tres igitur hi sunt gradus certaminis illius spiritualis, quo communis hostis animas nostras laceßit, nempe aggreßio, simulacrum, & ipsa sceleris perpetratio. Ac quidem longè optimum est primum propulsare, atque ita reliquorum expertem manere. Sin autem in secundum collapsi fuerimus, posterius illud est, vt saltem ab opere ipso, quod certißimam perniciem affert, abstineamus.

† Imago picta est) Langus vertit, Spectrum dolum tetendit, at nos fugimus. Vbi perspicuè labitur, dum πεῖραν*, id est,* πρᾶξιν*, iungit cum* ἐστι*, non autem cum verb.* ἐκπεφεύγαμεν.

Κηρῷ τὰ ὦτα φράσσε πρὸς φαύλους λόγους, 17.
Ὠδῶν τε τερπνῶν ἐκμελῆ λιγίσματα.
Τοῖς δ᾽ αὖ καλοῖς τε, κἀγαθοῖς ἀεὶ δίδου.
Εἰπεῖν, ἀκοῦσαι, καὶ δράσαι, μικρὸν μέσον.

Ad turpia claudendæ aures.

Occlude verbis turpibus cera tuas
Aures, sonisque cantuum mollißimis.
Pateant honestis semper at sermonibus:
Audire, fari, facere, non distant procul.

NICETAS. Quemadmodum cùm per visus fenestram, libidinis affectus in animum influit, eúmque aggreditur, is, qui mentis castitate præditus est, oculos suos claudens, hanc, velut impactis colaphis, à se propulsat: sic eadem per impudentem auditum illabi conante, admonet sanctus Pater, vt cera aures nostras obstruamus, eásque à venereis, & fœdis, atque inhonestis sermonibus, meretriciísque cantilenis animum demulcentibus, & diabolicis carminibus ad voluptatem prorsus accommodatis, mentísque neruos omnes infringentibus, eámque effœminantibus, nosipsos abducamus. Quemadmodum igitur qui Sirenæos scopulos præteruehebantur, ad earum cantus aures suas, vt poëtæ fingunt, cera obstruebant, sic tu quoque, inquit, tanquam surdus non audiens, venereorum carminum modulos auersare: solísque honestis, & egregiis Spiritus oraculis aurem cordis subiice, Psal. 37. *† téque ita compara, vt, cùm lingua Dei laudes cecinerit, ad eúmque preces adhibuerit, auris rursus audiendis sæpe ex eo, quæ audire operæprecium est, pateat. Atque interim dum quis partim ad Deum loquitur, partim eum loquentem audit, illud quoque curandum est, vt paruum saltem aliquod opus efficiat, lege diuina videlicet, ac virtute dignum.*

† Téque ita compara) Hîc non omnino verti, vt habetur in Græco. Erat enim absurdum dicere, Da aurem tuã, vt partim loquatur ad Deum, partim eum audiat. Et certè hoc loco interpretem Græcum prorsus fugit, quid hæc verba velint, εἰπεῖν, ἀκοῦσαι, καὶ δρᾶσαι, μικρὸν μέσον. *Hoc enim versiculo nil aliud innuit Gregorius, quàm parum interesse inter auditum & sermonem, atque opus: hoc est, eum qui turpia verba libenter audit, eum facilè quoque eadem pronunciaturum: qui autem turpibus sermonibus delectatur, eum turpe opus facilè quoque admissurum. Quod cùm ne Langus quidem, interpres alioqui doctißimus, satis animaduerterit, Græca verba in alienißimum prorsus sensum detorsit. Nam præterquàm quòd versiculum tertium cum postremo malè connectit, nullo etiam modo Gregorij mentem assequitur. Bill.*

Μὴ λίαν δ᾽ ὀσμῶν ἐκλύου θηλύσμασιν, 18.
Ἀφῆς τε λειότησι, μηδὲ γεύσεσι.
Τί ἂν ποτ᾽ ἀνδρίσαιο τῶνδ᾽ ἡττώμενος;
Χωρὶς γυναικῶν καὶ ῥέννων ἡδύσματα.

Cauendum ne olfactui & tactui indulgeamus

Cauendum odores ne nimis te effœminent,
Tactúsque mollis, gutturi & dulcis sapor.
Ab hisce victus, quid viro dignum geres?
† Sua est voluptas fœminis, sua & viris.

NICETAS. Postquàm detrimenta ea, quæ ex aspectu atque auditu ad animam redeunt, purgauit, iam eas quoque labes ac maculas, quæ sensus alios consectantur, repurgat, admonens videlicet, vt ne in iis admodum emolliamur & effœminemur, hoc est, vt nec odorum suauitatibus diffluamus, nec ciborum varietatibus ac lenociniis demulceamur, nec eorum, quæ in tactum cadunt, vsu deliniamur, atque in fraudem impellamur: quandoquidem libido ea atque intemperantia, quæ his rebus adnexa est, à Dei metu, ac præceptorum obseruatione mentes quàm longissimè remouet. Nam si huiusmodi voluptatibus succubueris, emollitúsque fueris, inquit Gregorius, qua tandem in re animi præstantiam, mentísque firmitatem ostendere queas? Cum enim & odoribus olfactus nimis afficitur, & saporibus gustus plus æquo delectatur, ac velut seruitute opprimitur, & tactus rursus læuitatibus emollitur & eneruatur, ecquando tandem aliquid viro dignum, ac vitæ sanctitati consentaneum, animo & cogitatione complecti possis? Hæc enim omnia ignaui ac muliebris sunt animi, atque ab hominibus flagitiosis, & Gentilibus in terra summo studio curantur & expetuntur: nec quicquam commune habent cum virilibus ac strenuis animis eorum, quorum conuersatio in cœlis est.

† Sua & fœminis) Allegoricè hoc loco Nicetas Sarronius per mulierem, animam ignauam & effœminatam intelligit, quæq; eas tantùm voluptates agnoscat, quæ sensibus percipiuntur, nec commune quicquam habent cum forti ac virili anima, iísque oblectamentis, quæ in earum rerum, quæ animo solo & ratione intelliguntur, contemplatione sita sunt.

19. Δὸς, εἶπε γαστήρ. ἢν λαβοῦσα σωφρονῇς,
Δώσω προθύμως. ἢν δὲ τοῖς κάτω διδῷς,
Κόπρον λάβοις μὲν, ἀλλ' ὅμως μὴ πλουσίαν.
Εἰ δ' οὖν κατάσχοις, δώσομεν καὶ πλουσίαν.

Reprimendam esse ingluuiem.

Da, venter inquit. Perlubens sanè, modò
Sis castus. at si † partibus des infimis,
Habebis à me stercus, ídque parcius.
At temperanti largius præbebitur.

NICETAS. Posteaquàm impudicitiam ac libidinem, quam anima per sensus contrahit, compescuit ac repressit, his versibus ingluuiem, vt efficacissimam fornicationis causam comprimens, ait: Da, venter inquit, nimirum ea omnia quæ tum è terra, tum è mari, atque aëre iucunda percipi possunt, quæq; munificentissima Dei manus nobis ad vsum liberalissimè copiosissiméque donauit. Da, inquit venter, vt hæc omnia deuorem, atque his exaturer & oblecter. Ego verò ad eum: Siquidem temperanter, & ad Dei gloriam oblatis vti noris, promptè ac lubenter, quantum fas est, dabo. At si minimè temperanter ac moderatè iis vtens, verùm ad inferiora, hoc est, ad eos affectus, qui in iis partibus existunt, quæ ventre inferiores sunt, propendens, ad libidinis inflammationem, & Dei Creatoris contumeliam ea trahas, quo tandem modo dabo? Aut, stercus quidem, hoc est, necessarium, & quo sublato vita sustineri nequit, cibum accipies: parcum autem eum minimeque copiosum: ne contracto ex satietate incendio, in libidinem ac petulantiam proruas. Quòd si per egestatem ac penuriam castigatus, tete contineas, ac temerarios, & à ratione auersos corporis appetitus comprimens atque coërcens, humiliter ac summissè te geras, tum demum alimenti quantum sat sit, copiosiùs tibi subministrare minimè recusabimus.

† Partibus des infimis) id est, Si copiosius liberaliúsque nutritus, in libidinem prorumpas, parcius te alam, nec committam vt ciborum copia distentus ad Venerem inferuescas. q.d. Tantulum à me alimenti accipies, quod alui meatu excerni possit, non autē quod genitale quoque semen tibi augere, téq; ad libidinē inflāmare queat. Bill.

20. Γέλως γέλωτος εὖ φρονοῦσιν ἄξιος.
Μάλιστα μὲν πᾶς, τὸν πλέον δ' ὁ πορνικός.
Γέλως ἄτακτος ἐκφέρει καὶ δάκρυον.
Κρεῖσσον κατηφὲς ἦθος, ἢ τεθρυμμένον.

Compescēdum risum esse.

Risum meretur quilibet, sanos apud,
Risus, procáxque maximè & meretricius.
Fletum immodestus haud leuem risus parit.
Tristem esse præstat, quàm solutis moribus.

NICETAS. Postquàm Theologus ingluuiem, ventrísque væsanam illam, quæ erga mensas afficitur, cupiditatem compressit, deinceps adiunctum ipsis petulantem, & meretricium risum insectatur. Ac risum quidem omnem risu dignum esse pronunciat, tanquam ineptis, stultisq; pueris congruentem, vt quibus tota vita prorsus ridicula, & proterua, atque intemperans sit, nimirū in omni scurrilitatū, obscœnorúmq; verborum, ac voluptatū genere

genere degentibus: præsertim autem procacem ac meretricium, despicabilem ac Deo inuisum & execrandum esse statuit, vt qui diris in Euangelio configatur, ac gehennæ luctus & gemitus nobis conciliet. Ac sanè lacrymarum futuri seculi, ac iudicij, perspicuum quoddam præludium in iis lacrymis cernere est, quæ in petulanti atque effrenata procacis risus effusione, ex vehementi & immodica partium distensione, & oculorum compreßione, plerisque interdum effluunt. Ergo hic quidem risus prudentibus, ac modestis hominibus irrisione dignus censetur, vt qui tum demum existere videatur, cùm effunditur, nec vltrà sit: aut quia stolidis hominibus tanto studio atque amori est. At idem miserandus est, vt qui sempiternum eiulatum accersat. Ac proinde adiungit Theologus, longè meliores, ac præstabiliores esse mores tristes, quàm lasciuos, atque inhonesto risu diffluentes.

Luc. 6. Lacrymæ ex immodico risu orientes, lacrymarum inferni præludiũ sunt.

Κάλλος νόμιζε τὴν φρενῶν εὐκοσμίαν, 21.
Οὐχ ἣν γράφουσι χεῖρες, ἢ λύει χρόνος,
Ὄψει δ' ὅσον περ νοῦ σώφρονος γνωρίζεται.
Αἶσχος δ' ὁμοίως τὴν φρενῶν ἀκοσμίαν.

Verum decorem mentis ornatum puta,
Non quem manus vel pingit, aut delet dies,
Oculus pudicæ mentis ast quem perspicit:
Deformitatem rursus at mores malos.

Vera pulchritudo in virtute sita.

NICETAS. Vos qui corporum venustatem & elegantiam accuratè ac sedulò consideratis, animique cupiditatem ad eam excitatis, perspicite atque animaduertite, quàm vanæ, ementitæq́; pulchritudini innitamini. Pulchritudo enim verè ac propriè est ac nominatur mentis decor & elegantia. Quæ quidem nomine propriè appellari nequeat ea pulchritudo, quam manus hominis pingunt, ac sculpunt (nam & interit & extinguitur) nec rursus ea, quam natura finxit & informauit: quippe quæ mortalis sit, atque eiusmodi, vt facilè marcescat, ac senio labefactetur, & in puluerem dilabatur: nec denique ea, quæ terreno oculo, qui externa tantùm perspicit, exploratur, vt egregia ac præclara: verùm quod prudentis, & casti animi, spiritùque diuino illustrati contemplatione consideratur atque intelligitur, id demum pulchrum, atque adeo pulchritudo ipsa, id demum amandum, & verè expetendum dici debet. Quemadmodum ergo pulchritudo non in apta membrorum compositione cum coloris elegantia coniuncta, quæ ab iis cernitur, qui corporea duntaxat intuentur, sed in morum grauitate atque constantia, mediocritatéque ab omni excessu & defectu remota, ac denique in spiritus Dei gratia, super omnem coloris elegantiam pulchro vndique illucente, perspicitur: ad eundem etiam modum deformitas non in membrorum corporis dedecore, atque inæquabilitate, sed in animi inconstantia, & mentis stoliditate constituenda est.

Λῦπαι παρεισῆλθον, ἡδοναί, θάρρη, φόβοι, 22.
Πλοῦτος, πενία, δόξα, δυσκλεία, θρόνοι;
Ῥείτωσαν, ὡς θέλουσιν· οὐδὲν ἅπτεται
Τῶν οὐ μενόντων ἀνδρὸς εὖ βεβηκότος.

Mœror, voluptas, terror, & fiducia,
Opes, egestas, gloria, ac infamia,
Venere, sedésque editæ? Vt volunt, fluant.
Firmum caduca nulla res tangit virum.

NICETAS. Mœrores tum demum existere consueuerunt, cùm vel e[...] vel ea, quæ speramus & expetimus, haudquaquam assequimur. Voluptat[...] compotes efficimur, aut iis, quæ amamus, potimur. Sic fiduciæ tum denique o[...] cursu fertur, résque omnes ex animi nostri sententia nobis succedunt. Metu[...] occurrunt, iique, qui hostili atque infesto in nos animo sunt, rerum poti[...] cultates nostræ repente amplificantur: egestas autem, cùm eædem imminuun[...] deficiunt. Sic in gloria tunc versamur, cùm externi laudibus atque comme[...] honoribus ac dignitatibus applaudunt: in infamia autem, cùm hæc omnia abii[...] ciamur. Hæc porro omnia, vt quæ vitæ ludicra sint, atque ad breue tempus oblect[...] mant aut deliniant, euehant aut deprimant, non secus atque insomnium quoddam a[...] magni nostra interesse putemus, hócne an illud veniat. Quamocißimè enim abeunt, v[...] que constantia prædita sint. At verò sapientis profectò, grauísque ac constantis viri [...] oraculis firmißimè defixi, nec in rebus lætis ac prosperis animo efferri, atque committe[...] emolliatur, nec rursus iis, quæ sinistra & aduersa existimantur, contrahi atque consternari.

Ὕψου δὲ βίῳ τὸ πλεῖον, ἢ φρονήματι.
Ὁ μὲν θεοῖ σε, τῷ δὲ καὶ πίπτεις μέγα.
Τεύξῃ δὲ τούτου, μὴ μικροῖς μετρούμενος.
Κἂν πλεῖστον ἀρθῇς, εἶ κάτω τῆς ἐντολῆς.

Non ad inferiorũ modulum, sed ad Dei legem exigẽda vita nostra est.

Sit alta vita: non item alti spiritus.
Illud beabit: miserè at hoc te deprimet.
† Id fiet, haud te paruulis si conferas.
Altus licet sis, te supra Lex est tamen.

NICETAS. *Vita is extollitur, qui per sinceram & accuratam legis diuinæ obseruationem affectum carnis interemit, ac supra humilitatis corpus penè assurrexit. Affectu autem extollitur, qui arrogantiæ vitio non omnino caret, sed inani hominum laude insolescit, atque hypocritarum in morem sese ipse commendat. Admonet itaque vir diuinissimus, vt vita quidem per Dei imitationem in altum subuehamur, ad Iesum nimirum mitem & corde humilem accedentes: non autem affectu, ac falsa & inaniter de nobisipsis concepta opinione, atque aliorum contemptione, altiùs quàm par sit, efferamur. Etenim hoc quidem affert vita ad Dei imitationem comparata, vt Dij efficiamur: at superbia, vt diuina oracula testantur, ruina comes est. Quánam ergo ratione fiet, vt in altum subuehentem, ac diuinitatem afferentem humilitatem adipiscaris? Nimirum si non id agas, vt cum paruis te metiens, atque cum his, qui humi defixi sunt, comparans, vanè intumescas, magnificéque de te sentias, & loquaris. Nam ex eo quòd quispiam se cum minoribus metitur atque confert, haud dubiè ipsius animus, vt qui plerosque antecellat, attollitur. At tu, inquit, ad mandatum oculos coniiciens, eúmque ipsum, qui salutares leges tibi instituit, etiamsi altè supra eos, qui Gentilium more viuunt, assurrexeris, ac multorum rectè atque honestè viuentium virtutem æquaueris, perspicies tamen reuera te humi iacere, atque à summo perfectionis gradu plurimum distare.*

Philip. 3.

Matth. 11.

Prouer. 16.

† Id fiet, haud te) Hoc loco quid in mentem Lango venerit, coniicere nequeo, qui ita vertit, Supra modum si metiere te, rues. Hæc enim cum Gregorij verbis ac sententia ex diametro pugnant.

24. Δόξαν δίωκε, μήτε πᾶσαν, μήτ' ἄγαν.
Κρεῖσσον γὰρ εἶναι τῦ δοκεῖν. εἰδ' ἄμετρος εἶ,
Μὴ τὴν κενὴν θήρευε, μήτε τὴν νέαν.
Τί γὰρ πιθήκῳ κέρδος ἣν δοκῇ λέων;

Studẽdum vt boni simus, nõ vt habeamur.

Famam nec omnem, nec nimis quæras velim.
Probum esse præstat, quàm videri. Sin modum
Horres, inanem tu, nouam &, saltem fuge.
Leonem haberi simiam quid iuuerit?

NICETAS. *Quædam est gloria ac fama haud bona, quæ ad magnam orbis partem per breue quoddam tempus sese fundit, ac propagat, sic tamen vt ex ea nullus ad eos, quorum laudes celebrantur, vtilitatis veniat: quam quidem ad multorum incõmodum ac detrimentũ prouehere atque amplificare solet hostis. Est autem etiã illud gloriæ genus, quod in terra vires colligit, nimirum eorum, qui rectè atque ex virtute viuunt: quam quidem gloriam ad eorum, qui ea aliquem afficiunt, ædificationem & vtilitatem Deus procurat, ac prouehit. Tu ergo, inquit Gregorius, nec gloriam omnem expetendam puta, nec eam tibiipsi augere stude, vt hypocritis & gloriæ cupidis in more est: nec rursus eam quoque ipsam, quæ virtute comparatur, nimis affecta, ac velut consertis manibus retine. Quid enim tibi cum vulgi existimatione est, cui illa cura antiquissima esse debet, vt verè ac reipsa probus sis? Etenim vltra comparationem omnem præstantius est esse, quàm videri. Age enim, cùm opibus affluas, ac bonis omnibus refertus sis, quid tua refert, si homines opinionis errore hoc sibi fingant, te in paupertate atque in pia versari? Eodem modo, si Deo charus sis, quid tibi curæ est, si vulgus id nesciat? Quòd si immodica q[illegible] oriæ cupiditate æstuas, multos videlicet tuarum laudum præcones habere expetens, vt hac rat[illegible] rtutem instruas & allicias, at saltem id caue ne inanem gloriam aucuperis, eorum ni[illegible] m beatum esse censent, imposturam amplectens: nec item nouam, quæq; ex humanis [illegible] honoribus gignitur. Quid enim ex eo emolumenti ad simiam redit, quòd leo esse [illegible] modum nil prodest, cùm fœdis affectibus labores, plurimúmque à perfectione absis, [illegible] pertu[illegible]atione vacuum ab hominibus haberi: nec, cùm regno aut episcopatu indi[illegible] onoribus duci: quemadmodum videlicet, nec, cùm opibus ac pane careas, quicquam [illegible], quòd plerique te ingentes auri thesauros habere suspicentur.*

[illegible]ινε μὲν ἄλλον, μὴ φρόνει δ' αἰνούμενος.
[illegible] γὰρ δέος σε τῶν ἐπαίνων ὑστερεῖν.
Μηδ' ἄλλον εὐθὺς, πρίν γε τῇ πείρᾳ μάθῃς.
Μήπως κακοῦ φανέντος, αἰσχύνην ὄφλῃς.

Lauda quidem alium: ne tume ad laudes tuas.
† Impar verendum est namque ne sis laudibus.
Nec antè laudes alterum, quàm noueris.
Ne mox rubescas, improbè si se gerat.

NICETAS. *Quin tu, inquit Gregorius, pietatis ac virtutis nomine alium laudes, non modò non prohibuerim, sed etiam auctor fuerim: cæterum te id monitum velim, vt cùm ab aliis ipse laudibus afficeris, ne propterea animos attollas, nec virtutum tuarum prædicatione vanè inflatus, magnificè atque arroganter de te sentias.*

Vereri

Vereri enim ac cauere opus est, ne laudibus iis, quæ in te conferuntur, impar inueniaris. Quin hoc quoque à te Gregorius postulat, vt ne ad aliorum quoque laudem & commendationem nimis promptum ac facilem te præbeas. Vt enim tibi metuendum est, cùm tuæ laudes prædicantur, ne iis indignus videaris: sic tibi quoque alium laudanti prospiciendum est, ne temerè, réque non certissimè comperta, antequàm periculum exactius feceris, ad laudandum te conferas: ne alioqui, si ille postea improbus compertus fuerit, pudorem ea res tibi afferat, vt qui præmaturè ea asserueris, de quibus parum tibi constabat.

† *Impar verendum*) δέος σε τῶν ἐπαίνων ὑπερεῖν. *Quæ verba incommodè sanè Langus sic reddidit: Egere laudatoribus videbere. Sic vers.* 4. αἰσχύνην ὄφλῃς, *transtulit, turpiter teipsum dabis, parum ad explicandum Gregorij sensum appositè.*

Κακῶς ἀκούειν κρεῖσσον, ἢ λέγειν κακῶς. 26.
Ὅταν περιθῇ τις ἄλλον εἰς κωμῳδίαν,
Ὡς εὐφρανῶν σε, σαυτὸν ἐκκεῖσθαι δόκει.
Ὧδ᾽ ἂν μάλιστα δυχεράνῃς τῷ λόγῳ.

Audire malis probra, quàm ipse dicere. Aliorũ obtrectationes iniquo animo ferendæ.
Cùm quis cauillis alterum petit, tibi
Placere credens, te putes ipsum peti.
Sic displicebit plurimum sermo hic tibi.

NICETAS. *Conducibilius est, inquit vir sanctus, malè audire, ac conuitiis, & dicteriis impeti, quàm vt aliis huiusmodi iniuriæ à nobis inferantur. Quid ita? Quoniam si impij frustra atque immeritò propter pietatem aut virtutem nos probris insectantur, non est dubium quin ea res, beatitudines à Domino promissas, ac cælestes mercedes nobis sit allatura. Sin autem meritò ob scelera nostra in nos maledicta conferuntur, sic quoque ea res vtilitati nobis est: vt qui per huiusmodi probra sordes nostras eluamus & abstergamus. Contrà dum maledictis, atque conuitiis proximos ipsi incessimus, siquidem id eò facimus, quòd proborum hominum virtuti inuideamus, atque infesti simus, miseri sanè, ac perditæ cuiusdam improbitatis homines sumus, atque, vt quosdam ex paruis illis, qui in Iesum crediderunt, offendentes, condemnabimur. Sin autem meritò eos, vt scelerate viuentes, vituperamus, ipsisq́ succensemus, profectò, qua mente, quóque animo id faciamus, Deus comperiet.* Matth. 18. *Etenim si vt & illis emendationis, ac pœnitentiæ viam per obiurgationes aperiamus, & ij qui nobiscum versantur, vitij cum illis consortium ac societatem dirimant, hoc facimus, insontes proculdubio, nullíque culpæ affines iudicabimur. Sin verò vt præcipitem iracundiam, atque inconsultum odium expleamus, maledictis eos configimus, quónam tandem modo oblocutionis, aut condemnationis proximi culpam effugere queamus? Quidnam igitur faciendum est? Cùm quis, inquit, alium quempiam irridendum, atque conuitiis impetendum proponit, vt hoc pacto aures tuas pascat & oblectet, tum si eum, tanquam teipsum, ad cauillandum ac suggillandum expositum tibi fingas, eámque, qua ipse afficitur, contumeliam tuam esse ducas, ita demùm & de teipso, & de illo præclarè mereberis, nimirum huiuscemodi maledicentia animum tuum offendi præ te ferens.*

Μηδὲν μέγ᾽ εἴπῃς εὐπλοῶν πρὸ πείσματος.
Πολλοῖς πρὸς ὅρμον εὐπλοοῦν ἔδυ σκάφος. 27.
Πολλοὶ προσωρμίσθησαν ἐκ τρικυμίας.
Μί᾽ ἀσφάλεια μὴ ὀνειδίζειν τύχας.

Ne te antè iactes, quàm sit in portu ratis. Lapsis non insultandũ.
Periere multi iam propinqui littori.
Vado appulere, turbine acti, plurimi.
Mala exprobrare nemini, certa est salus.

NICETAS. *Quemadmodum ei, qui faustè nauigat, etiamsi secundis ventis feratur, tamen ob incertum nauigationis exitum haud tutum est gloriari, atque ante rudentem, hoc est, funem eum, qui nauem ad portum alligat, magnificè sese iactare: ac rursus quemadmodum is, qui humanis opibus circumfluit, in diuitiarum incertitudine spem suam ac fiduciam positam habere non debet, peruulgatique illius dicti obliuisci, Vide finem longæ vitæ: eodem modo nec ei, qui virtutibus abundat, cuíque spiritales gratiæ ex animi sententia fluunt, committendum est, vt priusquam ad cælestem portum peruenerit, sese iactet, ac magnificis verbis vtatur. Multis enim hoc accidit, vt cùm ex grauissimis fluctibus ac tempestatibus incolumes euasissent, in ipso penè littore naufragium repente fecerint. Eodémque modo plerisque, qui in honesto atque inculpato vitæ genere decertare aut exerceri videbantur, hoc contigit, vt ex incerta quadam, vel etiam aperta atque conspicua causa proditi, in graue periculum inciderint, ac cælesti beatitudine caruerint. Quocirca hæc vna vtrisque, hoc est, tam iis, qui in sensum cadens hoc mare, quàm qui spiritale traiiciunt, est cautio, nempe vt in perpetuo metu versentur, sibíque ipsis animum adhibeant, sicq́ se comparent, vt nec iis, qui iuxta carnem in periculum venerunt, fortunas & calamitates exprobrent, nec iis, qui iuxta spiritum à Deo aberrant, atque concidunt, maleuolo animo insultent, eósque condemnent: quin potius ex aliorum calamitatibus, acerbisque casibus metum ac tremorem concipiant, cautiúsque sese communiant.* τέλος ὁ ἐκ μακροῦ βίου.

Κρεῖσσον καλῶς βιοῦντα, καὶ πονούμενον, 28.
Παῤῥησιάζεσθαι τι πρὸς τὸν δεσπότην,

Ἢ μὴ καλοῖς θάλλοντ' ἀπαιτεῖσθαι δίκην,
Εἰ καὶ τὰ πάντα σὺν λόγῳ πορεύεται.

Piorũ calamitas impiorũ prosperitate præstât. or.

Bene victitantem, tristibus pressum & malis,
Sermone præstat libero affari Deum,
Noxis onustum quàm graues pœnas dare.
Ratione quamuis optima quiduis fluat.

NICETAS. Audiui probè viuentes Dei prophetas, ac multos sanctos, tum pro sua paupertate atque ærumna, tum pro tyrannide & oppreßione, quam ab iniustis hominibus perpetiuntur, grauißimè sese discruciãtes, animúmque penè despondentes, atque aduersus Dei lenitatem murmurantes. Vidi rursus alios, qui omnibus huiusce vitæ bonis circunfluebant, atque in omni luxus ac deliciarum genere versabantur, nec quicquam, quod Psal. 48. *ex virtute esset, Deóque probari posset, gerentes, † hoc vno excepto, quòd in omnibus gratias agebant, ac Dominum, cùm ipsius beneficiis afficerentur, laudibus efferebant. Præstat itaque, ait Gregorius, vt quispiam rectè, acque, vt sanctis viris consentaneum est, viuens, atque ita se gerens, vt nulla in eum peccati labes hæreat, liberius aliquanto propter ardentißimam vim acerbitatum Deum alloquatur, ac nonnihil ob ipsius iudicia stomachetur & submurmuret: quàm vt intemperantiæ, & auaritiæ, atque omni libidinis generi tempus omne impendens, ac perpetuò florens, pœnas tandem in die iudicij luendas habeat: † etiamsi nihil se inconsideratè, nec sine ratione facere putet.*

† Hoc vno excepto) Nil necesse habuit Cyrus hoc addere. Non enim hoc vult Gregorius, impios homines de acceptis beneficiis Deo gratias agere: sed duntaxat, non murmurare (quid enim in summa prosperitate atque omnium rerum affluentia murmurarent?) vt pios illos viros, de quibus antè verba feci.

† Etiamsi nihil) Hæc verba Cyrus de impiis intelligit: atque ad eundem sensum versionem suam Langus accommodat. Neutri tamen hac in re vllo modo assentiri possum. Ad Deum enim haud dubiè hæc sunt referenda: quem (etsi piis viris nonnunquam substomachari ac murmurare in mentem veniat, quòd & se innumeris calamitatibus premi, & impios contrà læta ac prospera omnia habere perspiciant) nihil non tamen rectè, & summa cum ratione administrare certißimum est.

29 Πρόου τὰ πάντα, καὶ θεὸν κτῆσαι μόνον.
Εἶ γὰρ μεριστὴς χρημάτων ἀλλοτρίων.
Εἰ δ' οὐ θέλεις τὰ πάντα, δὸς τὰ πλείονα.
Εἰ δ' οὐδὲ τοῦτο, τοῖς περιττοῖς εὐσέβει.

Eleemosynæ studendum.

Depelle cuncta: sint opes solus tibi
Christus. Tuæ, quas porrigis, non sunt opes.
Si cuncta non vis, maximam partem dato.
Si ne hoc quidem vis, quæ redundant, eroga.

NICETAS. Tres eorum gradus esse, qui ob corporeas opes, ac pecuniarum administrationem probandi sint, ostendit Gregorius. Primus ac perfectus, & non nisi perfectis congruens, in eo situs est, vt quis facultates omnes suas proiiciat, atque ad Deum præmittat, ac Christum acquirat, ipsíque soli purè viuat. Alienæ enim sunt opes ac possessiones, vt quæ extrariæ sint, ac non nostræ vt corpus, sed tantum circa nos: Quarum administrandarum ac distribuendarum cura nobis commissa est. Nihil itaque pulchrius, nihil Deo gratius, ac perfectius est, quàm vt hæc omnia proiicientes, Deum solum instar omnium opum habeamus, ipsíque, ab omnibus negotiis feriati, viuamus. Secundus gradus in eo versatur, vt plura ac præstantiora ipsi demus, minora autem ac deteriora necessariis nostris vsibus suppeditemus. Tertius denique, minùs quidem ille pius ac benignus, sed tamen etiam laudabilis tum demum existit, cùm quis in superfluis pietatem exercet, benignitatémque suam ac liberalitatem in iis ostendit. At in superfluis quoque parcum, ac tenacem, & sordidum se præbere, eáque in aurum commutare, ac defodere, impium sanè admodum & crudele est, atque, ex Pauli sententia, idololatriæ opus, quódque satis Ephes. 5. *sit ad nos à Dei regno excludendos. Quem quidem quartum gradum subticuit Gregorius.*

30 Καλόν τι σητῶν ἁρπάσαι καὶ τοῦ φθόνου.
Χειρῶν χρεώστην μᾶλλον, ἢ τὰ πάντ' ἔχειν,
Ὃς καὶ βασιλείαν κλάσματος χαρίζεται.
Χειρῶν σκέπεις, τρέφεις τε, τὸν πτωχὸν τρέφων.

Eleemosyn... fr... tus.

Liuori & atræ deme quid rubigini.
Ac debitorem præfer omnibus Deum,
Frusto rependit sceptra qui cœlestia.
Alis, tegísque, pauperes pascens, Deum.

NICETAS. Præclarum, atque adeo præclarißimum est, tineis atque liuori opes suas præripere, à quibus illæ labefactari atque corrumpi solent. Labefactantur enim atque corrumpuntur à vermibus ea omnia, quæ edi possunt, eámque naturam habent, vt putrescere atque corrumpi queant: à liuore autem diripiuntur atque intereunt aurum & argentum, quæque eiusmodi naturæ sunt, vt ægrè admodum corrumpi poßint.

Commo-

Commodum itaque est occupare, ac Deo mutuò dare, eúmque debitorem habere longè vtilius est, quàm omnes mundi opes tenere: quippe qui adeo præclarè ac magnificè creditores suos remunerari consueuit, vt iis etiam, qui vel frustulo panis eum cum fide aluerint, cœlorum regnum rependat, nec vel exiguũ frigidæ aquæ poculum apud eum mercede sua careat. Argumento est vidua illa, quæ vel ob duos obolos erogatos laudem est consecuta. Quonã autẽ modo, inquies, Christo, qui Deus est, atque in cœlis vnà cum Patre sedet, mutuò aliquid dari queat? Respondet Theologus: Christum tegis, alis, rigas, omnibus deniq; officij generibus complecteris, cùm intelligis super pauperem & egenum, eúmque his modis excipis ac tractas. Marc. 9. Marc. 12. Psal. 40.

31.

Πένης προσῆλθεν, εἶτ' ἀπῆλθε μὴ τυχών;
Δέδοικα, Χριστὲ, μὴ κἀγὼ τῆς σῆς χερὸς
Χρήζων, ἀπέλθοιμ' ἐνδεὴς ἐμοῖς νόμοις.
Ὃ γάρ τις οὐ δέδωκε, μηδ' ἐλπιζέτω.

Accessit ad me pauper: at frustra tamen?
Christe, extimesco, ne tuam quærens opem,
Abeam, vicissim prorsus abs te nil ferens.
Nam quod negat quis alteri, frustra petet.

Durus in pauperes durũ Deũ experietur.

NICETAS. *Quamuis horum verborum facilis sit explicatio: nihil tamen me alienum facturum puto, si in ipsis nonnihil hæream. Prolixior enim de his rebus oratio aliquam fortasse iis vtilitatem afferet, quibus minùs facilè persuaderi aliquid potest. Etenim hoc nobis persuasum esse debet, nosipsos iudicium illud, quod in nos feretur, nobis præparare. Quonam tandem id modo? Cùm pauper quispiam accedit, inquit Theologus, méque eleemosynam rogat, atque inhumanè submouetur, verendum est protinus, ne ego quoque, ô Christe, misericordia tua indigens, eámque supplex implorans, inanis dimittar: nimirum pro ea crudelitatis lege, quam ipse sanxi, tuam quidem benignitatem, qua egeo, exposcens, nec eam tamen obtinens. Quid ita? Quoniam cùm egenti misericordiã, quam impertire poteram, negauerim, qua tandem fronte ipse vicissim egens, ad accipiendum accedo? Nam cùm à Christo, quicquid mihi opus est, acceperim (Vnde namque alioqui? Quid enim habes quod non acceperis?) atque interim per pauperem (explorandi nempe mei causa) postulatus, tamen, quæ mea ingratitudo est, tribuere quicquam recusem, quo tandem modo rursus accepturus sum? Nam qui ei, cuius beneficio omnia habet, dare recusat, nihil est quòd ipse quicquam se accepturum speret. Contrà potiùs id certò expectare debet, vt quæ ipse habere se putat, ea ipsi eripiantur.* 1. Cor. 4. Matt. 13.

32.

Πένητος ἀνδρὸς οὐδὲν ἀσφαλέστερον.
Πρὸς τὸν θεὸν νένευκε, καὶ μόνον βλέπει.
Σὺ δ' ἀσκαλίζου. καὶ γὰρ αἰετὸς, ὡς λόγος,
Πολλὺς καλιᾷ λεπτὸν ὄρνιν ἀμφέπει.

Opibus carenti nil viro securius.
Spes ille totas in Deo fixas tenet:
At tu foueto. namque pullos, vt ferunt,
Aquila tenellos grandis in nido fouet.

Pauperũ securitas, itq; fouendi.

NICETAS. *Quoniam plerique in hac opinione versantur, vt paupertatem rem quandam infaustam, ac vehementer malam, atque auersandam esse putent, eóque præsertim nomine pauperum inopiam ope sua subleuare nolunt, quòd paupertatem ipsi vereantur, idcirco Gregorius perquàm sapienter, & illorum egestatem consolatur, & diuitum illiberalitati, ac pusillanimitati medetur, inquiens: Viro paupere nil est securius, hoc est, ab omni metu ac periculo liberius. Neque enim ad pecunias, aut prædia, aut armentorum greges, aut mancipiorum copias, oculos coniectos habet, hoc est, res fluxas atque somnij instar fluentes & intereuntes: verùm Deum solum sibi ante oculos proponit, qui verè est, ac sempiternus, naturæq; benignitate præstat. Ad hunc solum mentis oculos tendit, ipsúmque præuidet, à quo & futurum sperat, vt exigua sua corporea vita gubernetur, & hoc habiturum se expectat, vt spiritualiter in omne æuum viuat. At tu qui diuitiis gloriaris, atque omnibus huiusce vitæ bonis affluis, quíque vulgi opinione magnus atque illustris in mundo es, paruum hunc pauperem, & egestate laborantem amplectere, alens eum ac tegens, atque omni hospitalitatis & obsequij genere complectens, perinde atque ipsummet Christum excipiens, ac per pauperem, qui oculis cernitur, Iesum, qui sub eo occultatur, abditis mentis tuæ thalamis per fidem admittens, in iisque collocans. Et quemadmodum aquila, vt sacris litteris proditum est, nidum suũ obtegens, pullísque suis aduolitans, sic tu quoque, qui amplis facultatibus præditus es, pauperem, non secus atque tenuem & imbecillam auiculam fouens ac circumtegens, in ipso Christum inuenies.* Deut 32.

33

Κρεῖσσον πενία μὴ δικαίας κτήσεως.
Καὶ γὰρ νόσος γε τῆς κακῆς εὐεξίας.
Λιμῷ μὲν οὔ τις ῥαδίως διεφθάρη.
Τοῖς δ' αὖ κακίστοις πότμος ἡ μοχθηρία.

Melior egestas improbè partis bonis:
Vt sanitate morbus haud laudabili.

Paupertas iniquis diuitiis præstat.

Vix vnquam acerba sustulit quenquam fames:
At certa crimen improbis mors est viris.

NICET. His quoque versibus rursus pauperem consolatur, diuitis autem supercilium deiicit, meliorem esse rem dicens paupertatem, quàm diuitias iniquis artibus conflatas, quemadmodum & corporis morbum ei, qui aduersa valetudine laborat, ac per Dei iudicia eruditur, præstabiliorem conducibilioremque esse, quàm perniciosam sanitatem, & corporis incolumitatem. Quænam autem perniciosa sanitas censenda est? Ea nimirum, qua ij fruuntur, qui obscœnis libidinibus, ac cædibus, aut iniustitiis delectantur. Etenim ex ea fame, quam vel frumenti penuria, vel paupertas affert, nemo omnino in animæ, imò ne in corporis quidem mortem facilè incidit: at peccatoribus, ac verè flagitiosis, peccatum ipsum mors est.

34. Τί δεσπότης, ἢ δοῦλος; ἢ φαύλη τομή.
Εἷς πᾶσι πλάστης, εἷς νόμος, κρίσις μία.
Ὑπηρετούμενος δὲ σύνδουλον βλέπε.
Ὅταν λυθῇς, φάνηθι τιμιώτερος.

Serui pro conseruis habendi.

Quid seruus, aut herus? mala est hæc sectio.
Est fictor vnus, vna lex, iudex quoque.
Sic ergo seruos, seruus vt, cernas tuos.
Aliis, solutus corpore, vt præstes vide.

NICET. Postquàm Gregorius de paupertate, ac diuitiis Euangelicè, vt ita dicam, atque admirabili quadam ac diuina sapientia, verba fecit, de dominatu iam ac seruitute tractat, atque ad legem spiritualem accommodatè hæc distinguit. Quis enim est dominus, inquit, aut quis natura seruus? Ab ipso rerum ortu non dominus, non seruus creatus est. Hæc sectio improba est, hæc diuisio tyrannica. Quemadmodum enim vnus æquè omnibus fictor, vna omnibus lex, iudicium vnum, vnaque omnibus natura: ita etiã omnes æquè homines serui sunt, vt qui sub vno Domino, hoc est, Deo, censeantur. Tu ergo, inquit, qui præstantissimæ philosophiæ, ac verorum sermonum amore teneris, caue ne, dum à circunstantibus famulis tibi inseruitur, tibi quidem herilem auctoritatem, ipsis autem seruitutem attribuens, maiores quàm par sit, spiritus concipias, atque aduersus rerum omnium Dominum arroganter te efferas. Quin potius modestè de te sentiens, téque ipse noscens, atque omnes, quibus ministris vteris, tanquam conseruos tuos & natura æquales agnoscens, id age, vt socios eos atque adiutores ad explendam Domini voluntatem adhibeas. Quocirca prouideas velim, ne morum nobilitatem, naturæq; tum in actione, tum in contemplatione, magnitudinem atque præstantiam, antequàm è corporeis vinculis excesseris, ac mundum deuiceris, ostentans, atque intempestiuè te efferens, tandem corruas. Cùm autem tum ea impedimenta, quæ tibi corporeo modo obiiciuntur, tum aduersantes tibi spiritales nequitias fregeris, atque in libertatem assertus fueris, tum demum summa cum nobilitate atque gloria ad Deum ingredieris. Ephes.6.

35. Οἱ δ' οἰκέται τί, καὶ μάλιστα οἱ θεοῦ;
Μὴ φευγέτωσαν εὐνοεῖν τοῖς δεσπόταις.
Ἐλεύθερον καὶ δοῦλον ὁ τρόπος γράφει.
Καὶ Χριστὸς ὤφθη δοῦλος, ἀλλ' ἠλευθέρου.

Quid à seruis exigatur.

Serui quid autem, maximè qui sunt pij?
Dominis amicè seruiant illi suis.
Seruos herósque vita sola factitat.
Seruiuit, at nos Christus exemit iugo.

NICET. Postquàm legem tulit iis, qui Domini appellantur, vt summissè de se sentiant, famulísque suis tanquam conseruis vtantur, scientes sibi quoque Dominum in cœlis esse, ne ex his verbis ansam illi arriperent aduersum heros suos, tanquam quibus pares essent, sese efferendi: Quid vos serui, inquit, ac præsertim qui Dei serui esse vultis? Heris seruire ne recusetis. Idq; quo modo? Non ad oculum seruientes, tanquam hominibus placentes, sed ex animo, & cum beneuolentia, ac fide, vti Apostolus admonet, tanquam Domino ac non hominibus. Ad hunc modum eum, quem heris vestris debetis, honorem, ac seruitutẽ persoluite. Nec verò seruitutis nomen ac prætextus vobis pudorem incutiat. Liber enim & seruus ex moribus censentur & æstimantur. Nam qui Deo grata animi affectione & mente pia præditus, coram Deo & hominibus bona prouidet, is reuera liber est: qui autem veteratoriè, ac sceleratè vitam suam traducit, perfrictáque fronte aduersus Deum atque homines peccat, hic verè seruus est. Ex quo efficitur, vt non seruum esse, sed peccare, malum sit. Quandoquidem Christus quoque ipse hominum seruus extitit: at idem tamen, vt Deus, eos qui in ipsum credunt, ex verè mala seruitute, hoc est, ex peccato, in libertatem asseruit. Col.4. Ephes.6. Rom.12.

36. Κακῶς δ' ἀκούων αἰσχύνου, μὴ δυσγενής.
Γένος γάρ εἰσιν οἱ πάλαι σεσηπότες.
Γένοις προσάρχειν κρεῖσσον, ἢ λύειν γένος.
Ὡς καλὸν εἶναι, ἢ καλῶν πεφυκέναι.

Malum

Malum vocari turpe, non ignobilem. Vera nobilitas, virtus
Sunt namque pridem putridæ carnes genus:
Genus auspicari præstat, id quàm soluere:
Vt esse pulchrum, quàm satum pulchro patre.

NICET. *In eadem sententia atque argumento persistens Gregorius, admonet vt ne quis pudore afficiatur, cùm seruus, aut ignobilis appellatur: nec ob eam causam erubescens, aduersus eum, à quo contumelia se affici putat, excandescat. Quid enim est genus, aut quis ille, qui nobilis existimatur? Nónne illi sunt, qui iampridem è viuis excesserunt, atque in tumulis computruerunt? Nónne illi, quorum ossa, vt Scripturæ verbis vtar, secus infernum dispersa sunt?* Psal. 140. *Quid igitur est, quamobrem tu ob putredinem, atque olentia cadauera, magnificè de te sentias? At verò cùm malus ac sceleratus, aut impius audis, tum sanè est quòd te pudeat, curésque vt per pœnitentiam in Christo immutatus, ad melioris vitæ studium te conuertas. Ita fiet, vt honorem adeptus, nominísque celebritatem per virtutem consecutus, generis tui nobilitatem auspiceris, posterísque tuis gloriandi ansam præbeas. Quod quidem longè præstabilius atque vtilius est, quàm acceptam à maioribus nobilitatem extinguere, iísque per singularem quandam improbitatem, infamiam ac tenebras offundere: quemadmodum & multo quoq; melius ac præstantius est homini, vt probus ipse sit, ac per omne pietatis ac virtutis genus nominis splendorem sibi conciliet, quàm, cùm probis ac virtute præstantibus viris ortus sit, ipse tamen non eorum similem se præstet.*

Θεοῦ μόνου, θείων τε ἀπλήστως ἔχειν, 37.
Ος τοῖς λαβοῦσι καὶ πλέον χαρίζεται.
Διψῶν τὸ διψᾶσθ', ἀφθόνως ἀεὶ ῥέων.
Εν τοῖς δὲ λοιποῖς καὶ φέρειν ἡσσώμενος.

Deo, & supernis rebus haud vnquam satur Excepto Deo, rebus omnibus æquo animo carendum.
Esto: dat illis plura qui iam sumpserint,
† Sitiens sitiri, largus & cunctis fluens.
Vinci at molestè ne feras in cæteris.

NICET. *Est quoque laudabilis quædam insatiabilitas, atque inexplebilis quædam auiditas probanda, quã vt mordicus arripiamus, Theologus hortatur. Quæ nam ergo hæc est? Nempe vt Dei solius, ac diuinarum rerum insatiabili quodam amore ac desiderio flagremus. Hæc, inquam, cupiditas præclara est, nempe semper expetere ac quærere faciem Dei Iacob in Christo Iesu: qui iis, à quibus sumitur, seipsum adhuc copiosius impertit.* Psal. 104. *Tantum enim ab eo abest, vt eos, qui ad eum propiùs se conferũt, submoueat & auersetur, vt etiam magis sitiat sitiri: hoc est, cupit desiderari, amat amari, suique semper vberrimè atque affluentissimè amatoribus suis copiam facit. Ita enim se habet illa bonitate omni sublimior diuina bonitas, vt per optima ac spiritualia sua dona in eos simul influat, qui inexplebili ipsius desiderio ardent. Hîc solùm insatiabilitas, ac vehementissima cupiditas præclarissima est, ac sanctissima, & perfecta res. At verò in corporeis, quæ tantopere expetuntur, opibus, & honoribus, aliísque omnibus rebus fluxis, ac labentibus huiusce sæculi bonis, vinci ac deteriorem partem habere, æquo ac placido animo ferendum est, gratiaeque Dei prouidentiæ, rerum omnium effectrici, habendæ sunt.*

† Sitiens sitiri) hoc est, vt ait Nicet. Sarronius, vehementer cupiens se ab hominibus inquiri, quòd ea re mortalibus salus comparetur. Annotat tamen idem Nicetas in nonnullis codicibus reperiri, διψῶντι διψᾶ. *Verùm vtraque lectio eundem sensum habet.*

Μὴ πάντα νικᾶν, μηδ' ἀεὶ σπουδὴν ἔχε. 38.
Καλῶς κρατεῖσθαι κρεῖσσον, ἢ νικᾶν κακῶς.
Καὶ γὰρ παλαιστὴς οὐχ ὁ κείμενος κάτω,
Πάντως κρατεῖται, πολλάκις δ' ὁ ὑπέρτερος.

Non obtinere cuncta, nec semper, stude. Præstat benè vinci, quàm malè vincere.
Bene vinci ames plus, improbè quàm vincere.
Athleta nam non vincitur, quisquis iacet
Humi: sed hostem sæpe qui stratum tenet.

NICET. *Vt & benè & malè vinci quis potest: sic quoque & honestè & sceleratè vincere potest. Honestè is vincitur, qui præstantissima quadam philosophia atque Euangelica humilitate, omnibus iis à quibus læditur, cedit, nec eos, qui ipsi calumniam struunt vlciscitur. Malè autem ac miserè vincitur, qui ab iracundia, aut præcipiti ac bruta cupiditate, velut tyrannide, opprimitur, turpitérque, atque ignauè ad peccatum abducitur, & expugnatur. Eodem modo probè, ac tutò is vincit, qui probæ, ac beneplacenti, atque perfectæ Dei voluntati ad extremum vsque ita infixus hæret, vt ab ea nulla ratione dimoueri possit.* Rom. 2. *Flagitiosè autem ac periculosè vincit, qui iniustitiæ ac tyrãnidis robore præeminet, atque innocentes superat, & obtruncat. Tu ergo Christi athleta, monet Gregorius, ne in omnibus, quæ bona existimantur, victoriam adipisci contende: sed in iis duntaxat, quæ verè bona sunt, hoc est, in diuinis & spiritualibus. Quin nec in his quoque semper, atque intempestiuè palmam obtinere stude, sed cùm temporis opportunitas ita tulerit. Præstat enim, dum ad Christi, discipulorúmque ipsius exemplum animum demittimus, vinci ac superari, quàm dum superbè attollimur, vincere ac superare, atque ad impiorum hominum imitationem piis & humilibus insolenter dominari. Nam etiam cernere est, inquit, eos qui in*

mundo luctatur, non ob id omnino superari, quòd in terram lapsi sint. Interdum enim, dum eos aduersarij prorsus succubuisse, ac prostratos esse arbitrantur, repente illi calcibus eos petentes, atque humo exilientes, superiores iis fiunt. Ad eundem modum qui Christi causa, atque vt ipsius præcepto pareant, iis cedunt, à quibus tyrannica quadam insolentia opprimi consueuerunt, in sua humilitate, animique summißione victoriam adipiscuntur.

39. Καὶ ζημιοῦ τι· τοῦτο κέρδος πολλάκις,
Ὥσπερ καθαίρειν φυτὸν εἰς εὐκαρπίαν.
Εἰ δ' οὐ καλῶς τι προστίθης οἷς νῦν ἔχεις,
Ὕλῃ φέρεις πῦρ, ἢ νόσον τῷ σώματι.

Iactura nonnunquam quæstuosa.

Amitte quiddam quæstus: hinc frequens redit,
Putata vt arbos redditur fœcundior.
Quòd si quid addas improbè partis bonis,
Ligno facem fers, corpori morbum paris.

Rom. 12.

NICETAS. Quemadmodum non in omnibus rebus, nec quouis tempore, vincere præclarum ac laudabile est, ac ne vinci quidem (vincere enim in bono malum, non autem à malo vinci iubemur:) sic nec semper lucrari bonum est, nec malum detrimento affici. Quin potius contrarium euenire cernimus. Vt enim mala victoria perspicua ac certa clades est, clades autem bona vera est victoria: ad eundem modum lucrum corporeum quandoque maximum lucranti damnum affert, ac rursus damnum ei, qui damno afficitur, lucro cedit. Quemadmodũ enim cùm superuacaneos luxuriantium arborum ramos amputamus, maiorem ex fœcũditate fructum hinc nobis comparamus: sic cùm in corporeis rebus detrimentum aliquod perferre in animum inducimus, hoc assequimur, vt spiritualibus bonis affluamus: contráque dum fluxa atque ex materia orta malè lucramur atque amplificamus, in iis, quæ à materia remota sunt, nec vnquam effluunt, detrimentum accipimus. Ad ea etenim quæ iniustè, vel etiam iustè poßidemus, si iniustè semper aliquid adiicientes, opum nostrarum cumulum augemus, atque incassum amplificamus, materiam quidem diuinæ iræ igni aggerimus, corpori autem morbum per huiuscemodi immoderationem accersimus.

40. Εἰ μηδὲν ὀφείλεις τῷ Θεῷ τιμωρίας,
Μηδ' αὐτὸς ἴσθι τοῖς ὀφείλουσι συμπαθής.
Εἰ δ' οἶδας ὀφείλων, καὶ περίσσευσον τὸ πρᾶον.
Οἴκτῳ γὰρ οἶκτος τῷ Θεῷ σταθμίζεται.

Pœnæ nihil si vindici debes Deo,
Nec debitori lenis ipse sis tuo.
Debere sin te non negas, ignoscito.
Veniam rependit nam Deus clementiæ.

Aliis ignoscẽdum, vt nobis Deus ignoscat.

NICETAS. De iniuriarum tolerantia ac lenitate Euangelicè hoc loco præcepta dat Theologus. Siquidem, inquit, exploratum habes, te, vt purum, atque ab omni peccati labe prorsus immunem, nihil Deo supplicij debere, consentaneum fortasse fuerit, vt ipse quoque te erga tuos debitores durum & inhumanum præbeas. Sin autem debitorem te quoque agnoscis, in infinitus scilicet cogitationibus, & verbis, & actionibus, sanè tibi faciẽdum est, vt lenitatem, animique in perferendis iniuriis tolerantiam Deo antè fœneres, ac per tuam erga conseruũ clementiam, maximam dominicæ iræ partem succidas, Deique indignationem per commiserationem erga proximũ subtrahẽs, ita demum benignitatem per benignitatem accersas. Per misericordiam enim, quam erga alios adhibemus diuinam misericordiam nobis contrahimus, vt quæ muneri nostro proportione respondeat, & qua mensura metimur, eadem nobis rependatur.

Matth. 7.

41. Ὅταν ποθ' ὕβρεις ἐκκάῃ τὴν σὴν φρένα,
Μνήσθητι Χριστοῦ, τῶν ἐκείνου τραυμάτων,
Πόση τε μοῖρα ταῦτα τῶν τοῦ δεσπότου.
Ὡς δ' ἂν τὸ λυποῦν ὥσπερ ὕδατι σβέσαις.

Remedium aduersus iniuriæ vlciscẽdæ cupiditatem.

Cùm tu dolore læsus ardes maximo,
Christi memor sis vulnerum, pars & quota
Sint hæc dolorum, quos herus tulit tuus.
Sic nempe, vt vndis obrutus, mœror perit.

NICETAS. Cùm cuiuspiam in te contumelia efferuescens, atque in summam magnitudinem euecta, ingentem, vt verisimile est, in te furoris flammam excitarit, animúmque tuum vlciscendi cupiditate intenderit, fac protinus tibi Christus in mentem veniat: da operam vt contumelias, illusiones, flagra, & vulnera ea, quæ ille salutis tuæ causa in cruce pertulit, quamprimùm recorderis, atque cogitatione informes. Ac tecũ reputa, quãto interuallo tuæ paßiones à Domini cruciatibus superentur. Perpende cruciatuum discrimen, quantuláque, si inter se conferantur, pars sit eorum, quæ ille perpessus est, id quod tu pateris. Ac præterea quæ patientis persona sit, in memoriam tibi subeat: nimirum quòd ille Deus ac dominus sit, quódque ne cogitatione quidem aut lingua tenus quicquam vnquam peccati admiserit: tu autem & homo & seruus, & quotidie in innumera peccata incidens. Sic fiet, vt huiuscemodi cogitationibus, tanquam aquis, animam tuam leniens & irrigans, mœroris atque iracundiæ æstum extinguas.

Ἔρως,

Ἔρως, μέθη, ζῆλός τε, καὶ δαίμων, ἴσα. 42.
Οἷς ἂν προσέλθῃ, τὸ φρονεῖν ἐπέκλυσε.
Τῆξις, προσευχὴ, δάκρυον, τὰ φάρμακα.
Ἡ δ' ἰατρεία τῶν ἐμῶν νοσημάτων.

Vinum, libido, liuor, & dæmon, pares. Quo pacto vitiis medendum.
Hos mente priuant, quos tenent. His tu prece
Medere, fusis lacrymis, ieiunio.
Medela morbis hæc enim certa est meis.

NICETAS. Quatuor ista, vt summatim dicam, esse noscamus oportet, quæ hominem mentis errore afficiant, atque insanum reddant, nempe impudicum & intemperantem ac furiosum corporum amorem, ebrietatẽ ac vinolentiam, atque insuper sanguinarium Zelum, hoc est, iræ inflammationem & rabiem: quæ quidem à bono viro quamlongißimè remota sunt. Dæmon denique horum cuiuslibet excitator ac sedulus procurator, iis omnibus, quibus per occultos suos conatus ista immiserit, bonam mentem pessundat, rectámque rationem adimit. Quænam ergo horum morborum medicina atque curatio est? Nimirum si corpus per longa ieiunia ac peruigilia macie conficias, continuas & intentas ad Deum preces adhibeas, lacrymas denique per sinceram & sacram cõpunctionem ac pœnitentiam oculis effundas. Hæc sunt salutaria morborum meorum medicamenta: his intestini mei dolores propulsantur, ac profligantur.

Ὅρκον δὲ φεῦγε πάντα. πῶς οὖν πείσομεν; 43.
Λόγῳ, τρόπῳ τε τὸν λόγον πιστουμένῳ·
Ἄρνησίς ἐστι τοῦ θεοῦ ψευδορκία.
Τί δεῖ θεοῦ σοι; τὸν τρόπον μέσον τίθει.

Iurare noli. Quo fides fiet modo? Fugiendũ iuramentũ
Sermone, vita &, quæ fidem verbis struat.
Qui falsa iurat, prorsus is negat Deum.
Sit vita testis (quid Deo est opus?) tibi.

NICET. Omne prorsus iuramentum fugiendum atq; auersandum esse, cùm sacrosancta Euangelia, tum perquàm Euangelicus hic Theologus pronunciat, admonens vt iusiurandum omne vitemus, vtpote à quo periurium ortum trahat. Ecquis enim vnquam, qui semel ac prorsus à iuramento sibi abstinendum putauerit, in periurium lapsus est? At qui ad iurandum procliuis est, is vel ex ignoratione, vel vi aliqua maiore, vel ex Dei contemptu commotus, in periurium omnino præceps ruet. Ita fit vt iuramentum periurij pater sit. Ac quidem prisca Lex, vt quæ longiùs à perfectione semotos alloquebatur (quibus hoc in more positum erat, vt per Deos ac Dæmones, quos colebant, iurarent) quemadmodum animantium sacrificia ad se transferebat, vt idolorum cultum comprimeret, sic etiam iuramenta, quia haud tempestiuum erat ea penitus de medio tollere, ad Deum traducebat, vt hac ratione iuramentum ad piam iurandi rationem reuocaret. At verò Iesu Christi gratia maturè postea atque tempestiuè, Solis instar, exoriens, atque eximio quodam ac singulari veritatis fulgore Legis lucernam abolens & extinguens, tum in diuinis Euangeliis, tum in Euangelicorum librorum explanatoribus, quemadmodum omnem in vniuersum animantium mactationem, ita etiam omne prorsus iuramẽtum fugere præcipit. Quánam ergo ratione, inquies, res eas, de quibus loquimur, iis qui de illis dubitant, persuadebimus? Nimirum verbis, hoc est, simplici sermone, ita rem se habere asserentes, ac morum probitate, animique affectione ad veritatem propensißima, sermoni nostro fidem conciliante, facilè eos ad assentiẽdum adducemus. Ecquis enim homini probo aliquid affirmanti fidem abrogare queat? Contrà qui mendaciis delectatur, vitámque sceleribus omnibus flagitiisque coopertam ducit, huic ne iuranti quidem facilè quisquam fidem est habiturus. Hic enim & Dei negator, & irrisor, & contemptor est. Negationem prodit periurium. Quid enim alioqui Deum iuras, ac formidandum ipsius nomen, cœlestibúsque etiam omnibus mentibus tremendum, maximéque venerandum temerè vsurpas? Quòd si de rebus ad salutem necessariis sermo habeatur, interpositi mores pio viro ad faciendã fidem abundè sufficient. Scio & persuasum habeo in Christo Iesu, inquit Apostolus. Ac rursus, Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior. Atque hoc modo sermonem suum confirmans, peruulgatum omne iuramentum auersatur. Gal. 5. Rom. 9.

Τί χρηστότητος δόγμα συντομώτερον; 44.
Τοιοῦτος ἴσθι τοῖς φίλοις καὶ τοῖς πέλας,
Οἵους σεαυτῷ τούσδε τυγχάνειν θέλεις.
Καὶ συντομώτερόν τι, τὰ Χριστοῦ πάθη.

Benignitatis dogma quod contractius? Humanitatis exercendæ dogma.
Quales apud te proximos esse expetis,
Sis talis ipsis. Sin adhuc quiddam petis
Breuius, habeto dura Christi vulnera.

NICETAS. Multi quidem ac penè innumerabiles de humanitate & charitate sermones à sanctis Theologis sigillatim habiti sunt. Vt autem in genere atq; in summa de benignitate dicã, hoc est, dogma cõpendiosißimum. Talis, inquit, esto erga amicos ac proximos tuos, quales eos erga te esse cupis. Quod quidem dictum cum

Euangelico hoc præcepto idem est: Omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite similiter illis. Consentaneum est autem istud quoque dominico præcepto adiungere: Omnia quæ ab aliis vobis fieri non vultis, eadem nec vos ipsis facite. Quin hoc quoque dogmate aliud adhuc breuius est, nempe ipsi Christi cruciatus, quos nostra causa, cùm adhuc impietatis crimine obstricti teneremur, perpessus est, atq; omnia ea probra ac vulnera, quæ cruci affixus sustinuit. Quæ quidem qui perpetua memoria complectitur, atq; ob oculos sibi proponit, nō potest non se clementem ac placidum proximo exhibere, atque ad humanitatem & charitatem impelli.

45. Πιστοῦ φίλου νόμιζε μηδὲν ἄξιον,
Ὃν οὐ κρατὴρ ἔδειξε, καιροῦ δὲ ζάλη,
Ὃς οὐ χαρίζετ', ἢ μόνον τὸ συμφέρον.
Ἔχθρας ὅρους γίνωσκε, εὐνοίας δὲ μή.

Quis verus amicus, & de extinguendis inimicitiis.

Fidis amicis nil puta præstantius,
Quos casus asper extulit, non pocula:
Qui profutura consulunt, non quæ placent.
Sit finis iræ: nesciat finem fauor.

NICET. *Est amicus, qui mensa & voluptate emitur: & hic infidus est. Nam simul atque conuiuiorum voluptas, ac dulcis oblectatio desierit, ipse quoque abscedit. Est & amicus necessitatis, quæ ipsum allicit, atque vt tibi sedulus assideat, hortatur. Qui & ipse infidus est. Quamprimum enim necessitas effluxerit, ipse quoq; vnà pedem referet. Est præterea amicus, qui virtute ac Dei sermone comparatur. Hic verò fidus ac certus est, quem non mensa aut epularum voluptas (id enim per pocula significatur) nobis conciliat: quique non necessitatis vtilitatisque suæ causa nobis assidet & assentatur, amicisque suis ad gratiam inanémque aurium oblectationem omnia loquitur, verùm vtilia omnia ac frugifera, quæq; secundum Deum prosint, consulit. Hic demùm fidus ac sincerus amicus est, quem tempestas atque tentatio, ac pro pietatis defensione tolerata persecutio parit. Cum huiusmodi amico nihil omnino esse in rebus humanis quod commutari possit, nec eo quicquam præclarius, amabiliúsque esse sacra Scriptura meritò testatur. Et quidem cùm variis ex causis simultates atque odia persæpe in amicitiam incidere soleant, operæpretium est eorum modum nosse, congruóque modo ac tempore dissidia componere ac dirimere: contrà, veræ amicitiæ nullus modus nec finis agnosci debet. Eadem enim ipsa est cum ea, quæ in Christo est charitate, quæ quidem nunquam excidit.*

Eccl. 6.

46. Τἄλλα βλέπων ὀφθαλμὸς, αὑτὸν οὐ βλέπει.
Ἀλλ' οὐδὲ τἆλλα, ἢν ἄγαν λημῶν τύχῃ.
Τούτου χάριν σύμβουλον εἰς ἅπαντ' ἔχειν.
Καὶ γὰρ χερὸς χεὶρ, καὶ ποδὸς ποὺς ἐνδεής.

Adhibēdus in omnibus rebus consultor.

Oculus tuetur cætera, at se non videt:
Ac ne quidem cætera, nimis si cæcutit.
Ergo monitorem rebus in cunctis habe.
Manus requirit nam manum, pes & pedem.

NICET. *Corporis oculus natura ita comparatus est, vt sese cernere nequeat: externa autem, quæq; circa eum sunt, omnia, in rectúmque ipsi proposita sunt, ea quæ ipsi tributa est, cernendi facultate complectatur. Quin, si qua ei lippitudo oboriatur, aut turbetur, aut quoquo modo æger sit, ne alia quidem, vt par est, cernere atque contueri potest. Ad eundem modum humanus etiam animus, cùm ad veritatis contemplationem malè affectus est, aliorum quidem vitia & flagitia perspicit, ac studiosè perscrutatur, quin nec ipsa quoque certò persæpe atq; accuratè, vt cui insitæ in animo perturbationes caliginem offundant: sua autem eò magis ignorat, quò maiore ex vitiis suis cōtracta crassitie cæcutit atque hallucinatur. Ac proinde eum, qui ita affectus est, ad res omnes cōsultorem adhibere conuenit, qui ei, quod in rem futurum sit, ostendat, quídque agendum sit admoneat. Quippe etiā sapientia ea atque prouidentia, qua corpus nostrum effictum est, & manum manui, & pedem pedi, & oculum oculo, alterum ex alterius regione, adiumenti ac societatis causa donauit.*

Manus manū fricat, & digitus digitum.

47. Εἰ τοῖς καλοῖς ἕποιο νουθετούμενος,
Οὐκ ἐντραπήσῃ τοῖς κακοῖς γελώμενος.
Ὅταν ποτ' αἰσχρὸν ἐννοῇς, νόμιζέ σοι
Πολλοὺς παρεῖναι, καὶ σεαυτὸν ἐντρέπου.

Proborum monitis parendum: & quo pacto mala cogitatio pellēda.

† Probos monentes audiens, hísque obsequens,
Pòst non rubesces, cùm mali te riserint.
Cùm turpe versas mente quid, multos tibi
Adesse cense, te † verere & ipsemet.

NICET. *Præclarum admodum, ac perquàm vtile hîc quoque consilium Theologus inducit. Si enim, inquit, probis magistris te admonentibus aurem attentam præbueris, eísque obtemperaris, haudquaquam tibi hoc accidet, vt ab officio lapsus atque à recta ratione effluens, ab improbis postea hominibus irrisus erubescas. Quidnam igitur, inquies, ô magister, mihi efficiendum est, vt ne quid mihi accidat eorum, quæ commemorasti? Cùm quid tur-*

quid turpe ac fœdum in mentem tibi venerit, ac quidpiam eorum, quæ Spiritus lege interdicta sunt, perpetrare in animum induxeris, ne dicas, Nox est, & quis me videt? in solitudine ac solus ego sum, & non est qui me arguat: ne hoc cogitans flagitiosum facinus admittas. Quin potius hoc cogites velim, multos tibi adesse. Etenim tum angeli omnes, tum ipse angelorum Dominus adest. Sic enim mente & cum fide tecum reputans, téque ipsum veritus, à conatu desistes, ac postea, vt summo beneficio affectus, Deo gratias ages. Eccl.23.

† Probos monentes) εἰ τοῖς καλοῖς ἕποιο, &c. Nicetas Sarronius τοῖς καλοῖς vtroque modo exponit, vt sit & masculini generis, & neutrius. Prior tamen explicatio mihi simplicior videtur.

† Verere te) id est, animam tuam, quæ ad imaginē Dei creata est. Animus enim quisque ipse dicitur. Aliud enim ipsi sumus, aliud nostrum, aliud quæ circa nos sunt. Nos enim animus & mens sumus, vtpote ad imaginē Dei conditi: nostrum autem corpus, sensúsque per ipsum manantes: quæ autem circa nos sunt, pecuniæ, artes, & reliqua vitæ instrumenta. Hæc ex Basilio Nicetas affert.

Ἀεὶ προτίμα τοὺς καλοὺς τῶν μὴ καλῶν. 48.
Κακοῖς ὁμιλῶν, καὶ κακὸς πάντως ἔσῃ.
Κακοῦ παρ' ἀνδρὸς μήποτε χρηστὸν πάθῃς.
Ζητεῖ γὰρ ὧν βεβίωκε συγγνώμην ἔχειν.

Præpone semper improbis viros probos. Malorū cōsuetudo fugienda, nec ab iis sumē dū munus.
Nam si frequens sis cum malis, eris malus.
Ne munus vnquam de manu sumas mali.
† Veniam suorum nam petit sic criminum.

NICET. Hæc vita bonos & malos, studiosos & contemptores, Deo fidos & infidos, iustos & iniustos, veri amantes & mendaces semper habet. Quocirca tu in tēpestate tua electos peruersis, pios impiis, veri amantes hypocritis semper antepone. Quòd si cùm malis verseris, conuiuiáque ineas, familiaritérque cum ipsis viuas, perinde atque is, qui picem attrectarit, inquinabitur, & qui cum superbo cōmercium habuerit, similis ipsi, vt literis sacris proditum est, efficietur: sic tu quoque arctissima familiaritate cum malis deuinctus, malus quoque eris. At dices fortasse: Plurimis sæpe ab eo beneficiis affectus sum, ac de me ipse præclarè meritus est. Quonam ergo modo societatem ipsius abiiciam? Audi ergo quid intonet Theologus: Ne munus vnquam sume de mali manu. Ab homine in Deum insolente atque contumelioso nullum vnquam beneficiū accipere cupias. Ab homine Deo mentiente, eúmque simulatè tantùm, ac non vero & sincero animi affectu, colente, ne munera expetas. Ab eo qui labiis solis & lingua Deum laudat ac benedicit, benedictiones ne quæras. Neque enim quicquam tibi proderunt. Quoniam huiusmodi beneficentia hoc agit, vt flagitiorum suorum veniam impetret. Laudari cupit in desideriis animæ suæ, hac re primùm se, ac deinde quamplurimos alios lædens. Ab iis qui ad ipsum accedunt, atque ab ipso excipiuntur, fluxisque ac perituris beneficiis afficiuntur, hoc velut debitum quoddam necessariò persoluendum exigit, vt in sceleribus suis ac flagitiis ab iis laudetur, eorúmque patrocinium ab ipsis petat. Per infima ac tenuissima & vilissima dona multorum & grauissimorum debitorum gratiam sibi fieri poscit: infinitam videlicet Dei benignitatem, atque omnem mentis captum excedentem iustitiam tentans, vanísque rebus cœlorum regnum emere sese vanè existimans, nec quicquam eorum, quæ ille requirit, præbens. Cúmque ea, quæ nihili æstimanda sunt, apud eum amplificantur, non satis habet Deum, à quo omnia ea accepit, per ea præposterè velut emercari, nisi etiam alios in sceleris sui societatem pertrahat. Eccl.13. Esa.29. Psal.9.

† Veniam suorum nam petit sic criminum) Hoc mihi simpliciter de eo intelligendum videtur, qui cùm totum se vitiorum lenociniis ac voluptatū illecebris tradiderit, beneficiis dandis hoc agit, vt nemo ipsius vitia insectari audeat. Nec enim placet quod Cyrus hunc quoque versum ad eum accommodat, qui largitionibus à Deo peccatorum veniam aucupatur. Huic enim sententiæ parum conueniunt ea quæ proximè antecedunt. Multo autem adhuc alienius est quod vertit Langus, Iniuriarum flagitat qui gratiam.

Ἐγώ τι κέρδος ἐκλέγω καὶ δυσμενοῦς. 49.
Τὰς γὰρ λαβὰς φεύγοντας, ἀσφαλεστέρους
Εἶναι παραινῶ, καὶ τὸ πικρὸν φάρμακον
Ὅμως δέδοικα, καὶ τὸ ἡδὺ μέμφομαι.

Et hoste ab ipso commodum quoddam lego. Quæ vtilitas ex inimico percipiatur.
Hinc namque viuo cautiùs, ne me queat
Is criminari. Verùm acerbum pharmacum
Simul expauesco, & dulcibus succenseo.

NICET. Potest etiam ab hoste beneficium accipi, quemadmodum est in Prouerbio. Ad eundem modum hoc loco Theologus ait: Ego ex inimico vtilitatem carpo: atque hanc vtilitatem vobiscum communico. Quæ nam autem est hæc vtilitas? Nam dum subuereor ne reprehensionis ansam aliquam aduersum me arripiat, tum ipse vitæ meæ rationes accuratiùs instituo ac moderor: tum vobis idem faciendum censeo, nempe vt cautiùs circumspectiúsque viuatis, ac quàm diligentissimè vobis ipsis prospiciatis, nec vllam culpam quamlibet leuem contemnatis, si non tam ob Dei præceptum, qui id à vobis exigit, at certè vt inuidorum & maleuolorum hominum maledictis occurratis. Pharmacum quippe est hostilis insectatio atque exprobratio, pharmacum, inquam, quo intimum pectus perpurgatur: amarulentum tamen, quemadmodum & ea quibus noxii corporum humores educuntur. Quamobrē illud metuens, vt plurimum me coërceo, atq; à peccato abstineo. Ac rursus

voluptatem, ut mihi amaritudinis illius, quam hominum probra & maledicta secum afferunt, causam parentémque, accuso ac submoueo.

50. Καλοὺς ἀμείβου, τοὺς κακοὺς ὑπερφρόνει.
Κἂν τοῖσδε κείσθω, τοῦ παθεῖν μηδὲν, χάρις,
Ὡς ἂν καλοὺς καὶ τοῖσδε ποιήσῃς χρόνῳ.
Τῷ μακροθύμῳ χρηστότης καλὴ δόσις.

Quid afferât iniuriæ non vindicatæ.

Probis repende: sperne quos malos vides.
Sit hoc & illis munus abs te, quod nihil
Luant acerbi. Sic eos reddes bonos.
Est namque leni munus amplum lenitas.

Rom. 12.

NICETAS. Simile esse hoc Tetrastichum existimo Apostolico huic præcepto, Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Ac quidem æquum est, ut probis & honestis hominibus, quique nos beneuolentia complectuntur, congruentem vicem referamus, ac siue per sermones, siue per munera, siue aliter per bonam conscientiam debitam gratiam persoluamus. At verò malos & flagitiosos, inuidiæque œstro in nos percitos, aspernari, ac pro nihilo ducere debemus. † Quin potius ipsis quoque gratiam habere, quòd nihil mali ab iis perpeßi fuerimus, etiamsi alioqui nobis ipsi malum intulisse se existiment. Ac proinde hoc nobis faciendum est, ut pacato in eos ac tranquillo animo simus, ut per æquanimitatem ac lenitatem nostram ad benignitatē tandem ipsos quoque adducamus, probitate nimirum nostra & suauitate pellectos ac superatos. Nemini enim malum pro malo reddentes, imò benignitatem & suauitatem præclarißimi cuiusdam muneris instar ipsis tribuentes, ita demum eos paulatim ad bonitatem traducemus, malósque & improbos nobisipsis bonos ac benignos efficiemus.

† Quin potius ipsis] Non videtur hoc loco Græcus interpres horum verborum sententiam assecutus esse, κἂν τοῖσδε κείσθω τοῦ μηδὲν παθεῖν, χάρις. *Quo versu admonet Gregorius, ut de iis, à quibus iniuriam aliquam accepimus, hactenus saltem bene mereamur, ut ne quid ipsis vicißim mali referamus. Quod quidem etiam præceptum ab ipso Auctore obseruatum fuisse ex multis ipsius Orationibus constat.*

51. Πᾶσιν μὲν ἴσθι χρηστὸς, εἰ τοῦτο σθένος,
Πλέον δὲ τοῖς ἔγγιστα. τοῦ χάριν λέγω;
Τίς ἄν σε πιστεύσειε τοῖς ξένοις καλὸν
Εἶναι τὸν οὐ δίκαιον οἷς ὀφείλεται;

Propinquis præsertim benefaciēdum.

Cunctis benignus sis quidem, quantum potes:
Verùm propinquis amplius. Cur hæc loquor?
Quis credat unquam te bonum externis fore,
Tuis iniquum siquidem te præbeas?

NICETAS. Siquidem tanta tibi gratiæ vis atque copia diuinitus concessa est, ut Deum imitari poßis, qui benignus erga omnes celebratur, tu quoque fac te omnibus benignum ac liberalem præstes. Quid enim vera Dei imitatione melius præstantiúsque esse queat? Verùm quî fieri potest, ut homo ad eius, qui bonitas ipsa est, similitudinem accedat, atque omnibus æquè hominibus misericordiam ac benignitatem impertiat? Certè simpliciter misereri, & amare, charámque omnium hominum salutem habere per Christi erga nos humanitatem ac benignitatem poßumus: at de omnibus mortalibus bene mereri, eiusmodi est, ut ad eam laudem nullus mortaliū aspirare queat. Idcirco admonet Gregorius, ut omnibus quidem benignos nos præbeamus, hoc est, sincero erga eos animi affectu ac beneuolentia simus: præsertim autem iis, qui propinquitatis neceßitudine nos attingunt, utpote quos & animi affectu, & verbis, & rebus ipsis iuuare persæpe queamus. Per propinquos autem, vel eos intelligit, qui piæ vitæ ratione ad nos accedunt, vel eos, qui genere nobis coniuncti sunt, vel eos denique, qui in propinquo sitam domum habent. Erga hos enim uberius beneficentiæ specimen edere conuenit. Quid ita? Quónam enim alioqui modo, inquit, quisquam credat te exteris, iísque, qui alieno à te animo sunt, benignum atque humanum fore, cùm tuismet iniquum te præstes? Illis enim, ut extraneis & alienis, fortasse te minimè benignum ac facilem esse debere dicturus es. At iis qui aliquo ex iis, quæ antè diximus, propinquitatis vinculo tecum deuincti sunt, prorsus benignus esse debes. Quamobrem si in hos iniquus reperiris, alienis, longéque à te dißitis, quanto tandem iniquior atque inhumanior futurus es?

52. Τί πάντα τὸν δύστηνον αἰτιώμεθα
Ἐχθρὸν, διδόντες τῷ βιοῦν ἐξουσίαν;
Μέμφου σεαυτὸν, ἢ τὸ πᾶν, ἢ τὸ πλέον.
Τὸ πῦρ παρ' ἡμῶν, ἡ δὲ φλὸξ τοῦ πνεύματος.

Peccati culpa nobis ipsis asignanda, nō diabolo.

Quid culpam in hostem semper ipsi vertimus,
Cùm nostra præstent robur ipsi crimina?
Te criminare prorsus, aut certè magis.
Ignis tuus nam: flamma verò dæmonis.

NICET.

NICETAS. Docet Gregorius faciendum nobis non esse, vt tetrum atque infaustum Satanam omni modo accusemus, vt qui prorsus in causa sit, cur peccemus. Hac enim alioqui ratione futurum esse, vt nosipsos, tanquam ab omni culpa remotos existimantes, ac voluptatibus omnibus & libidinibus habenas remittentes, in omne scelus per ignauiam proruamus. Quidnam igitur nos facere conuenit, atque in qua sententia versari? Certè se quisque, vel prorsus, vel magna ex parte, accusare debet, vt propria animi voluntate, atque instituto, ac non vlla vi externa ad vitium impulsum. Ita enim futurum est, vt nosipsos deprimentes, ac nihil omnino æstimantes, ingentem Dei misericordiam consequamur. At nosipsos m iori quidem ex parte, sed non in totum accusantes, sic quoque minorem quidem humilitatem concipimus, sed tamen nihilominus veniam impetramus. Scire autem operæpretium est iracundiæ quidem & cupiditatis ignem à nobis naturáque nostra proficisci. Quasquidem facultates in rationis, quæ imperio ac principatu potitur, nutu atque arbitrio situm est, quò voluerit, hoc est, vel ad virtutem, vel ad vitium, moderari ac dirigere. Ita fit vt dum cupiditati indulgemus ac frena remittimus, ignis accendatur, quem præsens hostis perflat, atque in magnam persæpe flammam excitat: cùm autem per philosophiam ac diligentiam atque ad extinguendum accommodatam lacrymarum profusionem eam coërcemus, ac per mentis ad cælestem ignem subuectionem obruimus, tum denique & hostis ipse, qui ignem hunc accendit, perit, & nos liberamur.

Μὴ σφόδρ' ἕπεσθαι παιγνίοις ἐνυπνίων. 53.
Μηδ' εὐπτόητον εἰς ἅπαντ' ἔχειν φρένα.
Μηδὲ πτεροῦ μοι δεξιοῖς φαντάσμασι.
Λόχος γὰρ ἐστὶ πολλάκις τοῦ δυσμενοῦς.

Ne somniorum ludicris fidem nimis Non curãda somnia.
Accommodaris: cuncta nec te terreant.
Nec læta rursum visa te tollant nimis.
Laqueos frequenter hos parat dæmon tibi.

NICETAS. Magna, ac penè inenarrabilis est insomniorum differentia. Est enim insomnium quoddam à spiritu veritatis immissum, non modò prophetis ac sanctis viris, sed interdum etiam regibus ac principibus terræ visum quoddam obscurè informans, atque adumbratè id quod futurum est, ei qui cernit, antè declarans. Hoc autem insomnij genus non crebrò, nec quibuslibet, sed præstantibus tantùm viris contingit. Sunt autem insomnia, vel insomniorum, vt rectiùs loquar, gurges inenarrabilis & infinitus, dormientibus hominibus occurrens, quem vanitatem vanitatum quispiam propriè appellare queat. Omnia enim humana verè vanitas sunt. Horum autem somnia, vel ab ea animæ parte, quæ alendi causa nobis tributa est, ortum trahunt, vel à parte sentiente, rerúmque sensilium varietate, quas vigilantibus nobis per omnes sensus vario, ac multiplici modo informauit. Has igitur rerum earum, quæ inter vigilandum ipsi apparuerunt, reliquias in ea parte, in qua memoria existit, confusè atque incertè, dum dormimus, reuoluens, atque obscura insomnia effingens, illuditur ac circunscribitur, vanitatum vanitatibus inhiando. Aut igitur ex his, aut ex diurnis actionibus & laboribus ac curis, reliquias quasdam, quiescentibus sensibus, vis ea animæ, quæ rerum imagines arripit, ac ratiocinatur, nec vnquam quiescit, inter dormiendum variè nugatur, inanitérque se exercet. Congruenter autem hominum studiis, ac vitæ institutis angeli quoque boni vel mali, verique aut falsi amantes, qui eorum vitam assectantur, insomnia variis ac multiplicibus modis efformant. Etenim alio modo iis, qui in vrbibus degunt, ac litterarum studia colunt, rerum imagines formant: alio iis, qui monasticam in desertis vitam consectantur. Quippe arrepta ex iis studiis, quibus illi operam dant, occasione, eos tentant, variísque modis animum quiescente corpore ludificantur. Atque, vt rem breui perstringam, pro institutorum, & disciplinarum, atque artium ratione, quibus in quouis loco homines operam nauare solent, tum eruditi, tum rudes & indocti, tum principes, tum subditi, tum diuites, tum pauperes, dæmon ille, qui ab incunabulis ad extremum vsque spiritum cuique attributus est, assectans, eam animæ partem, in qua ratio inest, ne per somnum quidem prorsus concidere, quietéque ac relaxatione elanguescere sinit: verùm nonnunquam naturalibus voluptatibus ac prodigiosis quibusdam oberrationibus, visisq; niue frigidioribus, ac sublimitatibus eam eludit, atque in errorem agit: nonnunquam rursus mœroribus ac terroribus, infaustisque tumultibus, & tremoribus atque depreßionibus eam de gradu deturbat, atque consternat. Ob eámque causam admonet Theologus, ne insomniorum ludicris nimiopere conturbemur. Ac proinde nec, tanquã iis magnum aliquod bonum, aut graue malum significetur, trepidare atque extimescere, vel rursus animis efferri, ac vana spe illectari conuenit. Hæc enim, velut insidias quasdam hostis noster plerisque sæpe comparauit.

Ἐλπὶς προηγείσθω δεξιοῦ παντὸς τέλους. 54.
Εἰ γὰρ συνεργός ἐστι τις τοῦ χείρονος,
Πῶς οὐ καλοῦ δίκαιον εἶναι καὶ πλέον;
Οὐ γὰρ φέρω γε τῷ κακῷ νικώμενος.

Spes læta semper acta præcedat tua. Spes bona in omni actione proponenda.
Nam nequiorem cùm iuuet, quanto magis
Hac adiuuari conuenit probum virum?
Nec enim ferendum est vt malo cedat bonum.

NICETAS. *Omnis prudentis viri actio atque agitatio scopum sibi ac spem propositam habet, in quam intuens efficit id quod efficit. Idq́; non modò in corporeis ac mundanis rebus, sed etiam in spiritualibus, iisque, quæ mentis ac rationis sunt, perspicere licet. Si ergo in huiusce vitæ negotiis & actionibus ita res se habet, vt spem ac scopum actionem antecedere necesse sit, quantò tandem magis in spiritualibus virtutis operibus eadem spes anteire debet, scopúsque antè considerari, quàm quis laborem suscipiat: quò nimirum is qui aliquid operis molitur, eum intuens, nunquam ab eo, quod sibi destinauit, aberret? Sic enim Apostoli, curriculi sui metam prospicientes, ad Christi laudes Gentibus prædicandas cucurrerunt, nec à recto tramite deflexerunt. Sic martyres hoc sibi proponentes, vt veræ Christi doctrinæ testimonium dicant, ac pro ea mortem oppetant, palmam obtinent. Eodem etiam modo omnes monachorum chori, qui sincero Christi amore ac desiderio incensi sunt, per humilem ac duram vitæ degendæ rationem, ad animi tranquillitatem aspirantes, ad eámque sitibundi currentes, id quod optant assequuntur. Nam cùm carnalia, interitúique obnoxia, vt diuitiæ, voluptas, gloria, iis, quorum terrenus affectus est, in spem proposita, suis amatoribus adiumento sint, eorúmque conatus dirigant, quid tandem afferri potest, quin multo æquius sit, vt spes pia & sancta virtutis studiosis, atque operariis, velut auxiliarem manum præbeat, eósque ad supernæ vocationis brauium, ad quod tendunt, dirigat? Mihi enim, inquit Theologus, acerbißimus quidam atque intolerandus dolor animum excruciat, cùm à malo superor. Nam si turpia flagitiosorum hominum facinora ac scelera adiuuantur, prospereque diriguntur, probæ autem atque honestæ actiones iis, qui in eas incumbunt, concidunt, infelicitérque cedunt, quónam modo feram bonum à malo vinci?*

55. Ἡγοῦ τύχης φρόνησιν ἀσφαλεστέραν.
Ἡ μὲν γάρ ἐστι πραγμάτων κούφη φορὰ,
Ἡ δ' οἰακισμός. μηδὲ ἓν παιδεύσεως
Νόμιζε κρεῖσσον, ἣ μόνη κεκτημένων.

Est sorte cæca tutior prudentia.
Namque illa rerum est impetus tantùm leuis:
Hæc clauus. Ac nil litteris tibi sit prius,
Quas poßidentes vnicas opes habent.

Prudentia fortuna tutior: nec doctrina quicquam præstātius.

NICETAS. *Fortuna id dicitur quod temerè ac sine ratione vlla accidit: Prudentia autem, quod cum recta ratione & solertia fit. Quemadmodum autem nauis in mari clauo regitur, atque ad portum appellitur: sic mens, prudentiæ clauo animam gubernans ac moderans, ad cœleste littus eam dirigit. Quoniam ergo per prudentiam vera salus iis, qui ad salutem perueniunt, comparatur, caue ne præcipiti ac rationis experti fortunæ animum adiicias, nec leui & inconsulta verborum cogitationúmque vanitate circumactus, verses simul ac verseris, hominum videlicet præstigiis & imposturis inescatus, atque pertractus (id enim periculo non caret:) quin potius ita existimes, litterarum scientia, vel potius Domini doctrina, quæ præceptorum obseruatione ac virtute colligitur, nihil melius ac præstantius esse: vt quibus vera prudentia, ac certa salus acquiratur. Etenim omnia quidem alia, quæ quispiam poßidere se putat, siue prædia, siue pecunias, siue sumptuosas vestes, siue templorum extructiones, & donaria, atque monasteria dixeris, ac denique, vt vno verbo dicam, terrena omnia, aliàs aliis, ac non iis, qui ea se habere putant, præparantur. At sola eruditio eiusmodi est, vt eam illi soli, à quibus poßidetur, sibi vendicare queant: atque & hîc viuentibus ad extremum vsque sociam se præbet, & è vita discedentes comitatur.*

56. Τὸ δραστικὸν δείκνυε μὴ τῷ δρᾶν κακῶς,
Τῷ δ' εὖ γε ποιεῖν, εἰ θέλεις εἶναι θεός.
Τόδ' ἐστὶν ἀνδρὸς εἰδότος τὸ συγγενές.
Κτείνει δὲ ῥᾷστα καὶ τρυγὼν καὶ σκορπίος.

Aliis nocendo robur haud monstra tuum:
Bene sed merendo, si Deum sequi cupis.
Est eius istud, qui suum norit genus.
Facilè at necarint † & trygon & scorpius.

Potētia nō nocēdo, sed iuuando ostēdenda.

NICETAS. *Sunt homines quidam in actionibus suis feruentißimi, atque ad res gerendas aptißimi, summéque efficaces naturæq́; celeritate atque ingenij magnitudine & præstantia vtentes, qui à multis vtilißimi esse censentur. Qui etiam regna sæpenumero, ac bellica imperia, & principatus obeuntes, ab iis, quibus præsunt, velut dij quidam haberi colique volunt. Ad huiusmodi homines sermonem conferens Theologus, Nolite, inquit, lædendis hominibus, imbecillibúsque & pauperibus exagitādis atque vexandis, strenuitatem vestram, animique magnitudinem & efficacitatem ostentare, verùm iuuando potius, atque ad Dei imitationem bene merendo. Hoc namque Deos vos, ac Dei per imitationem filios, esse ostendit. Hoc hominis est cognationem suam perspectam & exploratam habentis, hoc est, humanam ærumnam ac miseriam agnoscentis, nec insolentium ac contumeliosorum hominum more superbè sese efferentis, verùm ad Christi exemplum indulgenter sese ad alios demittentis, eorúmque infirmitates perferentis. At verò necare, bonis spoliare, calamitatibus afficere, à Dei erga humanum genus benignitate atque beneuolentia prorsus abhorret: bestiarúmque venenatarum proprium*

est

est mortem afferre. Ac marina pastinaca, & scorpio, virus suum occultè in aliquem euomentibus, celerrimè interire solent qui morsi sunt.

† Et trygon & scorpius) Hoc vult Gregorius nihil esse, cur quispiam præclarum sibi, atque ad laudem nominisque splendorem amplum esse putet, quòd nocendi facultatem habeat: cùm leuissima quoque animalia mortem afferre possint. Huic autem simile est illud quod Cicero Tusc. 5. de Theodoro refert, qui Lysimacho mortem ipsi minitanti, Magnum, inquit, effecisti, si cantharidis vim consecutus es: Vel vt refert Senec. lib. de Tranquillit. vitæ, Habes cur tibi placeas: hemina sanguinis in tua potestate est. Et sanè multò difficilius, ac proinde præclarius est prodesse, quàm nocere. Vnde grauiter quidam olim, cui cùm euersam à Philippo Macedonum rege Olynthum esset nunciatum, At hercle, inquit, multis annis talem vrbem non extruet. Bill.

Αἰσχρὸν νέον γέροντος ἀσθενέστερον 57.
Εἶναι, γέροντα δ' ἀφρονέστερον νέου.
Ὅμως ὁ μὲν καθ' ὥραν ἔστω πάνσοφος.
Τὸν δὲ κράτιστον, καὶ πρὸ ὥρας σωφρονεῖν.

Vtrunque turpe, cùm sene est infirmior
Iuuenis, eóque stultior rursus senex.
Ergo ille, vt ætas postulat, prudentia
Excellat: ast hic ante canos sit sophus.

Senem sapientia, iuuenem têperantia decet.

NICETAS. Quemadmodum turpe, minimèque consentaneum fuerit eum, qui iuuenili ac florenti ætate sit, vieto sene imbecilliorem videri: sic etiam turpe est, ac prorsus incongruum, eum, qui ad extremam senectutem peruenit, stultiorem se eo præbere, qui natu minor est. Cæterùm ita se vterque gerat, vt senex quidem, velut ætas ipsius postulat, singulari quadam atque omnibus numeris absoluta sapientia præditus sit (hoc enim bonum est, ipsiúsque ætati consentaneum:) is autem, qui tempore inferior est, id curet, vt etiam ante maturam ætatem prudentia polleat, ac senilem sapientiam assumat. Hoc enim longè optimum congruentissimúmq; fuerit.

Ἀεὶ μὲν ἐργάζοιο τὴν σωτηρίαν, 58.
Καιρὸς δὲ δὴ μάλιστα, ἡ βίου λύσις.
Τὸ γῆρας ἦλθεν, ἔξοδον κήρυξ βοᾷ.
Πᾶς εὐτρεπίζου, πλησίον γὰρ ἡ κρίσις.

Semper saluti tu quidem stude tuæ,
Potissimùm autem sub diem vitæ vltimum.
Venit senectus: exitum præco canit.
Parentur omnes: imminet iudex Deus.

Senibus potissimû salutis studio inuigilandum.

NICETAS. Cùm omni tempore atque omni ætate suæ quisque salutis negotium agere debeat (quæquidē in eo sita est, vt à malo declinemus, ac bonum faciamus) tum vero maximè imminente extremo vitæ die. Quid enim aliud esse potest, in quo viro pio ac mente prædito magis elaborandum sit, quàm vt contractas vitæ sordes per lacrymas, ac pœnitentiam expurget, atque & ea, quæ iniustè collegit, iis quos læsit restituat, & quæ honestis ac iustis rationibus ipsi obuenerunt, per egentium manus ad Deum præmittat: sicq; per fructuosam, ac cum cura & solicitudine coniunctam pœnitentiam, iudicem sibi facilem ac placidum reddat? Senectus adest: præco exitum clamat. Apostoli, & prophetæ, ac diuini omnes magistri alta voce denunciant, Pœnitentiam agite. Quisquis es, qui ad audiendum aures habes, opera tua ad exitum para. Imminet enim iudicium, idmque iudex pro foribus astat.

Psal. 30.

Πέρας λόγου, διστὴ 'στιν ἄρνησις θεοῦ, 59.
Ἔργῳ, λόγῳ τε. μὴ κλαπῇς, περισκόπει.
Ἀεὶ διώκῃ λαθρίοις παλαίσμασι.
Μή πως δεηθῇς ἐσχάτων καθαρσίων.

Binis negatur (finis hîc) modis Deus:
Sermone, vita: sedulus fraudem caue.
(Nam marte tecto iugiter lacesseris)
† Lustris opus sit ne tibi nouissimis.

Duob^9 modis Deus negari potest.

NICETAS. Multis bonis & eruditis sermonibus ad animæ vtilitatem ac salutem à Theologo allatis, iam velut omnia in summam redigens, hunc sententiis, obtestationibúsque suis egregium ac compendiosum finem imposuit, duplex esse genus pronuncians quo Deus negatur, alterum in re positum, alterum in sermone. Ac siquidem Deum re negant hypocritæ, qui insipientis illius in modum, etsi non lingua, corde tamen Deum esse negant, ob idque corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Ad hunc videlicet modum Dei negatio re expletur. Sermone autem tum denique Deus negatur, cùm quis Apostolicam doctrinam, ac diuinorum Patrum de rebus diuinis sententias repudiat, ac vel ad Iudæorum perfidiam effertur, vel ad Gentilium impietatem propendet, vel ad hæreticorum perniciem cultúmque pestiferum proruit. Quocirca Gregorius admonet vt

Psal. 13.

tu vndecunque te diligenter circumspicias, ne ab hoste, inuisibili modo præsente, atque omni studio & conatu in id incumbente, vt ad prædictarum Dei negationum voraginem præcipites nos trahat, in fraudem impellaris. Da ergo operam, vt ab his duobus à Deo recedendi generibus prorsus te remoueas ac disiungas, nec impurum cõtingas: ne alioqui impiorum hominum societate atque commercio inquinatus, postremis lustrationibus, ignéque baptismo, ac flagitiosorum hominum supplicio atque cruciatu opus habeas. Hanc Gregorij sententiarum, quaternis versibus constantium, explanationem per ipsius intercessiones & illuminationes breuiter complexi, demus laudem & gloriam & gratiarum actionem Patri & Filio & Spiritui sancto, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

2. Cor. 6.

† *Lustris opus sit.) Hoc est, vt exponit Nicetas Sarronius, ne opus habeas vltima illa ac sempiterna per ignem purgatione, quæ peccatores & impios exceptura est,* τῆς διὰ πυρὸς καθάρσεως τῆς ἐσχάτης, τῆς μὴ ἐχούσης τέλος, ἥ τις διαδέξεται τοὺς ἁμαρτωλοὺς καὶ τοὺς ἀσεβεῖς. *Vox tamen* καθαρσίου *&* καθάρσεως, *improprie hoc loco vsurpatur. Nec enim sempiternus ille ignis impiorum labes & noxas expiat, sed punit. Billius.*

SANCTI GREGORII THEOLOGI IAMBICA CARMINA.

De seipso & aduersus inuidos, Iambicum primum.

ARGVMENTVM.

ACrostichum est hoc Carmen. Summæ enim & capitales cuiusque versus literæ in Græco sequens distichon efficiunt. Hanc autem rationem vt in Latina versione imitarer, nulla mihi necessaria causa visa est, cum hoc ad verborum sententiam nihil pertineat. Hoc porrò Carmine quorundam sui temporis Episcoporum contentiones deplorat, quas cùm extinguere studuisset, adeo nihil profecit, vt in eorum potiùs offensionem & odium ob hanc causam incurrerit, ab iisque de Archiepiscopatus Constantinopolitani solio per summam iniuriam deiectus sit.

Ludicra Gregorij gemitusque Antistitis hîc sunt.
Qui volet, huic risum tot mala nostra ferant.

Scitum quid hisce scilicet nugis inest.
Namq; ex Iambis alterum prodit genus.
Acrosticha ista perlege, & liquidò scies.

SEnex quidem sum, plurium & non nescius
Vitæ malorum. ruga nam rerum parit
Vsum: vnde sæpe nascitur prudentia. — Experiẽtia prudentiã parit.
At nostra longo temporũ cursu malum
Haud tale vidit, quale nunc, ætas grauis.
Noscas vt istud, haud opus longa mora.
Pugnant nefandè principes plebis sacri
(Hos liuor ater, sæuus hos armat furor,
Hos torret, ignis vt rapax, ferocia.)
Pugnant, & orbis scinditur totus simul.
At scitus ipse, spiritúsque altos gerens,
1 *[1] Ferire virga neutiquam poteram malos,*
(Id namque pretio maxime emissem libens.) — Ioan. 2.
Verùm angularis æmulus Christi, duos — Ephe. 2.
Lapides tenebam. fas erat solum hoc mihi.
Ast, vt leones ac truces apros studens — Dissidia cõponere studens obteritur.
Lenire, pugnas & graues compescere,
Obtritus ipse sum miser, nec profui.
Prodesse namque est, quàm pati, magis arduum. — Facilius est pati quàm prodesse.
[2] Martyr subirem si dolores horridos,
Duplici periclo me statim mors solueret.
At ferre non est prona res iniuriam,
Quæ semper vrget. semper est longum nimis.
Qui nescit ista, prorsus hinc degit procul.
3 *Fraudes dolique (solum [3] eis quod est opus)*
Iungantur in me: Si lubens cessi throno, — Dilemma.
Quid maius est hoc? pulsus at si sum illibens,
Qua non luendum tam graue est pœna scelus?
In sede statuor hac die: cras hinc cado.
Proferre causam quis, licet fictam, queat?
O Christe, taciti quidpiam audax efferam.
Vrunt palæstræ liuidos, saxa & mea.
[4] Fortasse petitur Spiritus: apertè loquar, 4
Iterúmque dicam, Spiritus, tanquam Deus.
Nobis Deus ter loquar, nobis Deus.
Hoc est: ferite iam meum saxis caput.
Immotus asto dogmatis veri scopus.
Nec verba curans hostium, nec spicula.
Radix bonorum, purus & fons est Pater.
Hoc genita lux est Filius, Verbum Patris,
Sigillum Anarchi, tempore carens Spiritus.
Deus mihi Deus, ac Deus, trina vnitas.
Prohibere non est qui queat sic me loqui.
Non dicta vertet tempus: id noscat Trias.
Sors cuncta quatiat dura, non vertat Deum.
Par crimen vnum spernere est, atque omnia.
Vocem habeo, at vrbes & thronos tu splendidos.
[5] Linguam ipse sisto: pulchra vis hæc scilicet. 5
Lucerna celso splendeam fixa in loco.
Fulgore totum compleam mundum meo.
Nunc ista paulo post erunt noui throni,
Ac dignitatis ordo iustus disparis.
Graue aliter esset rebus hîc duris premi,
Nisi summus olim verteret talos Deus. — Deus talos in altero æuo vertit.
Hærere fluxæ commodis vitæ abnuo.
Tu mundo, at ipse cupidus adiungor Deo:
Molesta facili sufferam vt mente omnia.
Nox cuncta velat, lumen his affert dies.

Rom.8. *Multos labores pertuli, sed præmiis*
Non comparandos, quæ Deo charos manent.
Esaias. *Vates secari maximus firmè tulit.*
Dan.3. *Excepit ignis tres edax iuuenculos.*
Ibid.6. *Ferísque Daniel iactus est vt mitibus.*
Paulus Petrúsque lauream Romæ ferunt. Petrus & Paulus Romæ martyrio affecti.
Præambulonem dat neci vox libera. Mat.14.
Obij ipse, norunt istud: at [6] tuus tamen
Sum, Pater, adhuc me grauius affligas licet.

SCHOLIA.

1. *Ferire virga) Alludit ad illud Euangelij, vbi Christus sacrilegos nundinatores flagello ex tempore facto è templo eiecit. Bis hoc loco vertit Leuuenk. terrere, cum tamen in Græco sit* πλήσσειν, *non* πτοεῖν.

2. *Martyr subirem) Confert hoc loco Gregorius calamitates eas & cōtumelias, quibus ab improbis atq; inuidis afficitur cum martyrio: sicq; quodāmodo loquitur: Si mihi martyrio defungi contingeret, hoc solatiū haberē, quòd cruentæ ac celeris mortis beneficio nouis deinceps cruciatibus defungerer. Nūc autē vnius mortis loco eiusmodi contumeliā perferre cogor, quæ pectus meū noctes diesq; sine vlla intermissione carceret atq; conficiat. Etenim* ἀκμὴ τοῦ πάθους *hoc loco periculi flammā significat, & eiusmodi cruciatū, qui quamprimū mortē afferat, nec diuturniorib⁹ suppliciis locū relinquat. Hoc cōstat ex Gregorij nostri Oratione ad Iulianū Episoten, vbi his verbis vtitur,* οὐκ ἀνδριζόμεθα, εἰ καὶ μὴ ἀκμῇ τοῦ κινδύνου ταχεῖαν ἐχούσῃ καὶ τὴν ἀπαλλαγήν, ἀλλὰ τοῖς γε καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀγωνίσμασι. *Quoquidē in loco interpres Græcus* ἀκμὴν κινδύνου *exponit* τὴν ὀξύτητα καὶ σφοδρότητα τῶν κινδύνων. *Et rursum in Carmine Iambico noster Author ait,* ἡ μὲν γὰρ ἀκμὴ τοῦ κακοῦ λύσις φόβου, *id est, ingens doloris acerbitas id affert, vt statim metus omnis extinguatur, morte scilicet omnem doloris sensum adimente. Pudet autē hîc referre quàm turpiter hoc loco Leuuen. hallucinetur, dum & martyrem simpliciter pro teste accipit, & quid sit* ἀκμὴ τοῦ πάθους *prorsus ignorat, &* δισσὸν κίνδυνον *vtrumq; periculum vertit, cum hîc* δισσὸν δεύτερον *significet, vt apud Euripidem in Hecuba, vbi ea cum Polymnestore contendens, his verbis vtitur,* Πῶς φῂς ἀχαιῶν πόνον ἀπαλλάσσων διπλοῦν, *id est,* δεύτερον. *Aiebat enim ille se hanc interficiendi Polydori causam habuisse, vt impediret quominus ipse, si ad viriles annos peruenisset, noua negotia Græcis exhiberet. Facessat igitur ineptissima Leuuenklaij interpretatio, qui hunc locum sic vertit, Eius rei testis ipse sum, qui dum maximè adfligerer magis etiam laborans, tandem celerrimè vtroque periculo sum liberatus.*

3. *Solum eis quod est opus) In Græco est* ἐν ἔργοις αὐτοῖς. *Sed cum Iambici Carminis lex hanc lectionem apertè respuat, ego legendum existimo* ἓν ἔργον αὐτοῖς. *Hoc enim velle videtur D. Gregorius, aduersarios suos nihil aliud operis habere quàm vt nouas subinde aduersum se fraudes excogitent.*

4. *Fortasse petitur Spiritus) Hoc est, Fortasse hac de causa oppugnor & exagitor, quia Spiritus sancti, cui isti bellum indixerunt, diuinitatem assero ac prædico.*

5. *Linguam ipse sisto) Hæc ex aduersariorum persona dicuntur: quæ autem postea parenthesi includuntur, Gregorij sunt, eorum minas irridentis. Rursum hæc verba, Lucerna celso &c. aduersariorum sunt, licet aliter existimet Leuuenk. altas dignitatum sedes iactantium. Quibus postea illud opponit vir sanctus, in altera vita nouos thronos fore (alludens scilicet ad illud Dan. 7. Aspiciebam, & ecce throni positi sunt) Deúmque vnicuique pro merito honores & dignitates distributurum esse.*

6. *At tuus tamen) Gr.* ὡς δ' ἐγώ, *id est, sic quoque tamen: vel, nihilo secius tamen: non, vt Leuuenk. mea sententia. Sequenti versu pro* σῶς, *quod saluum & incolumem significat, malim legere* σός: *vt sit sensus, Tuus sum etiamsi pluribus adhuc ærumnis me afficere velis.*

DE PROVIDENTIA Iambicum secundum.

ARGVMENTVM.

Postquā initio huius carminis eorum errorem obtriuit, qui Deo res humanas curæ esse negabant, verā de Prouidentia doctrinā subiungit, ostendítque, ne quid animis offendamur, nobis faciendum esse, vt cum Dauide rerum finem consideremus, nec ob res piorum virorum aduersas & calamitosas huc adducamur, vt sinistram de diuina prouidentia opinionem induamus. Neque enim par esse, vt qui Christianum se profitetur, ac futura bona expectat, ob huiusce vitæ afflictiones vehementiùs angatur, atque animum despondeat, cum præsertim ei Christus in hac vita nō voluptates & delicias, sed labores & molestias promiserit. Deinde rationem affert cur in veteri Testamento Deus pios viros præsentibus bonis plerúmque afficeret. Demum illud docet, res molestas & iucundas suauibus & iucundis vtiliores esse: ídque pulchris similitudinibus declarat.

1 *Pereant [1] prophani, qui Deum summum negant,*
Tantámque mundi (verba quam nulla explicent)
Concinnitatem cuipiam causæ dare,
Qui cuncta faciat, seruet & cuncta, abnuunt.
Pereant, Deorum qui vagam turbam inserunt,
Ac vim bonorum, vel malorum dæmonum.
Pereant, Pronœam qui negant (tanquam optimi
Ne seruet ipsos cura metuentes Dei)
Regenda sed dat casui incerto omnia,
Aut motioni tribuit amens syderum:
Quæ quis sit ille qui mouet, lubens rogem.
Deus? Deus quod versat, an primum asseres?
Nectentis etenim est vertere id quod nexuit.
Si non mouetur à Deo, ex [2] anarchia
Stabuntne, pugna vel Dei? pugna est enim. 2
Nam prouidentem qui negat, bellum [3] Deo
Infert: Deum ni forte fatalem inuehis,
Qui nexionis illibens vim sufferat.
Suismet istos sic vides dictis capi.
Mundum gubernat vnus at nobis Deus,
Sapienter ipse nutibus voluens suis,
Nectensque cuncta prorsus ad libitum suum:

MMMM

Quædam putetur voluere haud rectè licet.
Multi laborant, & quidem sophi admodum,
Et nunc, & olim, disparem ob vitæ statum.
Referre cunctos quid decet? Spectes velim
Psal. 72. *Dauid quid ipse sentiat, cernens malos*
Florere, vt ipsi iudicant. valde æstuat:
Ne cuncta temere quispiam ferri putet,
Nec esse quenquam, nostra qui prudens regat.
At soluit istud ipsemet. Finem omnium
4 *Specta, inquit ille,*[4] *quamque sit contrarius.*
Quod seminaris, certus hoc tandem metes.
5 [5] *Ignota ratio si tibi est, non est Deo:*
Si rerũ rationes nobis ignotæ, at non & Deo. *Ignota nam si lineæ est, tabulæ & tibi,*
Vtriusque nouit hanc vel hanc tamen artifex.
Quædam ipse nosti: in cæteris esto sequax.
Prudentis hoc est nam viri, Verbo obsequi.
Si cuncta clara, dic velim fides vbi?
Fides, simplex assensio. *Simplex profectò est nam fides assensio.*
Quin illud etiam cogito, haud forsan malè.
Non, cum venires, ista promisi tibi,
Opes, quietem, robur, & prolem inclytam,
Felix sed æuum, quæque sperantur bona,
Maiora speres vt loco præsentium.
Simile. *Estne igitur æquum, te, velut in contractibus,*
Et res habere, & venditam rem poscere?
Ni forte honoris vis tibi hoc vni dari.
Nimis auidi hoc est, & noui commercij.
Aut illa, bone vir, proiice, aut hæc da quoque,
Si stare verbis tu cupis firmus tuis,
6 *Nec,*[6] *pacta quæ sunt commodè, his excedere.*
Cur præsens prosperitas veteribus concessa. *Ista quoque, dices, ergo cur priscis erant?*
Fundata nondum tunc satis fides erat:
Fidémque certis fluxa præstabant bona,
Velut puellis, lacte qui vires trahunt.
Planum hinc fit istud: tunc enim grauissimis
Etiam solebat venia criminibus dari,
7 *Non*[7] *grauibus autem iuncta laus culpis erat.*
In vtroque dispar sic erat libræ bilanx.
At vindicandis optimis viris modus
Aberat: docent hoc Dauid & Moses, docet
Elisæus etiam, mente quem versans tremo.
Dauid. *Culpis minores ille nam pœnas luit.*
Moses. *Pro leuibus alter conspicit rebus Deum,*
Capitque Legem, maximam & seruat manum.
4. Reg. 2. *Postremus autem, non graui à pueris probro*
Affectus, ipsos afficit pœna graui.
Vmbrosa sic tum lex erat: sic victimis
Sita in cruentis criminum purgatio:
Aspersiones carnis & spurcæ leues:
Vitare[8] *culpam summa sic virtus (licet* 8
Nil plus adesset:) paruulis tum temporis
Pietate clausa terminis. An quidpiam
His maius ipse proloquar? certè loquar.
Nondum illi habebant, quale nos, munus, Dei
Perpessiones scilicet, & innoxius
Quem fudit agnus sanguinem ob labes meas.
[9] *Horum ergo maior laus erat. quòd si amplior,* 9
Maius laborum da quoque esse debitum:
At, plura quoniam cepimus, nobis minùs.
Quod instar autem est omnium, atque ante omnia:
Cursus secundos ne nimis vitæ efferas,
Qui sapere nosti res supra, quas cernimus.
[10] *Me forte callis arduus in altum vehit,* 10
Te verò facilis cursus in præceps rapit.
Macies decori nostra præcellit tuo.
Boúmne cernis alterum, in stabulo caput Pulchra similitudo à bobus ducta.
Altè efferentem, carnis & pinguedine
Nitidum ac ferocem, pronum humi contrà alterum,
Curuum, indecorum ruris ob culti notas:
Quorum ille, dandus pòst breui certè neci,
Seruetur, ast hic seq; alat dominum & suum?
Horum videtur quis tibi felicior?
Nonne macilentus, & graui pressus iugo?
Sagina sed te forte delectat: mala
Sit illa quamuis, atque compacta improbè.
Quid? an tumorem tu probas hydropici? Triplex similitudo, qua docet aduersa secundis non præponẽda.
Fortemne censes, cui furor mentem abstrahit?
An[11] *dulce prorsus pharmacum morbos fugat?*
Multis amarum poculum bono fuit:
Persæpè contrà dulce perniciem parit.
Annon paternam filius virgam colit,
Si mente constet: at malum est hinc suauitas?
Nam gnatus haud est, virga quem nunquam ferit. Filius non est, qui nũquam vapulat.
Quid, pro corona, Iob velut, si dimicas?
Hæc si tibi ipse concinas, leuaberis,
Ac mollietur protinus labor tuus,
Spem comparabis & bonam, grates agens.
Qui blandientem sedulus dominum colit, Psal. 48.
Malúmque censet, cum ferit, seruum hunc malum
Dico. decet nam, quo trahit clauus, sequi,
Quo me ex palæstra, turbine & sæuo regit:
Donec procellis liberum in portum ferar.
Namque ille summus artifex frustra ratem
Haud fecit, ast in commodum finem & bonum.

SCHOLIA.

1. *Pereant prophani*) *Triplici hominum generi pestem & exitium optat, Atheis, polytheis, & iis, qui diuinam prouidentiam negant.*
2. *Ex anarchia*) πῶς στήσετ' ἐξ ἀναρχίας: *quonam modo vniuersa hæc rerum moles stare poterit, si nemo sit, qui imperium teneat? Leuuen. vertit* στήσεται, *finis erit: alieno planè sensu.*
3. *Bellum Deo infert*) ἀντάρσις θεοῦ *idem est quod* μάχη κατὰ τοῦ θεοῦ. ἀντάρσις *Theologi persæpe de Diabolo dicunt, aduersus Deum impiè rebellante. Leuuen. transfert, rursum tollere: parum aptè, vt quidem existimo.*
4. *Quamq; sit contrarius*) *Nam qui delicias & voluptates per omnem vitæ cursum amplexus est, eas in morte cum acerbissimis doloribus commutat: & contrà.*
5. *Ignota ratio*) *Ad verbum, Si tu rationes ignoras, at non item eas ratio (hoc est Christus) ignorat.*
6. *Nec pacta quæ sunt*) *Gr.* τῶν καλῶς συγκειμένων, *id est,* ὡμολογημένων, συμπεφωνημένων. *Leuuen. vertit, nec ab iis aberrare, quæ præclarè se habent. Vbi nullo modo expressit vim huius vocis,* συγκειμένων.
7. *Nõ grauibus autẽ*) *hoc est, Leuia peccata honori quodãmodo & laudi dabãtur. Videtur tamẽ hoc loco Leuuen. legisse* καλῶν. *Quæquidẽ lectio si cui magis arrideat, sẽsus hic erit: Virtutes nõ ita magnæ sũmã laudẽ cõsequebãtur.*
8. *Vitare culpam*) *Hoc loco per* χέργα *Leuuen. idolorũ cultũ intelligit. Latiùs tamẽ hîc patet hæc dictio, atq; ad omnia vitia se porrigit. Vult enim Gregorius, veteri lege adhuc vigẽte, rẽ eo statu fuisse, vt sũmæ cuiusdã virtutis loco haberetur, si quis à vitiis dũtaxat abstineret, etiãsi alioqui virtutũ non admodum magnam curam gereret.*

9. *Horum*

9. *Horum ergo maior) Quoniam scilicet non tantum, quantum nos, beneficium consecuti (hoc est, Christi labores & cruciatus) virtutem tamen sibi amplectendam & colendam proponebant. Leuuen. vertit, Quamobrem illorum fuit conditio potior. In quo certè vehementer fallitur. Quonam enim pacto eorum, qui Christum adhuc expectabant, nihilque præter vmbras & figuras habebant, melior conditio esse potuisset, quàm horum qui Christo ac veritate ipsa fruuntur?*

10. *Ne forte callis arduus) Gr.* μή πως ἐμοὶ λάβῃ ὕψος ἢ τὸ δύσβατον. *Leuuen. Ne forte mihi contingat sublimitas, in qua difficulter ingredi quis poßit. At vertẽdum potiùs erat, Ne forte itineris difficultas me in altũ euehat.*

11. *An dulce) Leuuen. elegantem similitudinem, à pharmacis ductam, & in hoc versu, & in duobus sequentibus prorsus obscurat.*

AD SELEVCVM Iambicum tertium.

ARGVMENTVM.

Etsi hoc Carmen Amphilochio Iconij Episcopo tribuitur, ipsa tamen phrasis Gregorij cothurnum planè resipit: vt etiam in Græco codice quidã verbis Græcis annotauit. Nam quòd aliorum nomine ad quosdam scribat, nemini mirum id videri debet, cùm in Heroicis Carminibus id aliquoties vsurparit. In hac porro Epistola Seleucum, probæ indolis iuuenem, primò admonet vt Dei metum atque amorem in animo infixum habeat, ac morum probitati, quæ iuuenibus æquè ac senibus multò maiori, quàm opes vllæ, ornamento est, obnoxio animo studeat. Deinde vt animum bonis artibus & disciplinis expolire curet, omnis generis scriptores euoluendo: sic tamen, vt selectis iis & decerptis, quæ aliquam ei vtilitatem allatura sint, ea fugiat, quæ cum detrimento & pernicie coniuncta sunt. Maximè autem illud præcipit, vt improborum societatem & consuetudinem fugiat. Tum verò, vt theatra, & pugnas eas, quæ cum feris ineuntur, ac ludos equestres, tanquam pestiferos & exitiosos detestetur, eundem monet. Demum ei author est, vt postquam externis disciplinis, quantum sat sit, temporis dederit, iam ad sacrarum literarum studium totum se conferat: cúmque in eis magnos profectus fecerit, non propterea insolenter se efferat, sed cum Mose animi summissionem colat. Ad extremum, ne ille nothos & adulterinos libros pro veris & geminis sumens, in fraudem incidat, qui libri pro germanis & Canonicis habendi sint, ostendit.

SAluere iubeo plurimùm pulchrum & bonum
Gnatum Seleucum, nobili stirpe editum.
Gaudere & ipse rursus ob vitam tuam
Moréſque cupio, propter & studia optima.
Sit primus in te numinis sancti metus
Amórque. mente præditis namque integra
Origo vitæ est omnis, & finis, Deus.
Pòst, nate, mores excole, ac placidus stude
Atque humilis esse, continens, dulcis, grauis,
Liuore purus, strenuus, iustus, sophus,
Castus, operosus, temperans, æquabilis.
Hoc namque iuueni pariter ac seni est decus,
Præstat moribus diuitẽ esse quã opibus. *Non tam esse numis diuitem, quàm moribus.*
Hoc namque nostrum est: census at contrà solet
Mentes auaras ludere, atque illis modò
Diuitiæ scorto similes. *Fauere, nunc his rursus (infidæ sequens*
Meretricis astus, quæ procos fallax suos,
Hunc hoc, & illum dispari ludit modo)
His nunc & illis iunctus, hos illos fuga
Linquens, sequénsque, neminem at fucum citra.
Diuitiæ fluctibus nihilo stabiliores. *Nam firmitatis nil habent opes, maris*
Similes profectò fluctibus, motu leui
Quos ferri in altum cernimus, labi & cito.
Virtus nullas iniurias timet. *Si diues ergo, nate mi, sis moribus,*
Thesaurum habebis, prædo quem non auferat,
Nec sycophantæ pestilens morsus petat,
Trucis tyranni nec manus exhauriant,
Nec barbarorum sæua diripiat phalanx,
Sed maneat intra corpore vacantes domos,
Habet vbi tuta nostra mens æraria.

Rabidæq; quem non dira vis flammæ vorat,
Nec tumidus operit fluctus insani maris.
Has, cùm tuæq; sint opes, fidæ & tibi,
Serua, bonísque disciplinis expoli,
Historica scripta perlegens, vincta & metris
Colénsque studia sedulò eloquentiæ,
Et tradiderunt quæ Sophi subtiliter.
At ista quæso cuncta fac cautus legas, Cautè legendi prophani scriptores.
Prudenter ex his colligens quod vtile,
Fugiénsque quicquid noxium est, & pestilens.
Apis æmulari cura sit sapientiam, Apis imitanda.
Quæ flore in omni sessitans, ex singulis
Idonee carpit, esse quod videt vsui,
Natura quamuis doceat hanc tantummodo.
Ratione sed tu præditus, carpe affatim
Vtilia quæ sint. si quid est damnum ferens,
Statim atque vitium noueris, celer auola.
Mentis volatu nil enim pernicius. Mentis alis nil celerius.
Vbicunque laudes ergo virtutis canunt,
Vitiúmve damnant in libris illi suis,
Hoc diligenter percipe, ac mentem simul
Serua, leporis quicquid & verbis inest.
Scripsere sed quæ de Deis nugaciter,
Figmenta fœda (dæmones quorum patres)
Figmenta digna lachrymis, risu & simul,
Hæc, vt dolosa retia, vt laqueos fuge.
Sed verba cum tu legeris, cum numina,
Illa expetenda, risu at hæc dignißima,
Contemne diuos tu quidem, studia at colens
Doctrinæ, ab vna vt atque eadem plantula,

Spinis relictis floridas rosas lege.
Ac de prophanis litteris lex optima
Hæc est. quibusnam at plurimum studij dare
Conueniat, ipse paulo pòst dicam tibi.

Malorum societas vitanda.

Hoc non monendus es mihi primùm. decet
Iuuenem improborum fugere cœtus noxios,
In hisque quidquid prorsus est læti situm.

Mali scabiosæ pecudi similes.

Sunt namque multi, more qui pecudum scatent
Fœdáque scabie, grauibus & morbis simul:
Iuuenésque tentant, simplices si quos vident:
Séque affricantes subdole his, illud student,
Vt prauitatis hos suæ morbo impleant.

Cur mali alios inficere studeant.

Cur istud autem? criminum quò plurimos
Socios habentes, obtegant labes suas.
Hos tu caueto. nam, velut Paulo placet,

1. Cor. 15.

Colloquia mores praua corrumpunt bonos.
Quin illud etiam maximè obserues velim:

Spectacula fugienda.

Theatra quem dant, Circus, & truces feræ,
Cantum, malorúmque horreas spectaculum,
Et vana vitæ, gaudij & Lernam improbi,
Hominum indecora studia lasciui gregis,
Qui castitate turpe nil dempta putant,
Probri administri. quidam enim hoc, artis loco,
Habent, vt animos turpia ob quæque efferant:
Scurræ, feriri mos quibus pugnorum ictibus,
Quibus ante capitis sectus est crines pudor:
Schola fœditatis omnis, & lasciuiæ:
Queis artis est pars, perpeti & facere omnia,
(Idque ante visus omnium) quæ non licet.
At rursus alij, natio infelic[illegible]
Famam decúsque turpiter marium exuunt,
Sexum & virilem flexibus cum corporis
Frangunt: simul sunt fœminæ, & simul mares:
Non masculi, non fœminæ, falsa haud loquor.
Nam nec manent iam masculi, nec fœminæ
Fiunt. Nec etenim, moribus quod sunt, manent:
Natura rursus, esse quod student, negat:
3 [3] *Ænigma luxus, ac gryphus libidinum,*
Et fœminis viri, viris & fœminæ.
Quid cantionum turpium morbos loquar,
Versúsque, neruos pectoris qui emolliunt?
Quid tibiásque, quid choros bacchantium,
4 *Quibus* [4] *ampla miseri pensitant quoque præmia?*
Hæc súntne laude, súntne visu, & gaudio,
An digna potius lachrymis & luctibus?
Dominatur illic risus, ac stuprum subit
Natura, flamma crescit & libidinum.
Ac fœditatis improbi quoque construunt
Theatra: morbus abditè vt non iam ampliùs
Grassetur, arti præmium at constet malæ.
Hæc execrare: pupulas nec tu infice.

Oculi virgines seruandi.

Quodcumque labem visui accersit, fuge:
[5] *Oculos vt ipse virgines serues tuos.*

Gladiatorios ludos exagitat.

At helluonum, venter est quibus Deus,
Cruenta fugias plus adhuc spectacula.
Hi namque ventri seruiunt (quo turpior
Haud morbus vllus) ijsdque explent improba.

Venter mẽbrorum omniũ dominus.

Membrorum at iste dominus vt seruus omnium,
Sedet intus, atque membra diuendit feris,
Pretium gulose deuorans: venter nimis
Prodigus, in aluum belluarum immanium
Cognata trudens membra vi tyrannica.
Hæc sessitantes improbi spectant viri.
6 [6] *Ac si ferarum fugerit quisquam impetum,*

Gemunt, vt ipsi, quàm feræ, lusi magis,
Frustra & sedentes: sin virum fera ceperit,
Arctúmque quiddam mugiat miser, & graui
Non absque planctu puluerem sparsum aggerat,
Ipsorum ab oculis omnis excedit dolor:
Oritúrque plausus gaudio cum maximo
Iunctus, cruoris riuulos si viderint.
Nam, digna quæ sunt lachrymis, læti vident,
Fauéntque trucibus bestiis corde effero.
Ac fortè si quem ceperint, magis incitant
Magísque, & acuunt impetus (ipsi velut,
Carne saturandi) belluísque opem ferunt.
Ac venditores improbi carnis suæ,
Victúsque serui, rursus & victus feris,
Vita execrandi, post necem miserrimi,
Hoc fine sæuo terminant vitæ dies.
At membra quædam belluæ venter tenet,
Quædam premuntur dente crudeli nimis.
Semilacerata rursus at quædam vndique
Saliunt, adhúcque palpitant, adhuc fugam,
Fugæq; cursum cogitant, vanè licet.
Fœdare diris visibus tua lumina
O Nate parce: nec viros nudos vide
Letho iacentes, ac feras nexas simul,
[7] *Sepulchra cursu concita, affines humi.*
Quin Circus etiam, mitius spectaculum 7

In Circenses ludos.

Quamuis priori nemo non existimet,
Est pestis animæ, morbus & necem ferens.
Diuellit vrbes, vulgus in partes secat,
Docétque pugnas, & ciet conuicia.
Ciues, propinquos dirimit, & senibus probrum
Infert, furore pectora & iuuenum ferit.
Ad odia amicos excitat, leges premit.
Malis & hisce perpetrat maius malum.
Socios furore percitis Magos mouet,
Quò palma veniat: ac malo nutrit malum.
Ardere cœpit pugna nam postquam semel,
Tum quisque propero tendit ad Magos pede.
Prauos at illi dæmonas statim vocant,
Lapsus vt ipsis, vulnera, & cædes ferant.
Gaudet malis nam dæmonum manus improba.
Cursus equestris hinc liquet spectaculum,
Quamuis putetur blandulum & mite haud parum,
Pestem esse mentis, corporum & pugnam grauem:
Opibúsque damnum maximum ferre insuper.
Quotnam repente prorsus euertit domos?
Quotnam ad petendam diuites stipem impulit?
Quotnam antè sanctis legibus plena oppida
Deleuit? etenim rixa, pubescens velut,
Procerum cruore plebis infecit manus,
Vrbésque, facta cæde, vacuauit viris,
Ac ciuitates funditus flamma abstulit.
Ferrúmque, plectens cædibus cædes nouis.
Quis ergo magicam, mente non cassus, ferat
Spectare pugnam (non enim cursus equis
Laus danda) ædes quæ parit, morbum vrbium.
Pro rebus hisce studia te bonarum artium
Iuuent, tuos quæ dirigent mores probè.
At lectione plurima mentem vt tuam,
Velut in palæstra, senseris iam exercitam,
Tunc illabora litteris gnauus sacris,

Litteris sacris maximè studendum.

Vtriusque magnas fœderis carpens opes,
Quorum vetustum est illud, hoc semper nouum:
Nouum, secundo proditum namque est loco,

Nec

Nec pòst sequetur alterum vllum tertium.
His omne studium litteris tribuas libens:
Excolere mores ex quibus disces bonos,
Verúmque, solum & ritè venerari Deum.
Trinitatis doctrina. *Æterna namque est vnitas & Trinitas,*
Cum Patre natus, Flamen & sanctissimum:
Natura simplex, at triplex hypostasis.
Miscere trinas ergo personas caue
In vnum: itémque scindere naturas fuge.
Supremus etenim Trinitas vna est Deus.
Subtilis ista dogmatis summa est pij.
Veritatis via arcta. *Nam veritatis arcta reuera est via,*
Vtrinque præceps semita, & stricta admodum.
Sabellii & Arrii error. *Quæ deuiantes hinc & hinc, Sabellius,*
Inopsque mentis Arrius, lapsu horrido
Franguntur: alter nempe Iudæis fauens,
Idololatras alter at contrà æmulans:
Personam in vnam contrahens ille impiè
Cæleste numen, hic secans essentiam.
Inflexus at tu semitam mediam tene,
Scindens vt est fas, copulans vt conuenit,
8 *Confusa* [8] *nec enim copula est Triadis sacræ,*
Nec vnitatis sectilis disiunctio:
Natura namque haud scinditur: at hypostases
Confusionis prorsus expertes manent.
Sis firmus horum dogmatum custos velim.
Diuina quæ Lex imperat, fac sedulus:
Cunctásque disce mysticas theorias:
Subinde crescens, nec tumens fastu tamen.
Sic maior etenim gratia existet tibi.
Mosis humilitas. *Vidésne Mosem, seruulum fidum Dei,*
Probitatis omnis specimen, atque imaginem?
Act.7. *Nónne Phariorum cum prius sapientiam*
Didicisset omnem, regia altus in domo,
Heb.11. *Sponte fugitiuus, pauper & sponte extitit:*
Sequénsque rura, dapibus Ægypti omnibus
9 [9] *Pastoris inopem prætulit mensam, ac decus*
Regale calcans, maluit vitam asperam:
Exod.3. *Admissus ingens donec ad spectaculum*
Tandem ipse vidit angeli mysterium,
Qui se intuendum dederat ardenti in rubo.
Ibid.19. *Pòst consecutus gratiam hanc, vt numinis*
Dicta aure caperet primus, hanc & vim insuper,
Populo vt gementi solueret iugum graue,
Suósque regeret calculo ætherei patris,
Ad culmen istud vectus haud attollitur,
Exod.4. *Verùm indisertum se statim & blæsum vocat,*
Ac destitutum robore: de se infimè
Dum sentit, hinc vim seruet & robur suum.
Huius tuere sedulus vitæ typum,
Mosem æmulando, Mosis & mores probos.
Ac disciplinas, quæ vigent Græcos apud,
(Iudex vt æquum calculum ferens) iube,
Scientia prophana sacrę ancilla esse debet. *Vt fas & æquum est, instar ancillæ obsequi*
Professioni dogmatis verissimi,
Studiísque sacræ paginæ. iustum est enim
Vt sophia sancti Spiritus, quæ cœlite
Profluxit aula, venit & summo à Deo,
Vt domina præsit inferæ sapientiæ:
Famulæq; ritu discat hæc non turgidum
Concipere fastum, iussa sed promptè exequi.
Seruire superæ nam decet certè inferam.
Ast illud etiam conuenit te discere.
De libris *Non tutus omnis est liber, sacri libri*
In fronte nomen quisquis augustum gerit. Canonicis scripturæ.
Sunt namque, falsum qui gerant nomen, libri.
Sunt medij, ab illis dissiti haud sanè procul,
Quos esse veros nullus est qui deneget.
Ac rursus alij sunt nothi atque noxij,
Adulterinos cernere est numos velut:
Inscriptionem regiam qui cum gerant,
Nothi tamen sunt, ære non auro editi.
Ipse [10] *ergo sacri codicis pandam tibi* 10
Omnes libellos, quóque noscas planiùs,
Primùm vetusti fœderis dicam libros.
In Pentateucho Genesim habes, & Exodum,
Leuiticúmque (sede qui media est situs)
Numeros, secunda lex locum secundum obtinet.
His adde Iesum. mox sequuntur Iudices,
Ruth deinde, Regum quatuor libri simul.
Paralipomenωn adiice his libros duos.
At geminus Esdræ sequitur hos statim liber.
Tum quinque versu conditos libros habes,
Iob (cui palæstræ plurimæ cingunt caput)
Et mentis ægræ pharmacum Psalmos sacros,
Salomonis etiam tres libros, Paræmias,
Ecclesiasten, Canticorum Cantica.
His ter quaternos iunge, iam vates simul,
Oseam & Amos, atque Michæam insuper,
Quartúmque Ioël, Abdiam, Ionam (typum
Reuersi ad auras tertio à letho die)
Naum Abacucque, qui loco nono insidet,
Sophoniam & Aggæum, Zachariam, vltimum,
Nomen duplex, cui est, Angelum Malachiam.
Post hos Prophetæ disce qui sint quattuor.
Non trepidus ore primus est Esaias,
Alter Ieremias, condolens & mysticus.
Ezechiel inde, & vltimo Daniel loco,
Rebúsque, dictis & simul mirè sagax.
Sunt qui libellum his copulent sanctæ Estheris.
Nunc iam recentis audias pacti libros.
Euangelistas quattuor solùm cape.
Matthæus omnes anteit, Marcus statim
Lucásque sequitur. quarta Ioanni datur
Sedes. at aliis est prior, si dogmata
Spectes. vocatur iure nam tonitrui Marc.3.
Proles. Dei nam maximè insonuit λόγον.
Lucæ quoque librum iungito his rursum alterum,
Apostolorum gesta qui fusè canit.
Electionis adde vas, Apostolum, Act.9.
Qui præco celebris Gentium hîc semper fuit,
Scripsitq; scitè litteras quatuordecim
Ad Christianos. ciuibus Romæ vnicam,
Bimaris Corinthi scripsit ad ciues duas.
Galatis & vnam misit, vnámque incolis
Ephesi. Philippis & Colossis vnicam,
Thessalonicæ ciuibus binas, duas
Timotheo, & vnam cum Tito Philemoni,
Vnámque Hebræis denique, atque hanc vltimam.
Quidam licet sint qui notham hanc esse asserant,
Errore ducti: tota nam Paulum sapit. Epist. ad Hebr. Paulũ redolet.
Restat Catholicas litteras dicam vt tibi.
Has esse septem dictitant quidam: negant
Debere quidam suscipi plures tribus,
Ioannis vnam, Petri & Iacobi vnicam.
Ioannis alij tres volunt, binas Petri
Recipi, & Iudæ septimam. rursum librum,
Arcana rerum detegit qui plurima,

Quidam inserendam codici sacro asserunt:
Nothum esse maior pars ait rursum altera.
Canon hic sacrati certus est voluminis.
Cui sit obsecutus, labilis mundi plagas
Fugias, inanes spesque proiicias humi:
Opesque fluxas vberi spargas manu
Pauperibus (vnde tuta te messis manet.
Nam semen istud condis in cœlo tuum)
Christum & sequaris sedulus, verbum & Dei,
O te beatum, terque felicem & quater,
Vt qui iuuenibus ac senum irradies gregi.
Pia vita Sole splendidius radiat. *Pia vita Sole clarius namque emicat.*
Ac te Prophetæ, Martyres, Apostoli,
(Hinc ambientes, hincque te, membrum vt suum)
Cingent coronis, & tuas palmas canent.
Ac tum perennem gloriam carpens, choros
Ducénsque sanctis cum angelis lætaberis.
Vale, hæcque scripta ne tuæ menti excidant.
Grauitatis omnis, castitatis, & piæ
Vitæ tabellam, præditam ingenti fide,
Velim salutes nomine meo Olympiam.
Scire Seleuce cupis quot Iambica carmina sint hic?
Tres sunt centuriæ, decades tres, ac [11] monades tres. 11
Opto etenim trias vt tibi sit charissima semper.

SCHOLIA.

1. *Bonisque disciplinis expoli*) σμῆχε. *Quo vocabulo hoc significat humanum animum velut rubiginem quandam in ortu contraxisse, quæ postea bonis artibus & disciplinis eximenda sit. Huius verbi vim non satis expres-sit Leuu. cum vertit, diligenter optimis disciplinis incumbito.*
2. *Obtegant labes suas*) *Malis suis caliginem offundant, eorúmque conspectum eripiant. In Card. Sirleti libro vitiosè legitur* ἐπισκοπεῖν, *quemadmodum etiam aliquanto post* τέκνον ἔχουσι, *pro* τέχνην ἔχουσι, *&* συγκαταχλαδῶντες *pro* συγκαταχλαδῶντες.
3. *Ænigma luxus ac gryphus libidinum*) *Hoc dicit ob impuros istos & petulantes scurras, qui cum virilem formam gerant, de industria tamen seipsos effœminant.*
4. *Quibus ampla*) *Pro* γέμουσι, *lego* νέμουσι, *vt etiam paulo pòst, pro* ἀδμίας *ob versum repono* ἀκομψίας. *nã alioqui, vt in vnica duntaxat litera mutatio consisteret,* ἀτοπίας *legendum putarem.*
5. *Oculos vt ipse virgines*) κόρας παρθένους. *Ad illud alludere videtur, quod Orator quidam, vt est apud Plutarchum, de homine insigniter impudenti dicebat, eum non* κόρας, *sed* πόρνας *in oculis habere. Ambiguum quippe nomen est* κόρη. *nam & virginem significat, & pupillam oculi.*
6. *Ac si ferarum*) *In Græco non post* φύσει, *vt in eo libro quo vsus sum, sed post* θῆρας *interpungendum est, legendúmque* στένουσι, *non* πνέουσι, *vt versu seq.* παιχθέντες *non* πεχθέντες *Leuuenk. interpunctionis vitium nõ agnoscens,* θῆρας *cum* στένουσι, *iungit, vertítque, Ferarum causa ingemiscunt.*
7. *Sepulchra cursu concita*) *Per sepulchra feras illas intelligit, quæ miseros illos in ventrem condiderunt, iísque tumuli loco sunt. Id quod si Germanus interpres animaduertisset, non ante hanc vocẽ,* currentia, *de suo,* quasi, *addidisset.*
8. *Confusa nec enim*) *Ad verbum, Copulatur enim Trinitas absque confusione, quemadmodum vnitas sine vlla sectione disiungitur.*
9. *Pastoris inopem*) Ἡ ποία τράπεζα *idem est quod* μισθωτή, *mercenaria.*
10. *Ipse ergo sacri*) *In librorum Canonicorum enumeratione multos hîc omittit D. Gregorius, de quibus tamen nunc dubitare nefas est, quin Canonicorum, & nomen, & authoritatem habeant. Antequam autem ab Ecclesia communi consensu recepti essent, nihil piaculi fuit eos in Canonicorum numerum ac sedem minimè admittere. Vide latè de hac re doctissimum Melch. Canum lib. 2. de Locis Theologi.*
11. *Monades tres*) *Quatuor tamen, nisi fallor, numeraui.*

EPIGRAMMA IN TEMPLVM ELIÆ, quod χηρεῖον appellabatur, Iambicum quartum.

Hospes Sarepthám cernis hîc Sidoniæ,
Viduæque turrim, quæ pium vatem Dei,
Cum premeret vrbes aspera vindex fame,
Perquam hospitali pectore excepit domo:
Cui nil habebat vas, nisi olei paululum,
Præter farinæ paululum nil hydria.
Quod cum dedisset hospiti haud parca manu,
Hoc munus ipsum nutriit, totam & domum.

AD CHRISTVM, Iambicum quintum.

Quæ nam hæc tyrannis? prodij in vitam. bene.
Quid iactor æui fluctibus grauissimis?
Audax quid ipse proloquar, loquar tamen.
Læsum queror me, Christe mi, ni sim tuus.
1 *[1] Producor æuo, soluor, & cibo impleor.*
Do me sopori, vigilo rursus, ambulo.
Ægroto, valeo, gaudeo, ærumnis premor.
Varióque Sole, [2] commodis terræ & fruor.
Hinc abeo, putret corpus. hæc pecudum quoque: 2
Quæ nec honor vllus, [3] pœna nec culpæ manet.
Quid igitur his est plus mihi, si non Deus? 3
Læsum queror me, Christe mi, ni sim tuus.

SCHOLIA.

1. *Producor æuo, soluor, & cibo impleor*) ἐκλύομαι *hoc loco idem esse puto, quod* κενοῦσθαι, *exinaniri, fame deficere: vt oppo-*

vt opponatur ἔκλυσις τῇ πληρώσει. *Leuuenk. vertit, in lucem edi, quemadmodũ & ἐκπληροῦσθαι adolescere: minùs tamen aptè, vt opinor.*

2. *Commodis terræ & fruor) Hæc mihi sic potiùs transferenda videntur, vt totus hic versus cum his verbis, quæ postea sequuntur, ad hæc verba referantur,* ταῦτα καὶ βορᾶς: *quàm vt ea reddidit Leuuenk. Qui etiam propterea necesse habuit aliquid de suo addere, vt quem sensum cupiebat, exprimeret.*

3. *Pœna nec vindex manet)* ἀνεύθυνα *Leuuenk. vertit, excusabilia: sed minùs rectè, quòd dum caro moriatur, ac putrescat, cum nihil in ea re culpæ sit, proinde ne excusatio quidem adhibenda est.*

Ad eundem, Iambicum sextum.

ACerba multa pertuli: &, quod tetrius,
Nil suspicabar à quibus prorsus mali.
Clades meorum grauior est at hostium.
Fluxere nam quæ pertuli: at quæ ferreo
Iustitia libro scelera conscripsit, scio.
Ciues, amici, præsules, hostes mei,
Sum multa passus, id scio. haud fatemini?
Hæc charta gestat plurima. haud latebitis.

ADVERSVS BRVTAM ANIMÆ PARTEM: vel, vt in alio libro, Ad suam animam, Iambicum septimum.

ARGVMENTVM.

Plato duas animæ facultates rationis expertes, hoc est iram & cupiditatem, bigæ comparabat, rationem autem aurigæ. Aristoteles rursum lib. 1. Ethic. vim animæ rationis expertem duplicem esse ait: alteram enim nullo modo rationis participem esse, alteram autem hanc naturam habere, vt rationem audire, ipsiúsque imperiis obsequi posit. Hinc igitur Theologus argumentum sumens, animam suam monet, vt, si ei salus æterna curæ sit, imperium omne rationi committat, adiutricémque ei partem eam, in qua ira existit, adiungat, compressa & prorsus edomita ea parte, in qua est libido. Animam porro suam, Empusam & Mænadem idcirco vocat, quòd miris modis ipsi illuderet, ac Mænadum more, nisi ipsius impetum reprimeret, in omnem insolentiam rueret.

EMpusa, Mænas, anima ter miserrima,
Empusa, Mænas, quo voluptas te trahit,
Propinqua vbique cupida dum circunspicis?
Meliúsne tibi non consules? cupidinum
Ignem malarum protinus non opprimes?
Quid pateris anima? quídque tam indignè sapis?
Nescísne soli regere quòd tibi sit datum
Currum, trahant quem tres equi, dispar quibus
Ratio. *Natura data sit? vnus horum est nobilis,*
Libido & ira. *Alter proteruus, vltimus tractabilis.*
Quòd si insolenti fræna permittas, statim
Libido adiuncta ira cuncta turbat. *Saltat, ferocit, cuncta perturbat, ruens*
Furore cæco: medium & adiungens sibi,
Efficit vt vnum spiret: & equum nobilem
Captiui ad instar subditum per vim trahit,
Imo gementem pectore ob cursus vagos.
Temeréque fertur, impetu & bruto, velut
Prærupta vastum per loca in barathrum ruens.
Nec prorsus aliquid prouidet, nec reprimit
Cursus, Auerni donec in portas cadat,
Se, téque miseram ter quater, perdens simul.
Natura quòd si vt postulat, tu sentias,
Ac mente lætus nobili mandes equo
Moderamen omne (cœlitem namque hic viam
Obire nouit optimè) & medium increpes,
Vt acritatem commodè monstret suam,
Sociúmque cursus præbeat se prædito
Mente, petulantem ast acribus stimulis domes,
Abnuere iussa nec sinas, tum denique
Omnino facilis hic erit cursus tibi,
Lætus, serenus, spebus & plenus bonis.
Nam ratio, velut nobilis & præstans equus,
Vincit (dedit nam vincere huic summus parens)
Sensim ipsa gradiens semper, & sursum intuens,
Omnésque vitæ transiens molestias.
Nec ante finem cursui imponit suo,
Quàm te beatam collocet, séque in polo.

DE PHILOSOPHICA PAVPERTATE, Iambicum octauum.

LÆtaris, æger, cuncta quòd tibi suppetant?
Medicamen, hunc quo lenias morbum, est tibi.
Felix at alter: pauper est, sed continens.
Cui nec malum vllum, pharmacum nec est mali.
Ipse opibus amplum, crimine sed omni obrutum, Pauperis virtus diuitis vitio præponenda.
Tunc anteponam pauperi & probo viro,
Cum, quem furoris reddidit fortem impetus,
Prætulero sano, sed minus forti tamen.

ADMONITIO AD SEIPSVM, Iambicum nonum.

1 *PRæsente[1] magnum mundo emas mundum tibi,*
Caduca pedibus facilè calcans omnia,
Scenam theatri maximi. Verbum audias,
2 *[2] Quod carne pro te se induit. Quidnam canit?*
3 *Hinc[3] exeamus. huc enim me contuli,*
Vt te, iacentem per scelus, sursum locem.
Deus vocat te: propera & alas indue,
Prorsúsque celeri te gradu in cœlum para,
Sermone mentem, charus qua nil, leuans.
Quidquid redundat sit procul, vitæq; onus
Vanæ, & malorum, vitæ queis præsens scatet.

SCHOLIA.

1. *Præsente magnum) Commuta cum hoc mundo futurum, huius mundi bonis alterius mundi bona mercare.* πορίζειν *enim quærere ac sibi aliquid comparare significat. Vide autem quàm aptè hunc versum,* κόσμον πόριζε τῷ παρόντι τὸν μέγαν, *Germanus interpres reddiderit. Magnum hunc mundum (inquit) cuiuis concede, qui in eo versatur.*

2. *Quod carne pro te)* τῷ συμπαγέντι, *id est,* τῷ σαρκωθέντι, *vel etiam fortasse* σταυρωθέντι, *i. cruci affixo.*

3. *Hinc exeamus) Ioan. 14. Christus ad Discipulos ait, Surgite, eamus hinc. Gr.* ἄγωμεν, *i. abscedamus. Hinc autẽ abscedere, exponit Gregorius, relicto terrenarũ rerum studio ad cœlum omnes cogitationes suas referre. Vide Orat. ad Iulian. Episot. vbi hunc locum interpretatur.*

AD DEVM, Iambicum decimum.

EGo asto mensæ mysticæ, plebémque ego
Perpurgo, tibi quam, præpotens Deus, offero,
Per incruenta dogmata, & prorsum integra.
O lux perennis, lucis & fons vnice,
Vt ipse noui (cui sacris lustris opus)
[1] Purgare sordes fœtido cœno est graue. 1
Hoc cogitantes tremite, sacri præsules. Sentent.

SCHOLIVM.

1. *Purgare sordes)* δεινὸν καθαίρειν βορβόρῳ μολύσματα. *Versus perelegans, quo demonstratur quanto in periculo versentur, qui animarum curam indignè suscipiunt, & cum ipsi omni vitiorum genere delibuti atque contaminati sint, alienarum tamen macularum purgatores se profitentur, ac medicorum munus impudenter vsurpant, ipsi vlceribus scatentes.*

VITÆ FINEM OPTAT, Iambicum vndecimum.

BIs (non latet me) fucus est factus mihi:
1 *Si iure, magnus vos [1] velim assumat Deus:*
Sin autem iniquè, sic quoque assumat tamen.
Nil imprecari nam libet vobis mali.
Fractus malorum cæterùm finem expeto.
Omnino rerum sum satur præsentium,
Census, inopiæ, gaudij, molestiæ,
Famæ, dedecoris, hostium, & chari gregis.
Iam capere gustum cupio rerum absentium.
Audacter istud eloquar, parcas velim:
Si, Christe nil sum, quæ tua est hæc fictio?
Sin charus ipse sum tibi, cur tam premor?

SCHOLIVM.

1. *Vos velim assumat Deus)* ἡμᾶς *legisse videtur Leuuenklaius. Et certè ita in illustriß. Sirleti codice habetur. Verùm* ὑμᾶς *reponendum esse nemo tam obtusi ingenij est, quin facile videat. Bis enim se deceptum esse queritur Gregorius: si iustè, iis, à quibus deceptus est, diuinum fauorem optat: si iniquè, nihilominus iisdem (pro Christiana charitate, quæ vltionem omnem detestatur) diuinum rursus fauorem exoptat. Eadem omnino loquendi forma in re simili vtitur in Epist. 2. ad Bosporium,* Δὶς, *inquit,* ἐστερήσμεθα παρ' ὑμῶν. καὶ εἰ μὲν δικαίως, ὁ φρασθεὶς κύριος ὀσμὴν εὐωδίας· εἰ δ' ἀδίκως, συγγνοίη κύριος, *&c.*

DE SEIPSO, Iambicum duodecimum.

DEceptus ego sum, Christe, dum nimis tibi
Confido: in altum me extuli, & grauiter rui.
Fac, Christe, rursus erigar: lusi miser
(Agnosco) memet, sin adhuc rursum efferar,
Cadam ipse rursum, prorsus & iam conterar.
[1] Si suscipis me: sin minus, miser occidi. 1
[2] Exhaustáne in me est vnico benignitas? 2

SCHOLIA.

1. *Si suscipis me) Hæc præcisè dicta sunt, vt apud D. Lucam, Et siquidem fecerit fructũ, scilicet minimè abscindes. Eodem enim modo hoc loco subaudiendum est, optime res habebit, vel quid simile.*

2. Exhau-

2. *Exhaustáne in me est*) Legendum enim εἰ μοι, ut etiam legit Leuuenk. Sed in hoc errat, quòd clausam benignitatem vertit, cum exhaustam vertere debuisset. Sensus enim est huiusmodi: *An in me solo totam tuam benignitatem & clementiam ita exhausisti, plurima videlicet peccata mihi remittendo, ut iam soli seueritati locus relictus sit?* Huic porrò simile est id quod ait noster Greg. in Orat. ad ciues Nazianz. δεινὸν ἐπιείκειαν δαπανῆσαι τῷ συνεχεῖ τῆς συγγνώμης, id est, miserum ac periculosum est facilitatem & clementiam per aßiduam peccatorum condonationem absumpsisse. Quod illic ait, ἐπιείκειαν δαπανῆσαι, hîc dicit, τὸ χρηστὸν ἐξαναλῶσαι.

AD CHRISTVM, Iambicum decimumtertium.

Heu quassa nostra, Christe mi, vis concidit.
Heu quas procellas excitat corpus mihi!
Heu quàm incolatus se meus longè extulit!
Quæ patior intus, quæ foris certamina,
Imago supera queis suum perdit decus!
An quercus vnquam pertulit ventos pares?
Vllàne tot vnquam pertulit fluctus ratis?
Labore fractus langueo, & negotiis.
Curam paternæ non libens subij domus.
Hanc vt subiui, perditam vidi illico.
Flexere amici, morbus afflixit grauis.
Saxis petitus sum miser, quasi floribus.
Hac plebe careo, quam dedit mihi Spiritus.
Natos reliqui, vel relictus ipse sum,
Aut spretus ab eis. ô patrem miserrimum!
Infestiores hostibus sunt præsules,
Qui nec verentur mysticam mensam, neque
Quos ego labores hactenus multos tuli,
(Persæpe flectunt qui tamen vel peßimos:)
Famæ mederi nec malæ quicquam student,
Vnum sed istud, dedecus sperant meum.

AD DIABOLVM, Iambicum decimumquartum.

Imago summi munus aboletur Dei.
Turpatur ipsa, sentio, hostis inuide,
Aliena vanus dum loquor, vel cogito.

DEFINITIONES MINVS EXACTÆ, Iambicum decimumquintum.

Deus. *Deus ensq; primũ est omnium, & primũ bonũ.*
Mundus. *Quæ[1] fluxa, Mundus, quæq; mens cernit, tenet.*
Natura. *Quod quidque tale aut tale, naturam voco.*
Angelus. *Natura simplex angelus, primus satus.*
Dæmones. *Qui deuiarunt à bono, quid? dæmones.*
Princeps & horum, Lucifer qui quondam erat,
Inuentor atræ præsul & caliginis.
Materia. *Materia formis est basis, pòst condita.*
2 *Induere[2] formam, certus est illi decor.*
Cœlum. *Rebus caducis limes & firmis, polus.*
Sidera. *Quid astra? flamma, circuli cursum tenens.*
Lux duplex *Lux[3] splendor ardens, ratio lux mentis meæ.*
Tenebræ. *Tenebræq;[4] duplices, lucis abscessus duplex.*
Æuum. *Æuum, quod absque tempore aßiduè fluit.*
Tempus. *Mensura motus tempus est, quem Sol facit.*
Terra. *Tellus[5], stabilitas est hylæ: hanc ambit polus,*
Ignis. *Natura flagrans ignis est, sursum fluens.*
Aër. *Aër inane replet, & [6] spirans fluit.*
Homo. *Figmentum, imago & nobilis Dei, est homo.*
Corpus. *Materia corpus, quam subit dimensio.*
Elementa nostri prima pars sunt corporis.
Anima. *Natura vita prædita, anima dicitur:*
At ratio ménsque cum mea se copulant.
Vita. *Quid vita? carnis, mentis &, nexus tenax:*
Mors. *Vt mors ab hisce rebus est diuulsio.*
Mens. *Mens, visus intus terminum nullum sciens.*
Hinc cogitare munus est & fingere.
Ratio. *Quæ finxit illa, ratio vestigat sagax:*
Sermo. *Quàm vocis ipse proferes per organa.*
Memoria. *Externa sensus excipit. mentis notas*
Memoria retinet, ac bona seruat fide.
Obliuio. *Obliuio ipsam pellit: hanc rursum eiicit*
Reminiscentia. *Memoria quædam (vulgo reminisci vocant.)*
Voluntas. *Mentis, voluntas motus est, concursus &*
Rerum, penes nos quæ sitæ, tantummodo.
Lib. arbitr. *Quo volo moueri liberum arbitrium voco:*
Alacritatem, magna si sit acritas. Alacritas.
[7] Patitur voluntas, si trahor, tyrannidem,
Rerum λογισμὸς commoda est diuisio. 7 Ratiocin.
Boni appetitus aut mali, cupiditas. Cupiditas.
Amor, cupido feruida & fræni inscia. Amor.
Mentem repente feruor incendens, furor. Furor.
Ira, diuturnus est furor. sed qui insidet Ira.
Menti dolosus, μνησικακία dicitur. μνησικακία.
Longanimitas, est coctio molestiæ. Lõganim.
Ἀοργησία, cùm tenet læsum quies: Lenitas.
Quam lenitatem dicere olim mos erat.
Virtus, bonorum firmus est habitus: mali Virtus.
Habitúsque rursum, morbus aduersarius. Vitium.
Dei illa donum est: at mala hic inuentio.
Decor, rei omnis elegans concinnitas: Pulchritudo.
Contrà decoris est probrum deformitas. Deform.
Iam fortitudo, robur in periculis. Fortitudo.
Ast, vbi opus haud est, fidere, est audacia. Audacia.
Audenda quisquis defugit, premitur metu. Timidit.
Est temperantis, læta quæ sunt, vincere: Tẽperãtia.
Libidinosi rursus, his succumbere. Intemper.
Iustitia, non plus cæteris requirere: Iustitia.
Ab æquitate digredi, est iniquitas. Iniustitia.
Rerum peritus, dicitur prudens: sophus Prudentia.
At censeatur, mente qui res conspicit. Sapientia.
Simplex vocatur quisquis ad malum est piger. Simplicitas.
Versutus autem, moribus quisquis duplex. Versutia.
Lætitia quidnam? mentis est diffusio. Lætitia.
Tristitia, cordis morsus, & turbatio. Tristitia.
At cura mentem voluit, anxietas magis. Cura.
Pugna[8] rationum, σκέψις est, num quid geres. σκέψις.
Consulta mentis firmat at sententia. γνώμη.
Hæc qui repellit, huic[9] inest incuria. Incuria.
Liuor secundis proximi rebus dolet. Inuidia.
Βασκανία plus est: nam nocet quantum potest. βασκανία.
Rectè monetur, quisquis obiurgat malos. Reprehens.

Pudor. *Probri timore contrahit mentem pudor.*
Impud. *Effrons, pudore dicitur quisquis caret.*
Studium. *Proposita cum quis vrget, id studium voco:*
Ignauia. *Studiúmque contra si fuges, ignauiam.*
Pigritia. *Pigritia quidnam est? torpor ad quiddam grauis.*
Zelus. *Zelus* [10] *imitamen, mœror aut est quispiam,*
Cum vis amoris exterum furtim petit:
Zelotypiam istud dicere antiqui solent.
Ἀλαζονεία. Ἀλαζονεία, *mentis est vanus tumor:*
Fastus. *Leuitate nata fastus est elatio.*
Superb. *Superbus est, qui conspici à cunctis amat.*
αὐθάδεια. *Est* αὐθάδεια, *cùm nimis sibi quis placet.*
Modestia. *De se humilis ille est qui minùs dignè æstimat.*
Hypocrisis. *Qui fingit humilem, premitur hic hypocrisi.*
Liberal. *Est liberalis, æra qui dat alteri:*
Prodig. *At cuncta si quis dilapidat, est prodigus.*
Illiber. *Illiberalis, parcus est, nimis & tenax.*
Magnif. *Magnificus est qui splendidis rebus studet.*
Sordes. *Ob parua sed qui tumidus est,* μικροπρεπής.
Magnanim. *Magnanimus est qui cuncta facilis sustinet:*
Pusillan. *Nec parua ferre, mentis est pusillitas.*
Ambitio. *Ambitio, modica laudis est tantùm* [illegible].
χαυνότης. *Immodica verò,* χαυνότης *dici solet.*
Vana glor. *Cænodoxus autem, gloriæ vanæ appetens.*
δόξα. Δόξα [11] *ast, videtur tale quod, tale aut tibi.*
At δόξα *rerum dispar est & imaginum.*
Contumel. *Molestus hostis sermo, contumelia*
Conuitiũ. *Est, actióque* [12] *probra fert conuicium.*
Querela. *Querela, amici lenis est reprehensio.*
Criminat. *At crimen, horum est, lex quibus pœnam irrogat.*
Sycoph. *Conficta si sint crimina, est sycophantia.*
Id si latenter, tum vocem calumniam.
Maledictũ. *Impune cùm quis carpit, est* βλασφημία.
Maledicus autem est, ore qui cunctos petit.
Comitas. *In colloquendo suauitas, est comitas.*
Dicacitas. *Rationis expers hilaritas, dicacitas.*
Stultitia. *Stultitia verò, sermo cùm vanè fluit.*
Risus. *Risus genarum est æstus: hic pectus micat.*
Ebrietas. *Vsus Lyæi nimius, est temulentia.*
Debacchatio. *Exorta vino probra, debacchatio.*
Crapula. *Crapula, proteruè post merum si te geras.*
Duplex cædes. *Est vna cædes corporis, animi altera.*
Per vtramque dulcis soluitur connexio.
Stuprũ duplex. *Stuprum duplex est, atque adulterium duplex.*
[13] *Surripitur vno corpus: at mens altero,*
Quoties ad hostes numinis philtrum cadit.
Auaritia. *Idololatras, qui colunt aurum, voca.*
Lucrum. *Cùm nostra lucrum mens facit, tu hoc vtile,*
Damnum. *Iactura mentis cum fit, hoc malum puta.*
ἔλεος. Ἔλεος, *dolore est affici ob casus graues:*
οἶκτος. Οἶκτος, *dolori hoc addere, vt miserum iuues.*
τρόπος. *Est certus ad res habitus, hunc* τρόπον *vocant.*
ἦθος. *Figmentum at* ἦθος *rursus est, index* τρόπου.
Doctrina. *Doctrina rebus instruit, dictis quoque.*
Sermo bonus. *Est improborum pharmacum sermo optimus:*
At prauus infert vel probis viris necem.
Theoria. *Æterna quæ sunt, dispicit theoria.*
Actio. *Ad res gerendas actus est quidam, actio.*
Habitus. *Habitus quid autem? qualitas fixa & tenax.*
Quis partus eius? actus est, hoc assero.
Ars. *Ars est, quod vsu quispiam longo capit.*
Scientia. *At firmus habitus dicitur scientia.*
Finis. *Quo* [14] *cuncta tendunt cætera, id finem voco.*
Scopus. *Qua quisque fini re studet, dic hoc scopum.*

Δέησις *est, hæc petere, quæ desunt tibi.* δέησις.
Meliora spectat, quam προσευχὴν *dicimus.* προσευχή.
Εὐχὴν, *voues cùm quidpiam, vt places Deum.* εὐχή.
At ἐξίλασμα, *munus in honorem ferens.* ἐξίλασμα.
Ἔπαινος *est, si quidpiam laudas mei:* ἔπαινος.
Αἶνος, *supremum laude si regem afficis.* αἶνος.
Modulata laus est hymnus, vt quidem arbitror. Hymnus.
Cum cantione psalmus, est psalmodia. Psalmodia.
Rem qualis ipsa est, eloqui, hoc est veritas. Veritas.
At qualis haud est, falsitas. Λογομαχία, Mendaciũ.
Est sermo pugnax: quo nihil funestius. λογομαχία.
Iurare, dicti sistere est testem Deum. Iurament.
Si vera iures, istud est εὐορκία. εὐορκία.
Θρησκεία, *cultus dæmonum quoque dicitur.* θρησκεία.
At εὐσέβεια, *Triadis est cultus sacræ.* Pietas.
Negator, vnum quisquis ex tribus locat Negatio.
Deorsum, eandem nec colit substantiam.
Fides [15], *vel est quam sermo robustus parit,* Fides.
(Et ista iusta est) facilis aut assensio.
Sermonis etenim præses est sermo: rei
Procul at remotæ firma spes me copulat. Spes.
Hanc frangit autem tetra desperatio. Desper.
Concors voluntas, charitas, amor ac Dei, Charitas.
Ad summa certam sidera ostendit viam. Amor Dei.
Auersio odium est. hinc simultas nascitur. Odium.
Occultum at odium dic quid est? hypocrisis.
[16] *Fictorem honorat quisquis hominem diligit:* 16
Inopémque factum sponte, quisquis pauperes.
Quid hospitalis? hospitem qui se putat. Hospital.
[17] *Tranquillus æuum, si studes paci, exiges.* 17
Serena mens est, motibus sæuis carens. Serenitas.
Quidnam simultas? improba est dissensio. Simultas.
Bellum & simultas nil mali non excitant.
Quid sanctitas est? cum Deo consuescere. Sanctitas.
Quidnam prophanum, quidque sacrilegum? scelus. Prophanũ
Quidnam piamen? sordium est detersio. peccatum.
Conspurcat autem vel typus solus mali.
Legitima thalamus corporum est connexio. Matrimon.
At vita cœlebs, egredi est à corpore. Cœlibatus.
Quid [18] *monachus? est qui viuit & legi & Deo.* Monachus.
[19] Μονὴ *saluti quæ studet soli cohors.* Monaster.
Quid quæso noxa est? à bono deflexio, Peccatum.
[20] *Natura mihi quod porrigit, lex & Dei.* 20
Lex, quæ gerenda necne sint, dictat mihi. Lex.
Mandatum at est quod Dominus indixit meus. Mandatũ.
In lege quod fit improbè, est iniquitas. Iniquitas.
Legum soluta est [21] *vinculis ast æquitas.* 21
Iudaismus prima Lex: Christi crucis Iudaismus.
Lex at secunda dicitur mysterium. Christianismus.
Vmbrosa prima, dæmonum cultum opprimens:
Secunda clara, veteris & dubia explicans.
Humanitas Christi mea est refectio:
Cùm carne passus est Deus noxam ob meam.
Qui cuncta cunctis pro meis sua reddidit:
Euæ in fauorem fœmina natus quidem,
At virgine tamen, vt priùs solo ex Patre:
Iniugibus iniux. orbis at descriptio. Christi res quid significent.
Typum gerebat cœlitis. quin fasciis
Ob nuditatem voluit inuolui meam.
Nex paruulorum signat extinctos typos.
Currente stella, condita Tonantem colunt.
Cursus Magorum, Gentium ingressum indicat.
Baptismus vndas ipsius purgat meas.
Æqualis ipsi Spiritus testis venit. Mat. 3.

Vt cum

Vt cum hoste pugnet, vngitur ieiunio.
Corona spinis texta, purpurea & chlamys,
Hostile lucta spoliat imperium graui.
Crux est triumphus, arbor angusta, arboris.
Claui, meorum criminum confixio.
Cuncta explicatis manibus ipse ambit suis.
Fellis medetur gustui gustus malo.
Vnus latronum saluus ob fidem est, Adam.
Manet alter, etiam fixus in cruce, improbus.
Caligo passum luget: ac pro saxeis
Ruptura lapidum cordibus pugnas init.
At cum resurgunt mortui, atque vrbem petunt,
Ad supera, quos mors presserat, migrant loca.
E latere manans sanguis & latex aquæ,
Baptismus duplex. *Baptisma geminum est, hoc aquæ, illud sanguinis,*
Cum me periclis tempus infestum obiicit.
Mortis Christi effectus. *At mortis eius mors mea est extinctio.*
Me nigro ab Orco, redditus vitæ, eripit.
Ad supera tendens me quoque in cœlum vehit.
Iam, quæ sequuntur, tu velim consideres.
Laici. *Λαὸς, coactum est agmen ad cultum Dei.*
Ναός. *Ναὸς, locus vbi sordibus plebs se expiat.*
Δῶρον. *Donum Tonanti lustricæ sunt victimæ.*
Quæ dona sedes excipit, mensa est sacra.
Sacerdotis munus. *Mentes sacerdos purgat, & sanctas facit,*
Hominem Deóque copulans, homini & Deum.
Mysteriū. *Mysterium quid? cultus arcanus Dei.*
Charisma. *Charisma, sancti Spiritus donum est sacrum.*
Prophetia. *Obscura cum quis prædicat, prophetia.*
Euangeliū. *Nouam salutem sermo fert Euangelus.*
At concionem missio sacram iuuat.
Catechesis *Doctrina, pueris tradita, est Catechesis.*
Pœnitētia. *Metanœa, cum quis corrigit vitam improbam.*

Pelluntur at cum dæmones, Exorcisis. Exorcism⁹.
Signum secundæ balneum est vitæ sacrum. Baptismus.
Oblationes, carnis assumptæ à Deo, Oblatiōes.
Horúmque, passus quæ Deus, perceptio.
Res mira signum est, præter & morem incidens.
Præsentem at ignis Spiritum linguæ indicant. Signum.
Animalis autem quisquis est, nondum est probus.
Carnalis ille est, vitia quem fœda obsident. Animalis. Carnalis.
At spiritalis eminus carnem fugit. Spiritalis.
Quid Antichristus? bellua venenum vomens, Antichrist.
Vir opibus amplis. quid item defectio? Defectio.
Apostata ille peßimus, nuper vigens,
Dominatur & quæ nunc Dei diuisio:
Post quam in paterna gloria Christus polo
Veniet, videndus corpore à theoctonis. Zach. 12.
Post quam resurgent corpora, atque animis suis
Iungentur. ac tum expletio, soluens omnia: Consummatio.
Meliore cuncta quæ tamen vertet statu.
Censura tunc, & tunc metus corda obterens: Iudicium.
Censura mentes conscias intus grauans,
Leuánsve, trutina legis & vitæ simul.
Felicitas quid? viuere beatum. quid & Beatitudo.
Cœleste regnum? visio summi Dei, Cœleste regnum.
Et cum beatis gloriam huic dare angelis.
Caligo quidnam est improbis? labi à Deo. Tenebræ.
Materiam & ignis, vermis &, crassam liquant.
Quòd si quid hoc est melius, haud extra est Deum.
Quid sors? Pronœa? quidnam item fatum tibi? Fortuna, & prouidentia.
Quodcunque casu contigit, sors id mihi.
Pronœa clauus, cuncta quo regit Deus.
Fatúmque, rerum nexus, æternus pater
Quas sculpsit. hi sunt termini nostri breues.

SCHOLIA.

1. *Quæ fluxa mundus)* In Græco, pro φύσις, δύσις potiùs aut κρᾶσις legendū arbitror. Nam ipse quoq; Greg. Orat.
2. in Pascha mundum definit τὸ ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν μέσῳ σύστημα καὶ σύγκειμα. Nec verò mundus rectè dici potest natura fluxarū rerū & earum, quæ intellectu percipiūtur, sed id potius quod has naturas continet. Atq; huic etiam lectioni suffragari videtur Germanicum exemplar. Connexionem enim interpres, non naturā vertit.

2. *Induere formam)* Cur hoc loco εἶδος ideam, quàm formam, vertere maluerit, equidem haud animaduerto.

3. *Lux splendor ardens)* ἔκπυρος vnicum vocabulum est in Illustriß. Sirleti libro. ἐκ πυρὸς tamen legit Germanus interpres.

4. *Tenebræq; duplices)* Vt enim recedente luce tenebræ succedunt: sic etiam cum à ratione deseruiunt, animus noster tanquam caligine quadam circunfunditur.

5. *Tellus stabilitas est hyle)* Terra, inquit, est stabilitas materiæ cœlo circundatæ. Hîc porro vix risum tenere potui, cum hunc versum à Leuuenk. ita redditum vidi, quasi Gregorius terrenam materiam vna cum polo in orbem agitari sentiat (quod nostra memoria primus, vt opinor, finxit Copernicus,) cum tamen hoc solum velit, terram omni ex parte à cœlo ambiri. κυκλουμένης enim non κυκλοφορουμένης, sed περιεχομένης significat, vt omnibus conspicuum est, qui Græcam linguam vel à limine duntaxat salutarunt.

6. *Et spirans fluit)* Ad verbum, & fluxio spirabilis.

7. *Patitur voluntas)* Ad verb. Cum aliquid non sponte fit, vis voluntati infertur.

8. *Pugna rationum)* σκέψις, inquit, est concertatio quædam rationum de iis rebus quæ agendæ sunt. Quoniam autem hoc loco subaudiendum est περὶ (quod rarißimè contingit) videat Lector an forte commodior hæc lectio futura sit, Σκέψις λογισμὸς, ἄν τι πρᾶξις πρακτέον.

9. *Huic inest incuria)* In eo libro, qui mihi ad vtendum concessus est, corrupte legitur ἀδικίαν, pro ἀκηδίαν.

10. *Zelus imitamen)* Zelus, inquit, aliquando imitationis, aliquando Zelotypiæ significationem habet.

11. *Δόξα est)* δόξαν hoc loco, quemadmodum etiam sequenti versu, gloriam vertit Leuuen. sed malè, vt ex ipsa quoque definitione, quam Gregorius affert, apertè constat.

12. *Probra fert conuicium)* Id est, cum quispiam voces eas in aliquem coniicit, quæ probrum ac dedecus inurunt, conuicium istud dicendum est.

13. *Surripitur vno corpus)* Duplex est adulterij genus, alterū corporis cum quispiā alienæ vxori corpus miscet, alterum dæmonū, cum quis ipsis potius quàm Deo obsequi studet. σωμάτων ξένων (id est ἀλλοτρίων) sine distinctione legendum est, non vt Leuuen. cum interpunctione.

14. *Quo cuncta tendunt*) Ad verb. Quod alicuius rei gratia non fit, sed alia propter ipsum, id pro fine habendum est. In eo libro qui mihi commodatus est, hic versus sic legitur, ὃ μὴ χάριν τοῦτ', ἀλλὰ δι' αὐτῷ τέλος ἐρῶ: & ad marginem pro ὃ, ascriptum est ἕ. At minimè dubium est, quin sit legendum, ὃ μὴ χάριν τι, τἄλλα δὲ δι' αὐτὸ, τέλος.

15. *Fides vel est*) Duplex, inquit, est fides, altera qua cuipiam firmis rationibus & argumentis aliquid persuadetur: altera quæ in simplici assensu sita est. qualis scilicet Christianorum fides est, qui Deo ipsiúsque verbis simpliciter fidem adhibent.

16. *Fictorem honorat*) Pro πλάσματος, πλάσαντος reponendum esse, tum ex sensu ipso, tum ex sequenti versu cõstat, in quo perspicuum est Gregorium ad illud Prou. 14. alludere, Honorat Deum, qui miseretur pauperis. πλωχῶν χάριν hoc loco vertit Leu. pauperibus affici, pro beneuolentia erga pauperes affici.

17. *Tranquillus æuum*) Ad verb. Vitæ tranquillitas pacis amica est. Leuuen. parum appositè, pax illa chara, est vitæ quædam tranquillitas.

18. *Quid Monachus*) Ad verb. Mihi monachus est, qui Deo & Legi viuit. Verum monachum describit Gregorius, quales Dei beneficio & nunc plurimi sunt, & olim innumeri fuerunt. De quorum laude atque commendatione tot támque præclara grauissimorum virorũ sunt testimonia, vt vix enumerando recenseri possint. Gregorius noster nunc Nazaræos, nunc Rechabitas eos appellat. Chrysostomus crucifixos Hom. 69. in Matth. Apostolorum imitatores Hom. 18. de diuers. Bernardus martyres, Euagrius lib. 1. Hist. cap. 21. eos ita se in precibus atterere, sic laboribus affligere ait, vt mortui insepulti super terram iacentes videantur. Sozomenus lib. 1. cap. 12. eos morum suorum probitate ac sanctimonia magnum Ecclesiæ incrementum attulisse scribit: & lib. 6. cap. 34. Deũ permultis eorum diuturnum vitæ curriculum idcirco concessisse ait, vt religio Christiana per eos amplificaretur. Multa de iisdem D. Augustinus lib. de morib. Eccles. Cathol. multa Chrysostomus in eo sermone, vbi regis & monachi comparationem instituit: multa denique, ne omnes proferam, Basilius Epist. 1. Valeat ergo leuissimus & impurissimus sycophanta Leuuenklaius, qui totum Monachorum genus ignauas pecudes, & ventres appellat, támque sanctum vitæ institutũ, in cuius laudes tot sanctissimi Patres omnes ingenij sui & eloquentiæ vires effuderunt, conuitiis lacerare non veretur.

19. *Μονὴ, saluti*) Quemadmodum superiori versu Leuuen. μοναστὴν, solitarium vertere maluit, quàm monachũ, propterea quòd monachi vocabulum inuisum habeat: ad eundem modum hîc quoque sibi potius faciendum putauit, vt μονὴν solitudinem transferret, quàm monasterium: siue quòd, quid hoc loco hæc dictio significet, minimè assequeretur, siue quòd monasterij, vt etiam monachi, nomen odio ipsi & detestationi esset. Nec verò in hoc duntaxat vocabulo lapsus est: sed etiam in toto versu ab Authoris sententia turpiter aberrauit. Nam cum sic vertendum esset, Monasterium est collecta salutis comparandæ causa multitudo, ita potius ei versum hunc reddere libuit, Solitudo mihi nihil aliud est, quàm ad salutem sese componere. Hinc autem in hanc fraudem incidit, quòd nec quid hoc loco μονὴ, nec quid σύνταγμα significet, compertum haberet. Σύνταγμα enim nil aliud est quàm σύστημα, id est, hominum collectio. Σύνταξιν aliquanto inferius vocat, cum λαὸν definit: λαὸς μὲν ἐστὶ σύνταξις εἰς θεοῦ σέβας. nisi forte illic τάξις legendum sit, ne alioqui versus vno pede redundet. Monasterium ergo (hoc est, monachorum cœtus) est hominum multitudo ad procurandam æternã salutem collecta. A qua definitione non abludit id quod ait Basilius in Serm. de instit. monach. nempe Monasticæ vitæ institutum nihil aliud sibi propositum habere, quàm animæ salutem, atque vt quidquid ad eum finem prodesse potest, tanquam Dei mandatum cum timore obseruet.

20. *Natura mihi quod*) ὅ μοι legendum (vt ad καλὸν referatur) non ὃ μὴ, vt legisse videtur Leuuenklaius. Hoc enim vult Gregorius, peccatum nihil aliud esse quam deflexionem ab eo bono, quod natura & Lex diuina nobis largiuntur.

21. *Vinculis ast æquitas*) εὐνομίαν habet codex ille quo vsus sum. Quoquidem sensu alludere videtur hic sanctus ad id quod est apud D. Paulum, nimirum pios viros, atque omnibus virtutibus expolitos Legi minimè subiectos esse: propterea quòd libenter & hilari animo, non autem grauatim & tanquam vi adacti, diuinas leges exequantur. In Germanico exemplari ἀνομίαν est, non εὐνομίαν. Quam scripturam si quis amplecti malit, hic erit sensus, ἀνομίας vocabulum tum demum propriè vsurpari, cum quis nullis sibi propositis & constitutis legibus aliqua in re delinquit.

22. *Qui cuncta cunctis*) Nam inobedientiam meam obedientia sua expiauit, interdicti igni gustum, fellis gustu, turpes meas voluptates, atrocissimis suis cruciatibus &c. Leuuen. vertit, Qui sanè pro vniuersis delictis meis omnino satisfecit.

23. *Currente stella*) Ad verb. Stella autem currens adoratio est creaturæ, hoc est, illud indicat, res conditas conditorem adorare. At Leuuen. dum non animaduertit προσκύνησιν κτίσεως adorationẽ eam significare, quam res creatæ Creatori exhibent, non autem qua ipsæ afficiuntur, in alienum planè sensum Authoris verba detorsit. Sic enim transfert, Currens illud sidus aufugientem creatorum adorationem significabat. Hanc autem sententiam ipsa verborum constructio apertissimè refellit.

24. *Donum Tonanti*) Per lustrales victimas Leuuen. ad marginem notat preces significari. Sed illum cum falsa hac sua annotatione procul ablegemus. Augustissimum enim Missæ sacrificium his verbis haud dubiè designat Gregorius, quemadmodum etiam δώρων vocabulo Christi carnem & sanguinem in sanctissimo hoc sacrificio. δῶρα enim hæc vocare, Græcis perquam vsitatum est ac familiare. Vnde etiam versu sequenti donorum horum receptaculum aptissimè θυηδόχον τράπεζαν sanctissimus hic pater nuncupat. Vbi rursum, partim inscitia, partim animi malignitas, Leuuenklaium transuersum egit. θυηδόχον enim (quam vocem ob versus angustiam in textu omittere coactus sum) vertit, quæ suffitus illos continet, cùm vel mediocriter eruditis exploratum sit, θυηδόχον idem esse quod θυσίας δεχομένην. Sic enim hæc mensa θυηδόχος dicitur, vt sacerdos θυηπόλος. Verùm hoc sanè

hominis

hominis inscitiæ tribuamus. Illud autem non iam inscitia, sed mera animi peruersitas est, quòd ad marginem hanc mensam exponens, ait, Ad quam fiunt preces ad Deum. Quasi verò in hac mensa, hoc est, in altari (nam pro eadem re, tam prisci, quàm recentes Theologi, modò Catholici, vtramque vocem vsurpant) preces tantum ad Deum fierent, ac non etiam tremenda mysteria conficerentur. Quis igitur vulpinam istius hominis vafriciem nō detestetur, qui cum hæc sciat, tamen dissimulat, & ne quid eluceat, quod Sacramentariis obesse possit, sua annotatiuncula clarissimis rebus tenebras offundere nititur? Sed veteratorem hunc missum faciamus, ac cum Gregorio dicamus: Dona, sunt lustralia sacrificia, hoc est, corpus & sanguis Christi in Missa. Horum donorum receptaculum est mensa θυηδόχος, id est, sacrificia capiens.

25. *Oblationes carnis) Hîc quoque aut crassæ cuiusdam inscitiæ, aut singularis improbitatis notam effugere nō potest Leuuenklaius. Nam quòd προσφορῶν vocabulo eas oblationes quibus sacra symbola nobis offeruntur, significari annotat, si hoc seriò existimat, quæ maior inscitia excogitari potest? si, cum aliter sentiat, repugnante tamen conscientia, (ne quid, quod cum Zuingliana hæresi pugnet, dicere cogatur) hanc interpretationem effingit, quid improbius, immo sceleratius? Quis enim, nisi rei Theologicæ omnino rudis, hoc nescit, προσφέρειν, cum absolutè ponitur, idem esse quod ἱερουργεῖν, λειτουργεῖν, &, vt Latini loquuntur, sacris operari; atque item προσφορὰν nihil aliud indicare, quàm quod nos Missæ nomine intelligi volumus, hoc est, sacrificium illud quo Sacerdos Deo patri corpus & sanguinem Christi offert? Vnde etiam, vt vnicum exemplum promam, apud Epiphanium Hæres. 75. inducitur Aërius his verbis vtens, εὔχεται ὁ ζῶν, ἢ οἰκονομίαν ἐποίησε, τί ὠφεληθήσεται ὁ τεθνεώς; Orat, inquit, qui viuit, aut œconomiam facit: quid hinc vtilitatis capiet, qui mortem obiit? Porro in argumentis Tomi primi libri tertij hæc verba, οἰκονομίαν ποιεῖν, dilucidius ad hunc modum exponuntur: δογματίζει μὴ δεῖν προσφέρειν ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων, id est, Docet non esse offerendum pro iis qui priùs decesserunt. Ex quo colligitur, προσφέρειν, τὴν οἰκονομίαν ποιεῖν, & vt paulo antè loquitur Epiphanius, τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας ποιεῖν, idem esse, hoc est, vt vulgo dicunt, Missam celebrare. Ac proinde omnibus modis reiiciendum est Leuuenklaij commentum, quo per προσφορὰς oblationes eas, quibus populo sacra symbola offeruntur, designari ait. Nec enim huiusmodi oblatio, quæ hac dictione significatur, populo, sed Dei patri offertur. Nam alioqui si de Eucharistiæ tantum sacramento, quod piæ plebi impertitur, hæc vox accipienda esset, quid causæ erat, quamobrem Aërius, vt Presbyterum Episcopo æquaret, vtrumque ex æquo Eucharistiam populo dare diceret, cum etiam suo tempore Diaconi, si forte Presbyteri abessent, eandem potestatem haberent, vt patet ex Concilij Nicæni decretis apud Ruffin. lib. 1. Histor. Eccles. cap. 6. Sensus ergo verborum nostri Gregorij, velit nolit Leuuenk. est eiusmodi: Missarum oblationes hoc nobis afferunt, vt Christi incarnationi eiusque cruciatibus communicemus. Quemadmodum etiam in Carmine aduers. morb. de eadem re loquens, ait,*

Οὐκέτι μὲν θυέεσσιν ἁγνοῖς ἐπὶ χεῖρας ἀείρω,
Τοῖς μεγάλοις Χριστοῦ μιγνύμενος πάθεσιν.

Sed de hac re plura fortasse, quàm oporteat, dicta sunt: præsertim cum in Annotationibus in Gregorij vitam, Iambicis versibus comprehensam, quædam iam attulerimus.

26. *Quid itē defectio) 2. Thessal. 2. vbi habet vulgata versio, nisi primùm venerit discessio, Græci legūt ἀποστασία, id est, defectio vel rebellio. Per apostasiam autem, seu defectionem, Gregorius Apostatam illum intelligit, qui paulo antè extiterat. Ac Leuuenklaius quidem per hunc apostatam Arrium intelligendum censet: ego tamen Iulianum imperatorem potius significari arbitror, qui non tantum à recta Ecclesiæ fide, vt Arrius, sed prorsus à Christiana religione defecit. Nam & Gregorius in priore inuectiua eum Apostatam vocat: nunquam autem Arrium, etsi alioqui eum multis sæpe probris configit.*

27. *Ac tum expletio) συμπέρασμα, consummatio. Qua voce vtitur Matthæus Cap. 13. & 14.*

IN SEPVLCHRORVM EFFOSSORES,
Iambicum decimumsextum.

AD ima, sæua bellua, admissus loca,
(Rupto sepulchro maximo, quod tot manus
Tanto labore struxerant, tot sumptibus)
1 *Quid [1] crania præter putrida est visum tibi,*
Hominúmque tenues reliquias, quosdam & typos,
Virum iacentem & coniugem, velut audio?
2 *[2] Fluxere carnes quin tuæ? Quidnam inuenis?*
Nil. iure prorsus tu nihil: scelus ast habes.
Abscede, nequam, mortuis pœnas dabis.
3 *At parce viuis. [3] nam metus viuos tenet.*

Aliud.

4 *Hunc [4] tumulicidam, busta qui ferus rapit,*
Aurique prorsus seruus est, quique omnibus
Bustum sepulchris maius effodit, neci
Si quis det ex his, triste qui bustum hoc habent
(Hoc si est habere) iustus hic iudex erit.
Necet? quid istud? arce mittat si edita.
Mittat? quid istud? si manu gemina secet.
Secet? quid istud? si cadauer non humet.
Supplicia digna sic dabit. pœna hæc quoque
Leuis erit, auri [5] cum siti hæc patrauerit. 5

Aliud.

Quis tu, ligonem, quique sacrilegas manus
Vt ossa mittas in mea, huc gressus agis,
Heu heu, nec ipsum talis & tanti decus
Veritus sepulchri? dignus es post hoc scelus,
Lapidibus hisce, dignus es certè obrui.

Aliud.

Midas petebat quidlibet in aurum sibi
Verti. petitis potitur: at dira fame,
Dum diues esse gestit, infelix perit.
Patiaris vtinam paria, qui busta effodis:
Discant sepulchris parcere vt cuncti dehinc.

Aliud.

Misistis, homines improbi, huc etiam manus?

Fallax & huc vos duxit aurum, perditi?
Imò nec aurum, spes sed auri scilicet.
Pati ista sanè par fuit prauos viros.

Aliud.

Haud diues est hic tumulus. at ditescere
Si vis, latronem (diues hæc vita est) age.
At parce nobis: te quoque sepulchrum manet.

Aliud.

Deceptus ego sum. bustum enim tantum struens,
Existimabam nemini id prædæ fore.
At irruentes improbi in me, vt diuitem,
Habent sepulchrum. nil enim, id præter, mihi.

Aliud.

Fodi sepulchrum. sed tamen, dum mortuo
Prædaris aurum, tu tibi scrobem fodis:
Immittet in quam te Dei vindex furor,
6 *Qui [6] serò punit, sed tamen cum fœnore.*

Aliud.

Læsum est sepulchrum: fossor at læsus magis.
Nil namque bustum sentit ex his quæ tulit.
Tu verò auare, fabula es cunctis simul.
Qui nec sepulchro mortuus donaberis.

Aliud.

Aurum vtinam ab orbe pereat omni funditus,
7 *[7] Busta ad superba diuites quod impulit.*
Testatur istud tumulus hic, dispar sui.
Iuuate: ne quid quispiam accipiat mali.

Aliud.

Tibi si quid auri forsan in bustis siet,
Fuligo fiat. hoc tibi iustè accidet,
Qui mortuorum sæuus in tumulos ruis.

Aliud.

Quem lædis, aut quem barbarus nudas, vide,
Fodiens sepulchrum, & puluerem scrutans leuem.
Narrare qui nec, quæ ferat, viuis potest,
Quidnam nec auri conditum tumulus gerat.

Aliud.

[8] Sciron quis iste, vel Typhœus, aut gigas, 8
Spoliare venit mortuos, bustum & meum?
Quidnam hæc? & ira, tumulorum vindex, vbi?
Dignus trisulco fulmine est hic obrui.

Aliud.

Manes, iuuate: mortui sed quid valent?
Vicina turba: quis, nisi hæc, me perdidit?
Vltrò moraris? busta quoque ob aurum ruunt.
Sic stabo donec ardeat flamma vltima.

Aliud.

Leges, tribunal, iudices, vltrix Dice,
Prauos iuuatis. non enim bustum secus
Periisset istud ex manu nefaria
Aurum quæ ab olim mortuis etiam petit.

Aliud.

Fert terra fructus, aurum arena, & serica
Eximia tellus fila, tumuli puluerem.
Quod si tibi aurum ex ossibus quoque carpitur.
[9] Scrutare cuncta: Plutus ex cunctis fluit. 9

SCHOLIA.

1. *Quid crania præter putrida*) In eo codice, quo sum vsus, σεσηρότα legitur: & ita etiam legisse videtur Germanus interpres. vertit enim, hiantia. Putarim tamen ipse reponendum esse σεσηπότα. Hæc enim vox mortuorum capitibus magis congruere videtur.

2. *Fluxere carnes quin tuæ.*) Leuuen. transtulit, Præterea carnes nondum euacuerunt, nec dissolutæ sunt. Putat enim hæc de mortuorum illorum carnibus dici: sed falsò. Gregorius quippe in impium illum hominem, qui sepulchra violare minimè dubitat, hæc torquet. Tantóne, inquit, admisso scelere, non diffluxerunt & contabuerunt carnes tuæ? Nam etiam in Oratione de Doarensium electione ad hunc modum loquitur noster Author, οὐκ ἐρρύησάν σου ταῦτα διανοουμένῳ χαλαὶ γῆς αἱ σάρκες; Leuuenklaij autem error hinc manauit, quòd hanc vocem εἶτα non animaduertit indignationis notam esse, sed idem significare arbitratus est quòd ἔπειτα. At ex ea Oratione, quam nunc nominaui, & quam ipsemet etiam vertit, facile erat hunc errorem corrigere. Illic enim post hæc verba, οὐκ ἐρρύησάν σου αἱ σάρκες, sequitur statim, εἶτα τὰς χεῖρας ταύτας ἀνατείνεις τῷ θεῷ; εἶτα δῶρα προσάξεις; εἶτα ὑπερεύξῃ λαοῦ;

3. *Nam metus viuos tenet*) Totus hic versus à Germanico exemplari abest. Videtur autem his verbis significare Gregorius, nihil esse quamobrem mortui fures timeant, cum iam nihil omnino possideant.

4. *Tumulicidam*) τυμβοφόντην enim dicit Gregorius.

5. *Auri cum siti*) Gr. χρυσοῦ τοῦ καλοῦ, ironicè. nisi fortè κακοῦ legendum sit.

6. *Qui serò punit*) In Card. Sirleti libro pro ἐπισκόπους, ὀπισθόπους substituo. Agit enim de diuina iustitia, quæ seriùs quidem nonnunquam, atque vt Horatij verbis vtar, pede claudo, sontes persequitur, sed pœnæ tarditatem grauitate compensat. Eiusmodi quippe iustitia, etiam in Orat. funebri in patrem, ὀπισθόπους à Gregorio nostro accipitur. Quamquidem vocem à Poëta quodam se accepisse illic fatetur. Hunc autem Pindarum esse, illic annotat Elias Cretensis. Quare longè opinione sua fallitur Robert. Constantinus, dum in suo Lexico δίκην ὀπισθόποδα pœnam esse ait, quæ crimen statim postridie sequitur: cùm hæc dictio contrarium potiùs significet. Iustitia enim quæ facinorosum hominem statim arripit, atque in supplicium conicit, non ὀπισθόπους, sed vt Sophoclis vocabulum vsurpem, ποδώκης dicenda est.

7. *Busta ad superba*) In Græco pro ἐξίμηνε, ἐξέμηνε reponere non dubitaui. Auro enim exitium optat, propterea quòd opes diuitibus hominibus & copiosis hoc in mentem immiserint, vt insana quædam sepulchra sibi extrui iuberent. Id enim reuera ingentis est insaniæ.

8. *Sciron quis iste*) Sciron nomen est insignis latronis, à Theseo interfecti. Typhoëus autem, gigantis cuiusdam, qui cum Iouem de regio solio deturbare conaretur, fulmine ab eo interemptus est.

9. *Scrutare cuncta*) Quin Græca hoc loco mendosa sint, apud me quidem non est dubium. Alioqui velim mihi quispiam dicat quid hoc loco significet hæc dictio ἄναλτα. Neque enim ἀπὸ τοῦ ἄναλτος venire potest. Nec item,

vt

vt ἄπαλα legamus, patitur huius loci sensus. Nec denique hoc Tetrastichum, quemadmodum nec aliquot priora, in versione Germanica extant: vt ex illius vestigiis veram lectionem expiscari queam. Itaque, quod vnum potui, verbum aliquod in translatione posui, quod ab huius loci sententia minimè alienum est. Videat tamen Lector, num fortasse legendum sit ἂν αὔλα, vt sit sensus, Si omnia ossa paria sunt, aurum ex omnibus fluit.

ELIÆ MIRACVLA, Iambicum decimumseptimum.

HÆc mira sanctus Elias quondam edidit.
Hunc primò coruus aluit: ac Sarephiam
Pòst ipse viduam nutriit perquam ampliter,
Olei & farinæ reliquiis paucissimis:
Eiúsque ab Orci filium extraxit sint.
Mox ipse cœlum claudit, & pluuiam negat.
Flammis vorandam victimam planè nouis,
Nouóque more tradit: & multos dies,
Omnino capiens pabuli nihil, exigit.
Binósque flamma mittit ad stygem duces.
Iordanis vndas pallio immisso secat.
Currúque vectus igneo cœlum petit.
Cùm veste linquit gratiam Elisæo suam:
Eximia cuius cœne iam miracula.

Elisæi miracula.

Iordanis vndas pallij tactu secat.
Sterilésque fontes vrbis edulcat sale.
Iuuenes ferarum morsibus necat improbos.
Sæuámque trinis eximit castris sitim.
Per munus olei debito grandi leuat
Viduam: alterique (mira res) dat filium,
Auidíque rursus faucibus lethi extrahit.
Tum labem ab herbis pellit: & magno agmini
Pastu minacem pellit exiguo famem.
Namaánque Syri corpus à lepra eluit.
Hac' inficitque seruulum. post asciam 1
Ex imo in altum fluminis trahit vado.
Syriaca castra, visibus capta, hostibus
Tradit, deinde saturat appositis cibis.
Iunctísque reddit mortuum vitæ ossibus.

SCHOLIVM.

1. *Hac inficitque seruulum) Hoc loco sententiæ potius quàm verborum rationem habui. Nam si quis verba spectet, nihil aliud colligere potest, quàm Elisæum morbum eum, quo ministrum suum affecerat, ab eo depulisse: quodquidem ex sacris literis falsum esse constat. Itaque aut memoria lapsum esse Gregorium necesse est, aut, quod potius crediderim, mendum hîc irrepsisse. Ego certè ob dictionum affinitatem adductus fortasse fuissem vt pro πάνυ ψαύει legerem, nisi hoc verbum non nisi gignendi casui iungi cognitum haberem.*

DE VIRTVTE, Iambicum decimumoctauum.

ARGVMENTVM.

Hoc Poëma ex Plantini quidem officina prodiit anno 1568: sed primis centum octoginta tribus versibus mutilum. Quod cùm anno 1575 Latinum factum in lucem emisissemus, sed ita vt Latini versus Græcorum numerum longè excederent, nunc iam illustriss. Cardinalis Sirleti benignitate manuscriptum exemplar nacti, Carmen integrum, vt Latina iam Græcis plenè respondeant, de integro à nobis conuersum, in publicum damus. Porro cùm in vulgatis libris hoc Carmen περὶ ἀρετῆς inscribatur, in Cardinalis autem codice, atque etiam in Germanico, περὶ ταπεινοφροσύνης, σωφροσύνης καὶ ἐγκρατείας, vulgatum titulum, vt, meo quidem iudicio, verum & genuinum, retinendum potiùs censui. Quis enim alioqui credat, Gregorium, si ei, non à genere, sed à partibus, titulum ducere placuisset, hoc Poëma, περὶ ταπεινοφροσύνης (de qua nullum penè verbum facit) inscripturum fuisse, ac non potiùs, περὶ ἀνδρείας καὶ φρονήσεως, de quibus tam multa, & ex professo canit? Sed de hac re satis: nunc ad argumentum veniamus. Primùm igitur, vt iuuenem eum, ad quem scribit, ad virtutis & pietatis studium incitet, nihil omnino in terris esse ostēdit, quod cum animi cultu, mentísque ad Deum erectione conferendum sit. Deinde Oratione altiùs repetita, de rerum creatione disserit, & cur Deus hominem arbitrij libertate donarit. Postea vtriusque vitæ, hoc est, probæ & malæ, finem ei ob oculos ponit. Tum, authoritate sibi priùs & beneuolentia conciliata, illud docet, eos, qui sapientiæ doctrinæque laude apud Ethnicos floruerunt, tametsi alioqui à vera pietate longissimè abfuerint, ac cæteris etiam in rebus acerrima animorum contentione inter se decertarint, hac tamen vna in re omnes consensisse, nempe nihil virtute melius ac præstantius esse. Ac deinde ad singula virtutis genera descendens, qui apud eos in quolibet genere excelluerint, narrat: sed ita tamen, vt illud simul ostendat, colorem potiùs quendam ac lineamenta duntaxat virtutis

apud eos inueniri: solidam enim, atque omnibus partibus perfectam virtutem non nisi apud eos esse posse, qui veræ religionis cultum profitentur. Ad extremum à nimis curiosa diuinarum rerum indagatione nos reuocat, atque Deum sui cognitionem iis potius tribuere, qui piis studiis, ac diuinorum mandatorum obseruationi, totos se addicunt, quàm qui in sublimissimorum mysteriorum, ac rerum ingenij nostri captum excedentium inquisitione defixi hærent.

Plerique narrant, ac velim haud inaniter:
Sed sermo demum hic laudẽ habet, cui res comes.
Quidámque, iuuenum sedulò omnia qui solent
1 *Inspicere,* [1] *iuuenem te Deo charum putant,*
2 [2] *Vt pulchra qui des indolis signa optima.*
Ab vngue namque noscitur, vt aiunt, leo.

Ab vngue leo agnoscitur.

Sparsere læti mutuò hoc miraculum.
Pronœa deinde, rite moderans omnia,
Tuísque summis commodis bene consulens,
3 [3] *Per famam ad ipsas res tibi sternit viam:*
Famam anteceptus vt per eximiam, velut,
Pietatis habeas pignus hanc, dum cœlitum
4 *Sic te ad salutem* [4] *maximus rector vocat.*
Coniectet ast hoc scilicet quisquis volet:
Scriptura at ipse sacra quod docet, eloquar.
5 [5] *Res magna certè, mente si spectes polum,*
Istúdque penetres, vita quo nostra hæc humi
Prostrata tegitur, nubilum, & caliginem,
Oculósque tendens altius paulò, grauem

Magna res caducis cõtẽptis cœlũ spectare.

Limúmque superans, compedes & corporis,
Imaginísque numinis summi procul
Fugans tyrannos, te Deo studeas dare.
Doctrina habenda est hæc enim sanè vnica,
Primúmque nostri maximum & generis bonum.

Doctrina vnica, salutis studiũ.

Quis tantus etenim fructus in rebus vagis,
Aliísque variè ludicris instantibus,
Donis, vt aiunt, temporis, cæcæ & deæ,
Coeant in vnum cuncta licet, atque omnium
Bona, quæ vel hîc sunt, esse vel quidam putant?
6 *Quis tantus, inquam,* [6] *limites iungas licet,*
7 *Omnésque præsto* [7] *sint opes Gygis tibi,*
Vertasque, vertens annuli gemmam, omnia,
Tacens tyrannus? quamlibet Crœsi in modum

Gygis opes. Eiusdem annulus.

Auro intumescas: quamlibet Cyrus tibi
Cedat, thronorum principem sibi vendicans:
Claris tametsi classibus Troiam eruas,
8 *Sentésque & vrbes* [8] *æreum te habeant, tuo*
Ducásque nutu conciones maximas,
Digna & coronis proferas verba, in foro
Spirésque prorsus in modum Demosthenis:
Scitis Lycurgus cedat, & Solon, tuis:
In corde Homeri Musa sit quamuis tuo,
Quamuis Platonis lingua sit, quam melleam
(Vt est profectò) nemo non existimat:
Prauis tametsi nexibus sophismatum
Tenacibúsque nemo sit quem non premas:
Sursum ac deorsum torqueas licet omnia,
Dum captionum nectis ambages, tibi
Quas aut Stagira natus, aut Pirrho dedit:
9 *Quamuis te in altum* [9] *Pegasus, vel Abaridis*
Tollat sagitta (quæ duæ sunt fabulæ:)
Quis tantus hisce fructus ex rebus venit?

Pegasus Abaridis sagitta.

(His adde thalamos splendidos, Sybariticas
Mensas, & alia, queis leues mentes tument)
Quantus redibit, spreueris si hæc omnia,
Decúsque spectes animæ, & vnde venerit,
Hæc primùm, & ad quem, quoque reditura est breui.
Quamnámque vt ipsa tendat in partem, decet.
Diuina nam cum (mens velut mea conicit,
Doctique narrant) ipsa sit defluxio,
Nobísque ab alto prodeat tota æthere,
Aut tota si non, mens quidem rectrix fluat,

Anima à Deo defluxit.

Hoc munus eius vnicum est ipsi insitum,
Ad alta ferri, maximo & iungi Deo,
Affine quódque est, cernere id semper, malis
Affectibúsque corporis non subiici,

Mentis officium, in altũ ferri.

Quod ad ima pronum deprimit mentes humi,
Dulcémque rerum, quas videt, fraudem intima
In corda mittit, sensuum & caliginem:

Corpus mẽtem ad ima deprimit.

Per quam animus, hunc ni ratio compescat, fluens,
Paulatim ad ima labitur: sin at frequens,
Fræni tenacis instar, hunc coerceat,
Teneátque ratio, scilicet spes est fore,
Hac subleuatus animus vt sensim suprà,
Vrbis supernæ mœnibus tandem applicet,
Donec cupitis gaudeat rebus fruens,
Hoc est, vt omne tegumen, affusas modò
Vmbrásque superans prorsus, atque ænigmata,
Pulchrique quicquid cernit in speculo velut,
Iam mente nuda spectet ipsummet bonum

Quis piæ mẽtis scopus.

Nudum, & vagari desinat tandem, vt priùs,
Luce saturatus expetita feruidè,
Bonum bonorum maximum illic obtinens.
Ratione nam qui condidit cuncta optima,
Nexúque, nulla quem queat vox eloqui,
Res colligauit, temperans contraria,
Mundum ordinauit huncq́ue, confusum priùs,
In homine maius edidit miraculum.
Sermonem at ipse ducam vt aliquanto altiùs,
Deus vel est mens, melior aut essentia,
Quam sola capere mens potest: si cœlitum

Quid Deus.

Caterua plenè, nouit hoc summus Deus:
At nos subobscurè, officit nubes quibus,
Quam crassa & hostis abiicit nobis caro.
[10] *Ac nunc quidem sic: plus quod est, in posterum.*

Obscurè solùm Deus hîc concipi potest.

Sermonis orsum iam Deus cum sumpserit,
Consideremus opera quænam sunt Dei. 10
Extrema duo sunt, res duæ contrariæ,
Quarum propinqua est altera Deo, & nobilis,
(Logicam vocant hanc, mentis, & plenam vndique,
Logicam, petito nomine hoc ἐκ τοῦ λόγου)

Rerum creatio. Creatura rationalis.

Quæ præpotenti numini astat iugiter,
Summos & imos angelos intelligo.
Sublimiores corpore & sensu simul:
A Triade primi qui sacra lucem hauriunt.
Ratione procul est altera, procul Deo,
Brutam vocant hanc, ratio quòd ab hac exulet,
Interna, quæq́ue vocibus se detegit.

Creatura irrationalis

λόγος ἐνδιάθετος καὶ προφορικός.

Hæc separasset filius cum sic Dei,
Nectens, vt ingens artifex, res conditas,
Mox me ex duabus construit, nempe ex eo
Quod ratio decorat, penitus & quod hac vacat,

Ex

Ex mente dico (maximi formam Dei
Quam gesto) sensu præditóque ex corpore.
Præstantis operis talis est hæc mistio,
11 Nouum ipse mundum quam vocem,[11] magnũ in breui.
Vt autem abundans lumine, & plenus bono,
Boni daret mî quidpiam, meterem vt meum
Opus, vtriusque limites vitæ indicans,
Ratione & illos tum priùs disterminans,
Hominique legis insuper iungens opem,
Studium reliquit sic boni mihi liberum:
Vt dimicando consequar palmæ decus.
Hoc namque melius, vita quàm expers limitum.
Hæc structionis ratio, summa est hæc meæ.
At ipsa crebrò, donec in terris sumus,
Sursum deorsum vertitur, fluctus velut,
Læta inter anceps, aspera & quæ sensibus,
Per quæ probatur misera, fitq́ purior,
Vt aurum in igne purius reddi solet.
Pòst autem eorum, seuimus quæ nos, seges
Tandem exigetur lancibus iustis Dei.
Messemq́ vitæ prompta sunt capere horrea.
Cum talia hæc sint, quisquis obseruat sacras
Leges, Deique, quam tenet, partem colit,
Dictoque in omni, req́ item, & mente insuper,
A proterendis integer rebus manet,
Ab eóque, semper quod fluit, negat abripi,
Verùm ipse contrà puluerem in cœlum trahit,
(O scitum & ingens admodum mysterium!)
12 [12] Laborum habebit præmium hoc, vt sit Deus,
Factus quidem ipse, lumine at summo affluens,
Gustauit id quod leuiter hîc tantummodo.
In peius at qui vinculi, & nexus, ruit,
Rebúsque sese mancipans totum inferis,
Carnisque seruus, perditè & fluxa expetens,
Generis superni moribus turpat decus,
Felix sit ipse rebus in fluxis licet,
Leues se ob vmbras efferens & somnia,
Ob luxum, opésque, tumidus, & celsos thronos,
Heu quanta moles verberum hunc illic manet,
Quorum supremum est, deiici à summo Deo.
Hæc ergo tu nunc audiens, atque his fidem
Adhibens, relicto carpe iter rectum improbo,
Monenti amicè pareas si quid mihi.
Parere porrò melius: & certè audies.
Nam terna cum sint, vt vetus sensit cohors,
Pollere debet optimus monitor quibus,
Rerum vsus ingens, charitas, os liberum,
In me requires prorsus ex tribus nihil.
Namque vsus in me tantus est, quantum decet
Hunc obtinere, qui labores plurimos
Hausit, diúque voluit Authores bonos,
Sacrósque triuit sedula libros manu
(Qui dulcis est fons, mentibus castis patens)
Ex queis profundi quidpiam est haustum mihi.
Iam charitatem, cui secundas præbui,
13 [13] Testatur istud: hæc enim opto nunc tibi,
O chare iuuenis, quæ mihi suasi priùs,
Cum recta coiit mens freti periculis,
Iunxere passum grauia quæ me Deo.
Fiduciam autem sentias nunquam metam,
14 [14] Ex hisue, qui sunt exteri tibi, vllius:
Nec, obsequare si mihi, vnquam senties.
Nam laude dignus sic eris, non at probro.
Hæc ergo cum ita sint, des mihi des te velim.

Homo magnus mundus.

Arbitrij libertas.

Anima inter prospera & aduersa dubia voluitur.

Piæ vitæ præmium, diuinitas.

Impiæ vitæ pœna.

Pœna omniũ maxima, à Deo excidere.

Tria habere debet probus cõsiliarius.

Scriptura sacra, fons dulcis.

Vide Greg. vitam.

Deóque dabimus, cui datus sumès eum.
Natura dantis talis est enim Dei.
Verum assequeris porro sic considerans.
Sunt quidam & inter Ethnicos sophi viri.
Quanquam sophos quis dicat hos iure optimo
Qui rebus id quod præminet longè omnibus,
Deum, bonorum principem causam, haud sciunt
(Natura quem vel ipsa cordatos docet,
Ordóque rerum, quæq́ in aspectum cadunt,
Mentémque) sed vel submouent prorsus Deum,
Vel regimen eius pernegant omne,[15] aut modum
Statuunt,[16] laboret ne nimis seruans Deus.
Visum magistrum pars enim tantùm sequens,
Subiecit astris cuncta, conseruis licet:
Nilq́ esse quod non hæc regant, malè censuit.
Pars lapsa grauiùs[17] bestias vilissimas
Coluit, vel vmbras dæmonum: atque fabulas
Excogitauit,[18] vitia vt obtegeret sua.
Dignas columnas statuit & væcordia,
Simulachra, varia facta materia & manu.
Quis ergo tantùm desipit, vt istos sophos
Appellet? at sint hi tamen, si vis, sophi.
Hos discrepare cæteris rebus quidem
Cernas, grauique congredi certamine,
De rebus, aut quas oculus, aut animus videt,
Fatóque, formis, atque prouidentia,
Hyle, quibúsque nostra constent corpora,
Animáque, mente, & sensuum fallacia.
Stoa vnde fluxit, vultuum & fastus grauis,
Academiæq́ vincula & Pirrhonia,
Nugæq́ acutæ,[19] quæ nihil certò asserunt.
Hos rebus, inquam, dissidere cæteris
Videas: at omnes ore concordi bonum
Laudare, quicquam celsius nec ducere
Virtute: multis hæc licet sudoribus
Paretur, atque temporis tractu haud breui.
Dictisque constet vt fides, quosdam tibi
Producam, vt inde, quanta res virtus, scias,
Rosas, vt aiunt colligens ex sentibus,
Bona nempe discens quæpiam vel ab Ethnicis.
Quis non, Sinope quem tulit, nouit canem?
Hic (quid necesse est cætera vt recenseam?)
Tam tenuis, ac tam parcus in vita sua
Erat (ídque sibi cum lex foret, non at Dei
Iussa sequeretur, spes nec vllas præmij:)
Vt baculus esset ipsi opum loco omnium,
Próque domo haberet vrbis in medio cadum,
Versatilem huncq́, fugeret vt ventos graues:
Quem præferebat ædibus pulcherrimis.
Quin victus illi tenuis, & cura vacans.
Crates eodem negligens opes modo,
Pascenda linquens bestiis sua prædia,
Tanquam ministra criminum & libidinum,
Scandens in aram, maximo præconio
Mirum illud, atque vocibus celebre omnium,
Media in Olympo victor vt, de se extulit,
Crates Cratetem liberat Thebis satum:
Seruile censens, opibus addici nimis.
Quin idem, vt aiunt, alter aut, quidam vt putant,
Sed mente certè præditus non dispari,
Cùm nauigaret aspero quondam mari,
Nimisque pressa mercibus nauis foret,
Opes libenter in fretum iecit suas:
Hoc laude dignum maxima dictum efferens,

Dans se Deo, Deũ accipit.

Sapiẽtes nõ dicẽdi, qui Deũ ignorant.

Natura Deum esse docet.

Athei.

Epicurei.

Chaldæi.

17 Ægyptij, & Græci.

18

Stoici.

Sceptici.

Omnes in virtutis laude consentiunt.

Rosas è spinis legere.

Diogenes.

Crates.

Vide in Orat. Basil.

Bene est: magistram te mihi præbes boni,
20 Fortuna; [20] vile ad pallium redigor libens.
Opes propinquis alter at liquit suas.
Humana veluti rursus hæc superans adhuc
Alter, & in vnam colligens massam auream
Sua cuncta, mox & vectus in mare altius,
Imo superbum gurgiti errorem dedit:
21 Non [21] esse dandum dictitans malum alteri.
Collaudo & illud: cùm vetus quidam canis
A rege peteret pabulum, vel quòd fame
Premeretur, aut hoc principem tentans modo,
Atque ille, honoris gratia, aut tentans eum,
Hilari talentum porrigi mente aureum
Iuberet, istud accipit, sed principe
Spectante panem mox emit toto vnicum
Auri talento: verbáque hæc statim addidit:
22 Pane indigebam, [22] non typho qui non alit.
Cynici dictum.
Haud ista multum legibus sunt à meis
Remota, quæ me per cibum partum in diem,
23 Nec [23] seminatum, subuehunt ad alitum
Matth. 6.
Vitam, atque operta lilia insignem in modum,
Sine arte quamuis, vnde mihi non defore
Vestem fides fit, si Deum spectem vnicum.
24 At [24] ponderare siquidem exactè decet
Vitas (referre hæc ne puter frustrà omnia)
Queis curæ egestas extitit, queis liberam
Nullisque strictam vinculis vitam sequi,
Ethnici humanæ gloriæ studiosi.
Primùm secuti rem bonam non sunt bene.
Mage nam mouebat gloria hos, quàm amor boni.
Nam quid erat aris, quidque opus præconiis?
Cratetem notat.
[25] Laxasse ventri fræna quin ipsos liquet:
Vt qui minimè opes seriò fugerent, opum
Curas sed acres, ac labores anxios,
Essétque luxus his seges, penuria.
Monstrant placentæ hoc, panis & cibarius
Subductus, atque carmina ex Tragœdia.
Quorum istud vnum est editum scitè admodum,
26 [26] Hospes tyrannis cede quamprimum via:
27 [27] Medisque fugiens intybum ex eduliis,
Veri Christiani à vana gloria alieni.
Inopum esca. tecti gratia inuidia carens.
Nos contrà ab omni re proba omnem gloriæ
Auram fugamus: vt quibus nil sit prius,
Quàm ne sinistra, dextra quid faciat, sciat.
28 Iam [28] si meretur continens animus decus,
29 Pulcher [29] Cleanthis puteus, & inops Socratis
Cleanthis puteus.
Vita. Indecora cætera at quàm sint, vide:
Et [30] Charmides, & pallij velum exteri,
Socrates pulchrorũ amator.
Sub quo docebat puberum [31] pulchrum gregem
Diuina. [32] soli pulchri enim ingenio valent.
At nemo amore corporum, quod est bonum
Captet: vtinámque scemmata hæc intercidant.
33 [33] Mysos Lydósque meta sit quæ saperet.
Prouerb.
Alcmæonis auaritia.
Illud quis autem laudet vnquam [34] Alcmæonis,
Qui cùm suorum ciuium esset maximus,
Et stirpe clara generis, & potentia,
Tam fœdo amore victus est pecuniæ,
Quàm vinci ab illo par erat fluxas opes.
Namque ipsi, honores præter alios plurimos,
Cum Crœsus auri maximam vim ostenderet,
(Vt rex beata sorte non parum tumens)
Efferre quantum posset omnino iubens,
Tunc ille buccas, & sinum implens & comam
Auro (cupido quanta, quàm præpostera)
Lydis cachinnum produt summum mouens.

Plato quid autem, quamlibet doctissimus?
Plato.
Festiuus ille quidnam Aristippus? quid &
Aristipp.
[35] Speusippus ille lepidus, vt existimo? 35
Plato victitabat, vt solet [36] miser institor,
Plato mercaturam exercet.
Ferens labores æquoris studio lucri.
Oleum ferebat scilicet. at hoc dixeris
Non criminandum: dasque inopiæ quidpiam.
[37] Mensas Platonem. sed sequi tyrannicas,
Plato Siculas mensas sequitur.
Turpe, & labores atque doctrinam indecens:
Mitto [38] auctionem, quæ nec habuisset locum,
Plato venditus.
Ni præstitisset Græcia sese Aphricus
Benigniorem. namque paucis numulis
Platonis emit gloriam ac scientiam.
Fiducia oris magna Aristippo fuit:
Sed iuncta nimium luxui fœdo tamen.
[39] Lesumq; mixto dogmate est salso bonum. 39
Nam combibones, vnguine ipse perlitus
Afflabat. atque comitas morum, & sales,
Aristippi fœda mollities.
Huic muniebant maximum ad quæstum viam.
Sic Archelao rege quodam tempore
Vestem offerente fœmina dignam (haud scio
Qua mente munus istud) hanc quidem Plato
Reiecit, illud proferens Euripidis:
Non [40] fœminarum vestibus queam indui. 40
Hic autem, vt eius munus in manus idem
Ferente quodam venit, hoc statim accipit.
Versum & rependit versui lepidè alterum,
Hæc dicta fundens, Non enim in Bacchi Orgiis
Matrona casta labis aliquid contrahet.
Idem Archelaus, vt ferunt, cùm posceret
Sophocles ab illo quidpiam, hoc Euripidi
Dedit erudito protinus, verba hæc loquens:
Dignus videris tu quidem, qui postules:
Qui capiat autem, dignus est Euripides:
Hinc, morum honestas quanta sit res, indicans.
[41] Quin Lysimachi filius, qui Græciæ 41
Aristidis laus.
Tributa quondam fixerat, vir eminens
Bello, domíque rebus in forensibus,
Numorum amore tam fuit sublimior,
Vt (mitto iusti nomen hinc quòd rettulit,
Adhucque gestat) ipsius natas viris
Vrbs collocarit, de suo [42] penuriam 42
Præclaram honestans: atque eum ære publico
Humarit, ipsi quòd nihil prorsus foret.
Nec prætereo decora magnorum Ausonum,
Exempla, ne me prisca solum fulciant.
[43] Fabricius armis vicerat Pyrrhum, agminis 43
Fabricij laus.
Ductor Latini nobilis, rursum hunc magis
Hac arte superat. Pyrrhus etenim spes suas
Pressas in arctum conspicans, studuit ducem
Surripere, munus maximum ipsi deferens.
At hic reiecit: pepigit inducias tamen.
Plutarch in vita Pyrrhi.
Vt Pyrrhus autem per iocum, velut ferunt,
Elephanta quendam corporis vastissimi
Monstrauit armis vndique instructum (haud prius
Fabricius hocce viderat monstri genus)
Sic vt proboscis subita sese ostenderet:
Non tremuit, hilari verba sed fronte hæc dedit:
Nec me antè numi, nec modò vicit fera.
Pulchrum Fabricij dictum.
Satis ista nobis dicta sunt, & plus satis,
De despicandis opibus. Ergo ne probet
Illa parum honesta quispiam, ex priscis libris
Versus ex variis authoribus desumpti.
Desumpta, iuuenis quæ manu voluit frequens:
Sine [44] me vocari, dummodo lucrer, malum:

Id

Id namque præstat, quàm colentem cælitum
Leges egere, gloria hinc dum quæritur.
45 [45] *Genus mihi ne profer: ossa mî genus.*
Res nulla censu charior mortalibus.
46 [46] *Miserum indigente nil magis fingi potest.*
Responsa Phœbus, æra si desint, negat.
Nemo beatus rebus est in omnibus.
Nam vel probis vir moribus victu caret:
Vel, stirpe cùm sit sordida, censu affluit.
Miserum vocandum nam quid ipse existimas
Opibus carentem, diuitem sed moribus?
Miser est profectò, quisquis hæc sentit malè.
Hæc ergo cuncta cum suis authoribus,
Aliúdque si quid tale sit dictum, fuge.
At ista lauda: dicta sunt enim probè.
Malus quæstus calamitatis arra. *Ex non honesta cùm capis re commodum,*
Calamitatis (hoc scias) arram tenes.
Non vndecunque lucra fac: verere te.
Pauore iniqua non caret felicitas.
Plutum quid inquis? non ego admiror Deum,
Haud ægrè apisci quem queat vel pessimus.
Pauper quidem ille: moribus diues tamen.
Sophos egentes malo, quàm Midas malos.
Theognides. *Delirat autem maximè Theognides,*
Diram [47] anteponit cùm necem penuriæ,
47 *Cyrnóque sancit improbas leges opum.*
Homere, qui fit vt rei fluxæ admodum
Tribuas & ipse tantum, opum vt quodam loco
48 *Pronunciaris [48] esse virtutem asseclam?*
Virtus opũ assecla. *Dixi quidem, inquit: non tamen sic sentiens,*
Ridens sed illos, sentiunt qui tam malè.
Nam nonne Vlyssem, qui tot ærumnas tulit,
(Cum sæuientis impetum effugit freti,
Nudúsque, inópsque regia est à virgine
Conspectus, hancq; vocibus flexit suis,
Phæacibúsque maximo in pretio extitit)
49 [49] *Virtutis esse splendidam laudem putas?*
Odyssea virtutis la°. *Fabella quin hæc est Phrygum pulcherrima.*
Nam cùm petisset cuncta mutari sibi
Midas. *Midas in aurum, quò malæ cupidinis*
Ouid. lib. 9. Metam. *Supplicia lueret, annuit votis Deus.*
Sic habuit aurum: sed [50] miser periit fame.
50 *Figmenta sed quid, atque præcepta extera*
Propono? leges iam velim spectes meas.
Vera nobilitas. *Stirps clara generis est mihi princeps bonum,*
Quo sum ortus, ad quod subueho vitam meam,
Studens molestiis vinculis me exoluere.
Terrena nobilitas parui pẽdẽda. *At nobile illud, terrei vt vocant, genus,*
A labe, nexu & corporum quod profluit,
Clarísque quondam mortuis & putridis,
Fluente fimo neutiquam est mage nobile.
Patria. *Rursumq; patria corporum, haud est libera,*
Grauibus tributis subdita, & scissa improbè:
Finita syluis, finibus & vasti maris,
Subinde mutans incolas miserrimos:
Eadem paréns que sobolis, & tumulus simul,
51 [51] *Eósque tundens, à quibus tusa est priùs*
Quàm primi acerbè plectitur gustus patris!
Vera patria *Illius ast hæc quam sophi exquirunt loco,*
52 *In quam intuentes [52] neutiquam hic raptabimur,*
(Vt herba fluuiis innatans) nullos habet
Omnino fines: domibus eximiis viget.
53 *Semper colonis obtinetur à suis.*
54 *Viuentium est mater, [54] laborum libera:*
55 [55] *Horum, Deum qui iugiter laudant, locus:*
Decúsque celebris agminis primò sati, Heb.12.
Cælestis ille quod tenet scriptum liber.
Iam laudo, sursum quod mihi situm est, decus,
Rectam illam amussim, nescium falsi bonum.
[56] *Mundana namque gloria, est ventus leuis.* 56 Quid mũdi gloria.
Ac iusta vero ne pilum adiungit quidem:
At falsa damnum maximum secum trahit.
Putare quippe, plurimum de re eripit.
Rursus fluentes, ebriæ, [57] cææ, vagæ
Opes (tumorem plurimis quæ contrahunt, 57 Diuitiæ. Auarus hydropico similis.
Vanéque fortunam hauriunt, intercuti
Similésque prorsus sunt aquæ) alteros petant:
Medicina morbi plena, ludus temporis,
Inuidiæ & atræ: sint licet pretio haud leui.
At census est hic amplus & stabilis mihi, Veræ diuitiæ.
Fures nec vllos, [58] nec graues casus timens,
Nil possidere, nisi Deum, & cæli bona.
Nam nemo prorsus omnia adipisci potest, 58 Nemo omnia habere potest, at omnia cõtemnere potest.
Nec est adeptus hactenus. [59] cuncta at simul
Quin spernat, & sic rebus omnino omnibus
Existat ipse celsior, nihil vetat.
Alij phalanges instruant ad prælium,
Subeántque plura, quàm inferant ipsi, mala,
Dum vulnerant nunc, nunc gemunt ob vulnera,
Dubióque Marte dimicant, & quasdam opes
Emunt cruore, robur aut tyrannidis.
Terræq;, sæui & æquoris, miser sinus
Mercator obeat, maximos quæstus sequens.
Leges & alter, iuráque aduersaria,
Dum lucra captat parua, nectat sedulus.
Mihi ast emendus rebus est cunctis Deus,
Et crux, egentem quam ferro opulentè, obterens
Quod tinea rodit, & [60] cubi instar voluitur.
Huius fuit lex prima, primum gaudium, 60
Edem, hortus ille dulcibus plantis virens, Gen.2.
Fónsque in quaternos fluminum sectus sinus.
Argentum & aurum non erat tunc temporis,
Non tunc nitentes gemmulæ, & pellucidæ,
(Quæ cuncta tellus porrigit fixis humi:)
Verùm colonus numinis solo famem
Pellebat esu fructuum dulcissimo.
Atque hic voluptas limites etiam suos
Habebat. arbor vetita nam scientiæ
Erat. esa quæ nos omnibus orbos bonis
Terræ parentis tradidit laboribus.
Quorum vnus est hic, plus habere scilicet,
Quàm sit necesse, scire nec census modum:
Morbóque sic est pharmacum nocentius.
Hinc porro, quàm res mira contingat, vide.
Vt nempe maior surgat ex potu sitis,
[61] *Per idque miseri, quo carent, penuria.* 61 Auarorum miseria.
Semper laborent, gaudium nec sentiant
Ob parta. nam quod deficit, mentem premit.
Atque ista vitæ prima lex est pauperis.
At hæc secunda: Summa qui mysteria
Dispensat, egit, Patriarcha vt maximus, Gen.12.
Conspector atque numinis summi, domum,
Patriasque sedes, cum propinquis omnibus,
Linquens, obiret exteras terras, vagus,
Caréns que tecto, dissitas longè. fides
Trahebat etenim, spésque maioris boni,
Iacob poposcit, pane dempto & vestibus, Gen.28.
Nihil, inter amnem se fuga ad terram ferens:
Diues tametsi pòst domum reuerterit,

Æquum laboris præmium id nactus sui.
Quin ad priora commodè hoc iungi potest:
Exod.19. *Moses receptus montis in caliginem,*
Solus locutus cum Deo est, legem ac duplam
Accepit, agmen duceret qua maximum.
Tunc ergo terram partiens datam à Deo,
Aliis quidem aliam mensus est partem soli:
Iosue 13. *Leui sed ortis ipse nil solis dedit:*
Quòd pars eorum præpotens esset Deus.
Hiere.35. *Rechabus etiam filiis vitam indigam*
Celsamq́ suadens (quippe iam norat genus
Vitæ altioris persequi: in pretio licet
Tum nondum egestas esset, ac miraculo)
Hæc verba patre protulit digna optimo:
Verba Ionadabi ad filios. *Qualem ipse vobis, filij, quàm diuitem*
Hæreditatem porrigo! qualem haud pater
Donauit vllus, ne quidem censu affluens.
Nil poßidete. liberum æuum ducite,
Nullo retenti vinculo. in tentoriis
Habitate: vobis mobiles sint hæ domus.
Proscindat alius quispiam terræ solum,
Vitésque plantet, quem iuuat Bacchi liquor.
At vita vobis sit meri prorsum inscia.
Vitæ exigetis tutò sic, nati, dies.
3.Reg.17. *Ac talis ille. Quo loco ponam Heliam,*
62 *Quem pérque coruos, pérque* [62] *torrentem Deus*
Alebat, arens dum siti tellus foret?
Qui, pauper etsi, pauperum & pauperrimus,
Fluxus tyrannis imbrium preßit tamen,
Hostibus ab alto, & victimis, flammam extudit,
3 Reg.18. *Viduísque fudit guttulas arcti cibi,*
Alens alentem largiter vir indigus.
Traxitque ab Orco mortuos pro præmio
Hospitij: ad astra raptus est curru igneo.
4. Reg. 2. *Hæreditatem quid Elisæi proferam,*
Delapsam ab alto gratiam cum pallio?
Quid ante ventrem (mira res) sacrum Deo?
2. Reg.1. *Samuelem, opinor, accipis, magnum virum:*
Votum parentis quem Deo summo obtulit,
(Audacter ipse forte ni dico hoc nimis)
63 [63] *Deum autem habebat ille, ei à puero datus.*
Ioannes. *Quis erat sequester fœderis prisci & noui,*
Vmbræq́ velut & corporis confinium,
64 [64] *Illud coërcens, rursus huic pandens fores?*
Lucerna summi luminis quis præuia?
Luc.7. *Quis inter homines teste supremus Deo?*
Matth.3. *Sola incolebat hic loca, huic victus nouus,*
65 *Vestis camelus,* [65] *Zonæ erat pellis loco:*
Baptista nobis pictus est his versibus.
Qui nec sinebat quempiam vestes duas
Act. 18. *Habere. Paulum quid loquar, victum sibi*
Manibus parantem? Quid Petrum cuius cibus
66 [66] *Erant lupini? maximos Apostolos.*
Quorum labore totus est orbis Dei
Clausus sagena: maximæ quorum è manu
Opes fluebant, indigis datæ ampliter.
Mat.1. *Pars alia cymbas liquit agnatis suis,*
Ad rete traheret hos, Deus cum ditius.
Christi instituti namque erant dictis probis,
Qui prima cum esset, maxima & mens omnium,
Craßitiem egenæ carnis excepit tamen.
Legisset inopes cúmque præcones sacri
Sermonis, his dat vnicam comitem fidem:
Luc.9. *Nudis, quibus non esset æs, non calcei,*
Non pera, nec opes, maximum mysterium
Totius orbis in manus tradens noui:
Nec ferre baculum vel leuem hos sinens manu:
[67] *Infirmitas vt dogmati astrueret fidem.* Cur Deus infirmos Apostolos elegerit.
Quod maius audi: postulanti, quo modo
Perfectus esse posset, adolescentulo,
Virtutis arcem finit haud ipse altera Mat. 19.
Vlla re, egenis cuncta quàm si protinus
Dispergat, humeris semper & gestet crucem,
Ipsúmque, rebus mortuus terræ omnibus,
Sequatur, aueat cum Deo si subuehi.
Sic & telonas lustrat ingressu suo, Luc.19.
Dantes libenter numini summo omnia.
Testis Zachæus, qui malis diues modis,
Miserans egentes postea, & quos læserat,
Pauper opulentè redditus, labem expiat.
Atque ista sunto dicta de censu mihi.
Ac continentis pectoris Græcos apud
Exempla quædam suppetunt, & Barbaros.
Et Barbaris nam cura virtutis fuit.
Quot nostra verò, quantáque, hic perscribere De vitæ frugalitate & parsimonia.
Quid est necesse, clara cùm sint omnibus?
Hæc erudita verba sunt tragœdiæ:
[68] *Omnes habenas ventris ipse contine:* 68
Est namque doni solus accepti immemor.
In ventre pleno Cypris est, non in fame.
Subtilem obesus venter haud mentem parit.
Ventrem farina, melle vel dulci impleas,
In ventris imo differet prorsus nihil.
Cado effluenti quid iuuat te infundere?
At lurco venter [69] *nauibus cursum dedit,* 69
Hominésque rabido Marte commisit ferus.
Cunctásque in imum gurgitem labi dapes,
Charas gulosis, [70] *non dapes tamen amplius,* 70
Lebete veluti quopiam ex vilißimo,
Dixit profectò Cercidas scitè admodum,
Finem helluonum (cum sale ipse viueret)
Ipsumq́ luxum conspuens, salsum velut.
Quis non probarit, dedito quod luxui
Quandoque dixit quispiam: ne adaugeas Carnales vincla sua augent.
Vincla tua, sæuam & belluam magis asperes.
Quale autem & illud, quòd suam carnem alloquens
Stoicus (vt alter alterum) dixit, tibi
Quid, misera pellis, debeo? Te vt nutriam?
Abunde panis frustulum est. Potum petis?
Aquam aut acetum dabimus, vt pellas sitim.
At ista forte non petis, verùm dapes
Gratas palato, pocula & dulcis meri?
Non ista, restim sed tibi lubens dabo.
Nónne ista longè præferenda luxui
[71] *Sardanapali, splendidus qui copiis* Sardanapali luxus.
Opum, malóque perditus luxu, grue
Optabat esse longius guttur sibi,
Vt ne voluptas flueret ipsi tam citò?
Iessæe, sed tu, cum sitires, atque aquam 2. Reg 23.
Ex agro haberes hostium, quoniam haud sine
Cruore quædam tulerat hanc turma, obsequens
Cupiditati regiæ, laticem statim
Libasti, & vnda militum parta malo
Explere vota veritus es, sitim & tuam.
Quòd si angelorum panis est verbi cibus, Angelorũ panis, verbi cibus.
(Nam carne vacuas non alit mentes caro)
Quàm multi apud nos angeli vitam exigunt,
Tenuésque vitæ spiritus tantùm trahunt:

Nec

Nec id libenter, sed Dei vt iussa expleant?
Nemo sibi mortẽ affer re debet.
(Vinctum esse oportet, vsque dum soluat Deus.)
Antiqua sileo, quæq́ commemorant libri,
Caterua quanta, corporum purgamine
Diuina facta, duxerit multos dies
Impasta, tanquam corpore omnino carens:
Minas & ignis, oráque leonum horrida
Dan.1.
Tulerit, prophanis extera in terra cibis
Ne vesceretur, barbari iussu impij.
Cum Christo at ex quo stygius hostis prælio
Congressus, abiit victus à carne inclyta,
Ieiuna denos quæ dies quater egerat,
(Quo maior illum spe pudor lusum augeret)
Lex in palæstris prodiit ieiunio
Carnis premendæ (ô callidum pugnæ genus!)
Atque incruentæ victimæ, & sanctißimæ.
Christianorũ virtus describitur.
Dominóque totius orbis æthereo immolat,
Non vitulum, vt olim, non arietem, aut exteram
Oblationem quampiam, plenam haud satis.
(Perfectione nam carent bruta omnia)
Sed quisque tabem corporis, pro luxu habens
Carere lautis dapibus (ô luxum nouum!)
Purgare templum sedulò nitens Deo,
Totus in hymnis dum vigil noctes agit,
Ac mente magnam migrat ad mentem, hactenus
Viuens in vmbris leuibus, & spectris, per hæc,
Quæ cernit oculus, capiat vt res abditas.
Voluntariæ Christianorũ afflictiones.
Hinc pars, catenis corpus astringens suum,
Extinxit omnem funditus petulantiam.
Pars domibus arctis, quásque Sol nunquam videt,
Vel clausa quodam rupis exesæ cauo,
Damnum repreßit, quod vagi sensus ferunt.
Loca sola, quos & incolunt saltus feræ,
Scelus vt ferinum fugeret, haud tardo pede
Pars petijt, æui transigens nouum genus
72 *[72] Mundum sciens hoc, quod videt, tantummodo.*
Est cui cinísque, saccus &, cum lachrymis,
Humíque captus somnus inflexit Deum,
Statio & dierum plurimorum & noctium,
Et mensium etiam: siquidem annos dixero,
Non credet ingens agmen: at credam tamen,
Credéntque pariter, mira res visa hæc quibus.
Figebat illos nam fides, Dei & metus,
Animum ante tempus abstrahens à corpore.
73 *[73] Haud vsitatum prandium quin audies,*
Psal.101.
Cineri calentes lachrymas mixtas simul.
74 *[74] Sine pane sunt qui vixerint, aqua & sine.*
(Natura leges habeat aduersas licet)
Zelo ferente prorsus insuetam ad viam.
Lei filiæ pro patria moriuntur.
Quidnam hæc? Lei [75] tu filias laude euehis,
Subiere quæ pro gente Cecropia necem.
Séque offerentem non pigro morti pede,
Menœceus. Cleombrotus.
Thebis salutem quò daret, [76] Menæceum.
[77] Cleombrotúmque, sponte qui, dum corpore
Exire gestit, se dedit præceps neci,
Postquam Platonis quopiam inductus libro,
Amore mortis captus est magno illico.
Epicteti tolerantia.
Crus fractum Epicteto insuper narras prius,
Quàm vi doloris ederet verbum indecens.
Namque asserebat ille (sic accepimus)
Seruum esse corpus, liberam at mentem suam.
Anaxarchi tolerantia.
Tusas recenses tu quoque Anaxarchi manus,
Vt si abfuisset. namque vtrem suum acriter
Tundi iubebat: quippe se illæsum interim

Manere: nec enim, quis sit, oculis conspici.
Laudas cicutam Socratis, [78] philotesiam Socrates cicutæ potu necatur.
Insolitam, ab illo pectore exhaustam impigro?
Tune ista laudas? laudo & ego. verùm in malis,
Quæ non dabatur fugere, constantes erant.
Nam [79] spes salutis nulla erat, vellent licet.
Hinc ad palæstram transeas sacram velim 79 Christianorum admirabilis fortitudo.
Pugilum meorum: téque corripiat tremor,
Hæc audientem, & mente voluentem, quibus
Quantísque fortes auximus periculis
Christi verendum &, ac nouum mysterium:
Nomen etiam vnde trahere nobis contigit.
Persæpe nam cùm liuor in nos plurimos
Hostes furentes, persequentes & fidem,
Trucibúsque similes belluis commouerit,
Non turbulento tempori vnquam ceßimus.
Quin pax habebat languidi si quidpiam, Persecutiones Christianis vtiles.
Aut si quis aliàs moribus prauis erat,
Hîc cuncti ad vnum pectus obfirmauimus,
[80] Atque solidati flammeo Zelo, hostium
Tulimus furorem, [81] splendidè & victi sumus. 80
Nemo salutem nam capit lubentius, 81 Pii honesta pericula saluti anteponunt.
Pericla quàm nos, vera laus quibus comes:
Quis ignem & enses, barathra quis, crucem, famem,
Sæuásque, luxus instar, excepit feras,
Tormenta, & artus sedibus vulsos suis,
Oculósque raptos, membra laniata vndique,
Frigoráque, tenebras, corpora in præceps data,
Longique variam, quo nihil (gnaris loquor)
Est grauius animo, temporis tragœdiam.
[82] Ardor doloris nam metum mox eximit: Perpetuus timor perpetua pœna est.
Timere verò semper, est semper pati,
Mortésque ferre plurimas loco vnius.
Exilia mitto dicere, ablatas opes,
Atque hæc virorum, coniugum, sodalium, 83
Charæq́ sæpe prolis in conspectis:
Quæ corda flectunt sæpe, vel fortißima.
[83] Atque ista curnam? Syllabæ causa vnicæ.
Quid dico causa syllabæ? nutus leuis,
Deum abnegantis, consulat vitæ vt malè.
De quo agitur etenim, multa ne dicam, est Deus: Persecutores Deũ ptis eripere student.
Quem cum negaro, consequi haud licet alterum.
Quid plura? visus tolle per gyrum tuos,
Orbémque totum cerne, quantum nunc tenet
Ille occupatum Sermo, quo venit salus,
Nos per Deúmque, pérque [84] cruciatum ligans, 84
(Mixtura mira, legibus procul & Dei.)
Hunc penè totum clara per sacraria, Laus Martyrum.
Thronos & altos, pérque doctrinam piam,
Cœtúsque, sanctæ plebis & cursus leues,
Dignásque laudes maximis laboribus,
Fulgore complent, siderum in morem, illius,
Mactatus est qui, martyres clarißimi.
Venerationi támque magnæ est veritas, Honor sacrarum reliquiarum.
Exiguus etiam puluis vt, vel oßium
Particula veterum quæpiam, aut paulum comæ,
Vestésve, sparsi aut sanguinis quædam notæ,
Cultum parem habeant, atque corpus integrum.
Locísque nomen Martyris solùm inditum
Noui quibusdam, martyris loco integri,
Habuisse prorsus vim parem (ô miraculum!)
Meminisse nam vel martyrum solùm, vt reor, Vel sola Martyrum recordatio, salutaris.
Affert salutem. Quid febres ac dæmones,
Mirum hinc fugatos in modum recenseam?

Quin & sepulchra, sacra vbi olim corpora
Iacuere, prauos spiritus pellunt procul.
Hæc mira pugiles in dies patrant mei.
85 *Tu[85] verò Pisam, Delphicum tu puluerem,*
Nemeámque iacta, & Isthmiam pinum insuper.
Per quæ iuuentus misera quondam claruit,
Statuens palæstris præmium exiguis leue,
Pugnæq́, luctæ &, cursibúsque, & saltibus:
Magnum in quibus nec vincere est, nec cedere.
Nam nec salus hîc, præmium, nec est Deus,
Vt est palæstris in meis: superum ex quibus
Decus, & coronas colligunt sancti viri.

De castitate.

Spectatum in hisce robur est postquam tibi,
(Quod & æmulari commodum affert maximum,
Pugnis in illis, quas dies per singulos
Inimicus, ima cordis exagitans, mouet,
Surripere sensus per vagos mentem studens)
Iam castitatem, laudibus quæ amplissimis
Præsertim apud nos floret, attentè inspice.
Hanc expetentes quidam etiam apud Ethnicos
Olim fuerunt, nec modò desunt adhuc.

Xenocratis continētia.

Nec enim asserenti detraham famæ fidem.
Namque esse castos exterôs quoque nil vetat.
Quondam sopori dedito Xenocrati,
Subitò à quibusdam est, hunc virum tentantibus,
Admota meretrix. quod statim vt sensit, neque
Adeo insolenti motus est iniuria,
Nec exiluit illico, ac cepit fugam,
Neutrum decere iudicans Xenocratem:
Immotus at tam, vulnere & liber stetit,
Vt illa fugiens diceret, Cur fraus mihi
Est facta, dum me copulastis mortuo?

Epicurus voluptatis assertor.

Epicurus autem præmium ærumnæ mihi
Statuebat omnis gaudium: húcque tendere
Aiebat, homines quicquid efficiunt boni.

Epicurus voluptati minimè deditus.

Ac ne putaret quispiam hunc ob gaudia
Id facere, honesta vita erat. sic dogmati
Opem ferebat castitas morum improbo.

Polemo.

Polemo nec ipse dignus est silentio.
Sermone celebre est omnium namque hoc quoque.
Erat impudicus moribus primò admodum,
Libidinúmque seruus. at postquam est boni
Amore captus (nescio an suo ipsius
Suasu sit vsus, an sophi cuiuspiam)
Statim suarum sic faces libidinum
Extinxit omnes, istud ex miraculis
Vt eius vnum prosequi haud verbis grauer.

Polemonis effigies scortū fugat.

Scortum vocarat quispiam iuuenis salax.
Vt ergo meretrix atrium tetigit domus,
Polemona pictum prominentem conspicans,
(Ore venerando namque erat, perquam & graui)
Superata solo rettulit visu pedem,
Pictum perinde verita, luce vt præditum.
Quin istud etiam plurium in lingua est situm:
Dion olebat, vt ferunt, haud suauiter.
(Hunc dico fama nobilem) huic cum quispiam
Hoc exprobrasset, coniugem vt primùm suam

Vxoris Dionis castitas mira.

Vidit, Quid, inquit? cur meum morbum mihi
Non indicasti? Tum, Deos testes vocans,
Respondit illa: Sic olere masculos
86 *Omnes putabam. Tam[86] procul cunctis viris,*
Procúlque amicis, ipsa se remouerat!

Alexandri castitas.

Nam castitatem maximam hic sermo indicat.
Magni quis illud non Alexandri probet,
Qui rege natas Persico, quem vicerat,
Tenens, venustas audiens esse, abnuit
Ipsas videre: turpe nimirum ratus
Vinci à puellis, Marte prostratis viris.
Quanquam hæc remota longius sunt à meis,
Tamen ipse laudo. Cur ita? album cernere

Inter Æthiopes albū esse, mira res est.

Æthiopes inter plurimum formam iuuat,
Dulcísque lymphæ paululum in medio mari:
Præcepta sic & improba inter, quidpiam
Habere casti, maximè mirum arbitror.
Libidinosa nam quibus sunt numina,
Ab his libido plurimi fit scilicet.

Libidinem Venerē vocarunt Ethnici, vt vitia sua prætextu diuinitatis colerent.

Nam quisque numen criminis præses sui
Statuit, nephandæ prauam opem quærens rei.
Quorumnam amores, dic mihi, etiam masculi?
Vobis[87] Deos nam plus habere quid decet.
Quorum Phryges sunt, dic item, adolescentuli,
Qui dulce nectar dissolutè porrigunt?
(Mysteriorum nam Iouis me suppudet.)

Ganymedes.

Quorum iugalis[88] furta thalami, & vincula,
Fœdum theatrum, risus accitis Deis?

Iupiter libidinis causa varias formas induit.

In cuncta quî sit fœminæ vt vertant Iouem,
(Fit taurus, aurum, fit draco, cygnus, fera,
Vir, fulmen, & amor quicquid insanus iubet)
[89] Summū, atque grauium criminum hercle consciū? 89
Deam esse dominam quis voluptatum putat?
Arásque vitiis maxima & templa extruit?
[90] Quorum, oro, noctes, quas nigræ noctes decent,
Fœdorum honestè symbolis turpissimis 90
Cultæ:[91] veretra & rigida, risus maximos? 91
(Numinibus aliis nam nouum adiungunt Deum,
Cuius pudorem nomen & solum incutit.)
Hermaphroditi,[92] Panes, obscœnus satus, 92
Dij pedibus hirci, moribúsque hirci simul.
Connubij apud quos virgines ducunt choros.
(Subire thalami quidpiam quoque virgines
Debent) venustæ[93] & inuenustas elocant, 93
Stupri afferentes præmium dotis loco.
Colitúrque dæmon[94] fœditate hac quispiam, 94
Honesta maneat ne quidem vt benignitas.
Hinc turpitudo repperit licentiam,
postibula, pretium, lege permissum hinc scelus.
[95] Scortique formam callidus pictor sui 95
Dat Veneri, vt arte fœminam hac reddat Deam.

Pictorū astus sacrilegus.

[96] Sic pusionis Phidias in annulo
Scripsit Mineruæ subdolus nomen sui,

Phidias.

Hinc[97], bellicorum gesta præclara vt ducum 97
Pinguntur, atque litteris prodi solent:
Sic prostituta forma. Tot scorta inspice,
Queis structa templa, queis honor diuûm datus:
Euphro, Leænam[98] belluæ in forma, Phrynem, 98
(Erat enim & ipsi nomini in templis honor)
Atque[99] dominantem graciæ[100] ortam ex Hyccaris, 99 100
Tantúsque de qua sermo, fœdam Laidem:
Aliásque multas, eloqui quas me piget.
Horum ergo, quisquis es bonus mensarius,

Trapezitæ Christianis imitandi.

Si quid probandum est, accipe: at perquæ nequis
Probitatis aliquid consequi, cuncta improba.
Diuinæ at omne sequere doctrinæ genus,
Imitans pudicos, & viros, & fœminas,
Magistra queis spes, & Deus: qui scilicet
Meliora scribunt scita, quàm scribat manus.
Nos namque, reliqui sola cùm mala censeant

Vitæ Christianæ perfectio.

Stupra esse, pœnis istud & plectant scelus,

Progredi-

Progredimur vltrà, legibúsque edicimus,
Mat.5. Ne spectet oculo fœminam, quisquam improbo:
101 Causámque [101] fini iungimus, cædi velut
Iram (ira siquidem cædis est tandem parens)
Horcum & frequentem nectimus periurio.
Etenim hæc vetantes, sine quibus nihil mali
Exoritur, ipsa crimina in fugam damus.
Sic tuta nobis castitas. Hinc virginum
Habemus agmen maximum, quod se æmulum
Vitæ angelorum, regis & summi exhibet,
Qui degit vnà hoc cum choro, & solus quidem
Quid hinc fit? æuum confluant ad alterum
Vt cuncta prorsus, hincque migrare expetant,
Thalami soluta legibus & vinculis.
Ex quo parente Christus ortus virgine,
Me per recentes virginem leges facit.
Nam quando in æuum prodij, & vinctus quidem,
(Per fluxa fluxa, pérque labem noscere
Coactus hæc quæ subiacent labi, & neci:
Meliora discam vt per vaga, & quæ cernimus.)
Attollo mente lætus effigiem ad Deum,
Per iniugatum, liberum & vitæ genus:
Nullam relinquens pellis hîc notam meæ,
102 Inflatum vt vtrem quempiam in vita, à [102] Deo
Sed incitatus vnico, cum plurimis
Aliis, comitibus optimis sanctæ viæ:
Vitam intuentes iugiter qui cœlitem,
103 Christo [103] dicarunt, non comam, aut opes suas,
Sed castitatem corporis, cui nil habent
Quod comparari possit in bonis suis.
Monachos intelligit. Hos Nazaræos dico, qui nouo agmine
Omnes abundant conditis intus bonis:
Quæ sanctæ honorant virgines vsque ad necem.
Thecla. Quid Theclam, & omnes cæteras narrem tibi,
Quæ dum Tonanti conditam formam student
Seruare, vitæ maxima in discrimina
Venere? Sed, quod omnibus notissimum,
Nocturnæ monachorũ preces. Noctúne cernis vt canat laudes Deo
Naturæ vterque sexus oblitus suæ?
Quot, quámque sancti? cernis angelicum chorum,
Qui nunc simul, nunc vicibus alternis canit,
Angeli cœlestes & terrestres. Partim deorsum positus, & partim suprà,
Sine fine summi concinens laudes patris?
Sic est colenda corporis tibi castitas,
Per ista dicta, per typos: quos intuens,
104 Vt [104] scita capias numinis, mentem expia.
De prudentia. Prudentiæ autem sunt quidam quæ [105] diximus
Sine prud. nil laudabile. Cuncta, (hac remota quidnam enim laudabile?)
At munus eius maximum, nosse est Deum,
Hunc ore colere, rebus &, non subdolè.
Est namque fons hic omnibus, certa & salus.
Deus cogitari potest, sed non verbis explicari. Hunc [106] cogitare quispiam exiguè potest:
Audire sed non quantus est, nec eloqui:
Quantumlibet vanè sibi hoc persuadeat.
Simile. Vt nebula semper hîc enim se interiicit
Sensilia nobis prospectum Dei adimunt. Aliquid meorum, visui & quæ subiacent.
Superare [107] quis det hoc mihi, vt iungar Deo,
Certúsque iam sim, quòd bono hoc verè fruar,

Quod capere auebam, non laborans amplius?
Miser [108] est profectò quisquis haud colit Deum, 108
Nescitque quandam principem causam omnium,
Quæ procrearit omnia, & miro ordine
Miráque sophia seruet hæc quæ condidit.
At scire quid sit, qui putat, mente excidit. Quid sit Deus sciri non potest.
Atque est perinde, Solis vt si quis videns
Vmbras in vndis, hunc putet se cernere: Simile.
Valdéque mirans atrium pulchræ domus,
Dominum videre credat idcirco ædium.
Præcedat alter alterum sophia licet,
(Qui nempe lucis plus trahit, plura intuens)
Infra Dei omnes dignitatem sunt tamen:
Quem [109] lumen operit, antequam fusus nigror. Psal.103.
Tenebrásque si quis dissecet, velo [110] statim Psal.17.
Summi secundo luminis perstringitur. 110
Non facilè porro scinditur velum duplex.
Qui cuncta complens altior cunctis manet, Cur Deus captum nostrũ hic fugiat.
Docénsque [111] mentem, mentis aspectum fugit:
[112] Trahens in altum dum celer se proripit.
Deum quidem tu cogita, & cole maximè,
Philtrum, obsequendo legibus, monstrans tuum: 112
At parcè, quid sit ipse, vbique quærere,
Sempérque, cunctis verba nec fundas leuis. In diuinis disputationibus quomodo quis se gerere debeat.
Quiddam loquaris de Deo, idque cum metu,
Quiddam sit intus conditum, strepitu sine
Clausum quod ima mente persanctè colas.
Ad aliud aures arrigas, si quis docet.
Auris pericli, lingua quàm, minus parit. Minus periculi est in aure quàm in lingua.
Quod restat, ora planius pòst vt scias,
Soluta mole corporis, nunc te expia,
Sanctéque viuens innoua quantum potes.
Sic namque, quem mens concipit, sumes Deum.
Ad [113] purum is autem concito accurrit gradu. 113 Pura mens Dei domicilium.
Puri domus nam purus est. summi Dei
Ad notionem ratio non multum facit.
(Nam [114] ratio quæuis alteram pugnantem habet: 114
Doctrina at horret flexilem fidem mea.)
Hærere [115] verò numini est res maxima. 115
Nam diligetur, qui Deum dilexerit. Ioan.14.
[115] Dilectus autem hunc hospitem internè capit. 116
Vbicunque porrò sit Deus, lux est quoque.
Pars prima porrò lucis est, lucem vt scias.
Sic notionem charitas nobis parit. Charitas ad Dei cognitionẽ plus potest, quã scientia.
Estque [117] ista multò melior ad verum via,
Quàm sermo scitus, & leues argutiæ.
Nunc iam, potest quod percipi, exponam breui.
Anarchus, arche, Spiritus, sacra Trinitas:
Causa carens, & genitus, atque prodiens.
Pater ille: Natus rursus hic, Verbúmque item:
Spiritus at alter: vnius substantiæ,
Deus vnus, & idem cultus omnino in tribus:
[118] Mortale per quos exuo vinculum. colas 118
Tu si ista teneas & proba vita, procul
Huiusce vitæ turbinem pellens, fide
Veráque, & odio fabularum turpium,
Sursum locaberis: vtinam méque altiùs,
Fiducia inde maior vt surgat tibi.

SCHOLIA.

1. *Iuuenem te Deo charum putant*) In eo libro, quo sum vsus, atque etiam in Germano, νοῦ habetur. Sed quis vnquam alicuius laudandi cupiditate ita præceps actus est, vt eum Dei mentem appellaret? Paulus quidem putare se ait quòd spiritum Dei habeat: & quòd Dei mens aut spiritus esset, ne cogitare quidem vnquam in men-

tem ei venit. Quid igitur absurdius, quàm iuuenem (in quo ferè spes potius quàm res laudatur) propterea quòd
honestæ vitæ significationem præbeat, Dei mentem appellare? Nemo itaque, vt opinor, audaciæ notam mihi im-
pinget, si vnica duntaxat litera immutata νίον hoc loco reponam. Sic enim simplex & apertus est sensus.
2. Vt pulchra qui des) Rationem affert, cur iuuenis ille, ad quē scribit, inter eos, qui Deo chari sunt, esse censea-
tur. Itaque miror Leuuenklaium maluisse hanc vocem, διδόντα, ad πάντα referre, quàm ad Pronomen, quod paulo
antè præcedit.
3. Per famam) Quòd iuuenis ille magnam probitatis existimationem haberet, hoc ei diuino beneficio contigisse
ait Gregorius: nempe vt hac virtutis suæ fama commotus, id esse curet, quod existimatur.
4. Maximus rector vocat) καλῶς hoc loco non significat nomen consequi, vt Leuuenklaio placet, verùm ad sa-
lutem vocari.
5. Res magna certè) Hic versus in illust. Sirleti libro erat huiusmodi ὅτι μέγα, θεὸς ὕψος τὴν ψυχὴν βλέπειν. Quem,
cum omnino vitiosus esset, ad hunc modum correxi, μέγα θεὸς ὕψος τὴν ψυχὴν ἀεὶ βλέπειν.
6. Limites iungas licet) Quidnam propriè sit τράχειν ὅρυς, ingenuè fateor mihi parum liquere. Non enim memi-
ni me hoc loquendi genus vnquam legisse. Suspicor Gregorium, quoniam de opibus ac potentia hoc loco sermonem
habet, his verbis eam vim significare voluisse, qua quispiam ab extremis orbis partibus ad extremas vsq; partes,
puncto temporis currere possit. Nam huc quoque tendit illa Abaridis sagitta, de qua paulo pòst loquitur.
7. Sint opes Gygis tibi) De hac re vide Plat. lib. 2. de Rep. & Cicer. in Offic.
8. Æreum te habeant) Hoc est, ære sculptum.
9. Pegasus vel Abarides) De Pegaso notior est fabula, quàm vt hîc commemoranda sit. De Abaridis autem
sagitta, quoniam dictum est in Basiliana Oratione, nihil est necesse hîc eandem cantilenam canere.
10. Ac nunc quidem sic) Quis hîc putaret in hac voce, θεὸς, mendum inesse? Et tamen inest. Legendū enim haud
dubiè τέως, vt constat ex his verbis quæ sequuntur, τὸ πλέον δ' ἐσ ὕστερον. Nunc, inquit, ad hunc modum, hoc est, nō
nisi subobscurè Deum percipimus: in altero autem æuo plenior nobis ac perfectior ipsius cognitio tribuetur.
11. Magnum in breui) Græ. ἐν μικρῷ μέγαν. Leuuenklaius contrà, in magno paruum: credo ne à Democriti senten-
tia recederet, qui hominem paruum mundum appellabat. At correctionem hanc libenter ei remittimus, atque
ἐν μικρῷ μέγαν cum Gregorio nostro retinemus. Cur autem hominem magnum mundum, ac contrà mundū hunc
aspectabilem paruum appellet, vide Orationem secundam in sanctum Pascha.
12. Laborum habebit) Hoc loco multos fore non dubito, qui sublata vltima versus litera nihil iam vitij reli-
quum fore sibi persuadeant. Mea tamen sententia est, hanc literam minimè submouendam esse, verùm alia ra-
tione medicinam afferendam: nempe vt pro, ἐξῆς ἐρᾶς, legamus ἐξῆς γέρας. Præterquam quòd enim hoc modo sim-
plicior sensus esse videtur, ne hæc quidem loquendi ratio ἐξῆς πόνων, pro, μετὰ τοὺς πόνους, mihi admodum arridet.
Totus porro hic locus initio Orationis in laudem Athanasij ornatissimè atque cum ingenti verborum splen-
dore describitur.
13. Testatur istud) Leuuen. hîc vertere debebat, Maximum argumentum, hoc est, subaudi, quod sequitur: non
autem, maximum argumentum est fides.
14. Ex hísne qui sunt) Non minus commodè fortasse hæc sic exponi possunt, vt ξένων neutro genere accipiatur, ac
res aduersas & calamitosas significet, quarum periculum, eum ad quem scribit, nunquam facturum esse
pollicetur, si ipsius consiliis pareat. Correpto in Italico libro legebatur, μήτε τόπων, pro μήτε του τῶν.
15. Aut modiū statuunt) Perstringit Aristotelem, qui, vt testatur Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. & Epiph.
lib. 3. aduersus hær. cap. vlt. & Laertius in ipsius vita, & Hesychius Milesius in libro de his qui doctrin. excel.
prouidentiam solùm vsque ad lunam deducit. Quibus autem locis elici possit Aristotelem ita sensisse, vide Mel-
chiorem Canum lib. 10. de loc. Theolog. cap. 5.
16. Laboret me) Perinde, inquit, angustis finibus prouidentiam circunscripserunt, ac si vererentur, ne nimis de-
fatigaretur Deus, omnia regendo atque conseruando. Hoc autem ironicè addit Gregorius.
17. Bestias vilissimas) Quod in priore huius carminis editione pro χύελον δείλων reposueram κνωδάλων, conjectu-
ram hanc minimè vanam fuisse testantur duo libri manuscripti. Ægyptios enim hoc loco designat, qui vilissi-
ma animalia diuinis honoribus afficiebant.
18. Vitia vt obtegeret) Vt libidinosi Iouis adulteria bellicosi ac sanguinarij sub Martis vocabulo cædes & cru-
delitates consecrarunt.
19. Quæ nihil certò asserunt) σκέψις. Quidam olim in ea hæresi fuerūt, vt ab omni re assensionem retinerent, nec
quicquam certò comprehendi posse existimarent. Vnde etiam Sceptici seu Ephettici dicti sunt. Cuius sectæ antesi-
gnanus fuit Pyrrho Eleates. Vide Laërtium in eius vita, & Luc. Dial. cui titulus est, Vitarum auctio, vbi epo-
chen hanc salsissimè ridet, & Hesych. Miles. in eius vita.
20. Vile ad pallium) Hoc est, ad vitam philosophicam. Hanc enim hoc loco per τρίβωνα, hoc est, pallium philo-
sophicum designat.
21. Non esse dandum) Hîc quoque in superiore editione, adiecta hac voce, καλὸν, lacunam non infeliciter ex-
pleueram, velut etiam sequenti versu pro αὐχαίων ἀρχαίων reposueram: vt duo libri manu exarati fidem
faciunt. Vult enim Gregorius, Philosophum illum, quia opes impedimentum virtuti afferre censebat,
facultates suas maluisse in mare proiicere, quàm propinquis eas relinquendo, vitiorum materiam ipsis sup-
peditare.
22. Non typho qui non alit) Gregorius ἄβρωτον τῦφον aurum eleganter vocat, quod animos ita attollat, vt tamen
eo fames pelli nequeat.
Matt. 6. 23. Nec seminatum) χάσπορον lego, non χάπορον. Alludit enim ad illud Euangelij, Videte volatilia cœli, quæ neq;
serunt neque metunt, &c.

24. At

24. *At ponderare*) Hic quoque non temerè ξέσαι correxeram. Astipulantur enim libri manuscripti.

25. *Laxasse ventri*) ἐφεῖναι, coërcere vertit Leuuen. cùm contrarium omnino significet. ἡδοναῖς enim ἐφεῖναι est voluptatibus habenas laxare.

26. *Hospes tyrannis*) Versus est Euripidis, ex ea tragedia sumptus, quæ inscribitur Phœnissæ. Sunt autem verba aurigæ Laij regis, Oedipum asperius submouentis. Vnde etiam ob eam causam Oedipus ira inflammatus patrem insciens obtruncauit. Diogenes porrò cùm in prandio quodã pane hordeaceo vesceretur, eum allata postea placenta abiiciens, huiusmodi versum non infestiuè vsurpauit: per hospitem videlicet panem hordeaceum, per tyrannos autem placentam intelligens. Laërtius tamen in Diogenis vita pro hordeaceo pane ἐλάαν ponit. i. oleæ fructum. Leuuen. σησαμοῦσι ὑπεξιόντες, vertit de placentis exeuntes: quàm ad sensum apte, ipse viderit.

27. *Medisque fugiens*) Pro σέβοις, authoritate manuscripti libri repone σέβεις. Hoc autem versu itidem vel Diogenes, vel alius quispiam in re simili lusit: quemadmodum eandem aliquam ob causam quidam hoc hemistichiũ vsurpauit, ἄφθονοι τέγης χάρεις.

28. *Iam si meretur*) Transitio est ad laudem continentiæ, atque opum contemptionis. Itaque pro ᾗ non dubitaui reponere εἰ.

29. *Cleanthis puteus*) Cleanthes, cùm summa inopia premeretur, noctu in hortis aquã hauriebat: interdiu autẽ literarum studiis operam dabat. Vnde etiam Græco vocabulo Φρεάντλης, id est, puteorum haustor dictus est.

30. *Charmidæ*) Socratem ad formosorum adolescentum aspectum præposterè quodammodo affici solitum fuisse colligit ex eo Platonis dialogo, qui Charmides inscribitur: vbi certè nonnulla sunt, quæ hoc non obscurè prodant.

31. *Cultúmque diuûm*) In priori editione valde me torsit hic locus, ob vitium quod erat in libro typis excuso. Ac pro τελωνιῶν quidem rectè τελεωνιῶν substituebam: verùm in voce σκέπλαι coniectura me fefellit. Reperi enim in libro manuscripto σκέπλαι, non σέπλαι. Sensus autem est, Socratem sub philosophici pallij, obtentu amorem, quo erga formosos adolescentes afficiebatur, callidè celare studuisse.

32. *Soli pulchri*) Salsè hoc loco Socratem perstringit, vt qui ea de causa cum præstãti forma adolescentibus consuetudinem haberet, quòd scilicet ij soli mentis acumine atque intelligendi facultate pollerent, qui egregia forma præditi erant. παιδεραστίαν etiam impingit Socrati Gregorius Orat. 1. in Iulianum Apostatam.

33. *Mysos Lydósque*) Prouerbialis locutio, qua hoc vult Gregorius, inter honestam docendi rationem atque impudicum amorem, quo flagrabat Socrates, plurimum interesse. Pro Medis Mysos reposui, ex fide duorum exemplarium manuscriptorum.

34. *Alcmæonis*) De hac re, vide Herodotum lib. 6.

35. *Speusippus ille*) Ego sanè, vt non dissimulem quod sentio, hũc versum glossema quoddam esse existimo, quod postea in textum irrepserit. Nam alioqui quid afferri potest, cur postea, cùm de Platone atque Aristippo loquatur, nullum omnino verbum de Speusippo faciat? Quis enim non illud videt, versiculum hunc Σπεύσιππος εἶχε μέγα μὲν τὴν παρρησίαν, qui post hunc τῷ δ' ἐγκρατὴς μέγα μὲν ἡ παρρησία, in illust. Sirleti libro, & etiam in Germanico statim sequitur, suppositiuum esse?

36. *Vt institor*) Plato, in Ægyptum proficiscens, oleum secum, vt refert Plutarchus in vita Solonis, mercaturæ gratia vexit, vt haberet vnde victus ipsi suppeteret.

37. *Mensas Platonem*) Ob eam causam his verbis vtitur, quod Plato in Siciliam ad Dionysium iuniorem se contulisset. Idem enim ab eo cupediarum potiùs amore factum fuisse plerique dictarunt, quàm vt tyranni illius animum optimis præceptis imbueret, atque ad philosophiæ studium inflammaret. Quod igitur ait Gregorius hanc sententiam habet. Sit ita sanè, quod Plato, ob vectum in Ægyptum mercaturæ causa oleum minimè carpendus sit (paupertati enim aliquid concedendum esse:) at quòd idem Dionysij tyranni mensam tantum non adoret, an non hoc in tali viro maximam reprehensionem meretur? Leuuenklaius autem versum hunc ita reddidit quasi Gregorius simul & de Platone, & de Aristippo loquatur. Sed profectò vehementer fallitur. Non enim vt ciborum lautitiæ Platonem dedecebant, qui victus tenuitatem & scriptis & vita profiteri solebat, ita etiã Aristippum, qui summum bonum in voluptatis sensu collocabat. At facile erat videre, pro τῷ δὲ legendum esse τὸ δὲ, vt etiam est in libris editis.

38. *Mitto auctionem*) Cùm Plato è Sicilia rediens apud Ægynam captus fuisset, nihil propiùs factum est, quàm vt ab Ægynetis extremo supplicio afficeretur: quod Atheniensibus capitale esset ad eam insulã accedere: quemadmodum refert Laërtius in ipsius vita. Tandem autem Aniceri Cyrenæo viginti, vel, vt aliis placet, triginta minis venditus est. Ait itaque Gregorius: Nihil dico de venditione (Platonis) immo ne venditione quidem, nisi Afer quidam (Aniceris) meliorem se ac benigniorem tota Græcia (quæ de eo ab Æginetis redimendo & in libertatem asserendo nullo pacto laborabat) exhibuisset, ipsúmque atque ipsius famam & doctrinam exigua pecunia coëmisset. Hæc necesse habui paulo apertiùs & crassiùs explicare, quòd viderem ex huius historiæ ignoratione Leuuenklaium hoc loco in multos & fœdos errores incurrisse, dum per πράσιν institoriã accipit, & Græco Platoni tribuit, quod ad Græciam referendum est.

39. *Læsumq́; mixto dogmate*) Salsum Aristippi dogma idcirco appellat, quòd ipse voluptatis assertor esset. Variant autem hic exemplaria. Quædam enim pro βλάπτων βάπτων habent, & pro δόγματι δήγματι. Vtraque tamen lectio, si sensum spectes, eodem recidit.

40. *Non fœminarum*) Versus hic est Euripidis in Bacchis. Vide Laërt. in vita Aristippi.

41. *Quin Lysimachi*) Aristidem intelligit, qui tãta iustitiæ laude floruit, vt hinc etiam cognomentum inuenerit. De cuius paupertate vide Plutarch. in eius vita.

42. *Penuriam præclaram honestans*) Cùm nihil vsquam planius fingi poßit, quàm hæc verba, miror quid Leuuenklaio in mentem venerit, vt duas postremas dictiones ab aliis auulsas per admirationis notam efferat, vertátque, O egregiam & honestißimam paupertatem! Scilicet hoc eum fugit, Græcos nunquam accusandi casu

vti solere, cùm aliquid per admirationem efferunt, sed genitiuo, & interdum nominatiuo.
43. *Fabricius armis vicerat*) Gr. φαβωρῖνος: *Fabricius tamen intelligendus est. De quo vide Plutarchum in vita*
Pyrrhi.

44. *Sine me vocari*) *Versiculi hi ex variis poëtis corrogati sunt: quibus postea ad paupertatis commendationem*
alios mox subnectit.

45. *Genus mihi ne profer*) μή μοι γένος γένιζε, γενίζειν *hoc loco videtur mihi verbum esse de industria effictum ad*
irridendam generis nobilitatem. In textu libri Card. Sirleti est ξένιζε, *verùm supra hanc dictionẽ* γένιζε *habetur.*
46. *Miserum indigente*) *Potest quidem fieri vt Leuenklaius* ἀσφαλέστερον *legerit (nam etiam ita habet Card.*
Sirleti liber:) sed quòd nõ animaduerterit hanc vocem cũ Gregorij mẽte apertissimè pugnare, maximæ oscitantiæ
est, ne dicam stupiditatis. Quis enim eo excepto non videt quàm absurdum sit inter eos versus, quibus paupertas
exagitatur atque proscinditur, hunc collocare, qui paupertatem, vt summa securitate præditam, laudibus efferat?
facile erat autem ipsi hanc absurditatem vitare, si editionem consuluisset. Illic enim οὐκ ἔστι πενίας οὐδὲν ἀθλιώ-
τερον *est, non* ἀσφαλέστερον. *Ac versus hic Crantoris est, citatus à Stobæo Serm. de paupert. Cui postea opponitur*
Diphili versus πένητος ἀνδρὸς οὐδὲν εὐτυχέστερον.
47. *Diram anteponit*) *Alludit hoc loco ad hac verba Theognidis:*

χρὴ πενίην φεύγοντα καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον
ῥίπτειν, καὶ πετρῶν Κύρνε κατ' ἠλιβάτων

48. *Esse virtutem asseclam*) *Hoc est, opibus ancillari: tanquam scilicet opes ipsi quoque virtuti dominentur. Me-*
moria autem hoc loco labi Gregorius videtur. Hoc enim non ab Homero dictum esse puto, sed ab Hesiodo, in lib.
qui inscribitur, Opera & dies: vbi his verbis vtitur,

εἰ δὲ κεν ἐργάζῃ, τάχα σε ζηλώσει ἀεργὸς
πλουτεῦντα. πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.

Orat. de lib. Gen. legend. 49. *Virtutem esse splendidã*) *Ex eodem Odysseæ loco Basilius quoque, vt qui iisdem, quibus Gregorius, magistris*
vsus fuisset, colligit, nullum alium in hoc toto opere Homero scopum fuisse, quàm virtutis laudationem.
50. *Sed miser periit fame*) *Leuuen. & hinc moriendum hoc pacto fuisset: quasi non re ipsa, vt fabula narrat,*
perierit.

51. *Eósque tundens*) *Gr.* κόπτουσα τοὺς κόπτοντας *tundens, scilicet post mortem, eos, à quibus antè calcata est.*
52. *Neutiquam hîc reptabimur*) *In priori editione, pro* οὐ ῥιζούμεθα *legendum esse coniiciebam* ῥοιζούμεθα. *Hanc*
nostram coniecturã confirmat Sirleti codex. Vbi tamen in prima syllaba pro ι, *diphthungus statuẽda est. In Leuu.*
versione negatiua particula deest: quæ tamen ad sensum est necessaria.
53. *Semper colonis*) *Paulò aliter habet Sirleti liber. Neutra lectio improbanda est.*
54. *Laborum libera*) *Existimabam antehac* μόρων *legendum esse (nam hæc dictio,* μόνον, *quam libri editi habent,*
apertè vitiosa est) at nunc ex fide Sirletini libri μόχων *lego.*
55. *Horum Deum qui*) *Etiam hic aliter liber manuscriptus habet, sed hanc lectionem versus causa magis am-*
plector.

56. *Mundana namque gloria*) *Malè hoc loco coniunxit Leuuen. hanc dictionem. Pronomen enim illud ad* δόξαν
referendum est. Hoc enim innuit Greg. huius vitæ gloriam nihil aliud quàm auram quandam esse.
57. *Cæcæ vagæ*) *Alludit ad Aristophanem, qui Plutum cæcum inducit. Hac autem de causa cæcus fingitur,*
quòd nulla proborum hominum ratione habita, vt plurimum ad indignissimos homines se conferat.
58. *Nec graues casus timens*) *Duo hîc errata in vulgatis libris insederant: quæ nunc Romani codicis ope depelli-*
mus. Pro ἄσιτος *enim* ἄσυλις, *& pro* χρημάτων, πλημμάτων *repono.*
59. *Cuncta at simul*) *Nemo, inquit, omnia adipisci potest: potest autem quispiam omnia simul cõtemnere, hácq́;*
ratione præstantiorem se omnibus rebus præbere. Hanc autem posteriorem partem quàm commodè reddiderit
Leuuen. productis ipsius verbis patebit. Itidem, inquit, omnia pariter contemnere possum, quam esse in me
indolem optimum est.
60. *Et cubi instar voluitur*) *Eleganter sanè fortuita omnia bona intelligit, quòd aleæ in modum singulis fere*
diebus in diuersum mutentur. Sirleti liber paulo aliter legit: eodémque modo Germanicum exemplar, sed editorũ
librorum lectio mihi magis arridet, tum quòd maiorem emphasim habeat, tum quòd meliùs conuenire videatur
cum his quæ antecedunt. Vult enim Gregorius se libenti animo ea abiicere, quæ tinearum morsibus, & fortunæ
inconstantiæ atque temeritati obnoxia sunt.
61. *Per ídque miseri*) *Quantascunque opes sibi comparent, qui nimio diuitiarum studio flagrant, hinc tamen*
perpetuam paupertatem sibi comparant. Nam eo ipso, quòd multa acquirenda restant, inopia premuntur. Vnde
est illud, Semper auarus eget.
62. *Pérque torrentem Deus*) *Carmelum pro Deo nolui dicere, propterea quod Elias non in Carmelo, sed in tor-*
rente Carith degeret, cum Deus eum per coruos aluit.
63. *Deum autem habebat*) *Ad verb. Non iam seipsum habebat. Romanus liber, vt etiam Germanicus, habet,*
vt etiam vertit Leuuen. Continuit autem se primis ab annis. nisi quòd non animaduertit, verba præcedentia
iungenda esse cum his quæ sequuntur.
64. *Illud coërcens*) *Paulo aliter. libri duo manuscripti habent. Neutra autem lectio incommoda est.*
65. *Zonæ erat pellis loco*) *Lego cum libris impressis, non vt in manuscriptis. quorum lectionem sequens Leuuen.*
vertit, cingulum pellis inuersæ succingebat.

66. Erant

66. *Erant lupini)* Idem refert in Orat. de Paup. amore. Id autem ex apocrypho quodam libro hausisse videtur.

67. *Infirmitas vt)* Hoc loco à vulgata editione discedo, atque cum Cardinalis Sirleti codice, lego: præsertim cùm hanc lectionem Germanici libri authoritate confirmari videam, vt ex Leuuenklaij versione apertè colligitur. Quanquam ipse, dum hanc vocem λόγου iungit cum sequente, non autem cum πίστις, satis ostendit quæ Gregorij sententia sit, minimè cognitum habere. Itaque vno verbo ea mihi explicanda est. Cum priùs dixisset, Christum Apostolos suos, omnibus externis præsidiis destitutos, Euangelicæ prædicationis causa in omnes terrarum oras misisse, causam nunc exponit, cur peram, nec virgam, nec calceos, nec denique vllum subsidij genus ipsis concesserit, nempe ne Euangelica fides humana potentia & authoritate niti videretur: quin potiùs cum omnes mortales, Apostolos tam imbecilles, atque ab omnibus rebus imparatos, adeo facilè, quod docerent, persuadere conspicerent, id totum diuinæ potentiæ ascribere cogerentur.

68. *Omnes habenas)* Gr. γαστρὸς δὲ πειρῶ πᾶσαν ἡνίαν ἔχειν. Erat hic versus in monistichis Græcorum sententiis, ac Chareti tribuitur à Stobæo serm. 16. de Continentia.

69. *Nauibus cursum dedit)* Insatiabilis cupiditas in causa fuit, cur homines maris periculis se committerent. Leuuenklaius legit vt etiam habet Sirleti codex. Sed non est dubium quin vulgata lectio verior & aptior sit.

70. *Non dapes tamen)* Cibos non iam cibos vocat, cùm iam in aluum demißi sunt, nec iam ex iis præter excrementum quicquam superest.

71. *Sardanapali)* Aristoteles lib. 7. Ethic. cap. 10. hoc tribuit Philoxeno.

72. *Mundum sciens hoc quod videt)* Hoc est, ita ab omni rerum fluxarum cupiditate remota, vt præter eam terræ portiunculam, in qua degit, nullum alium mundum agnoscat.

73. *Haud vsitatum)* Hi duo versus è duobus manuscriptis codicibus absunt. nec certè ad sensum magnopere facere videntur. Tamen quia in editis libris extabant, non sum ausus resecare.

74. *Sine pane)* Leuuen. Quorundã vitam scio actam fuisse absq; pane, tanquam si aqua caruissent. Quod ænigma velim nobis exponat. nam ipse quidem haud intelligo. Græca certè aliud sonant, ὡς enim hoc loco nil aliud significat, quàm vt. Alij, inquit, vitam panis, vt etiam aquæ, expertem duxerunt.

75. *Lei tu filias)* Leos quidam, Orphei filius, vt Atticam vniuersam grauißima fame leuaret, tres filias virgines mactandas tradidit, quod hoc vnum depellẽdo malo remedium oraculo ostensum esset. In cuius beneficij memoriam monumentum ab Atheniensibus erectum est, quod Leochorium appellarunt. Vide Suid. in dictione Leochorium.

76. *Menecæum)* Vide Euripidem in Phœnißis, & Statium lib. 10. Theb.

77. *Cleombrotúmq;)* Quemadmodum Cleombrotus, perlecto Platonis Phædone, præcipitio vitam finiuerit, vide schol. nostra in priorem inuectiuam aduers. Iulian. Vbi etiam de Epicteto & Anaxarcho.

78. *Philotesia)* Philotesia est amica quædam ad bibendum inuitatio. Nouam autem Socratis philotesiam idcirco appellauit, quòd Socrates, cicutæ poculum bibiturus, dixisse feratur, Propino pulchro Critiæ: quiquidẽ, vt Tullij verbis vtar, in eum fuerat teterrimus.

79. *Nam spes salutis)* Leuuen. Volentibus salutem obtigisse non video: parum aptè. Non enim vult Greg. eos volentes salutem minimè consecutos fuisse: verùm illud potius, eos hac de causa fortes se præbuisse, quòd viderent, se ne si quidem cuperent, tamen salutem consequi posse. Nam alioqui certum est, Socratem, si vitæ cupidus fuisset, hanc facilè retinere potuisse.

80. *Atque solidati)* Hic enim legendum, authoritate librorum manuscriptorum, non ἐστομώθημεν, vt in vulgatis. Hanc enim vocem Carminis lex respuit.

81. *Splendidè & victi sumus)* Cùm gloria succubuimus, mortem splendidam, & summa cum gloria coniunctam oppetiimus.

82. *Ardor doloris nam metum mox eximit)* Mortem enim affert, quæ nos omni tyrannorum metu deinceps liberat. Quid enim iam est, in quo impij homines in probos & sanctos viros sæuire poßint? Nec abs re Gregorius leuiorem esse mortem, quantumlibet acerbam, esse censet, quàm diuturnas ærumnas, & calamitates. Millies enim moritur, qui in perpetuis molestiis, & impendentium periculorum metu viuit.

83. *Atq; ista curnã?)* Post τί, in Græco collocanda est interrogationis nota. Ostẽdit autẽ Gregor. tantã Christianorũ constantiam, animiq; magnitudinem extitisse, vt cum vel vnius syllabæ prolatione, immo etiã vnico capitis nutu ab immanißimis cruciatibus sese vindicare possent, mortem tamen oppetere maluerint, quàm à Christiana fide vel latum vnguem discedere. Leuuen. ad marginem notat, hæc de Arrianis dici. At quid impedit quin etiã de Decio & Diocletiano aliisq; Christianæ fidei persecutoribus immanißimis intelligantur?

84. *Perq; cruciatũ ligans)* Leuuen. hîc nobis scholium Græci cuiusdã profert, qui per πάθος humanã infirmitatẽ intelligit, in qua, teste Paulo, Dei virtus perficitur. At ego hac voce Christi paßionem intelligo. Per Christi enim diuinitatem simul & paßionem salus nobis comparata est. Nam alioqui nec si Deus tantùm fuisset, mori nec, si homo solùm, nos redimere potuisset. Vnde etiam nouam & admirandam mixtionem istud vocat Gregorius. Quæ enim mirabilior mixtio, quàm diuinitatis & carnis paßibilis?

85. *At tu Pisam mî)* Vide Schol. Orat. de laud. Cypr.

86. *Tam procul cunctis viris)* Hæc enim ad Dionis vxorem duntaxat referuntur. Ac proinde fallitur Leuuenklaius qui Epiphonema generale hîc facit, subaudiendo verbum hoc ἐστὶν, cùm potiùs subintelligenda sit hæc dictio αὐτῇ. Atque in eundem etiam errorem proximè sequenti versu labitur, cùm non aduertit in his verbis ὁ γὰρ λόγος subaudiendum esse οὗτος. Responsum enim vxoris Dionis intelligit Gregor.

87. *Deos nam plus habere)* Hæc ironicè accipienda sunt. Æquum est enim, inquit, Deos plus aliquid habere, quàm homines, hoc est, præpostere Veneri indulgere, ac sceleratiores hominibus esse.

88. *Furta thalami & vincula)* Adulteriũ Martis & Veneris intelligit, de quo post Homerũ lib. 8. Odysseæ, vide Ouidium lib. 4. Metam.

89. *Summum, atque grauium)* τὸν ὕπατον. Alludit ad Homerum qui plerisque locis Iouem ὕπατον μήστωρα, hoc est, summum consiliarium vocat.

90. *Quorúmque noctes)* Thesmophoria intelligit, quæ in Cereris honorem ab Eleusiniis celebrabantur.

91. *Veretra & rigida)* Vide Schol. 63. Inuect. in Iulian.

92. *Panes, obscœnus satus)* Pana turpem sobolem duplicem ob causam appellat, nempe quòd & à Penelopes procis satus esse dicatur, & hircinis pedibus esse fingatur. Vnde Gregorius eum, ob libidinosam petulantiam & salacitatẽ, nõ modò pedibus sed etiam moribus hircum eum esse ait. In Sirleti libro pro πᾶνες corruptè est πάντες: & ita legisse videtur Leuuenk. vertit enim, omnes. Sed profectò vel mediocris ingenij erat, hunc errorẽ animaduertere, præsertim cum ex verbis aliis id apertè constaret. Ne dicam quòd editi libri eum hoc errore facilè liberare poterant, in quibus πᾶνες est, non πάντες.

93. *Venustæ & inuenustas)* Significare videtur Assyrios, apud quos olim virgines maturæ viro, in publicum productæ singulis annis vænales iis proponebantur, qui vxores ducere vellent, dabantúrque primò vænum formosissimæ quæq;. Quibus minus spectata forma erat, ea pecunia quæ fuerat pulchrioribus venditis in publicum redacta connubio locabantur. Vide Ioan. Bohemum lib. 1. de morib. gentium. cap. 3.

94. *Fœditate hac quispiam)* In quibusdam libris paulo aliter. Ac si quidem vulgatam lectionem retineamus, id ad eam turpitudinem referendum erit, qua puellæ ante contractum matrimonium viros admittebant: si autem altera lectio magis placeat, ea benignitas intelligenda erit, qua ex pecunia, stupro quæsita, deformes elocabant.

95. *Scortique formam)* Callidi pictores, inquit, scortorum suorum forma Venerem pingunt, vt hac arte diuinitatem ipsis concilient, illúdque efficiant, vt sub Veneris nomine diuinis honoribus afficiantur. Sic Praxiteles, vt ex Posidippo refert Clemens Alexandrinus in Adhort. ad Gent. Cnidiæ Veneris imaginem construens, fecit eam formæ similem Cratinæ, quam amabat: vt adorarent miseri amicã Praxitelis. Cúmque floreret Phryne meretrix Thespiaca, pictores omnes ad ipsius pulchritudinem Venerem effingebant. Vide autem, obsecro, quonam pacto Leuuenk. Græca hoc loco exprimat. Quinetiam, inquit, sapientes viri meretricibus suis Venerem expressam ob oculos ponunt, vt sciant se artificio suo diuinitatẽ consecuturas. In quibus verbis quot sint errores, facilè agnoscẽt, qui Græca cum iis expenderint.

96. *Sic pusionis)* Atheniensis Phidias, vt scriptum reliquit Clemens Alex. in Adhort. scripsit in Iouis Olympij digito, Pantarces pulcher. Non enim erat ei pulcher Iupiter, sed is qui ab eo amabatur. In hoc tamen ab eo Gregorius discrepat, quòd non in Iouis Olympij, sed in Mineruæ digito, sine annulo, Phidiam catamiti sui nomen sculpsisse ait.

97. *Hinc bellicorum)* Manuscripti libri paulo quidem aliter habent, sed vulgatam lectionem retineo: nisi quòd pro λαμπραῖς λάμπραι repono. Sic enim apertissimus sensus est, & ad præsentem materiã aptissimus. Hinc enim, inquit, factum est, vt quemadmodum res Imperatorum in bellis præclarè gestæ, picturis & plausibus atque historiarum monumentis celebrantur, sic etiam prostituta pulchritudo, hoc est, formosæ meretrices. At vt legit Leuuenk. (quæ etiam est lectio Romani codicis) ob defectum huius particulæ ὡς, sensus omnino imperfectus est, atque à Gregorij mente longè dissitus. vt interim non dicam quàm inscitè & ineptè κοινὸν κάλλος publicum decus verterit.

98. *Leænam belluæ in forma)* Pro αὐτὸν θηρίον (quæ vulgatorum librorũ lectio est) in libro Illustriss. Sirleti habetur ἐν τῷ θηρίῳ. Vult igitur Greg. Leænam Atheniensem meretricem Harmodij amicam (de qua Athenæus lib. 13. cap. 24.) sub leænæ forma in templis depictam & consecratam fuisse.

99. *Atque dominantem)* Vnde est illud apud Athen. eodem cap. eiusdem libri:

> Roboris inuicti atque animi sit Græcia quamuis,
> Victa tamen formæ paruit illa suæ
> Laidis, &c.

100. *Ortam ex Hyccaris)* Hyccara ciuitas erat Siciliæ munitissima, ex qua Laidem meretricem ortum traxisse Timæus & Polemon testantur, vt est apud Athen. lib. 13. cap. 20.

101. *Causámque fini iungimus)* id est, æquamus. Quæ tamen non in eum sensum intelligenda sunt, vt existimemus paria esse crimina cædem & iram, adulterium & turpem aspectum, periurium & iuramentum: sed æquè à Christo prohibeantur.

102. *A Deo sed incitatus)* τῷ θεῷ κινούμενος. Leuuen. legit βίῳ. Sed prior lectio melior est. Loquitur enim Greg. de piis viris, qui nihil agunt, nisi Dei impulsu & instinctu.

103. *Christo dicarunt non comam)* χρῶμας est in libris editis. Legendum tamen κόμας vt in manu scriptis: versu ista postulante. Alludit enim hoc loco ad veteris Testamenti Nazaræos, qui comam suam Deo consecrabant.

104. *Vt scita capias)* Alludit ad Israëlitas, quibus antequam Legem acciperent, diuinitus mandatum est, vt sese biduo sanctificarent, ac vestimentorum suorum labes abstergerent: vt habetur Exod. 19.

105. *Cuncta sunt quæ diximus)* Omnia, inquit, virtutum exempla, quæ superius attulimus, ad prudentiam quoque aliqua ex parte pertinent. Sine prudentia enim quædam res virtutis speciem habere possunt, veram virtutem nequeunt. Leuuen. vertit, omnia quæ oratione explicari possunt. quàm rectè, alij iudicent.

106. *Hunc cogitare)* Alludit ad Mercurium Trismegistum in Pæmandro, & Platonem in Timæo, qui Deum quidem quoquo modo cogitari posse aiunt, at oratione exprimi nullo modo posse.

107. *Superare quis det)* Per me sane cuiuis licebit legere ἵππους ὑπερβαίη, &c. vt est in libris editis & in Sirleti libro. neque

bro. neque enim cuiusquam iudicio præscribere volo. Illud tamen dico, iuxta hanc lectionem, causam illam frigidam videri, cur in cogitationibus de Deo susceptis semper res aliqua sensilis instar cuiusdam nubeculæ interueniat, quæ nobis aspiciendi facultatem, si non omnino adimat, magna certè ex parte obtundat & impediat. Ineptum enim esse videtur, illud dicere, formas illas rerum corporearum & in oculorum sensum cadentium hac de causa diuinis contemplationibus sese immiscere, vt iis superatis ad Deum perueniamus. Itaque multò lubentius legerim ὦ πᾶς ὑπερβὰς. *Sic enim hæc verba erunt hominis, ob res illas corporeas & aspectabiles, quæ piis mentibus in diuina contemplatione defixis importunè se ingerunt, lugentis & conquerentis, atque ad illum cœlestis regni statum suspirantis, in quo beatæ mentes iam sine vllo sensilium rerum interuentu cum Deo versabuntur.*

108. *Miser est profectò) Sic verto, ex fide codicum manuscriptorum: & quia perspicuè sensus hoc postulat.*

109. *Quem lumen operit) Gr.* ὃν φῶς καλύπτει, οὗ σκότος ποιεῖται. *Priore versiculi parte alludit ad illud Psal. 104. Amictus lumine sicut vestimento: posteriore ad illud Psal. 17. Posuit tenebras latibulum suum.*

110. *Velo statim) Gr.* προβλήματι *corrigo, authoritate libri manuscripti, cùm antea coniectura sola niterer. Hoc autem significat Gregorius, alterum velut quoddam velum, inter Deum & angelos interiectum esse, quod substantias illas intelligentes à principe illa & increata natura dirimat: alterum rursus, quo mortales ab angelis disiungantur: atque ita tanquam duplicis cuiusdam veli interiectu homines à Deo dirimi.*

111. *Docénsque mentem) Sapientia instruens.* σοφίζει *enim carminis causa retinendum est. Nam si* φωτίζει *cum Leuuen. legamus, in secunda sede Spondæus erit: quos ab Iambicis versibus alienum est.*

112. *Trahas in altum) Causam hanc esse ait Gregorius, cur Deus animi nostri comprehensionem fugiat, & eludat, nempe vt ardentiore sui studio atque amore nos inflammet.*

113. *Ad purum is autem) Hanc enim lectionem confirmare videtur ea ratio, quam Gregor. subiicit. Consentaneum enim omnino est, inquit, Deum ad homines animi & corporis puritate præditos accurrere. etsi aliter legatur in eo libro quem Plantinus edidit, aliter in Sirletico. Leuuen. hæc verbo, vertit, nec frustrà vulgo dicitur: quàm rectè, ipse viderit.*

114. *Nam ratio quæuis) Huic simile est id quod ait in Tetrastichis* λόγῳ παλαίει πᾶς λόγος, βίῳ δὲ τίς. *Eandémque sententiam repetit in Orat. de moder. in disput. seruand.*

115. *Hærere verò) Ratiocinationes, inquit, ad consequendam Dei cognitionem parum momenti habent: at Deo (hoc enim significant hæc verba,* τῶ λαλουμένῳ *) hærere, magnum & præclarum habendum est. Leuuen. transtulit, Nimirum iis adhærere quæ efferri oratione possunt, magnum quiddam est. Quibus in verbis hac de causa lapsus est, quod non animaduertit hoc loco iis, qui nihil aliud quàm de Deo rebúsque perquam arduis disputant, eos opponi, qui missis factis huiusmodi disputationibus in hoc vnum intenti sunt, vt Deo per piam fidem ac mandatorum obseruationem hæreant.*

116. *Dilectus autem) Pater enim meus, inquit Christus, diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Atque hic iam antè ex coniectura quidem, sed tamen rectè, vt libri manuscripti testantur, pro* ἐνικὸν *legendum esse annotaram,* ἔποικον.

117. *Estq́; isto multo) Ad veritatis cognitionem, inquit, per probam sanctámque vitæ degendæ rationem procliuius est, quàm per longas disputationes. Vide Orat. de moder. in disput. seruand.*

118. *Mortale per quos) Hoc est, vt apertiùs explicem, in quorum nomine baptizamur.*

COMPARATIO VITARVM, Iambicum decimumnonum.

Interlocutores, Mundana vita, Spiritualis vita, Iudex.

ARGVMENTVM.

Hoc Carmine per prosopopœiam inducuntur duæ vitæ inter se disceptantes, nempe spiritualis & mundana. Per spiritualem autem, eam intelligit Gregorius, quæ colendæ pietatis studio ita prorsus addita est, vt & à corporis voluptatibus, & à congerendis diuitiis, & ab honorum amore, ac denique ab omnibus mundi illecebris abhorreat. Per mundanam autem, eam quæ & liberis operam dat, & opibus gaudet, & honorum cupiditate afficitur, & lautiori vitæ genere delectari solet. Non autem hîc spiritualis vita mundanæ ita opponitur, vt nihil inter vtramque fœderis, nihil commercij esse queat, quemadmodum nec inter lucem & tenebras, inter fidelem & infidelem, inter Christum & Belial (vt fere hæ voces, & in Euangelio, & in epistolis Paulinis, vsurpantur) sed vt vita monastica cum promiscua, quam Græci, vt & Galli κοσμικὴν appellare consueuerunt. Id quod cõstat ex Iudicis sententia, in qua ad calcem huius Carminis iubentur hæ duæ vitæ pacem concordiámque inter se colere, ac simultatem omnem abiicere.

Nostræ hospes, oro, litis hîc iudex sede.
Iud. *Lis ista quænã est?* Vit. *Dissidẽt vitæ duæ.*
Iud. *Quæ, cúrque?* Vit. *Mũdi vita, vita & spiritus,*
Vtra præferenda sit viris prudentibus.

1 Iud. [1] *Non iudicatu est arduum hoc: tamen audiam.*
Mun. *Prognata mundo, iure mundum diligo:*
Leges vereri nam paternas est pium.
Spi. *Deum, Deo sim cùm sata, & scio, & colo:*
Nescire summum nam Deum graue est nefas.
Si tam expetendum, vilius quod est, putas,
Quod præstat an non iustiùs charum mihi?
Mun. *Sum carne nata matre, iuncta & pulueri:*
2 [2] *Addi resectam postulo carnem mihi.*
Spi. *Deus pater mî, méque deuinxi Deo:*
Formam æmulari gestio, ex qua prodij.
Mun. *Quónam extitisset, dic, modo nostrum genus,*
Carni fuisset iuncta ni coniunx caro:

Legis tempore matrimoniũ cœlibatui præferebatur.

3 [3] *Natura léxque quod superna continet?*
Spi. *Lex id ferebat. at modò solui est opus,*
Dum tendo ad æuum celsius cursu leui,
Quod labe penitus & thori nexu caret.
Mun. *Innupta quónam venit ergo pòstmodo*
Vita? Spi. *Erat & olim, tectior quamuis, Dei*
Supremi vt autem virgo mater extitit,
Iam lucet illa, nam vetus cessit nouæ
Lex legi. abiuit littera: vicissim viget
Spiritus. Mun. *An esset, vita ni coniux foret*
4. 5 [4] *Cælebs vel vllus vir prorsus?* Sp. [5] *lepida admodũ es,*
Coire dicens ob probos carnem viros.
6 *Probos malósque nutriit tempus:* [6] *pater*
Tantum obsecutus carnis est lasciuiæ.
7 *Ridendus autem est* [7] *cui libido animos facit*
Vt cui supremi numinis velle adiuuet.
8 [8] Mun. *Quidnã ergo mũdo porrigis?* Sp. *Quidnã petis?*
Ramos. Mun. *Vt algor hos necet,*
Stirpem meam da, surculos turbo aut ferat.

Matrimonij incommoda.

9 Spi. *Ortam esse satis est,* [9] *qui volet labi vacet,*
Alens docénsque, luce post cassum gemens,
Pictum in tabella contuens, nec spiritu
Vllóve motu præditum formæ decus.
Mun. *Sum stirpe clara.* Spi. *Quod genus tandẽ tibi?*

Vera nobilitas.

Quinámve fictor? Non lutum par omnibus?
Deum æmulatur quisquis, hic est nobilis.
Vincis sepulchris, atque rescriptis nouis

Opum potestas.

10 [10] *Queis scripta, sed non educata es, nobilis.*
Mun. *Hostes acerbos deiicit census mihi.*
Parit fauores, vrit inuidia improbos,
Thronos dat, vtque in vrbibus gradiar tumens.
Spi. *Mihi contrà egestas hoc dat, vt careã hostibus,*
Liuore porro tutior miseratio.
11 *Throni caduci.* [11] *tempori est amicior*
Amicus: vtque maneat hîc præstat Deo
Subesse, primas ferre quàm rerum omnium.
12 [12] *Hac demum in vrbe splendeam, quam meus videt.*
Mun. *Quæ vitæ egenti suppetit securitas?*
Vestibula, muri, machinæ, satellitum
13 *Manus laborans.* Spi. [13] *Corporis furtum timens?*
Hoc namque solum veste cum vili obtinet.
Aliis latrones imminent, vis sit procul.
14 [14] *Fur petit habentes. solæ opes Deus mihi,*
Quem nemo rapiet si semel possedero.
Id præter vnum cuncta, qui volet, auferat,
Prædentur omnes, si velint, opes meas.
Egente non est tutius quicquam viro.
Habac. 1. [15] *Diues superbus immolat reti suo,*
16 [16] *Velútque amicæ dat suæ dextræ osculum,*
Omnis datorem nec boni laudat Deum.
Quousque tandem ad alterum cadant opes
Quem nolit ipse, forte inimici in manus
Voluantur hicq́, ad alterum rotæ in modum.
At me sequetur census abeuntem meus.
Nil vendicabunt liuor [17] *& rerum vices.* 17
[18] Mun. *Quanti æstimandum proximi non ex manu* 18
Pendere, sed eum, forte meliorem ex mea.
Spi. *Quanti putandum est vt quis in solam Dei,*
Qui dat, paternè & poscitur, spectet manum,
Amore lucri turpe nec quicquam gerat,
Auidam cruoris æmulans hirudinem, 19

Auari hirudini similes.

Quædam tenens iam, mente quædam cogitans,
Oculísque rursus non bonis quædam intuens,
Quædamq́, inani spe, leuis fingens sibi,
[20] *Per expetita semper indigentior?*

Auari semper egent.

[21] Mun. *Qui durioris impetum sortis feres,*
Habens, molesta quod leuet, prorsus nihil?
Spi. *Quo quis sagittam vitet, exquiris modum?*
Vix dissecatur comminus licet, pilus.
Mihi robur esto: sicq́, vitabis mala.
Ventos arundo sustinet, quos non ferunt
Quercus: quòd illa cedat, has moles grauis

Aduersa facilius ferũt pauperes quàm diuites.

Euertat. Mun. *Amplè victito.* Spi. *Luxus mihi*
Arcere luxum, nec cibis præter modum,
Farcire ventrem, diuite & morbo premi,
Gratúmque cœnum, [22] *guttur vltra, protinus* 22
Olere, mentem stringere & crasso luto.
Mun. *Dapes meæ sunt.* Spi. *Panis & dapes mihi:*
[23] *Condire solo dulce quas mihi est sale:* 23
Per quem ipsa salsum despuo luxum tuum
Mun. *Dulces odores me iuuant, & cantica*
Manuumq́, plausus, & pedum, & motus chorus
Concinnè in orbem, barbyti & concors sonus.
Spi. *Túne ista laudas? At opes hoc nomine,*
Vitij vt magistras improbandas iudico.

Opes vitij magistræ.

Præstat quibusuis organis Psalmodia,
Vt quæ supernis rebus animum copulet.
Omnique Christus vnguine est fragrantior,
Effusus ob nos, vt quo me scelus graue
Impleuit omni parte, fætorem auferat.
Iam plaude læta, carnifex quando meus
Cædit, scelestum facinus aut dictum mihi
Suadens. Choreæ sanctus est motus vice.
Mun. *Fortasse dices, inopiam morbos quoque*

Paupertas morbus.

Arcena plura ex pharmaca ægrotis dare.
Spi. *Non hoc quidem ipsa dixerim. falsum est enim.*
Vero quod autem consonum est, hoc eloquar.
Pauper opulento viribus longè est prior.

Pauperes diuitib⁹ robustiores.

Deus vicissim gratiam nam conferens,
Vires egeno, diuiti dat pharmaca.
Pauper laborat, sudat, humorem improbum
Exhaurit, alget, esurit, sole vritur.
Incedit, onera gestat, imbre funditur,
Gemit, capítque simplices in tempore
Cibos, gulæ nec illices nouit dapes,
Luxus minister intimo quas è mari
Terráque sumit, & cocus solers, viris
Molles decentem fœminas mensam parans.
Flatus, catarrhi splenis, & pedum dolor,

Diuites morbis obnoxij.

Gestationes, pallor, & solutio.
Hæc diuitum sunt (hos parit fœtus gula.)
Quos nec voluptas ex bonis capit suis.
Ac sæpe, molem queis suam linquant, petunt,
Sanísque, quamuis indigis, tamen inuident,
Cunctis egentes, diuites miserrimè.

Aurum,

Aurum, lapilli, variáque ars, & murice
Infecta vestis, pictus & paries probè,
Depicta tigna, calculis stratum solum,
Argentum & imo conditum partim sinu
Terræ, vnde fluxit, atque humo dignum tegi:
Partim redundans & micans in poculos:
Equi, tapetes, ductor & cum curribus,
Canes, canúmque qui feras capiunt, duces.
Et quæ voluptas ventris est, heri improbi,
Datúmque nil quæ respuit prorsus, gula:
24 *[24] Strator, vocator, ianitor, somnum ciens,*
25 *Floréstque gestans, [25] quique discos abluunt*
Tergúntque, gustant qui dapes, vmbram cient,
Spectántque nutus, qui leuant, summa & manu
Potum ministrant crine fœminei. omnia
Hæc sunt sepulchri diuitis, pictæq́; humi.
Consistit at inops: ac licet tandem cadat,

Pauperum mors nullis molestiam parit.

Aut febre, senio fractus aut longo, nihil
Charis amicis afferet negotij.
Instar leonis spiritum nam rugiens
Edet, opulento floridus multò magis.
Quid restat? Ira, temeritas, insania,
Bacchus, cachinni, turpia & dicta, ac Dei,
Gregísque chari, & sanguinis contemptio?
Hæc cuncta longè diuites premunt magis.

Superbia diuites grauiùs tentat quàm pauperes.

Namque insolescit diues, ac pestem hinc trahit.
Vexatur at inops sæpe, nec frontem erigit:
Potissimùm si sit comes Dei, metus

Dei timor bonorum omnium magister.

Firmus magister omnis omnino boni.
Collata cerne quæque iam cum singulis,
Vtrique iustus arbiter vitæ manens.
Ni forte iniquum tu quoque hoc existimas,
26 *[26] Vt quod propinqua sit cohors tibi pauperum,*
27 *Parémque spuet aërem, [27] noménque idem*
Gestet, habitétque & nauiget tecum simul
Viris honestis inuides? miseror malos.

Nil iniquis miserius.

Turba nocente nil enim est infelicius.
Cursu secundo tartarum quamuis petant.

Antithesis diuitum & pauperum.

Contemnis inopes, vt satos Deo altero?
Figmentum at vnum nosco, idem cunctis fore
Tribunal. alia fictio, mores probi
Animos tibi augent: læta extollunt: castigor metu.
Te dura curuant: spe leuor. nam nil manet:
Sed cuncta longo temporis tractu fluunt.
Claudit diem nox: comprimit noctem dies.
Luctum voluptas, gaudium mœror fugat.
Figenda non his ergo mens firmis velut.
Tibi tetra nullum crimina immittunt metum,
(Eripere luxus nam solet mentem bonam.)
At mihi pusillis surgit ex noxis dolor.

Peccatum nos à Deo separat.

Nam noxa summo distrahit nos à Deo.
Iacturam at ipsa quo feram pacto Dei:
28 *Tu dulcè dormis [28] ad latus iungens latus,*
29 *Referúntque lucis mellei somni [29] typos.*
Bibis, aleáque lusitas, rides, capis.
At parte vigilem maxima vitam exigo.
Nam dormientem me labor pungit quoque.

Extremi iudicij consideratio & dormientē terret.

Ac si soporis quidpiam capiam, gemo.
Nam spectra noctis asperæ metum afferunt,
Censura, iudex, [30] statio cui comes tremor,

Impiorum pœna.

[31] Hinc fons perennis bulliens flammæ: impias
Sine fine mentes vermis hinc morsu petens:
Hæc inter animus conscius, scelera arguens.

Conscientia accusatrix. Psalm. 46.

Vllo absque scripto. Tum Deus tibi est Deus
Cùm læta mittit. hunc & in duris colo:
Est nam salutis, quòd premor mihi
Quo oramus angar, propius accedo ad Deum.
Nam me supremo numini astringit dolor:
Vt cogit hostis insequens ad mœnia.
Proles, amici, sunt tibi solatio,
Vxórque, quorum mors tibi parit.

Piis vnicū solatiū est Deus.

At mihi leuamem atque subsidium est Deus.
Cùm frigus, aut me dura cùm fames premit.
Illude, cæde, pauperem, obscurum voca,
Calca, opprime etiam, non diu me proteres.
Fero cuncta summo, mente quem cerno, Deo.
Vitam sequentem cogito, illic collocor.
Nihil inferarum cognitum est rerum mihi.
Nullo labore sic fugit mœror meus.
Quid plura? si tu fortè nunc causa cadas,
Aut fallor, istud aut feres grauißimè.
Qui vincit etenim semper, is vinci dolet.
Vincam ipsa causa, vel cedam, par est mihi
Deum modò habeam, reliqua, qui volet, ferat.
Decúsq; famæ maximi ad palmam æstimo.
Mun. *Quid ergo summo si cadant ex ordine*
Quidam? Spi. *Quid ergo si cadant ex altero?*
Nam labi vtrique, consequi & laudem queunt.
Par cum pari sit. peior at multo mihi

Grauiùs peccāt qui in præstantissimo vitę genere peccant.

Videtur is qui principe in vita cadit,
Tam sum malis infecta! nam quorum magis
Est palma celebris, dum palmæ decus ferunt,
Harum ruina est, dum cadunt, quoque tristior.

Peccatum alicuius nō esse ordini ascribendū.

Hoc posco, generi me imputes vitæ, malus
Si quis sit. odit hic enim vitæ genus.
Sed separatim tum bonorum ponderas
Mores, malorum tum malos mores item:
Nec vergat infrà quod minus (iniquum hoc enim)
sed robur habeat id quod est multo amplius.
[32] Sic porro nosces inter has vitas duas
Quid distet. asinum peßimo cum equo optimum 32
Conferre noli: nec meorum peßimo
Mundana eum qui præstet in vita omnibus.
Sic ille namque vinceret: non id nego.
Bonum at bono si conferas, prauo & malum,
Quantum antecellam protinus conspexeris.
Reputes & illud, [33] quod grege ex nostro cadant 33
Pauci, tuorum & infrequens vincat cohors.

Prou. Crinis vn' senem non facit.

At Ver, vt aiunt, vna hirundo non facit,
Vt nec senectam crinis vnus. Quidnam ais?
An calculum das, aut valere te sino?

Iudicis sententia.

Iud. *Do verò. nam tunc inferam vita tuæ*
Vitam anteponam, mente cum læsa Deo
Æquabo summo quempiam mortalium.
At sana donec mens erit, non hoc agam.
Vos abite iam duæ.
Abite. satius ast erit, si mutuam
Pacem colatis, & Deo cum maximo.
Primas quidem tu principi vitæ dabo:
At tu vt sororem rursus hanc complectere.
Si ferre primas nequeat aliquis, quid vetat,
Quin is secundas teneat? hoc probro caret,
Si vita nobis tuta erit periculo.

SCHOLIA IN PRÆCEDENS CARMEN.

1. *Non iudicatu*) *Aliter legitur in Plantini editione. Duo tamen manuscripti libri habent vt nos vertimus, rectiúsque, vt apparet.*

2. *Addi resectam*) σαρκὸς ποθῶ πλήρωμα τ' ἐῤῥηγμένης. *Elegans est periphrasis matrimonij.* πλήρωμα *perfectionem vertit Leuuen. sed minùs aptè.*

3. *Natura, Léxque*) *hoc est, tam lex naturalis, quàm scripto prodita. Quòd autem ad naturæ legem attinet,*
Genes. 1. *hunc Scripturæ locum intelligere videtur, Crescite & multiplicamini. Quòd verò ad legem scriptam, nemini ignotum est liberorum procreationem in maxima laude tum temporis extitisse, contráque sterilitatem probro atque ignominiæ haberi solitam fuisse, vt ex 1. Reg. 1. capite apertissimè liquet.*

4. *Cælebs vel vllus*) *Quoniam in vulgatis libris* ἄθρυξ *erat, in priore translatione* ἄθριξ *correxeram: ac per hoc vocabulum monachos intelligendos esse dicebam, quòd vetus Ecclesiæ consuetudo id ferret, vt qui monachorum institutum susciperent, tonderentur: quemadmodum videre est apud Dionys. lib. de Eccles. Hier. Cap. penult. Nunc autem Italici libri, atque etiam Germanici fidem secutus, cœlibem iam verto.*

5. *Lepidus es*) *Hoc vult sub vitæ spiritualis persona Gregorius, homines coniugio mancipatos in re vxoria id potiùs agere, vt libidinis æstum restinguant, quàm vt liberos, à quibus Deus piè sanctéque colatur, procreent: ridiculúmque esse, existimare, in optimis viris efficiendis vllas carnis partes intercedere.*

6. *Pater tantùm obsecutus*) *Hunc locum, authoritate libri manuscripti, emendaui: sensu id apertissimè postulante. Nam libidinis ardorem intelligit Gregorius, quem is qui liberos sitit, per venereum complexum restinguit: deinde patrem: & genitalis seminis profusionem. Quorum cùm nihil omnino in mentem Leuuenklaio venire potuerit, ita hunc versum reddit, vt, non dicam inscitiam suam (quæ nimium sæpe etiam vbi nihil obscuritatis est, se prodit) sed stupiditatem & vecordiam vel pueris ipsis ridendam propinet. Sic enim vertit, Cum petulentiam carnis aliud nihil quàm herbarum ille malarum sator eructauerit. Quis enim de eo qui liberis operam dat, vnquam dixit, ille libidinem eructat, ac non potiùs effundit? Deinde pro patre ac liberorum satore illum malarum herbarum satorem (hoc est diabolum) transtulit. Vide quid sit nimiam festinationem in vertendis bonis authoribus adhibere, nec eorum mentem diligenter attendere.*

7. *Cui libido animos facit*) *Hîc quoque Leuuen. vitium perperam conuertit. Libidinis enim affectum simpliciter significat: qui in coniugatis, modò mediocritatem non excedat, crimini dari minimè debet. Vult porrò his verbis Gregorius ridiculum esse ob libidinem sese iactare, tanquam per eam voluntas Dei adiuuetur, hoc est, optimi viri procreentur.*

8. *Quidnam ergo mundo*) *Quid muneris humanæ vitæ contulisti? Leu. Cur huic te vitæ addixisti? sed malè. Ne dicam quòd & hîc & etiam paulò pòst personas confundit, non sine sententiæ detrimento.*

9. *Labi, si velit*) τῇ φθορᾷ δ' ἄλλος χάλωσι, *id est, rei venereæ det operam.*

10. *Queis scripta*) *In Græco elegans est vicinitas inter has duas voces* ἐγγράφης & ἐγράφης, *cuius gratia nullo Latinorum verborum ornatu satis commodè exprimi potest. Perscriptam autem nobilitatem hoc loco intelligit Gregorius; quæ principium rescriptis comparatur.*

11. *Tempori est amicior*) *Prima fronte verba Græca ad thronos referri videntur. At si propius inspicias, aliter profectò senties. Ad id enim quod Mundana vita inter alia iactabat, opes ingentem amicorum gregem sibi conciliare, Spiritualis vita respondet, atque, amicos, temporis magis amicos esse solere, quàm eius cui assentantur. non tam enim eum, quàm res ipsius secundas amare. Quod minùs attendens Germanus interpres vertit, faciliùs etiam temporales amici.*

12. *Hac demum in vrbe splendeam*) *Dixerat Mundana vita splendorem sibi in vrbibus ex opibus & copiis comparari. At contrà Spiritualis hoc optat vt in cœlesti Hierusalem splendorem & gloriam consequatur. Leuuen. hæc sic transfert, quasi illa ciuitatem illam non iam inquirat, sed iam illic sit.*

13. *Corporis furtum timens?*) *Cur, inquit Spirit. vita, pauperi necesse sit adhibere muros, machinas, satellites? An ne ipsius corpus à furibus surripiatur? Hoc autem ironicè dixit. Neque enim fures eas domos aggredi solent, quarum dominus nil præter corpus possideat.*

14. *Fur petit habentes*) *Gr.* ὁ φὼρ ἐχόντων. *Neque enim, vt modò dicebam, fures pauperibus insidiari solent, sed iis, qui opibus affluunt. Pari modo Gregorius in Orat. de Baptis.* τὸν φθόνον πρὸς τὸν ἔχοντα ἕρπειν *ait, id est, liuorem ad habentem, hoc est, ad diuitem serpere. Inscitè itaque Leuuen. transtulit, alia fur possideat.*

15. *Diues sagenæ*) *Hoc loco Græca sic interpũgi debẽt,* θύει σαγήνῃ πλούσιος, τὴν δεξιὰν τὴν αὐτὸς αὐτοῦ &c. *Alludit autem ad primum caput Habacuc, vbi Nabuchodonosor reti suo immolare dicitur, quòd rerum prosperè gestarũ gloriam suis viribus ascribat: quemadmodum à nobis iam indicatum est schol. 51. Orat. de plaga grand. Itaque lapsus est is qui ad marginem hunc locum ita emendat,* χύει σαγήνη.

16. *Velutq; amicæ*) *Hoc quoque loco alludit Gregorius ad illud Iob, cap. 31. Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum & manum meam ore meo. Vbi osculari manum suam idem est quod opes suas non Dei benignitati, sed industriæ suæ acceptas referre.*

17. *Et rerum vices*) *Græca hoc sonant: aliter licet Leuuenklaio videatur.*

18. *Quanti æstimandum*) *Mundanæ vitæ verba sunt, sese hoc nomine iactantis, quòd ex aliorum manibus & auxilio minimè pendeat, verùm alij potiùs, & quidem fortasse meliores & sanctiores ad ipsius opem & subsidium confugere cogantur. Id quod sanè mirarer à Leuuenklaio minimè animaduersum esse, nisi eum tam sæpe hallucinari comperissem. Nec verò hîc in tantùm errat, quòd, quæ mundanæ vitæ verba sunt, ea Spirituali attribuit, sed etiam quòd non videt Græca ita construenda esse, vt vertimus. Quare aliqua contrà Authoris sensum subaudit: & præterea, vocem tertiam personæ loquenti tribuit, hincq; verborum sensum rursum peruertit. Sic*

enim

enim transfert: Quantum est, quòd manus meæ vicinorum ædes insectari non coguntur, sed alium nostras magis pias intueri? In quibus verbis præter apertum Solœcismum nihil est quod non ab Authoris mente dissideat.

19. *Amore lucri) Vt paulo antè Mundanæ vitæ verba Spirituali tribuebat Leuuenklaius: ita nunc etiam sermonem à Spirituali vita inchoatum abrumpit, vt Mundanam vitam loquentem inducat. Eodémque modo in contrarium paulo pòst peccat.*

20. *Per expetita) Sequor hîc lectionem vulgatam: vt sit sensus, auarum ob ardentem earum rerum, quas nondum adeptus est, cupiditatem quotidie pauperior existat. Quanquam facere non possum quin eam etiam scripturam probem, quam manuscriptus liber exhibet: Sic enim hæc sententia erit, auarum semper pluris id facere, quod expetit, quàm id quo fruitur. Fit enim ferè vt nobis vilescat id quod in promptu est.*

21. *Cura arctus vt sis) Videri possit sensus, hac ratione diuites aduersæ fortunæ tela vitare posse, si tenuioribus auxilio ac præsidio sint. Quoniam tamen vulgata lectio manuscriptorum librorum authoritate confirmatur, atque etiam magis conuenire videtur cum ea similitudine, quæ mox sequitur, idcirco eam retineo.*

22. *Guttur vltrà) Ad verb. simulatque cibus in fauces transmissus est. Nam paulo pòst fœtere incipit, quicquid in ventrem ingestum est. Leuuen. vertit, post ingluuiem: sed ineptè.*

23. *Condire solo) Hoc loco potior est mihi sensus ratio, quàm librorum authoritas, qui πῶμα habent. Quis enim quæso sensus erit, si Spiritualis vita dicat quoduis poculum addito sale dulce sibi esse? Quis enim potioni sal admiscet, nisi qui hoc agit, vt ebrietatem contrahat? At si legamus ψῶμα, commodissimus sensus erit. Quoniam enim altera vita lautiores cibos & condimenta iactabat, hæc cōtrà cuiusuis cōdimenti loco panē sibi satis esse ait.*

24. *Strator, vocator) Per stratores eos intelligit, qui mensas aut lectos aut aliquid eiusmodi sternunt. Per vocatores autem eos qui apud diuites hoc munere funguntur, vt heri nomine ad epulas certos homines inuitent.*

25. *Queisque discos) Gr. ἐκμαγῆς κύκλοι. κύκλοι autem, vt annotat Baysius in Iulium Pollucem, sunt quos orbes & quadras, aut etiam cœnarum discos vocamus.*

26. *Vt quod) Hic errat Leuuen. & quidem grauiter. Cum enim hic versus hoc significet, Velut contumeliosum tibi videtur, quòd prope inopes homines stes, nec ipsi longè à te sese remoueant; ille vertit, Quòd itidem vt pauperibus, ita diuitibus quoque iudex constituatur: alieno prorsus sensu.*

27. *Nomenque idem) Hoc est, nisi quoque hoc indigno animo fers, pauperes æquè à te, Christianos vocari.*

28. *Ad latus iungens latus) Græca sic emendo καὶ δυοῖν πλευρῶν δίσεις, hoc est, concubitus.*

29. *Dulces typos) Fit enim ferè vt insomnia nostra iis, quæ interdiu nobis contigerint, magna ex parte respondeant. Ac proinde qui diem in voluptatibus ac deliciis transegerunt, iis quoque læta somnia obuenire solent. Ac contrà quibus tristissimus dies illuxit, ab iis ne somnus quidem mœroris speciem & imaginem abigere potest. Etenim, vt alio loco rectè Gregorius noster ait, Φροντίσιν ἡμερίαις γὰρ ὁμοῖα φάσματα νυκτὸς, id est. Visa etenim curas referunt nocturna diurnas.*

30. *Statio cui comes timor) Nempe cum ad formidandum illud Christi tribunal omnibus standum erit.*

31. *Fons & hinc ebulliens flammæ perennis) Alludit ad illud Dan. 7. Fluuius igneus rapidúsque egrediebatur à facie eius.*

32. *Hic porro) Hunc versum & sequentē ex fide libri manuscripti recēsui. Atque hîc Luuen. quæ ad præcedentia referuntur, post alia collocat, idque contra Gregorij mentem, imò contra apertissimam veritatem. æquū est enim vt quod amplius est, præponderet. Deinde hunc versum sic reddit, Hoc modo cognoscere poteris, quòd in vtraque vita medium est: cùm potiùs ita vertendum fuisset, Quantum inter vtramque vitam intersit. Deniq; quòd cum suo æquo bono non animaduertit, alteram similitudinis partem manifestè pugnare.*

33. *Cedāt pauci) Hoc est, vt apertius explicem, & pauci semper in spirituali vitæ genere lapsi sunt, & pauci rursum in mundana vita excelluerunt, ac superiores partes obtinuerunt. In his autem verbis sensus est huiusmodi: In vtriusque vitæ comparatione non considerandum esse an quidam labantur, quidam munere suo probè fungantur: verùm illud potiùs in vtra vita plures excellant, aut plures cedant.*

DIALOGVS ADVERSVS EOS QVI FREQVENTER IVRANT. Iambicum vigesimum.

ARGVMENTVM.

Vt iurandi consuetudinem procul pellat, initio quàm tetrum crimen sit periuriū ostendit. Deo enim contumeliam infert quisquis peierat, immò prorsus abnegat & amittit. Periurio porrò per improbam iurandi consuetudinem viam muniri asserit. Quare præcipites in periurium ruamus, cauendum in primis iuramentum esse. Nec verò fore, cur nobis iurandi necessitas iniiciatur, modo illud studio & curæ sit, vt animum probis moribus excultum & ornatum habeamus. Probis enim viris, etiam iniuratis, maiorem fidem arrogaui, quàm improbis & sceleratis, etiam interposito iureiurando. Quòd si id à nobis obtineri nequeat, vt iuramentum omnino fugiamus, hoc saltem summopere curandum esse monet, ne frequenter iuremus, atque ad rem aliquam affirmandam plura iuramenta in vnum congeramus. Nisi enim adhibito vno iuramento fidem nanciscamur, non esse quòd existimemus, ne

si centum quidem alia insuper concipiamus, plus fidei cuiquam facturos. Docet præterea, quæ iuramenta præ cæteris detestanda sint, nempe ea quæ cum diuini nominis vsurpatione coniuncta sunt. Demum illud diluit, quod obiici poterat, nempe & Deum & sanctum Paulum in sacra scriptura iurantes inueniri: atque etiam quod in veteri lege iuramentum minimè interdictum esset. Mox illud etiam Euripideum discutit, Iuraui lingua, mentem iniuratam gero. Denique quoniam Gregorij ætate seriùs à multis suscipiebatur Baptismus, ideóque quidam minore cum metu iuramenta vsurparent, quòd Baptismum quicquid hac in re deliquissent, quemadmodū & alia omnia peccata deleturum putarēt, id quidem Theologus fatetur: at illud negat, iurandi, vel, vt vniuersè dicam, peccandi consuetudinem, qua animi penitus imbuti & inusti sint, Baptismi sacramento aboleri.

A. *Quid peius horco? Nil quidem est, vt sentio.*
B. *Hoc vnde monstres dic mihi.*
A. *Firmis profectò & lucidis rationibus.*
B. *Cedo quibusnam?*
A. *His. sciscitanti tu velim respondeas.*
B. *Dic, si quid ipse præsto habes.*
A. *Quidnam esse omnibus rebus putas?*
B. *Rebus quibusnam?*
A. *Et quæ videntur, cedit & visus quibus?*
B. *Maius Tonante nil reor.*
A. *Rectè quidem tu: non bene ast ego sciscitor.*
B. *Quinam ergo decuit?*
A. *Non ille maior: namque conferri nequit.*
Nonne tibi clarum hoc? B. *Maximè.*
A. *Fors ergo decuit quærere quid est maximum.*
B. *Sic ipse credo.*
A. *Ac comparandi dicitur quoque hoc modo.*
B. *Haud credo. quod ais, explica.*
A. *Natura quorum dispar est, nil maximum.*
Quid par Tonanti?
B. *Nil.* A. *Aliter igitur est loquendum de Deo.*
B. *Probabo quicquid dixeris.*
A. *Quid comparari non potest solum?* B. *Deus.*
Vt vis, loquemur sic enim.
A. *An non colendus solus est ab omnibus?*
B. *Sanè colendus solus est.*
A. *Similne cultu dignus & probro est simul?*
B. *Immixta quisnam imperat?*
A. *Consideremus horcus an decus ferat.*
Haud namque probrum:
Fœdi periclum nil foret periurij.
Namque aliter esset huic decus.
Nunc iam ista quonam res ferat, quæso vide.
B. *Iam penè nostro: sed tamen*
Sermonis aliquid postulo exemplum tui.
Quodnam sit illud?
A. *Petram ruentem monte vidisti edito?*
B. *Ego verò vidi, nec semel*
A. *Et magno ad ima volueret quæso impetu?*
B. *Et cum timore.*
A. *An facilè quæ se sistere, visa est tibi?*
B. *Mihi non: an alij nescio,*
Nam petra sese concitans, vincit manum.
A. *Verè. Mihi autem non secus planè accidit*
Me namque iam fert impetus.
Facile at manere primùm erat méque & petram.
B. *Perfacile sanè.*
A. *Huic cunctæ petra paria cum sint crimina,*
Tum maximè horcus, audias quonam id modo.
Iurare volupe est admodum.
At semel vt horco quispiam assueuit, quid hinc
Contingit? haud iam sistitur,
Quoad in profundum gurgitem præceps ruat.
B. *Quis gurges hic est?*
A. *Non gurges vllus maior est periurio.*
B. *Id scire quid sit,*
Horcus malum nam quale sit, multos habet.
Hoc ergo pande.
A. *An non salutem per suam quisquam frequens*
Iurauit? B. *Istud quis neget?*
A. *Quid ergo? metuit ne quid admittens mali,*
Patiatur etiam?
Mediam salutem statuit inter se & Deum,
Suam salutem scilicet:
Vt pereat ipse, falsa si verba efferat.
B. *Sic mihi videtur.*
A. *Hoc ergo reputa, si Deum iures quoque.*
B. *Expone quidnam hoc, vt sciam.*
A. *Fidei hunc, polo qui regnat alto, intercolas.*
B. *Ipsum profectò.*
A. *Seruatur ergo vera iuranti: secus,*
Si falsa. B. *Rectè tu quidem.*
A. *At non tueri, quale tu crimen putas?*
B. *Negationem.*
A. *Negat ergo summum, falsa qui iurat, Deum.*
B. *Negat, vt probatum est pluribus.*
A. *Fuga ergo tanti quæ mali? mores probi.*
Probitatis ingens pondus est.
Horco minùs opus est enim probis viris.
Minùs. immo planè non opus:
Mores honesti nam locum testis tenent.
Sic quippe res est:
Quidnam ille fructus, sæpe qui iurat, refert?
Risum. Quid aliud insuper?
Vt vera nec cum dicat, inueniat fidem.
B. *Mihi sic videtur.*
A. *Ergo monenti pareas.* B. *perquam libens.*
A. *Rationis ipse pharmacis*
Omnino morbum comprime. à multis viris
(Quos ipse noui)
Maiora quoque sunt victa, quàm de quo loquor.
B. *Maiora quænam nunc ais?*
A. *Inuidiam, & iras, & gulam, & quæ proxima.*
B. *Maiora quînam hæc?*
A. *Cupido maior. quæ quis ardenter cupit,*
Hæc retinet arctè. B. *Res ita est.*
A. *Comprimere morbum si tamen nondum potes,*
Quidnam est agendum?

Iurare saltem semper, & grandißimè,
Omnique de re, diffuge.
B. *Quando igitur horci gratiam nobis facis?*
A. *Tum cùm necesse est.*
B. *Quando at necesse est adiice. an periculis*
Magnis vt aliquos extrahas?
A. *Rectè.* B. *Vel vt te crimine exoluas graui.*
A. *Tum quoque licebit.*
Iurare quæstus absit at causa mihi.
Est quippe turpe hoc admodum.
Obiicere promptum crimen est periurij,
Hìc maximéque.
Plures enim sunt improbi in pecuniis.
B. *Nemo id negarit.*
Etiam à Sophistis traditum hoc olim fuit.
A. *Nil ergo magnum, nos quoque*
Id si asseramus. B. *Nil quidem. quin æmulos*
Horum esse turpe est. A. *Admodum.*
B. *At fugere quosnam maximè horcos conuenit?*
A. *Id est apertum.*
B. *Audire at abs te tutius.* A. *hos intelligo,*
Qui tetriores cæteris.
B. *Hoc quæso narra.* A. *Quotquot, vt dicam breui,*
Meminere summi numinis.
B. *Quid scripta sacra, paßio, atque oblatio?*
A. *Sunt sanè & ista mystica,*
B. *Iurare tamen hæc, nos apud, mos est frequens:*
A. *Est. idque ploro.*
Mos quippe longus obtinet legis locum.
At ratio nil non efficit.
B. *Horcum ergo quemnā liqueris?* A. *Nullum velim:*
Nec extet alius.
B. *Quid si salutem, filios, sociam & thori,*
Vitámque iurem prosperam?
A. *Sic imprecaris, ast habet id horci typum.*
B. *Habet, fatemur.*
Sed ictus ipse sim licet, tamen haud perij.
Menti periclum nondum enim est:
Omnino quam qui perdidit; miser occidit.
A. *Rectè istud inquis.*
Ad cuncta sed tu feruidus iuras Deum,
Mensamq́, chara & pignora,
Crucem, Deíque sanguinem, & simul tuum
Terram, fretúmque,
Quicquid libido pestilens primùm tulit,
Agitante prauo dæmone,
Dulcem videri, qui tibi morbum facit.
(O stoliditatem!)
Vt si loquaci gutture aurum fundites.
B. *Ita est vt ipse nuncias.*
A. *Fluctus subinde sed noui surgunt, furens*
Cùm spirat ira,
Vel forte sæua cum sitis pecuniæ.
Permulta nam sunt retia.
Quem fudit horcum tunc enim haud ducit grauem
B. *Non ducit equidem.*
A. *Sed suffocatur, pectore hunc si presserit.*
B. *Morbi peritus pictor es.*
A. *Fidem arrogari tunc sibi magis putat,*
Cùm nemo credit.
Cùm sermo vincit vnus, an quid multis opus?
B. *Labor hic inanis scilicet.*
A. *Horcus si vincat vnicus, quid pluribus*
Opus est? Opus nil.

A. *Horci ergo plures, non tibi credi iudicant.*
B. *Vt loqueris ita se res habet.*
A. *Horcos vel omnes igitur aut multos fuge.*
B. *Sapienter istud.*
A. *Vnus cadat nam si irritus, cuncti cadent.*
B. *Rectè quidem tu disputas.*
A. *Horcus habetur (dixeris) multis fides.*
B. *Sic arbitrantur.*
A. *Iunctóne multo puluere hinc aurum facis?*
B. *Natura prorsus hoc vetat.*
A. *Ex pluribusne, cuncta quæ careant fide,*
Fidem obtinebis?
B. *Non ego: nec vllus.* A. *Peßimas non desines*
Præferre tandem rebus has cunctas opes.
Nec ergo iures cuncta, nec semper, puta
Ludens, edénsve,
Miser, beatus, nauigans, carpens iter,
Vendens, eménsque,
Claudens, gemiscens, in epulis hircum vomens,
Intérque amicos,
Vt qui Lyæo, dapibus & multis tument.
B. *Hæc misera res est admodum.*
A. *Ob cuncta nec item, captus vt si sis statim*
Cùm sermo vel res
Vel vmbra, vel vis dura te conuicerit.
B. *Plerumque certè, vt cernitur.*
A. *In cuncta probra fundis, in res ac Deum.*
B. *In cuncta quinam?*
A. *Dum cuncta in vnum nectis haud æqualia.*
Dementi est hæc nexio.
Quid? (inquis) an non maximus iurat Deus?
Scriptura certè
Id tradit. Estne quidpiam melius Deo?
Nil melius extat vspiam.
Nunquam ergo iurat. B. *Cur sacræ ergo litteræ*
Testantur istud?
A. *Cùm dicit aliquid, horcus id summi est Dei.*
B. *Cur vota per se concipit?*
A. *Omnino non est, falsa si potest loqui.*
B. *Horrenda narras.*
A. *Natura namque est numinis, verum eloqui.*
Nemo id negabit.
B. *Quid at vetus lex?* A. *Illa non horcum vetat,*
Sed vera quærit.
Namque & vetabat illa cædem admittere:
Hæc & ferire. B. *Cur ita?*
A. *Plecti solebat criminum tunc exitus:*
Nunc etiam origo.
B. *Sic mihi videtur. hæc se enim vltrà porrigit.*
A. *Horcum ergo fugiet qui sapit.*
B. *Ergo quibusdam porrigit, pueris velut,*
Lac ebibendum,
Quo firmiores capere pòst cibos queant?
A. *Sapienter istud porrigo.*
B. *At Paulus etiam iurat.* A. *Id qui dixerit,*
Vanum hunc putato.
B. *Testis Deus quî, Nouit hoc summus Deus,*
Nonne horcus hæc sunt? A. *Neutiquam,*
Sed firma rebus maximis assertio.
B. *Idem mihi dabis?*
A. *Ad cuncta magni sis velim Pauli æmulus.*
Est recta sanè hæc regula.
B. *Quidnam ira capiet?* A. *Optimè tum scilicet,*
Cùm quid erit ortum.

Simplexne grauius,an duplex censes malum?
(Cuiusmodi hoc est.)
Quid, sponte in horcum si cadas non concitus?
B. Immane crimen istud est.
A. Quid, grauius aliquid concitus si feceris?
B. Perinde terram.
Quid si inscienter? A. Id minus, sed si tamen
Sit motus,ex me sum reus.
B. Si non coactus, sed fugans periculum?
A. Concedat alter.
B. Quid si quis horcum scribat,haud ore efferat?
A. Scriptura quid vult hæc tibi?
Vincla minus arctè nos ligant quàm syngraphæ.
B. Quid si coactus?
A. Mortem antè decuit perpeti. B. Quid si sacrum
Non proferat quis codicem?
A. Venerationem dátne codex,an Deus?
B. Id est apertum.
A. Pellem vereris:plus ego multo Deum.
B. Multis frequens est morbus hic.
A. Multis. idemque est istud,vt si verberans
Spernénsque dominum,
Dimittat aliquis seruulum,aut etiam colat.
B. Est istud ingens dedecus.
A. Statuam vel vt si principis seruans,throno
Deturbet ipsum.
B. Sic est vt inquis. At velim adiungas adhuc
Si quid supersit dicere.
A. Horcum profudit lingua (multi hoc dictitant)
At non item mens.
Fraudem sed horcus respuit supra omnia.
Sibi nemo fucum factitet.
Est istud horcus. iuncta fraus & accidens,malo
Quantum addit vltrà?
B. Quid horcus. A. Horcus,est statutæ mens rei.
B. Horresco,verba hæc audiens.
A. Horrere credam fecerit cùm res fidem.
Nam res fides est.
Clamante porco,namque porcorum illico
Horrescit agmen. B. Est ita.
A. Sed non id ingens pectus at,laudo,meus
Si sermo tangat.
B. Quid?Non Lauacrum crimina abstergit mihi?
A. Ita est. sed istud cogita.
Commissa tergit balneum,haud mores item.
B. Quinam ergo mores?
A. Sic nempe, si quid tu quoque abstergas priùs.
B. Teneo. A. Futuri nam metus.
A. Nec verè laudem venia malorum obtinet.
B. Nemo id negabit.
A. Sit opus secundo ne tibi purgamine.
B. Quid sit istud,indica.
A. Est fletus ingens,carnis est afflictio.
B. Hoc absit à me.
A. Abiicere donum promptius perquam est graue.
B. Tabulæ ista magni sunt Dei.
A. Sunt ista sanè. cordis at tabulis tui
Inscribe grauius.
Vis scire quod sit dæmonis lucta hæc mali,
Tuis dolentis commodis?
B. Dicens iuuabis:nam modis multis petor.
A. Audi. B. Profare.
A. Non absque lachrymis audij cùm diceres,
B. Quid? non negabo.
A. Si forte dixi quidpiam,quod non statim
Comitetur horcus,
Sermonis huius me pudet,pleni vt minus.
B. Affectus hercle est hic mihi.
A. Quid ergo superest adiicis dictis tuis.
Est autem id horcus,
Horribilis explet qui statim flammæ impetum.
Est hic Platoni mos quoque.
Nam dum,Deum ne quempiam iuret,cauet.
B. Noui quid alias.
A. Platanũ per aliquam iurat,& tantum per hanc:
Quin nec per ipsam commodè.
Platanum ille namque iurat,at quamnam,tacet.
Quid istud autem est?
Horci vmbra quædam,nomine & species carens.
B. Anorcus horcus quàm nouum!
A. Horcus Sophorum,dæmonium erat. B. Quid libet
Iurare iam istud est.
A. Vt dicta claudam. B. (Tam citò,laborantẽ adhuc
Siti,minaris linquere?)
A. Iurare paruum si quid esse existimas,
Id non probarim.
Horrenda sin res horcus est verissimè,
Audax profabor quidpiam:
Horcum per ipsum te rogo,horcos effuge.
B. Palmam tulisti.
A. Si nactus hanc sum,Christe mi,laus sit tibi,
Qui mira,vt olim,nunc facis:
Nos autem in vnum vocibus iunctis,Amen,
Dicamus omnes.

ADVERSVS IRAM: Iambicum vigesimumprimum.

ARGVMENTVM.

Cur de ira hoc Carmine agat, & quamobrem acriori dicendi genere vtatur, pridum exponit,quidque veteres Philosophi de ea senserint. Deinde quidnam faciẽdum sit,cum iracundia iam velut fumum quendam,propinquæ flammæ nuncium, excitare incipit.Mox irati hominis affectum describit, eúmque quibusuis corporis morbis atrociorem esse ostendit. Exempla quoque sanctorũ virorum, atque ipsius Christi, & nonnullorum etiam Ethnicorum, qui mansuetudinis laude floruerunt, nobis proponit. Tum obiectionibus nonnullis respondet,quibus aliqui hunc affectum defendere atque à reprehensione vindicare conantur. Postea varias coercẽdæ ac profligandæ iracundiæ rationes subiicit. Ad extremum iram, dæmonis cuiusdam instar,adiurat,vt à Christianis quàm longissimè recedat.

Irascor

Ira domesticus dæmon.
Sola iusta ira, iræ irasci.

IRascor iræ, dæmoni intus condito.
Nam iusta sola hæc bilis est ex omnibus
(Si [1] quid necesse est perpeti quod nos ferat.)
Nam quando nos iam Carmine horcum preßimus,
[2] Tulimúsque fructum hunc maximum silentij,
Illud scientes, ira quòd radix siet
Horci (alia præter, ex quibus malum hoc fluit)
Radix agrestis maximè, & nigra admodum,
Hanc quoque fauente numine amputabimus,
Mucrone verbi, quatenus vires ferent.
Ac posco primum sermo ne quenquam meus
Irritet. est nam tanta vis morbi istius,

Ira etiã ad vmbras inflammatur.

Vt sæpe ad vmbras contrahat flammam leues,
Infestus & sit optimis monitoribus.
Nec verò quicquam proloqui molle addecet,
De peste cum sit sermo tam dira mihi:

Ira igni similis.

Verùm ignis instar, qui vorax flammam excitat,
Salitque & ardet, & quatit quæq; obuia,
Fluitàtque sursum sæuus animato impetu,
A fronte & ipsi quicquid est, semper rapit,
Hanc premere, iacto puluere, & iactis aquis,
Aut nemore denso belluam egressam velut,
Quæ spumat, oculos igneos voluit, fremit,
Pugnámque, lapsus, & neces rabida expetit,
Conficere fundis, lanceis, ferri ictibus.
Sic nam queamus frangere hoc forsan malum,
Donante Christo, mitius vel hoc premi.

Vitii vel exigua remissio non parui æstimanda.

Non [3] parua porrò nec leuis res est mihi,
Vel parua vitij maximi remißio,
Velut his, grauis quos obsidet morbi dolor.
Examinemus morbum at hunc paulò altiùs,
Et quisnam, & vnde, quóque fugiendus modo,
Considerantes prisca quid sensit cohors,
Cui nosse rerum iura naturas fuit.

Quid veteres de ira senserint.

Pars æstuantem sanguinem pectus prope,
Subitum esse dixit impetum iracundiæ:
Hunc nempe tribuens corpori morbum vnico,
Permulta vt aliis genera morborum solet.
Pars referiendi dixit hanc cupidinem.
(Animæ imputant hi noxiam hanc, non corpori.)
Irámque vocitant, cùm ruit: sin at, malum
Meditans, latescit, μνησικακίαν nominant.
At qui vtriusque partis hanc morbum putant,
Æstum cruoris dictitant, sed cui tamen
4 Cupido causam præbeat, [4] ratio & simul.
Sed qualia hæc sint, huius haud est temporis
Dispicere: at istud omnibus certè liquet,

Mẽs in homine omnia gubernat.

Quod mens gubernat cuncta, quam sociam Deus
Aduersus animi turbidos motus dedit.

Simile.

Vt ergo diras grandines arcent domus,
Lapsúsque frutices in graui præstant opem,
Pugnáque victis mœnia salutem ferunt:
Sic ratio, præsens ira cùm turbas mouet.

Initio iræ quid faciẽdum.

Cùm fumat id quod pectus exurit tuum,
Ignem priusquam pariat, & flammam excitet,
Statim vt moueri conspicis ventum asperum,
Regi supremo iunge te, atque hunc cogitans,
Vt præsidémque, bilis & testem tuæ,
Pudore siste cum metu iuncto impetum,
5 [5] Consilia donec morbus admittit proba.

Mat. 8.

Apostolorum protinus clama in modum,
Magister, atrox turbo me miserum quatit.
6 Propelle somnum [6] sic tuam bilem exiges,
Dum mentis ipse compos es, quam feruidi
Torrentis instar [7] morbus hic primam obruit:

Ira mentẽ primã obruit.

[8] Dúmque illa nondum, contumax equus velut,
Frænum momordit, concito & fertur pede,
Cursúsque spirat præter, & scopulos, nihil,
Hebetante visus bile, qui corpus regunt.
[9] Ratione primò nam premes hanc ocyus, 9
Abreptus ipse quàm queas hanc sistere.
Namque incitare non priùs se desinit,
Quàm mentis equitem de statu deiecerit.
Iam fœditatem, quanta sit, quæso vide,
Qualémque reddat ira, cui plagam intulit.
Nam cæterorum tectus est morbus quæq;
[10] Amor, odiúmque, mœror, & liuor malus.

Ira sola occultari nequit.

Atque in quibusdam pressa sic morbi lues
Tenetur, vt non prorsus, aut extet parum.
Ac fortè citiùs intimo in cordis sinu
Liquescet, hominum visibus quàm se exerat.
[11] Occulta porrò commodum est calamitas.
Ast ira nudum penitus & clarum est malum,
Inuito imago corpore altè prominens.

Occultum malum leuius.
Ira nudum malum.

Si visus aliquis captus hoc morbo est tibi,
Quod dico nosti: pingere & nunc hoc libet.
Prostaret vtinam feruidis ira graui
Speculum, vt videntes dedecus, probrum & suum,
Huiusce morbi quidpiam hinc remitterent,
Tacitéque carpti flexiles mentes darent.

Inaliena ira videndum quã ea turpis sit.
Irati descriptio.

Quin hoc statutum est, [12] nempe violator tuus,
In quo ipse tete, [13] si vacat, cernas licet.
Morbi paris nam paria sunt symptomata.
Vultus cruentus, luminum inuersus situs,
Crines aprini, barba madida, & pallidæ
Genæ (esse quales morte confectis solent)
Aliis rubentes, sunt quibus plumbo pares
(Hunc nam colorem nunc, & hunc rursus genis
Furibundus indit pictor & prorsum improbus.)
Inflata ceruix, venulæ incuruæ, frequens
Ac verba scindens spiritus, & anhelitus
Rabidum quid efflans, fremitus omnino indecens,
Latúsque nasus, & minas spirans graues,
Manuúmque plausus, & pedum saltatio.
Inflexiones, risus, & sudor, grauis
Et laßitudo ([14] solus hanc dæmon parit) 14
Nutus deorsum stolidus, & sursum simul.
Buccæ tumentes [15], instar & tritæ areæ 15
Sonitum excitantes: ictáque digitis manus
Minitatur, atque strepitus est præludium.
Iam, quæ sequuntur, versibus quibus exprimam?
Maledicta, pulsus, fœditas, periuria,
Aspersiones feruidæ linguæ vberes,
(Spumescit vt cum rupibus illisum mare.)
Iam probra quædam proiicit, quædam parat,
Alúsque rursus premitur, ac nescit statim.
Et, si quietos videat astantes, dolet.

Iratus, quietis infestus.

[16] Tumultuari cuncta nam secum cupit.
Tonitrua poscit, fulgurat. firmus sua
Quòd maneat etiam sede, succenset polo.
Aliud malorum iam patrat, mentem altero
Pascit, cupita vt executa, [17] se efferens. 17
Persequitur, vrit, opprimit, [18] quid horum agens? 18
Tam cæca res est mentis iratæ calor!

Iracundia cæca.

Repente mutus, debilis, ductor boum,
Fit ille, rhetor qui priùs, rex, & Milo.
Obscurus & inops, pauperem atque ignobilem
Appellat hunc, qui diues est, clara & domo:

Præstante forma præditum fœdum vocat
19 [19] Fœdus supra omnes: splendidum infamem asserit
Is, qui nec vnde, nec quis est, fari queat.
Istúdne lachrymis digner, an risu, haud scio.
Teli instar iræ cuncta sunt, absint licet.
Iratus gigas videri vult cũ sit simius.
Gigas videri, simius cum sit, studet.
Manum ipse torquet, curuat & digitos suos,
Quæritque montem quempiam, aut Ætnam alterã,
Iaculetur hanc vt vi manus longißimè,
Hostique telum quæ sit, & tumulus simul.
Quis ignis, aut quæ reprimet hoc grando malum?
Vt fudit autem tela verborum furor,
Manus sequuntur, résque geritur comminus.
Ac sæuum initur prælium, atque hostem suum
Deuincit is qui victus est, miser & magis.
In mala pugna qui vincit inferior est.
(Victum, in malis qui vicerit, nam iudico.)
[20] Hæc nónne dæmon, plúsque, si casum eximas?
Quin & cadentes contigit quosdam mihi
Videre, ferret impetus cùm hos spiritus.
Nil tam dirimit à Deo quàm ira.
Hæc nónne dirimunt maximo planè à Deo?
Est namque placidus, lenis est summus pater:
Turpare cuius regiam effigiem haud decet,
Formam inferentes exteram loco illius.
Ira peior insania.
Nil tale nobis, tale nil insania:
Nil tale morbi corporum infœlicium
Mala quippe sunt hæc, non item volentium:
Quamuis molesta, méque, cùm adsunt, mordeant.
Præsens dolor omniũ grauissim⁹ videri solet.
([21] Grauior videri nam dolor præsens solet.)
Nec tam execranda, digna quàm luctu pio.
Quin, clara quæ sunt, tuta sunt mala hæc magis.
Incauto at id quod accidit, pestem parit.
Damnanda res est (quis neget?) temulentia.
Est nam volentis. quisquis etenim, cum sciat,
Quantum malorum conflet, huic cedit tamen,
Censendus huius hic mali certè est pater.
Temulẽtia ira leuior.
Illic at omne clauditur risu tamen
Malum: quod vnus protinus sistet sapor.
Feruente at ira quod grauius vsquam malum
Cognoris, ede, pharmacum & quodnam mali?
Quàm difficile iræ mederi.
[22] Medicamen aliis est Deus menti obuius.
Ast ira primùm numini occludit fores,
Cum grauior extat. si Deum quis proferat,
Malum ingrauescit: iungit hunc conuiciis.
Irati rabies in Deum.
Vidi ipse, saxa, puluerem, & verba aspera
Qui iaceret in eum (proh scelus nefarium!)
Nulla arte, nullo qui modo vinci potest.
Iura obteruntur, non amicus noscitur,
Non hostis: vxor, genitor, affines, idem.
Fert cuncta torrens, impetus cuncta vnicus.
Iratus reprimentes impetit.
Reprimere tentes? in caput bilem tuum
Trahes, furentem vt belluam sono edito.
Atque indigebis ipse, opem ferens, ope.
His ira flecti maximè verbis potest.
Nec enim indigebis pluribus, siquidem sapis.
Sin accinenda plura sunt adhuc tibi,
Veterúmque vitas inspice & recentium,
Authoritatem queis decus morum attulit.
Mansuetudo nos charos Deo reddit.
Quinam fuerunt maximè chari Deo?
Virtute culta qua priùs, vel maximè?
Moses, Aaron, par Deo charißimum,
Dauídque, Samuel, posteris annis Petrus.
Frustra intulissent cum tot illi Ægyptiis
Plagas, gerebant leniter sese tamen,
Animos feroces regis vt sic flecterent:
Donec superba gens aquis est obruta,
Quæ lenitatem tempserat nimis insolens:
[23] Hanc vt vereri quilibet iam disceret. 23
Lenitate abuti periculosum.
Placido ferocem tutius nam spreueris.
Laudo Samuëlem, maximum per dedecus
A rege vestem qui dolens ruptam sibi, 1.Reg.28.
Simulatque veniam petiit ille, haud moram
Iniecit vllam, quin et remitteret.
Hoc porrò quidnam mitius fingi queat?
Dauid, & huius veniat in mentem chelys, 1.Reg.16.
Qua liberauit spiritu quondam improbo
Saulem. húncque posthæc nactus ingratum nimis
Mærens, vagúsque, maximo in discrimine,
Ipsi pepercit, in manus sibi tradito,
([24] Hoc nostis) ídque vix nigræ ereptus neci 24
Discissa vestis, pársque galeæ clanculum 1.Reg.24.
Surrepta, facilis signum erat potentiæ.
Quid referam vt ipse parricidam filium,
Regnum occupantem perfidè, lenis tulit?
Hunc namque & Orco morte demissum dolet, 2.Reg.18.
Multísque lachrymis plurimo & fletu vocat.
[25] Faustúmque non vt nuncium, lethi iudicem, 25
Sed sæuum vt hostem protinus morte afficit.
Natura quippe stabat ante crimina,
Instar patroni fœtum habens firmißimi:
Sic, militari grauiter offensa vt manu, Ibid.
Hinc penè regni culmine exciderit sui.
Quid? nónne Semei pertulit conuicia,
Malè ominantis [26] splendido regressui? 2.Reg.16. 26
Petrum ipse miris laudibus sane effero,
Qui mente placida, pectore & magno admodum, Gal.2.
Fortíque Pauli liberam vocem tulit,
(Atque hoc in vrbe maxima, & laudantium,
Fidei magister queis erat, magno in grege)
Quòd vesceretur improbè cum Gentibus:
Fidei quòd istud crederet fore commodum.
[27] Nam quod mouebat, solùm erat metus Dei. 27
Verbíque sacri fulgor ex præconio.
Nec præterire conuenit Stephani decus,
Qui victimarum & martyrum auspex extitit.
Saxis peribat: & tamen (quid tam nouum?) Act.7.
Inter fluebat saxa vox sancti viri,
Per quam ipse, meritis optimè vt de se, hostibus
Parcebat, & pro his numini supplex erat.
An hæc apertè non gerunt Christi typum,
Tormenta & eius, dogmata & sacerrima?
Qui cum Deúsque, fulminum & dominus foret,
Sine voce ductus instar est agni ad necem, Esa.53.
Et sputa fœda, & plurimos colaphos tulit. Mar.14.
Benignitatem sensit at Malchus tamen Luc.22.
Vel vsque ad aurem. clamor ab illo, indicans
Authoritatem maximam, non exiit.
Non litigauit: criminum quassum agmine Esa.42.
Non fregit. atque fumigantem extinguere
Mentem minatur is quidem, at non id facit:
Quo lenitate nos trahat summa hac sua.
Exempla domini tanta sunt tot & tui.
Quibus quid ipse perferens, tua conferes?
Vt cuncta subeas, plurimum deerit tamen,
Ad dignitatem paßio si extenditur.
Doctrina nobis sufficítne hæc nobilis,
[28] Petita tabulis à sacris montis sacri? 28
An potiùs aliquid addere his nothi addecet?
Sic forte melius. quidpiam ex peioribus

Ita

Turpe ab Ethnicis vinci.
Ita nam legemus forte, quod mentes iuuet.
[29] Quos namq; valde vincere, haud magnũ est decus,
Superari ab ipsis plurimum quantum est malum?
Memorabo porro pauculos, & hos breui.
Aristotelis mansuetudo.
Quendam parabat vrbe Stagira editus
Olim ferire, crimine arreptum in graui.
Vt sensit autem bile se subita rapi,
Aduersus illam dimicans stetit illico.
30 [30] Paulum & miratus, dixit (ô dictum elegans!)
Noua res, patrona contigit bilis tibi.
Cæsus abiisses, liber hac si nunc forem.
At turpe nunc est, si malum cædat malus,
Iráque victus seruulum coërceat.
Alexandri lenitas.
Sic ille. rursus magnum Alexandrum ferunt,
Parmenio quondam forte cum ipsi diceret,
(Capta vrbe quadam Græciæ, quid facto opus,
Deliberanti sæpius) Si rex forem,
Nihil misertus oppidum æquarem solo,
Æquarem & ipse, retulit, si tu forem.
Sæuitia namque te decet, me lenitas,
Eximere & vrbem, Marte ne cadat effero.
Iam quale & istud, laudibus dignum & quibus?
Periclis mãsuetudo.
Magnum Periclem plurimis olim probris
Quidam obruebat, grauibus & conuiciis,
Plebeius ísque, per diem fere integrum.
At ille probra tacitus, vt laudes, ferens,
Lassum, domúmque iam reuertentem, face
Deduxit. Iram sustulit sic illius.
Rursum alter illum, qui minas has iunxerat
Post mille probra, Funditus peream, malum
Ni te necaro pessimè, vires habens:
Remuneratur blandus his dictis statim:
Et ipse peream, ni te amicum fecero.
Constantii lenitas.
Constantium autem (nam referre hoc conuenit,
Ne vetera sola digna quis verbis putet,
Testata vobis quæq; sunt, parui æstimet)
Verbum extulisse memoria dignum ferunt.
Quodnam hoc? eum in nos principum cum quispiam
Quondam incitaret, non ferens nos consequi
Tantos honores (namque erat pius admodum,
Vt si quis alius principum quos nouimus)
Ac multa fatus, tale quid mox subderet,
Animálne fingi mitius potest ape?
Atqui legentes pungit hæc fauos tamen:
Pulchrum Constantii respõsum.
Audiuit, hócne te fugit, vir optime,
Stimulus nec ipsi quòd vacet periculo?
Namque ipsa pungit, sed statim quoque interit.
En quanta morbi suppetant tibi pharmaca.
Ac maior istis omnibus lex est Dei,
Mat. 5.
Hunc quæ ferire nec sinit, qui te ferit.
Priscis erat lex ista, Ne cædem inferas.
At tibi nec ira corripi in quenquam licet:
Nedum ferire, cædere ac multo minùs.
Qui prima prohibet, posteris nil dat loci:
Simile. Causis sublatis effectus tolluntur.
Spicámque, semen qui necat, simul impedit.
Stuprum amputabis, fœminam haud spectans malè.
Ne iura, habebis pharmacum periurio.
Facessat ira, cautio ad cædem hoc erit.
Sic namque reputes: Ira sermonem parit,
Ictúsque sermo, vulnera ictus afferunt:
Cædem quòd autem vulnera accersant, liquet.
Sic ira cædis horridæ certa est parens.
Quis haud patratæ præmium cædis tulit?
At vacuus ira maximam laudem obtines:
Ditísque terræ pars tibi hinc rependitur.
Audi quid ipse mitibus Christus velit,
Mat. 5.
Felicitates supputans, summa & bona,
Quæ sperat illic sancta gens, definiens.
Ob ista tales dat tibi leges quoque:
Mala feriris: alteram curnam sinis
Carere fructu? passa si nolens id est,
Laus parua: maius restat aliquid, si velis.
Hanc sponte iunge, præmium vt certum feras.
Tunicam quis aufert? pallium quoque adiice,
Si tibi sit: ac te tertia veste exuat.
Hæc si Tonanti liqueris, fructus manet.
Si iactet in te vir malus probra, huic bene
Precare: si te conspuat, honorem à Deo
Capta. Fugat te? non autem rex cœlitum,
Qui solus adimi rebus ex cunctis nequit.
Deus piis eripi nequit.
Si te execretur quispiam, causa ipsius
Ora. minatur multa? minitare hæc pati.
Exequitur ista? fac bene: hoc tuum est opus.
Duplex lenitatis fructus.
Hinc bina carpes commoda, hæcq; maxima.
Namque ipse legis optimus custos eris:
Placidúmque reddes placidus hunc & discipulum
Ex hoste, [31] dantem, quòd ferat palmam, manus. 31
Summè studeto, bile ne pectus tuum
Laboret (hoc nam longè erit tutissimum:)
Aut certè vt ante vesperam furor occidat.
Ne sol in ira se tua condat, caue, Ephe. 4.
Siue ille, radios qui foras mittit suos,
Siue ille, radiat qui probis intùs viris.
Namque ipse stultus óccidit: contrà bonis
Cupidisque honesti lucet, ac cernentibus
Hoc tribuit, ipsi vt [32] fulgeant vehementiùs.
Natura bilem non dedit? (forte inquies.) 32
[33] At & hanc domare. quis tibi mentem dedit? 33
Quis rursus oculos, quis manus gressum & pedum?
Natura cuncta hæc, & Deus, sed in bonum.
At rebus his te non bene vtentem improbo:
Sic mentis aliis res habet se in motibus.
Affectus naturales nõ improbandi.
Dominantis alto munera hæc sunt optima,
Cum ratio recta ducit hæc, atque imperat.
Moderata Zelo bilis arma porrigit.
Amor eximatur, non potest numen capi.
Ratio magistra est ad bonum quoduis probis.
In peius autem si tria hæc propendeant,
Illincque bilis impotens fundat scelus,
Amórque rursum stimulet ad mala gaudia,
[34] Nec ratio stringat ista, sed nectat dolos, 34
Hac arte fiunt dæmonis, quæ sunt bona.
Inficere munus at Dei haud decet malo.
Tacitis obiectionibus respondet.
[35] Ira moueri porrò cum legis Deum,
Pardúmque, amoris percitam aut æstro velut
Vrsam, vel ipsum feruidum multo mero,
Gladium aut micantem, sontibus qui sit minax,
Hinc ne fauorem compares morbo tuo.
[36] Hoc nam tueris, non fugas, pacto malum. 36
Rem non sinistrè, sed bono sensu accipe.
Quæ patior, horum nil Deus prorsum subit:
(Hoc nemo dicat.) [37] non enim à se cœlitum
Rex exit vnquam. compositis hæc congruunt, 37
Cæpere dudum quæq; iam bello premi.
Deus immutabilis est.
[38] Ast ille (quis non hoc videt?) verti negat.
Quinam ergo dantur hæc Deo? tropico modo,
(Mentes vt ipse terreat mage simplices)
Multa velut ex his, tropica quæ dicta indicant.

Antistrophe.

[39] *Antistrophen fac cogites: & totum habes.*

Cur ira Deo tribuatur.

Nam bile quoniam conciti aliquem cædimus,
Iram proinde, cum ferit, damus Deo.
Sic visum, & aures, sic manus huic finximus,
Dantes supremo numini hæc, quibus vtimur,
Horum, vt videtur, quidpiam cum factitat.
Audis deinde, non bonos, verùm improbos,
Ira Tonantis, legibúsque, aliquid pati:
In bile verò nullus est modus tua:
Exæquat omnes. ergo caueas dicere
Quòd morbus iste sit tibi ex Deo, & Dei.
Num te Tonantis iactitas esse æmulum?
Sis sanè: at aures in leues morbum abiice.

Piorum iræ propriè iræ non sunt.

Iras piorum sin legas forte vspiam,
Nullas iniquas tu leges: iras nec has,
Plagas malis sed potius inflictas vocem.
Ac plaga nondum res erat illis mala,
Quin plena potiùs commodis. nam maximè
Ipsi indigebant criminum purgamine,
Ac prouocabat spineus ferrum frutex,
Et ante Legem, dúmque adhuc Lex languida
Esset, nec altè fixa satis in cordibus.
Sic ipse morbum facilis extingues grauem,
Si pectus hisce mulceas dictis tuum,
Sæuas vt hilaris aspides cantus solet.

Qua ratione irascenti quispiã nõ irascetur.

At bilis (id nam sequitur) æstum quî feres,
Ne flamma bilis excitet bilis facem?
(Malum inchoare nam parem culpam arbitror,
Alterius iræ seque præbere æmulum.)

Primũ remedium.

Primò ad supremum concitus numen fuge,
Ab eóque posce, grandinem vt diram exterat,
Facilísque tibi sit, neminem qui læseris.

Secundum remed. crucis signum. Greg præsidii loco crucis signũ habet.

[40] *Signare mox te sis memor sancta cruce,*
Quam cuncta metuunt, ac tremunt: qua præside
Aduersus omnes semper vsum me scio.

Anim9 aduersus irã præmuniendus.

Pòst autem in illum vt dimices te compara,
Non quem ira præceps commouet, sed qui hanc mouet:
Vt septus armis vincere hunc morbum queas.
Namque imparatus quisquis est, resistere
Nequit: paratos at manet palmæ decus.
Quid ferre palmam est? cedere æquo pectore.

Tertiũ remed. humilitas.

Tertium erit, vt te [41] maximis dignum haud putes,
Noscens & ortus quis tuus, quisque exitus:

42 *Turberis vt ne, [42] spiritus altos gerens.*
Summissus æqua mente nam vinci feret:
At tumida fastu mens graui flecti negat.

Gen. 18. Psal. 102.

Terrámque, & vmbram, & puluerem sese vocant,
Quos rex Olympi maximè charos habet:
Elationis nonnihil quò sic premant.
At tu recusas, optimus velut, probra.
Huiusce fastus ne luas pœnas, vide.
Qui porro, rebus læsus, hoc æquus feres,
Molesta cum tu verba tam grauiter feras?

Quartũ remed. præsentia nihili ducere.

Quartò, esse vitam prorsus hanc credas nihil,
Rectos nec omnes esse rerum iudices,
Quas vel probare conuenit, vel carpere:
Errore sed nos decipi turpi admodum,
Ex parte magna, rebus in quamplurimis.
Nam fœda quæ nos ducimus, ratio haud item:

43 [43] *Ac pulchra quæ nos, ipsa fortasse improbat.*

Nihil turpe præter vitium.

Vna vna verè fœda res, est prauitas.
Gloriolæ verò hæc tenuis, & moles opum,
Splendórque generis, ludus est pueros decens.
Quibus ergo crucior, forte lætandum his erat:
Quibus insolesco, par erat mage deiici
Ob ista, quàm nunc improbè mentem effero.

Quintũ remedium.

Quintò, altiùs sic cogites tecum velim:
Si falsa sunt hæc cuncta, quæ de me euomit,
Qui bile feruet, lumine & mentis caret,
Nil me ista tangunt. vera sin autem obiicit,
Meme ipse læsi. cur nam ei succenseam,
Enunciauit probra qui priùs abdita?

Ira nil reticere potest.

Seruare bilis impotens nescit fidem.
Persæpe nam quæ falsa proloquitur libens,
[44] *Occulta quonam comprimat tandem modo?* 44
Hoc præter ista cogitans, moderatior
Redderis. Ira si malum non est, ea
Captum improbare non decet. sin est malum,
Et est, & esse iudicas, quid turpius,
Quàm, quem tu in alio carpis, hoc morbo affici,

In ira cõsiliũ ab hoste capiendũ.

[45] *Nec ipso ab hoste capere consilium tuo?*
Huc adde, quòd si non priùs laudabilis
Erat hic, modo qui feruet, & spirat ferox,
Nunc etiam aperte dedecus, non tu, feret.
Sin autem honestus, improbus videberis.
Præstantiori pars enim maior fauet.

Obiectiones diluit.

Ingratus in me est? grauiùs hinc notabitur.
At læsit hic me? tu caue hunc lædas item.
At reprimetur? forsan hinc crescet furor.
At cœpit ille? protinus verbis tuis
Frangatur, atque moribus blandissimis,
Solutus instar fluctuum ad [46] terram illico, 46
Aut vt procella, cum nihil renititur.
At probra sunt hæc. probra, si cadas simul.
Ægrósne probris mutuis ipse impetes?
Annon furentes pateris hos, qui dæmone
Agitantur, ac vt perciti horrendum latrant?
Quid? mente captos non feres? certè feres,
Si mentis ipse es integræ. Quid ebrios,
Quorum Lyæi nimia vis mentem obruit?
Quid, rabidus ad te forte si currat canis?
Quid? si camelus quispiam ferox tonet
Gutture, tibíque tendat infestum caput,
Stabísne pugnans? nónne qui sapit, fugit?
Quid si suis te fœda meretrix impetat
Probris? id etenim moris est meretriculis,

Scortis pudor est pudore affici.

Pudore [47] quibus est affici magnus pudor,
Vt queis sit arti neutiquam erubescere.

Diogenes.

Cuius Sinopes fornicem adiens, turpibus
[48] *Scorta impetebat vocibus. quid moliens?* 48
Per probra probra disceret facilè vt pati,
Hæc mente voluens negliges conuicia.
Aliquídne dicam callidum? non id quidem
Placidis quadrabit mentibus: dicam at tamen.
Hoc mentis etenim tædium extinguit graue.
Pugilésne cernis, studium vt his hoc sit prius,
Vter altiore figet in loco pedem.
Haud namque paruum pondus ad palmã hoc habet.
Sic altiorem consequi gradum stude,
Hoc est vt ira torridum iocis petas.

Ira iocis frangenda. Pulchrũ simile.

Aduersus iram nam ioco nil fortius.
Inanem vt is qui mittit in pugilem manum,
Magnóque fertur impetu, & totus furit,
Hoc, cui laborant membra, lassatur magis,
(Inscita vires nam quatit prehensio:)
Sic qui lacessit placidum & ira liberum,
Ridentem & atrox prælium, magis dolet.
At qui repugnat, gaudium quoddam parit.

Materia

Materia quippe ſurgit hinc iræ amplior,
Ira res dulcis. *Quæ dulcis eſt res, atque ſaturari negat.*
Extrema noſtri hæc clauſula hortatus erit:
Deum imitantur mãſueti, diabolum iracundi. *Quid rebus extat mitius cunctis? Deus.*
Quis feruet ira? carnifex mortalium.
[49] Namque & vocatur ira, præter cætera,
Quæ fecit illi nomina ingens prauitas.
Harum tu vtramuis partium partem elige.
Vtramque nec enim fas tibi. hoc quoque cogita,
Quis rideatur, quis ſit in laude omnium.
Rectè æſtimanti nam nec hoc ſanè leue.
Iram adiuvat. *Quid reſtat? ô quæ es agmini chara improbo,*
[50] Simul inimica præſes, adiutrix ſimus,
50 *Tuméſque, & Orco tradis, vt cedas Deo*
Te adiuro, cedas his meis ſermonibus.
51 *O ira, feruor, dæmonis [51] domus horridi,*
Manifeſta vultus macula, turbo mentium,
Crapula, & aſile, tartari ad lacus ferens,
[52] Horrenda Legio, multiplex labes mali, 52
Et vincla rumpens, & pedum nexus graues:
Te Chriſtus (hic quem cuncta non ſimul ferunt,
At ipſe clauo cuncta fert lapſum citra,
Hominúmque vitam, cœlitum & mentes regens:
Qui ſpiritúſque, ſi quis hunc precibus vocet,
(Prauos, & animi præpotens morbos fugat.)
Te Chriſtus, inquam, fugere confeſtim hinc iubet.
Porcorum in aluum te tuorum coniice.
Capiet ruentem grex libens hic in mare.
At parce nobis, qui Deo curæ ſumus.
[53] Et hæc ſilentis ora qui mea ſoluitis, 53
Si, quod ſit his par, quidpiam loquamini,
Et mihi loquimini: ſin minùs, non & mihi.
Ligabo & aures vocibus, vocem velut.

SCHOLIA.

1. *Si quid neceſſe eſt) Quoniam, inquit, conſuetudine ita comparatum eſt, vt vix quiſquam inueniri poßit, cui non interdum iracundiæ affectus oboriatur, hæc ſola iuſta exiſtimanda eſt, quæ non aduerſus eos, qui nobis iniuriam aliquam intulerunt, ſed aduerſus iram ipſam concipitur.*

2. *Tulimúſque fructum hunc) Hoc dicit, propterea quòd hoc Carmen, vt etiam ſuperius, eo tempore condidit, quo ſibi ſilentium indixerat, hoc eſt, per vnius integræ Quadrageſimæ ſpatium.*

3. *Non parua porro) Quemadmodum, inquit, qui grauißimo aliquo morbo premuntur, vel exiguam doloris remißionem haud parui æſtimant: ita etiam in animi morbis cum quiſpiam de improba viuendi ratione aliquid remittit, non paruum ac leue hoc habendum eſt.*

4. *Ratio & ſimul) Hoc loco, vel* λόγου *legẽdum: vel, ſi* λόγοι *retineamus, vt eſt in Card. Sirleti libro,* ζωπιθέντις *legamus neceſſe eſt. Senſus autem eſt huiuſmodi: Qui iracundiam exiſtimarunt ab vtraque hominis parte proficiſci, eam quidem ſanguinis ebullitionem eſſe dixerunt: cauſam autem, appetitum, accedente etiam ratione. Hæc autem verba,* ζωπιθέντος καὶ λόγου, *vide quæſo quàm aptè reddat Germanus interpres, Quo fit vt hac in parte ipſorum etiam oratio duplex compoſitáque ſit. Quid eſt Gregorij ſenſum peruertere, ſi hoc non eſt?*

5. *Conſilia donec) Hoc loco, ita poſtulante ſenſu,* παρήγορος *paßiuè accipio* ἀντὶ τοῦ, εὐήνιος, εὐπαθής, παρηγορίας καὶ νουθεσίας δεκτική. *Vult enim Gregorius vt principiis obſtemus, ac dum iracundia nondum adhuc eo prorupit, vt rationem omnem & admonitionem reſpuat, omni ſtudio & conatu ipſius impetum comprimamus. Leuuenklaius vertit, Donec morbo medearis, planè* ἀπροσδιονύσως.

6. *Sic tuam bilem exiges) Dum iracundia, inquit, nondum in flammas erupit, ac monentem rationem adhuc audire poteſt, ſi hunc animi impetum tanquam iniecta manu repreſſeris, ac Dei opem imploraueris, eam facili negotio propelles, quandiu adhuc rationis & mentis es compos. Leuuen. hæc verba* καὶ σοὶ ἐξώσεις χόλον, *Simul bilem expellito, abſurdè profectò. Quis enim monitorem eum non rideat, qui ad expellendam iram moueat, vt iram expellamus? Nec verò inſcitiam ſuam, vel ſtuporem potiùs, ſequenti verſu minùs prodit, vbi hæc verba* ἕως λογισμοῦ καὶ φρενῶν ἐπικρατῇς *(legendũ tamẽ, vt arbitror,* ἔτι κρατῇς*) ad hunc modum reddidit, Donec rationis & mentis compos fias. Contrarium enim perſpicuè vult Gregorius. Monet enim, vt, dum rationis adhuc compotes ſimus, iracundiam cohibeamus.*

7. *Morbus hic primam obruit) Hoc enim in cauſa eſt, cur iracundiæ, cum ſemel exarſit, afferri medicina nequeat, quòd primo loco mentem & rationẽ peſſundet atque obruat. Eſt enim vis non parua in hac voce* πρῶτον: *quam tamen Leuuen. tranſiliit.*

8. *Dumq; illa nondũ) Quàm fœcundus error eſſe ſolet. Poſtquã enim errauit Leuu. in his verbis* ἕως λογισμοῦ *&c. hunc errorẽ per totã quoq; periodũ continuauit: & quidẽ hoc loco fœdißimè. Sic enim transfert, Donec frenũ admittat, inſtar equi effrenati, qui cum necdũ frenũ momordit dentibus ſuis rectà currit, nihilq; ſpirat aliud, quàm curſus, ſaltus, valles, offuſa per iracundiam oculis caligine. Hîc ego, dißimulatis aliis omnibus eius erroribus, hoc vnũ ab ipſo quæro, quonam pacto equus ille rectà currere dici poßit, qui offuſa per iracundiã oculis caligine nihil ſpirat præter curſus, voragines & præcipitia? (hoc. n. ſignificant* φάραγγες *&* βάθη.*) Quid hîc afferet, quod eum à ſummæ abſurditatis nota vindicare queat? Hoc autem totum hinc potißimùm manauit, quòd nõ animaduertit hãc dictionẽ* τὸ δρόμος *non idẽ hoc loco ſignificare, quod* τῷ ἢ καλῶς τρέχειν, *ſed idẽ duntaxat, quòd* ὠκὺς *vel* ὠκύπους.

9. *Ratione primò) Non tam nullius frontis hominem Leuuen. eſſe exiſtimo vt hoc loco, cum verſionem noſtram legerit, nõ erubeſcat. Videbit enim ſe ab Authoris noſtri mente tam longè receßiſſe, vt nihil longius fingi poßit. Verba quippe ipſius hæc ſunt. Facilius enim à ratione conſtringitur, poſteaquã imperiũ in eum vſurpatur quàm vi continetur, vbi ſemel ſe proripuit. In quo primũ hoc ipſius erratũ eſt, & quidem in primis craſſum, quòd Gregorium adhuc de equo loqui putet, cum de iracundia loquatur, vt ex eo patet, quòd non dixit* ἄρξαι χαλινῷ, *ſed,* λόγῳ. *Alterũ, quòd* ἀρχόμενον *idem eſſe arbitratur quòd* ἐπικρατούμενον, *cum nil aliud ſignificet, quàm* ἔτι φυόμενον, *adhuc exorientem. Tertium, quòd* ἁρπάσαντα *(cuius vocabuli ſignificatio ſimplex & aperta eſt) vertat, vbi ſemel ſe proripuit. Triplex autem hic error ſi eum in ſententiam, à Gregorij mente tam valde*

dißidentem,torserit,non est sanè quamobrem quisquam miretur.Est autem verus sensus,meo quidem iudicio, in translatione nostra ita clarus & dilucidus,vt nullam explanationem requirat.

10. Amor) ἔρως enim habet Sirletinus codex.Videtur tamen Leuu.ἔρις legisse.Contentionem enim vertit.

11. Occulta porro)Occulta,& aliis ignota calamitas in lucro quoque ponenda est. Maiorem enim ea vitia nobis pudorem afferunt,quæ ab aliis agnoscuntur,quàm quorum nos soli conscij sumus.

12. Nempe violator tuus)ὑβριστής ὁ σός.Vult nos ab inimicis nostris documenta capere, hoc est,vt eorum, qui per animorum iracundiam & impotentiam contumelia nos afficiunt, vultus atque ora intueamur, quò perspecta eorum deformitate ab eiusmodi turpitudine reuocemur.Leuuen.per ὑβριστὴν iracundiam intelligit.Sed cōtra eum facit versus ille qui paulo pòst sequitur,Πάθος γὰρ ὡς ἕν,&c. vbi causam reddit,cur nos eius, qui nobis irascitur, faciem nobis spectandam proponere debeamus,nempe quia eadem symptomata eos,qui iisdem morbis affecti sunt, comitentur.

13. Si vacat)In illustriß.Sirleti codice, atque etiam in Germanico, legitur, εἰς χολὴν ἄγος. Quæ verba quoniam Leuuen.videbat minimè quadrare posse cum iis,quæ proximè præcedebant, per hyperbaton ea cum superioribus iungit,vertítque,Violatricem illam tui fœdúmque piaculum aspice. Nimirum hulcus illud, quod in Græcis verbis habet,minimè olfecit. Est enim sine vlla dubitatione legendum,εἰ σχολὴν ἄγεις.

14. Solus hanc dæmon parit) κονιῶντος enim pro χέοντος accipio.

15. Instar & tutæ areæ) Confert sonitum eum quem buccæ hominis ira inflammati emittunt, cum eo sono qui ob frumenti trituram ex area editur. Nam (vt interpres annotat in his verbis libri quinti Iliadis,ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς κατ' ἀλωάς) locus in quo triticum teritur,ac fruges ab area secernuntur,ἀλωὰ & ἅλως appellari solet. At Leuuen.nouo quodam & prodigioso modo aream in mare inuertit. Buccæ, inquit,inflatæ ac sonantes instar sali.Me certè tantæ inscitiæ pudet. Dicimus enim ἅλς ἁλός,cum de mari loquimur. Sed, vt ἅλως in nominandi casu pro mari accipiatur,merum Leuuenklaij commentum vel potius somnium est.

Ictáque digitis manus) Percussa digitis manus comminatur, strepitúsque qui hinc excitatur,præmij cuiusdā loco est.Leuuen.confusè & ineptè,Manus digitis motus exordium tumultuum minatur.

16. Tumultuari cuncta nam secum cupit) Epexegesis est versus præcedentis. Ac ζωδονεῖται hoc loco paßiuè accipi debet,non actiuè,vt in Germanica translatione.

17. Se efferens)Ita enim,inquit,animo effertur,ac si iam ea,quæ cupit,patrarit. Φρυάττεται quippe hîc idem est quod ἐπαίρεται,id licet ignorarit Leuuen.

18. Quid horum agens?)Nulla est tam exigua salebra,ad quam Germanus interpres non offendat: siue hoc nimiæ festinationi,siue ingenij tarditati tribuendum sit. Dicet quidem fortasse se exemplar suum secutū esse,quod habet,τούτων δ' ἔπι.quodquidem illi facilè cōcedam:præsertim cum illustriß.Sirleti liber huic lectioni suffragetur. Verùm ex ipso sciscitabor apud quem vnquam authorem legerit hæc verba,τούτων δ' ἔπι,pro,μετὰ δὲ ταῦτα, vel, ἐπὶ δὲ τούτοις.Cum autem neminem omnino proferre potuerit, tum verò eum admonebo, erratum hîc quoddam insidere,exiguum quidem illud,sed,quantum ad sensum,non exigui momenti.Pro δ' ἔπι enim scribēdum δ' ἔτι; Expoponit namque Gregorius quod superiore versu dicebat,hominem iracundia flagrantem sic se efferre, ac si, quæ cupit,iam effecerit.Occidit enim,inquit, persequitur,exurit:cum horum nil omnino agat.Ac tum ἐπιφωνηματικῶς hæc subiungit,Adeo cæca quædam & inanis res est iracundiæ feruor! Quæquidem omnia, & quæ statim sequuntur,confusè prorsus,& obscurè in Germanica versione leguntur.

19. Fœdus supra omnes) Ad verb.hominum labes,id est,ad prodigium vsque deformis. In Germanica editione parenthesi hæc verba includuntur,pro dedecus hominum. Quod quidem,vt mihi videtur, facere nil necesse erat. Ibidem etiam interpres potius dicere debebat,florē pulchritudinis,quàm ætatis. Alioqui enim multi in florenti ætate sunt,qui tamen pulchri non sunt.

20. Hæc nónne Dæmon?)Hominem iracundiæ ardore deflagrantē dæmoni comparat. Immo etiam,excepto casu, peiorem eo esse asserit.Basilius certè eum homini à Dæmone obsesso similem esse scribit in Homil.aduerſ.irascent.

21. Grauior videri) τὸ γὰρ παρὸν πᾶσι τοῖς κακουμένοις πλέον. Pulchra sententia,nisi interpretando peruertatur:vt eam certè peruertit Leuuenk.dùm ita transtulit, Nam incommodum hoc miserè afflictorum est. Quibus verbis nescio an quicquam ab Authoris mente alienius cogitari poßit.Hoc enim ipse vult,homines hoc fere animo esse,vt præsentem dolorem omnium acerbißimum esse iudicent.Quam etiam sententiam ipsemet in Orat. de plaga grandin. ad hunc modum exprimit, καθάπερ ἐν τοῖς νοσήμασι τὸ λυποῦν ἀεὶ πάθος τοῦ μὴ παρόντος ἀναφορώτερον.

22. Medicamen aliis)Cum Græca hoc loco tam clara sint,miror Leuuen. hunc versum cum præcedenti iunxisse, atque ita vertisse,Nisi Deus in mentem illabatur.Puto hinc eum in fraudem inductum,quod ἀλλ' οἷς fortasse legerit,vt etiam habet Romanum exemplar.Sed quis tam cæcus qui non ex ipso sensu videat legendum ἄλλοις? Cōparat enim iracundiam cum aliis vitiosis affectionibus,átque cæteras quidem,subeunte animum Dei cogitatione, curari posse,hanc autem Deum quoque ipsum repellere.

23. Hanc vt vereri)Id est,vt hinc homines discerent sanctorum virorum lenitate minimè abuti. Vnde etiam sequenti versu ait minoris esse periculi audacem ac ferocem hominem contemnere, quàm lenem & mansuetum, quòd plerumque lenitas diu contempta extremam perniciem tandem afferat.

24. Hoc nostis)Hæc parenthesi claudi debent,vt vitetur ea ambiguitas,in quam Leuuen.incidit.

25. Faustúmque non vt nuncium) Admonendus est hîc Lector,memoria lapsum esse Gregorium.Nec enim Dauid in eum,qui Absalonis necem ipsi indicauit, sed in eum qui Saulis interitum nunciauit, animaduertit. Id quod miror ne Leuuenklaio quidem in mentem venisse.

26. Splendido regressui) ἀνόδῳ hoc loco perspicuitatis causa regressum interpretor. Vult enim Gregorius,horrēda illa conuitia,quibus impurus ille Semei Dauidem lacerabat,velut sinistrum quoddam, etsi falsum, omen fuisse, quod

quod celebris in Hierusalem reditus desperationem quandam ipsius animo quodammodo iniiceret.

27. *Nam quod mouebat) Addit de suo Leuuen. Paulum. Ego tamen hæc commodius aliquanto de Petro accipi posse arbitror. Videtur enim Gregorius Petrum de eo excusare velle, quòd cum Gentilibus cibum caperet.*

28. *Petita tabulis)* τὰς ἐξ ὄρους *ad tabulas refero, non ad homines, vt Leuuen. Alioqui enim, nec Samuel, nec Dauid, nec Apostolorum principes, nec Stephanus, nec denique Christus ex monte Sina descendisse referuntur.*

29. *Quos namque valde) Hæc, per se clara, in Leuuen. versione obscura redduntur.*

30. *Paulùm & moratus) Hic planè delyrat Leuuen. Neque enim in tot tamque fœdis erroribus mitiore verbo vti possum. Nam cum horum verborum sensus vel ipsa luce clarior sit, ipsi tamen tenebræ plusquam Cimmeriæ sunt. Refert enim Gregorius Aristotelis ad famulum verba. Quænam autem hæc sunt? Nouum quiddam tibi contigit! ira enim tibi præsidio fuit. Nam nisi ea extitisset, non sine verberibus abscessisses. Quoniam autem hoc dictum in primis egregium ac summa laude dignum Gregorio esse videbatur, idcirco per admirationem exclamauit, O sapientem sermonem! Vide nunc quæso quam scitè hæc reddat Leuuenk. O sapiens ratio, nouum quiddam accidit tibi: cum imperio potestatéque bilis tibi præfuit. Absque enim ira fuisset, huic homini cutem detraxissem. Quis hîc risum tenere queat, cum eum videat ita hunc locum interpretantem, tanquam Aristoteles his verbis ad rationem suam, non autem ad famulum suum, vtatur? Nec discutio quot errata commiserit, cum verborum numerū adæquent. Tantùm Lectorem admonebo, dictum hoc à Cicerone in lib. de Senect. Architæ Tarentino tribui, non Aristoteli.*

31. *Dantem, quòd ferat palmam, manus) Gr.* ὡς κρατῶν ηκώμενος. *Nam qui irascenti atque contumeliam inferenti æquo animo cedit, hoc assequitur, vt alter ob eam causam pudore quodam afficiatur, irámque abiiciat. Hæc non explicarem, nisi Germanum interpretem hîc offendisse conspicerem.* κρατῶν *enim ei tribuit, qui irascenti cedit, cum ad irascentem referendum sit.*

32. *Fulgeant vehementiùs) Leuuen. vt plus eis luceat, quàm cæteris. Ad verb. vt magis (scilicet quàm priùs) splendeant.*

33. *At & hanc domare) Responsio est Gregorij. Ac propterea non per interrogationem efferenda.*

34. *Nec ratio stringat)* κατάγχειν, *iniecto fræno restringere. Non vult Greg. vt ratio hos affectus suffocet, quemadmodum Leuuenk. placet, sed vt eos domet ac coërceat.*

35. *Ira moueri porro) Scriptura irascentem Deum tam sæpe nobis exhibet, vt ineptus sim si locos annotem. Quòd autē pantheræ, & vrsæ, ad ingentem iracundiam ostendendā, conferatur, habes Oseæ 13. Ac præterea Psal. 77. crapulatus à vino dicitur. Denique etiam gladij, qui ad plectendos improbos & sceleratos homines exacuitur, ac detergitur, meminit Ezechiel cap. 21.*

36. *Hoc nam tueris) Romanum exemplar habet,* ὦ προσπλάστης, ζητεῖς γὰρ ὃ λύσιν κακοῦ. *ac supra hoc vocabulum* προσπλάστης *ascriptum est* ἀναπ: *& ad marginem pro* ὦ *ponitur* ὃ. *Ego verò, cum mendum manifestum sit (quid enim significat* προσπλάστης?) *ex his literis, quæ supra hoc verbum appictæ sunt, adducor vt ita legam,* ἀναπλάστεις ζητεῖς γὰρ οὐ λύσιν κακοῦ. *Sic enim sensus est dilucidus, atque ad eam rem, de qua agitur, aptissimus. Commenta, inquit, & obtentus quosdam, non mali depulsionem quæris, dum eos Scripturæ locos in medium affers, qui Deum ira commoueri testantur. Leuuen.* ὦ προσπλάστης, *cui obnoxius es. Sed animaduertere debuit, mendum in hac voce hærere.*

37. *Non enim à se)* ἐξίσταθαι *hoc loco non est simpliciter mutari, vt vult Leuuen. sed mente alienari, extra se rapi. Vnde etiam id eorum esse ait Greg. qui iampridem pugnandi initium fecerunt.*

38. *Ast ille) Vnica litera, in hoc versu redundans, ingentem Leuuenklaio caliginem inuexit. Nam cum legisset,* ὃδ' ἔστι, τοῦτ' εὔδηλον, ἄτρεπτος φύσις, *ad hunc modum vertit, ne dicam peruertit, Quo fit vt manifesto pareat, earū naturam immutabilem non esse. At proculdubio, submota illa superflua littera, ita legendum est,* ὁ δ' ἔστι. *vt hoc velit Gregorius, nemini dubium esse, quin Deus natura mutationis expers sit.*

39. *Antistrophen fac cogites) Antistrophen vocat, cum ea Deo tribuimus, quæ non ei, sed nobis, conueniunt: vt, quia irati aliquem cædimus, Deum quoq; proinde irasci dicamus, cum de aliquo supplicium sumit.*

40. *Signare pòst te) En quomodo vir sanctus nos moneat, vt cum iracundiæ affectu nos commoueri sentimus, crucis signo aduersus eum nos communiamus: quemadmodum ipse de se testatur, quòd aduersus omnes rerum difficultates ad eius præsidium semper confugere solitus sit. Valeant igitur nostri Stauromastiges, & sciant se, cum sanctissimum hoc crucis signum irrident, ac maledicis verbis insectantur, non modò cum Gregorio nostro, cuius vel sola authoritas optimo cuique pluris esse debet, quàm omnes eorum latratus, sed cum tota antiquitate apertissimè pugnare. Hîc porro in Romano codice corrupte* πρῶ *legebatur, pro* τρῶ, *velut etiam paulo pòst* πάλιν *pro* πάλην.

41. *Maximis dignum haud putes)* ἀξιῶν *legendum est, vt sit Participium, non autem* ἄξιον, *vt legisse videtur Leuuen. & ita etiam habet Card. Sirleti liber. Vides enim hos omnes iracundiæ coërcendæ modos per Participiū enunciari. Hæc porro vox* εἰδώς, *quam Leuuen. iungit cum* ἄξιον, *non eo referenda est, sed ad ea quæ sequuntur, vt cuiuis perspicuum esse puto.*

42. *Spiritus altos gerens) Scio hîc & in Romano & in Germanico libro* πλεῖν *haberi. quodquidem nauigandi significationem habere non ignoro. Sed quin hoc loco* πνεῖν *legendum sit, nullo modo dubito. Etenim dicunt quidem Græci* παρ' ἀξίαν δυστυχεῖν, *vel* πράττειν, *& contrà* ὑπὲρ ἀξίαν εὐτυχεῖν. *At* παρ' ἀξίαν πλεῖν, *tam nouum loquendi genus est, vt nullius boni scriptoris authoritate confirmari posse existimem. Contrà autem* παρ' ἀξίαν *vel* ὑπὲρ ἀξίαν πνεῖν *eleganter de eo dicetur, qui subliimiores, quàm pro sua dignitate, spiritus gerat. Id quod ei postea perturbationis causam affert, dum quæ conatur ex ipsius animi sententia minimè succedunt. Atque hanc nostram emendationem fulciunt ea, quæ mox sequuntur. Qui enim summisso & humili animo est, inquit, æquo animo se vinci patitur: qui autem nimis tumidum*

& inflatum animum gerit, is flecti nequit. In quibus verbis τὸ σφόδρ' ἐξεσχισμένον, idem planè est, quod τὸ παρ'
ἀξίαν φρονῶν. Hìc etiam pro ἄπτεται (quod habet Card. Sirleti exemplar) lego χάμπτεται, suffragante Germanico
libro.

43. *Ac pulchra quæ nos) Multa, inquit, nobis turpia videntur, quæ tamen rectæ rationi minimè talia viden-*
tur: & contrà. Atque hoc quoque loco Romanus & Germanicus liber in errore concordes sunt. Sic enim ambo
habent, ἃ δ' οὐκ ἐμοί γε, ταῦτα τῷ λόγῳ τυχὸν ἔνεστιν. Quo etiam factum est, vt Leuuen. verterit, Quæq; non insunt mi-
hi, fortasse insunt rationi. At proculdubio pòst τυχὸν punctum figendum est. ac pro ἔνεστιν, reponendum ἐνθεῖ, vt
versus integer talis sit, ἐνθεῖ πάντως αἰσχρὸν ἡ μοχθηρία. Id ita clarum esse arbitror, vt qui hoc non videat, nihil
omnino videat.

44. *Occulta quonam) Sententia quidem aperta est. Argumentatur enim à minori: Si iracundia persæpe falsa*
etiā crimina obiicit, multo magis ea, quæ antè occulta erant, deteget. At in verbis est sanè non parua obscuritas.
Itaque non mirum, si Leuuen. hìc se expedire haud possit, cum in facilioribus tam sæpe hæreat. Ac ne ipse qui-
dem affirmanter quicquam dicere audeo. Illud tantùm aio, mihi mendosum hunc versum videri, ac pro μὴ χόλον,
substituendum μοι χόλος. Sic enim planus erit verborum sensus. De quo tamen Lectoris eruditi sit iudicium.

45. *Nec ipso ab hoste) Hoc loco aut insignis est error in Germanico libro, aut certè hallucinatus est Leuuenkl.*
Sic enim vertit, quasi in Græco sit ἐκφαίνετε, cum tamen παραινέτω vera & incorrupta scriptura habeat.
Quaquidem in re longissimè ab Authoris sensu recessit. Vult enim Gregorius, cum iracundiam in alio turpem
esse iudicemus, turpe esse, ne ab ipso quidem hoste nos admoneri. Nam cùm, quanta ei ab iracundia turpitudinis
macula inuritur, conspicimus, hinc videlicet admonemur, nihil non studij nobis adhibendum esse, vt eandem la-
bem fugiamus.

46. *Ad terram illico) τάχος enim malo (pro, ταχέως) propter Carmen, quàm πέδως, vt legit Leuuen.*

47. *Pudore quibus est affici) αἶσχος hoc loco, non tam turpitudinem ipsam quàm pudorem ex turpitudine conce-*
ptum significat.

48. *Probra impetebat vocibus) In Card. Sirleti libro corruptè legitur γύνους pro τέγους. Dicunt enim Græci αἱ ἐκ*
τέγους, cum meritoria scorta significare volunt. Exempla non profero, quòd passim occurrant. Quod autē Leuuen.
hoc loco ὑβρίζειν vertit, molestum esse, pro, contumeliis & maledictis afficere, Græci vocabuli vim non satis
expressit.

49. *Namque & vocatur ira) His verbis, vt opinor, hunc locū significat Ephe. 2. Eramus natura filij iræ: tan-*
quam scilicet illic per iram Diabolus designetur. Possunt tamē alio sensu dici filij iræ, qui sempiterna Dei ira di-
gni sunt.

50. *Simul inimica) Inimicam adiutricem iracundiam vocat, quòd auxilium illud, quod nobis iniuria quapiam*
affectis, affert, saluti nostræ noxium & exitiosum sit.

51. *Dæmonis domus horridi) Vt in Oratione quadam Arrium Diaboli πλήρωμα vocat, hoc est, vt illic Elias*
exponit, τοῦ δαίμονος πεπληρωμένον: eodem modo nunc iracundiam appellat. Itaque, vt clarior sit sensus, verti, Dæ-
monis domicilium. Leuuen. hanc vocem transtulit, Satisfactio voluntatis, sed ineptè.

52. *Horrenda Legio) Vt iracundiæ immanitatem amplificet, non satis habet eam dæmonem appellare, sed pra-*
uorum quoque spirituum legionem nuncupat: alludens ad illud Lucæ cap. 8. Quod tibi nomen est? Legio. quemad-
modum etiam infrà, cum de porcis loquitur.

53. *Et hæc silentis) His verbis indicat, se, vt præcedens Carmen, ita etiam hoc tum temporis conscripsisse, cum sibi*
per totum Quadragesimæ curriculum silentium imperasset.

ADVERSVS OPVM AMANTES.

Iambicum vigesimumsecundum.

ARGVMENTVM.

Diuites hoc nomine primùm exagitat, quòd, cùm grauissimo morbo laborent, tamen phreneticorum in modū ægros se esse nesciant, ac proinde ne remedia quidem vlla quærant. Deinde calumnias & subdolas artes describit, per quas ad ampliores opes aspirant, quóque pacto ex alienis calamitatibus commoda sua comparare soleant. Summæ etiam miseriæ ac stoliditatis eos notat, qui ob auaritiam tot labores suscipiant, opes suas ignotis fortasse, aut etiam hostibus relicturi. Midæ insuper & Dipsadi, ob inexplebilem opum cupiditatem, eos confert: optátque vt idē ipsis vsu veniat, quod iis olim, qui manna in posterum diem asseruabant. Quoniam autem diuites hoc auaritiæ suæ prætexere consueuerunt, multos quoque summa virtute atque sanctitate viros opibus studuisse, distinguenda esse tempora docet. Maiora enim & sublimiora à nobis requiri, quàm ab iis qui Legem tantùm magistram habebant, ac, velut pueri, lacte duntaxat vtebantur. Atque in hoc loco expoliendo & exornando mirificum artificem exhibet, dum in eos inuehitur, qui, cum omnibus vitiis deformati essent, bonorum virorū exemplis hinc inde corrogatis, obtentum

obtentum aliquem & patrocinium criminibus ſuis quærebant. Poſtea eos ad beneficentiæ ſtudium excitat: ita tamen, vt de ſuo largiantur. quòd ſi hoc ab ipſis impetrari nequeat, ſaltem vt rapinis ſuis & latrociniis modum finémque conſtituant. Id autem quo faciliùs perſuadeat, mortem ipſis, ac diuinum tribunal, & ſempiternos impiorum cruciatus ad animum reuocat. Poſtremò cum D. Paulo, eos omnes Idolorum cultores eſſe pronunciat, qui totos ſe in diuitiarũ amore ac cultu defixerunt.

PRoh, proh, abundant improbi quibus malis,
Iſtud tametſi neſciant! nam quidpiam
Cupidi ſalutis ſumerent certè ſuæ,
Monitoris, inquam, verba, memoriam & Dei:
Quæ vulneratæ pharmacum menti ferunt.
Sanos at ipſi ſe putant (morbum grauem!)
Non aliter atque, queis furor mentem abſtulit,
Magnum eſſe robur mentium morbum putant.

Phreneticorum deſcriptio.

Pennis carentes, bobus &, volant, arant:
Opem, propinqua cum phalanx non ſit, ferunt:
Non nauigantes nauigant: ſine hoſtibus
Certant, abundant, imperant, litem obtinent.
1 *Hæc cuncta morbus efficit.* [1] *ſi quid mones,*
Patieris aliquid antè, quàm hos adduxeris,
Vt indigere pharmacis ſe exiſtiment.
Quis nam, valentem ſe putans, vel pharmacum
Adhibet, ſalutis vel gerit curam ſuæ?
Eſt iſtud ægri, non tamen præter modum.
Ægrum eſſe iuſtum quiſquis at cenſet virum,
Ecquando morbi ſumpſerit medicum hunc ſui?
Es diues: vt ſit nemo vicinus tibi,
Studes: agérque cum tibi ſit, haud proximum
Tuum eſſe cladem ducis. aſpectum decet
Tuum eſſe tantùm: corpus ac tundi tibi
Graue eſt: propinqui viſus eſt clauus tuo.
Atque eſſet vtinam. ſic enim fortè in dies
Vorare plura feruidus deſiſteres,
Vt flamma, torrens vt rapax, peſtis velut,
Retinente nullo prorſus. ac nullum ex tuis
Opibus videris conſequi fructum mihi:
Accedat horum, quæ cupis, niſi quidpiam.
Pòſt manui opem fert ſedulam calumnia.
2 [2] *Si lædor, es tu creditor: mox carnifex,*
Tormenta, vincla. corpori parcit ſuo
3 *Pauper.: ſalutis cuncta dat cauſa:* [3] *bonis*
Eſt liberalis in ſuis, ſponte haud licet.

Diuitũ calumniæ.

Quid? functionis publicæ non es reus,
Nauarchiæq́; ? non faues prædonibus?
4 *(* [4] *Nomênque fingit, vt metu iniecto lucrum*
Captet.) Quid? an non bos tuus læſit meos?
Quî quæſo læſit? Altiùs, cum pauperis
Bos hominis eſſet, mugiit, pugnam expetens:
5 *Aut vicit etiam.* [5] *Præter hoc vmbra arborum*
Noſtris tuarum prominens noxam parit.
6 [6] *Tuúſque venit prædium in noſtrum puer.*
Hîc cedis: acres aut ſtatim iactat minas.
Sic bos puérque perditur, ſic hortulus.
Hæc vis aperta. Si malus ſit callidus,
Fabella tunc hæc luditur ſpecioſiùs.
Specie patroni vindicat ab iniuria
Miſerum: ſibíque ſubiicit, dum protegit.
7 *Vorátque pòſt hunc,* [7] *vt leo, qui à beſtia*

Auari leoni ſimiles.

Feras cruentas ſubmouet, non ducitur
Benignitate, ſed parat prædam ſibi.
Quid te fatigas? viuere contentum ſuo
Eſt facile: at ingens, non modum noſſe, eſt labor.
Diſsidia, lites, cum dolis periuria.
Vtq́; alia non ſint, at nigræ curæ tamen
[8] *Aliena ſemper his ſolent proponere.* 8
At dignitatem ſi parem menſæ obtinens,
Immodicus eſſes, & grauis ſodalibus,
Cunctis guloſè farciens ventrem cibis,
Non te probarint: in opibus multò minùs.
Odioſa vbique res enim nimia eſt fames.

Nimietas vbiq; odioſa.

At non videtur obruta mente hoc tibi?
Quiddam tenes iam, quiddam aues, quiddam leui
Spe fingis, aliud turba lenonum tibi
Captant, [9] *vt alij fœminam ad ſtuprum ſolent.*

Auari ſuos lenones habent.

Veneraris aurum, conditas veſtes habes
Tineis edendas. [10] *tritici emptor plurimus*
Te circum. at ipſe vertis in quæſtum famem. 10
Quidam ingemiſcunt: ſpes tenet contrà alteros.
Spes nam diurnum ſomnium eſt perquam leue.

Spes diurnum ſomnium.

Partim recludis horrea, & partim obſtruis,
Annonæ vt eſſe plurimum aut paulum vides.
Proh proh egentum demetis caſus graues,

Auarorum crudelitas.

Aliena quæſtus in tuos vertens mala,
Agrúmque faciens aſperam nouum famem.
Quis tu iſta, cauſis & quibus fidens, facis,
Habitura quem lux forſan eſt hæc mortuum,
A concupitis illico auulſum bonis?
Indigna res eſt, cuncta cum donent Deo
Alij libenter, corpora, & totas opes,
Tu [11] *plura contrà pectore inſano expetas:* 11
Vt conſequaris ipſe [12] *theſauros malos,* 12
Menſas onuſtas, gaudium arcti gutturis
Breue, in quod omnes [13] *confluunt curæ ſimul:* 13
Ventris tumorem noxium, [14] *& vomitum grauem.*

Saturitatis fœtus.

(Hos nam ſaturitas corporis fœtus habet.)
Domos ſuperbas, parte vacuas maxima,
Tecto micantes aureo, & tabulis item,
Comptóſque pueros fœminæ prorſus modo;
Vmbroſa denſi nemoris, & nimium meri,
Cantúſque lætos conſonis cum plauſibus,
(Imago dîa queis decus perdit ſuum)
Spirare in vrbe maximum quiddam, & caput
Efferre, primos ob thronos ſe attollere,
Thronos quibuſcum liuor & vis dimicant.
Namque alter altè ſurgere haud ſinit alterum,
Dum ſe ipſe in altum tollit, & tumet magis,
Squamæ vt draconis mutuò in ſeſe influunt.
Quid rurſum apud te maximo in pretio viget?
An fœminarum luxus in pellucidis
Gemmis, & auro, ſiue nexis, ſiue non?
Manuum pedumque vincla, onus gratiſsimum,
Per quæ venuſtas quæritur pulchro haud modo,
Multis placere maſculis prauè ſtudens?
An forte gnatos diuites relinquere,
Opúmque, luxus & paterni præſides?
Horum eſſet aliquid, vota ſi ſuccederent.
At nunc nec vlli mortis eſt notus locus,
Nec quónam ituræ ſint opes tandem improbæ.

Longos labores tu quidem forsan capis,
Vigilásque curis anxius noctu & diu,
15 [15] *Sic vt voluptas sit minor, quàm tædia.*
Tu fœneraris, fœnera vsuris alis,
Digitisque semper fœnerum summam geris:
Incerti diuitum hæredes.
At ista seruas, nec tibi, nec queis putas:
Verùm [16] *quibusdam: forsitánne extraneis?*
Bene res haberet, grauibus at forte hostibus,
Qui téque carpunt, & tuum luxum simul:
Dignatus es quos frustulo nunquam vnico.
17 *Horum aliquis, abs te* [17] *læsus sæpiùs,*
Salso irrigabat poculo qui te, ac tuam
Domum, calentes fletuum effundens globos,
Sudore partis viuet alieno bonis:
Pinguísque gallus, & caput sursum ferens,
18 *permulta quæ* [18] *nunc sculpis, haudquaquam probãs:*
Qui fortè panis ne quidem huic frustum dabit,
19 [19] *Quem mente vana fingis hæredem tibi.*
Adde ista, si quid cogitas, iungè insuper.
Torquere, vim adhibe, nil mali intactum sine:
Terræ profundos excute ac maris sinus.
Mortuorũ crines secare, Prouer.
Vel mortuorum deseca (vt dicunt) comas.
[20] *Reti sacrum fac, dextram adora, quæ tibi*
Tantum auri, opúmque copiam tantam attulit.
Postpone lucris omnia, propinquos tuos,
Hostes, amicos, deq́; te meritos bene.
Omnino nihil hæc different ab Euripis,
Aut à Charybde rabida, quæ classes vorat.
21 *Breui futurum est vt* [21] *vomas istas opes,*
Immodica ventris sarcina vt solet vomi.
Ventura vindex criminum vis est breui,
Aut hîc (quod esset melius) aut in posterum.
Paupertas honesta malis opib⁹ præstat.
Pauperiem honestam malo quàm prauas opes,
Atque humilis esse, quàm tumens fastu graui,
Pro sanitate deputans morbum integra.
Midas.
Vt Midæ, in aurum sic tibi verti omnia
Sanè decebat: par tibi pœna vt foret,
Iustam obtinenti non probo ex voto famem,
Auari Dipsadi similes.
Est viperarum quodpiam Dipsas genus,
Quas solitudo Pharia complures alit.
Ac vulnus eius quale sit, nomen docet.
Huic namque morbus, quem parit, nomen dedit.
Perit bibendo, quisquis hac ictus fuit,
Aquis repertis, totus in eas irruens,
Quousque nimio turgidus potu crepet.
Vita cadente sæua sic cadit sitis.
Nunquámne ad aures venit hoc quæso tuas,
Exo.16.
Fusum esse quondam cœlitus panem agmini,
Deserta quod per sicca carpebat viam?
At constituta pœna erat cupidis nimis.
Quod plus, olebat illico. nam muneris
Modus necessitas erat. id ergo pati
Homines iniquos scilicet iustum foret,
Vt vel creparent, opibus aut tum pessimè
Partis olerent. vnum id illos sisteret.
22 *Quin* [22] *ipse corpus obiicis cuiuis tuum?*
Sepulchra quin tu diripis, tecta effodis?
Opibus struendis si quidem omnino studes,
Nec vnde curans, nec quibus prorsus modis.
Omnium rerũ satietas, præterquã opum.
Figere decori, visui, atque robori
Modum, choreis, cantilenis, cursibus,
Verbísque, [23] *labor est id quidem, non vis rapax.*
At non modus [24] *opum est vllus, his sed exterus*
24 *Fruitur, labore parta quæ alius maximo*
Tenebat, aut quæ liquerat moriens pater.
His fruitur, inquam, pauculos sæpè ad dies,
Qui forte nec quæ possidet nouit bona.
Orbisne dabitur totus hic soli tibi?
Vt demus ipsum, [25] *nonnihil restat tamen.* 25
Quid ergo facies? addere hæc satages quoque,
Semper laborans, pauper ob restantia?
Cohibebis at te? quin idem nunc iam placet?
Fructus tuorum te iuuat. nescis modum?
Venenum opibus est mala amplificatio.
Opibus venenum, quas habes, addis miser:
[26] *Instárque flammæ est quicquid iniustè aduenit.*
Quodcunque tangit, id statim simul interit.
Simile.
Vt vnda salsa feruidam haud fugat sitim,
Nec flammam amoris fixus in amatam diu
Visus, sed inde surgit hæc duplo altior:
Cepere sic quod, nimia quos opum tenet
Cupido, virus plurium est sitim afferens.
Auidos quietis, vel quibus desunt opes,
Libens monerem, quidpiam vt darent malis,
Escam feris vt, dæmonum aut turba impia
Libamina (superstitio quos magis tenet)
Si certa nobis munere hoc esset quies.
Sic aliquid etenim forte haberent pauperes,
Vmbram improborum sine qui nullo tremunt.
Aduersus improbos nullum est remedium.
Ad cuncta sed nunc pharmacum est, demo improbos.
Saturo medetur inedia, & victus fami,
Inanitio aquæ intercuti, lenis nigror,
Ratio aut amicus luctui, molestiæ
Tempus, procellis visa fax, aut littora,
Oleúmque fessis: improbos at nil iuuat,
Præter Tonantem, vulnera, & pennas graues.
Impij pœnas non sentiunt.
Quanquam nec ipsas pestilens sentit cohors:
Obesitas nam vindicem quoque numinis
Vim spernit: animos genius & cæcat malus.
Æreũ impiorum dorsum.
Dorsum ille reddit æreum, vt, ferro velut
Incus, domari non queant mille ictibus.
Exempla veterum protinus multa afferunt.
O Christe, quidnam hoc? improbis lapsus viris
Cur optimorum, quæso, sunt abs te dati,
Quò fugere possent perditis in moribus?
27
Impij neglectis aliorum virtutibus vitia sola intuẽtur.
Insigne [27] *nemo cum bonum consideret.*
Vitij tamen nil tam leue est, quin improbis
Stultísque tabulæ sit loco, hanc vt exprimant.
Ad honesta ferrum, cera sunt ad turpia,
Facilè exprimentes quidquid est dignum probro.
Non sum pudicus? talis an non quispiam
Reperitur alter? ac probum aliquem proferet.
Perimo? Quid? an non hic quoque existet reus
Veterum aut recentum quispiam? Ditor malè?
Gentes & vrbes alius adiunxit sibi.
Iuro? quid? an non grauior est negatio?
Statímque finget qui fidem abiurauerit.
Leuiora tegere quo queat sic crimina.
Aduersus ista fabulam quandam libet
Referre (si quid ludere in malis decet)
Quæ quadret istis optimè versutiis.
Pulcherrima fabula.
Ridebat aliquis noctuam: scitè ast ea
Verbísque acutis scommata fugabat procul.
Heu quale collum! maius est multo Ioui.
Glaucedo quanta est! & Minerua cæsia.
Insuaue cantas: pica longè insuauiùs.
Pedesque tenues quàm tibi! sturno magis.
At, cuncta facili repulit vt negotio,
Superatur vno, quamlibet scita admodum.

[28] *Specta*

28 [28] *Specta (ille dixit) o ſagax, quòd vnicum*
Eſt cuique vitium: cuncta ſed valde tibi.
Collo alta, glauca, ſtridula, & tenui pede.
Ad hæc pudeſcens illa diſceßit ſtatim.
29 *At* [29] *tu nec iſtud: volucris aſt in fabula*
30 [30] *Multò, ipſe quàm ſis, cernitur ſapientior.*
31 *Te vitia fœdant omnia: hoc tuum eſt malum.*

Quibus peccatis venia debeatur.

Peccare namque, [31] *mentis abreptæ impetu.*
Semel iterúmque nonnihil, venia haud caret:
(Vt demus aliquid corporis caligini.
Nam ſolus omnis liber eſt culpæ Deus.)
At deſtinata mente cum peccas, malo
Et gloriaris, & frequens, & maxima
Committis, irriſúſque frontem perfricas,
Plagis nec vllis effici melior cupis,
(Queis eruditur quiſque vel miſerrimus,)
Nudóque capite ferris in pericula,
Hoc verò morbus eſt malus, perquàm & grauis.
Tete ipſe ſpecta, quidque Lex à te exigat,

Hæc ob id ait, quod piis olim opes non defuerint.

Quid facere, quid non, debeas. ſpecta quoque
Sint cuius illa temporis, cuius typi.
Ortum trahebat tunc fides. vt paruulis
Opus ergo tenui victu erat, ductu & manus.
Ob ídque venia danda tunc lapſis erat.
Tibi non perinde, plena iam cùm ſit fides,
Chriſtúſque multa tulerit ob noxas tuas.
Verùm ob patrata pœna te vindex manet.
Quid ob patrata dico? ob hæc, quæ nunc patras.
32 *Et* [32] *captiones hîc habet multas Deus.*
(Necdum, in futurum quæ manent, tibi profero.)
Tibi domus, vxor, filij, ſi quid tibi
33 *Charum eſt (*[33] *ſuperbus es quidem, his at commodus)*
Opes & ipſæ, luxus, & fiducia,
Et corpus ipſum denique. hæc habens, onus
34 *Tantúmque vitæ, moneo* [34] *cautè nauiges.*

Auarorum obiectio.

[35] *Quid? (inquis) an nõ tibi quoq;, & morbi, & graues*
Caſus, inopſq; vita? non tecto cares?

Greg. reſpondet.

[36] *Aliena rurſum ſæuus exagitas mala.*
Noſtræ quid at te miſeriæ? (ſic nam voces

Simile.

Quæ dura patior.) tune correptus febri,
Leuius doleres, alterum ægrotum videns?
Audi deinde: diſpar eſt ipſum pati.
37 *Horum* [37] *ipſe quædam paſſus haud ſum, ſed lubens*
Feci. vagari nam libet, cenſu liber
Carere. liber vinculis nam ſum omnibus.
Nec vlla ſedes vſpiam hîc fixa eſt mihi.
Tibi chara ſunt hæc? at mihi contraria.

Leo ex ſimia non metiendus.

Ne tu [38] *leonem metiare ex ſimia.*
[39] *Calamitates hæc putas? ſortem grauem!*
[40] *Angor quibuſdam rurſus (*[41] *haud negauero,*
Mihi quippe limi, cum ſim homo, pars eſt quoque,
Lignique, & illinc gaudij orti noxij:)
Toleranter iſta pectore at fero tamen.
42 *Cruciatus iſte* [42] *robori præſtat tuo.*
Mecum iſtud etiam tu, velim, conſideres.
Vexamur ambo: criminum ſed tu luis
43 *Pœnas:* [43] *apertè hoc arguunt mores tui,*
Sæuum tribunal mentis, & clarum admodum,
Ærumna contrà nonnihil mea crimina,
44 *Fuliginémque, vel* [44] *leuem, expurgat meam.*
Quin forte luctæ eſt inſtar hæc moleſtia,
Vt hoſte victo nobilem palmam aſſequar.

Medico nõ illudendũ.

Quid iſta? quiſnam fructus ex verbis tibi?
Nemo medenti, præditus mente integra,
Illudit: aut ſic ſemet imprudens necat.

Duplex morbi genus.

Morbus duplex hic, vel Deum contemnere,
Malis vel omnino obrutum cunctas procul
Spes effugare. monita ſed noſtra excipe.
Neutrum tibi ex his accidat. pari in malo
Hæret, Deum qui temnit, & qui ſpem abiicit.
Eſt ille iudex: eſt item dulcis pater.
Vt iudicantem metuis? at benignitas
Te firmet. ecquid doleat, expone, ac pete
Supplex ſalutem, lachryma ob plagas tuas.
Egentibus da, præſides qui ſunt tui,
Qui largiuntur affatim, queis eſt opus,
Nobis, bonas ſpes, criminum veniam à Deo.

De noſtro dandum.

Da porrò, ſi das, de tuo: nec [45] *vel ſacram*
Menſam, nec inopes opibus ereptis tege.
Regis ſupremi fictus eſt pauper manu,
Ob ídque pretij maximi: hæc venerabilis.
Nec tu Tonantem, iudicem vt prauum, [46] *ſtude* 46
Surripere, fiat ne tibi hinc infenſior.
Surripere tune hunc, furta qui vetat, doces?
Flexere ſi te hæc, pulchrè habet: ſin at minùs,
Quandoque ſaltem rapere, quæſo, deſine.
(Rei ſaturitas omnis eſt, bonæ & malæ.)

Improbis laus eſt à malo deſiſtere.

Hoc quoque tuorum laudibus tollam. improbis
Nam magna laus eſt à [47] *malo deſiſtere.*
Si flecto, pulchrè eſt: ſin minus, buſti tui
Te ſubmonebo (finis id cunctis malis)

Herculis columnas & Caſpias portas ſuperare.

Quod par habebis omnibus, licet Herculis
Superes columnas, Caſpias portas licet,
Conciuiúmque, proxima & bona colligens:
Quod, opinor, alter diruet, ritu tuo
Obliqua figens (ſic ſoles) veſtigia,
Vafri magiſtri diſciplus nocentior.
Horrendum & illum rurſus obiiciam diem,
In quo tenebræ, flammáque eſt, & tartarus,
Queis vindicatur quicquid hîc commiſimus,
Et per quæ imago quæritur, planè obruta
Aſtus per anguis ſubdoli, per gaudia
Qui nos ineſcans peßima, in caſſes trahit.
At ipſe quonam crimina effugiam modo,
Quibúſque pennis, quærito, & quo gurgite
Terræ mariſue, vel quibus ſophiſmatis,
Orbíſue quemnam limitem extremum petens,
Qua nube, quáue me tegens caligine,
Quibúſue precibus cælitum exorans patrem.
Vbíque terna hæc ſunt enim, tempus, locus,
Noxæq; prompta, facilis &, contagio.
Legi Dei parebo. quid verò hæc iubet? Mat.10.
Ex vrbe in vrbem pergite. [48] *fugæ ſiquidem* 48
Quædam ſupererunt (dixit hoc Chriſtus ſuis)
[49] *Procul exigetur cum poli rector Deus:* 49
Omnes obibo, donec ignis vltimus
Adſit, malorum ne graues ſubeam impetus.
Illic habebit vltio hos, nolint licet.
Non iam moleſti ſedibus ſuperis erunt,
Inopes nec illinc, vt modò, expellent foras.
Quin fortè ab ipſis guttulam exiguam petent,
Ardor leuari nonnihil flammæ vt queat.
Hoc diues ille, Lazarus téque hoc docet. Luc.16.
Quorum ille pœnas vnicum ob luxum dedit,
Premeretur alter cum fame & molle vlcerum;
(Pellebat enim Lazarum, vt tu pauperes)
Hic contrà honorem, [50] *cuncta quod ferret, tulit.* 50
Hoc tremulus audi, quod loco dicam vltimo.

Soli auari idololatræ vocantur. Ephe.5.

Multi [51] licet sint, & vocentur, improbi,
Idololatra dictus est solus tamen,
(Quo nullum in æuo grauius est vsquam scelus)
Qui præter aurum nil scit, aut nil cogitat:
Facturus vt qui hoc facilè sit, morbum ob suum,
Si tempus adstet quidpiam lucri afferens,
Vel [52] execrandum quòd Chamos Plutum colat. 3. Reg. 11.
Pellamus ergo fœda simulachra, & Deum
Solum colamus, nosse quem nobis datum.

SCHOLIA.

1. *Si quid mones)* Apparet enim ex contextu πάθῃς legendum esse, non πάθῃ: ut etiam aliquanto pòst, pro ἔτι, ἔτης.

2. *Si lædor, es tu creditor)* Hæc in Card. Sirleti libro sic extant ὕβρεις μ' ἔχω χρήστην σε. At non est dubium quin ita scribendum sit, ὕβρεισμ'; ἔχω χρήστην σέ, id est. Egóne contumeliam aliquam à quodam accepi? Statim creditorem te habeo, mox autem rigidum exactorem. Leuuen. Iniurius es, meo es in ære: statim carnifex &c. In quo præcipuum hoc illius erratum est quòd χρήστην idem esse putat, quòd χρεώστην, cum tamen oppositum significet, nempe creditorem.

3. *Bonis est liberalis in suis)* Elias Cretensis in Commentariis suis non semel annotauit, μεγαλοψυχίαν apud sacros Authores pro liberalitate frequenter vsurpari. Quoniam autem hanc vocem Iambicus versus non libenter admittit, idcirco Gregorius hoc loco ἀντὶ μεγαλοψύχου εὔψυχον dixit. Atque hoc vocabulo illud innuit, tenuiores homines, vt iniuriam à corpore suo propulsent, bonorum suorum iacturam, quamuis iniquo & inuito animo ferre. εὔψυχον lætum vertit Germ. Interpres: sed parum propriè.

4. *Nomenq́ue fingit)* Eiusmodi prædonis nomen fingit, qui nusquam est.

5. *Præter hoc vmbra arborum)* Corruptissimè hoc loco in Romano codice est δένων δ' ἐσκιά, pro δένδρων σκιά.

6. *Tuusque venit prædium)* Concordant in errore duo codices. Habet enim vterque κορίῳ. Vnde etiam Leuuen. puellam vertit. At tamen χωρίῳ legendum esse, facilè animaduertere possunt, qui iudicij aliquid adhibent. Nam alioqui in quinto pede trochæus esset: quem lex Iambici carminis nusquam admittit.

7. *Vt leo qui à bestia)* Pulchra similitudine vtitur Gregorius, à Leuuenklaio tamen nullo modo intellecta, prorsus indeque pessimè conuersa. Hæc enim verba, ὡς λέων ζῴου τινὸς θῆρας διώξας οὐ φιλανθρωπεύεται &c. quemadmodum leo prædam alicuius animalis persecutus minimè se declarat: cum contrà vertendum esset, vt leo, cum feras ab aliqua bestia fugat, benignitate minimè fungitur. Etenim Author noster diuites eos, qui speciem quidem benignitatis interdum pauperibus exhibent, ipsos nempe ab aliorum iniuriis defendendo, sed hoc eo faciant vt eos tandem fortunis omnibus euertant, leoni comparat, qui cùm à bestia quadam feras alias propulset, hoc non benignitatis studio facit, sed vt ipse paratam & promptam bestiam habeat, quam deuoret.

8. *Aliena semper his solent proponere)* Hoc est, alienas res, quæ ipsorum cupiditatem incendant. Hanc vocem ἀλλότρια omisit Germ. interpres: in qua tamen præcipua verborum horum vis consistit.

9. *Vt alij fœminam)* Planum est hoc loco legendum esse εἶναι, vt etiam legit Leuuenklaius. Qui tamen in huius versus translatione fœdum in modum hallucinatur, dum corporum morbum in proprio sensu accipit, nec animaduertit his verbis libidinem designari. Ad aliena enim bona occupanda, inquit Gregorius, præsto tibi sunt proxenetæ quidam ac lenones, non secus alij quidam sunt in rebus venereis. At Leuuen. Prò quàm diuersi sunt ab hoc morbi corporum! Vt autem hîc exclamat ille, sic etiam ipse exclamare possim, Prò quàm diuersum est quod ais à Gregorij mente!

10. *Tritici emptor)* σιτώνην horreum vertit Leuuen. sed malè. frumenti enim emptorem significat. Eodémque modo, σιτώνην, quod gerendi significationem habet, ad horrea refert, atque ita reddit, quasi esset σιτῶνας.

11. *Tu plura contrà)* Pro θεῖον, πλέον hîc lego: vt sit sensus, rem sanè indignam & grauem esse, cum alij omnes etiam facultates suas Deo dono dent, auarus tamen à pia hac largitione tantum abesse, vt etiam plura, quàm habeant, habere studeant. Si cui hæc emendatio minùs placet, gratum nobis fecerit, si meliorem afferat. Nam θεῖον prorsus tollendum esse ipsa verborum constructio satis indicat. Vnde etiam Leuuen. dum hanc lectionem retinet, nihil aliud quàm balbutit.

12. *Thesauros malos)* δεινούς, id est, horrendos & funestos. Leuuen. miros.

13. *Confluunt curæ)* Φροντίσματα est in textu: in margine autem Φορτίσματα, id est, onera. Vtraque lectio commodum sensum habet.

14. *Et vomitum grauem)* Hoc enim per saturitatis morbum intelligit.

15. *Sic vt voluptas)* ὡς πλεῖον εἶναι τὸ στενὸν τῆς τέρψεως, id est, ἢ τὴν τέρψιν. Quod Leuuenklaium fefellit, cum vertit, Quo fit, vt minori delectatione fruaris.

16. *Verùm quibusdam)* Mendosus est hoc loco Card. Sirleti liber. Sic enim habet: ἀλλ' ἔστιν ὥσπερ ἐστὶν ξένων τυχόν. Hoc tamen modo mihi emendari posse videtur: ἀλλ' ἔστιν ὥσπερ ἐστὶν (nostri dicunt, ils sont à qui ils sont.) ἢ ξένων τυχόν; an forte externorum?

17. *Forte læsus)* κακῶς πάσχειν hîc non simpliciter significat vexari (vt putat Leuuen.) sed iniuria ab aliquo affici: vt patet ex eis quæ sequuntur.

18. *Nunc sculpis)* Pro γλυφᾶν, quod nihil significat, reposui γλυφῶ.

19. *Quem mente vana fingis hæredem tibi)* Eleganter eum, quem diues ille, vana spe ductus, habiturum se hæredem opinabatur, inanium duntaxat imaginationum hæredem vocat. Leuuen. hæc verba τῶν κενῶν φαντασμάτων

σμάτων Parenthesi claudit, vertitque, O vanas animorum imaginationes: non scilicet aduertens ea pendere ex dictione χλευασμός. 20. Reti sacrum fac) Vide scholia nostra in Carmen Iambicum schol.

21. Vt vomas istas opes) Vim huius verbi ἐκβληθῆναι nõ satis hoc loco expressit Leu. cũ vertit, ex abditis locis proferetur. Alludit enim Greg. ad illud Iob Cap. iuxta 70. Diuitiæ iniquæ euomentur. Hîc itaq; ἐκβληθῆναι, idẽ est quod, ἐξεμεθήσεται. De cuius vocabuli pulchra explicatione vide quid Nicetas dicat in sch. Ora. in plag. grãd. Aptè porro Gregorius nimiã opũ cõgeriẽ nimiæ saturitati cõparat. Vt enim ex hac cruditas, ac proinde vomitus cũ ingenti dolore cõiunctus oritur: sic etiã ex nimia congerẽdarũ opũ cupiditate graues animæ dolores cõflantur.

22. Quin ipse corpus) i. Quin, si tãta diuitiarũ siti ardes, corpus tuũ libidinis causa cuilibet permittis? Leu. nullo modo intellexit quid sibi velint hæc verba, τὸ σῶμα τοῖς θέλουσιν ἐκδιδόναι. Hæc porro per aculeatã Ironiã dicũtur.

23. Labor est id quidem) Ad verbum, laboris est opus. Defatigatio enim efficit, vt his rebus modũ imponamus. Leu. hæc verba ὡς ἁρπάγματος iũgit cũ versu sequenti: sed quã detortè, & ab Authoris mẽte alienè, quis nõ videt?

24. Modus opus est) κτῆσιν habet Sirleti liber: sed mendosè. Legendum fortasse χουσοῦ, vel κλώσιν. Nec enim hîc quicquam affirmo.

25. Nonnihil restat tamen) Superiori versu οἰκουμένη non in genere pro toto terrarum orbe accipienda est (nam alioqui nihil acquirendum restaret) sed duntaxat pro iis terræ partibus quæ ab hominibus incoluntur.

26. Instárque flammæ est) In Card. Sirleti libro est, καὶ φλὸξ ἀκάνθ᾽ ὃ περιέχεται χαλκός. Vbi facile esset reponere ἀκάνθης. Verum, præterquam quòd non video quorsum potiùs spinarum, quàm cuiusuis alius ligni mentionem facere queat, notula etiam illa quæ in dictionis fine sublatam aliquam vocalem indicat, non mihi videtur temerè hîc appicta. Vnde mihi venit in mentem suspicari legendum esse ἢ φλὸξ ἅπαν τοῦθ᾽ ὃ περιέρχεται χαλκός. De quo tamẽ penes doctos viros sit iudicium. Quoquo autem modo legamus, sensus eodem cadit: nimirum opes iniquè partas instar flammæ esse. Vt enim flamma ea omnia, quibus admouetur, absumit: eodem modò diuitiæ iniquis artibus comparatæ, iis etiam quæ priùs honestis rationibus quæsita fuerant, perniciem afferunt.

27. Insigne nemo cũ bonũ consideret) Hoc loco iustã querelã mouet de multorũ hominũ improbitate, qui in optimis & sanctißimis viris, nullã ex plurimis & pulcherrimis virtutibus, quæ in eis elucent, vllo modo considerãt, ac multo minùs imitãtur: at si næuos quosdã in iisdẽ, & exiguas aliquas labes animaduertant, statim eas moribus suis exprimunt. Ait igitur Greg. Bonum, etiã amplũ atq; insigne nemo cõsiderat, nedũ ad imitandũ sibi proponit: at cõtrà nullũ tam leue vitium est, quod improbi non statim æmulẽtur. Hoc idcirco explanandũ duximus, quod Leu. parum felicem interpretem hîc exhibeat. Neq; enim alioqui πίνακα (hoc est, τύπον & παράδειγμα, longũ indicem transtulisset. Nec enim hîc de librorum tabulis agitur, nec de exiguo vitio longus index confici potest.

28. Specta, o sagax) ὦ, nõ ὡς legẽdũ esse, qui nõ ex iis quæ sequũtur, facilè colligat, vix quẽquã esse existimo: quãtũuis priorẽ lectionẽ Leu. sequatur. Qui etiã sensũ obscurat, dũ ait, illorũ vni saltẽ vnũ quid adest, pro vnũ dũtaxat.

29. At tu nec istud) Hoc est, ne pudore quidem afficeris. Leuuenklaius ne hoc quidem admittis.

30. Multo, ipse quàm sis) Nouè hic Leu. dixit mentis tuæ prudentior, pro, mẽte tua. Verùm hoc ei libẽter remittemus, modò in sequenti versu errorem suum ingenuè agnoscat. Hæc enim verba εἰς σὲ τὰ πάντα, τοῦτο σοῦ τὸ δυσχερές (id est, in te vno vitia omnia insunt: hoc malum est tuum, vel hoc causam tuam grauem reddit.) Omnia debẽt vnius esse. id te tam difficilem reddit. Quasi verò hîc de opibus sermo sit, ac non de vitiis: quæ cum singula in aliis insint, in hoc misero diuite cuncta in vniuersum esse ait Gregorius.

31. Mentis abreptæ impetu) Deus bone, quas tenebras per summã inscitiã huic loco Leuuen. offundit! Qui vnũ quid rapuit, inquit, ac fortaßis etiã altera vice, parũper impingens .s. veniã meretur. Certè ipse (dũ ita vertit) vt qui nõ parũper, sed grauiter impingat, de sua sentẽtia veniã nõ meretur. Sed eo misso Gregorij verba explicemus: Semel quidẽ, inquit, per animi surreptiõe, aut etiã iterũ, aliquid peccati, modò exigui, admittere, venia dignũ est. Nã cũ Theologi Græci aliquẽ, nõ animi destinatiõe, sed repẽtino aliquo motu peccare aiũt, eũ συναρπαγέντα, vel παρασυρέντα, aut etiã ἐκ συναρπαγῆς ἁμαρτάνειν dicũt. Cui' rei exẽpla paßim occurrũt, præsertim apud Chrysostomũ.

32. Et captiones) Hinc quoque diuites ad beneficentiæ studium hortatur, quòd multa habeant, quæ fortuna feriat. Itaque pia largitione quærendum ipsis à Deo præsidium esse.

33. Superbus his quidem) Mirè hoc loco deprauatus est Card. Sirleti codex. Sic enim habet, ὑπὲρ μόνῃ σύ γ᾽ ἀλλὰ τοῖς δεξιός. Quibus verbis cũ à Germanica translatione nonnihil medicinæ quærerẽ, eò me frustra cõtuli. Videtur enim Interpres eodẽ modo legisse: vt qui sic verterit. Modò tu prosper illis maneas. Cùm ergo sola mihi coniectura hinc restaret, post varias cogitationes mihi tandẽ visum est, hũc locũ ita demũ integritati suæ restitui posse, si legamus, ὑπερόπτης σύ γ᾽, ἀλλὰ τοῖς δεξιός. Sic enim aptißimus, ni fallor, sensus erit. Cũ enim versu præcedenti dixisset, Domus tibi est, vxor, filij, & si quid aliud charum est, quoniam quidã percunctari poterant, quĩ fieri posset, vt in tanta superbia & importunitate vlli charus esse posset, huic tacitæ interrogationi respondet Gregorius, dicens, Tu quidem superbus es & contumax atque inamœnis moribus: his tamen commodus & facilis.

34. Cautè nauiges) Gr. ἀσφαλῶς. Leuuen. tutò.

35. Quid, inquis) Verba hæc sunt diuitis illius, Gregorio paupertatẽ, & morbos, ac res aduersas obiicientis. Quæ tamen in Leuuenklaij versione ita concipiuntur, quasi Gregorius inchoatum sermonem adhuc prosequatur. Quæquidem personarum confusio non paruam caliginem huic loco inuehit.

36. Aliena rursum) Gregorij responsio est. In qua, vt illud interim donet, in malis habẽda ea esse, quæ diues ille ipsi obiiciebat, nõ propterea tamen miserum eũ esse ait, etiamsi ipse quoque alio miseriarum genere conflictetur. Postea autem de iis rebus, quæ aduersitatis speciem habent, pulchrè, ac perquam Christianè disserit.

37. Horum ipse quædam) Res aduersas ita diuidit, vt quasdã hoc nomine appellandas esse neget, cũ voluntariæ sint, vt paupertatẽ, & ex aliis locis in alia loca oberrationẽ: in aliis autem, vt corporis doloribus, patientiã adhibeat. Quanquã de morbis quoq; in Orat. de seips. cũ rure redisset, illud cõmemorat, nõ omnino eos ex improbo corporis temperamento fluxisse, verùm ex spontanea quoq; corporis attritione aliqua ex parte contractos esse.

38. *Ne tu leonem) Hoc prouerbium de iis non ineleganter vsurpari potest, qui, propterea quòd ipsi in voluptatibus & deliciis summum bonum ponunt, optimos viros ob præsentis vitæ labores & calamitates miseros & infelices ducunt.* λέγουσι, pro λέουσι, *habebat hoc loco Serletinus codex.*

39. *Calamitates hæc putas) Vna litera superflua non parum venustatis huic versui detrahit. Quid enim saporis hæc habent, Hæc igitur tu calamitates existimas tanquam calamitates? Nihil profectò, meo quidem iudicio. Vnde etiam Leuuen. duo postrema vocabula, tanquam superflua, omittit. Ego tamen vnius duntaxat literæ detractione contentus ero: nempe vt pro* ὡς *legamus* ὦ, *& sequenti dictioni admirationis notam appingamus. Sic enim erit sensus: Hæcne tu calamitatem existimas? O calamitatem! Etenim reuera calamitosum & miserum est ita sentire.*

40. *Angor quibusdam) Hîc posterior diuisionis pars est. Nam cum dixisset quædam esse, quæ, vt pote voluntariè suscepta, nihil ei mœroris afferrent, nunc quædam rursum esse ait, ob quæ doleat quidem, sed tamen patientiam præstet. Hæc minus animaduertens Gregorius, ac cum superiore diuisionis parte confundens, Gregorium secum pugnantem inducit. An non enim apertè à se dissidet, qui ea se grauiter molestéque ferre ait, quæ paulo antè sibi placere dixerat?*

41. *Haud negauero) In Illustriss. Sirleti libro est* ἀνίωμαι. *Sed nemo est, nisi planè rudis, qui ex sensu non facilè videat legendum esse* ἀρνήσομαι.

42. *Robori præstat tuo) Pro robore potentiam vertit Leuuen. sed parùm aptè.*

43. *Apertè hoc arguunt mores) Quòd propter scelera puniaris, perspicuo argumẽto est morũ tuorũ improbitas.*

44. *Vel leuem)* τυχόντος αἰτάλης. *Leuuen. quam fortè contraxi.*

45. *Nec vel sacram mensam) Mensæ enim vocabulo sacram mensam intelligit, vt constat ex his quæ mox sequuntur,* ἡ δὲ χοῦ σεβασμία.

46. *Stude surripere) Eum, qui post multas opes sceleratè partas, aliquid in pios vsus erogat tanquam hinc scelerum impunitatem empturus, huic pulchrè comparat, qui iudicem pecunia corrumpere molitur. Nescio quid Leuuenklaium mouerit, vt* ὑποσπᾶν *eximere verteret: cum hoc loco nil aliud significet, quàm* ὑποποιεῖσθαι, ὑποκλέπτειν, οἰκειοῦσθαι, *hoc est muneribus, aut artibus quibusdam iudicis fauorem sibi conciliare. Suspicor ei hoc idcirco accidisse, quòd non intelligeret hanc vocem* καὶ *exornandi potius sermonis causa, quàm aliquid significandi, positam esse, vt sæpe solet etiam apud Latinos & Gallos.*

47. *A malo desistere)* ἵστασθαι τῆς πονηρίας, *non est aliquantum de improbitate remittere, vt vult Leuuen. sed improbitati finem constituere: vt hoc loco, cum id contendit Gregorius, vt si auarum hominem ad liberalitatem & beneficentiam traducere nequeat, saltem ab eo impetret, vt bona sua rapinis & latrociniis augere desistat.*

48. *Fugæ siquidem) Error est in Sirleti libro, & (vt ex Leuuenklaij versione colligo) in Germanico. Legendum enim pro* λελήψονται, λελείψονται, *vt patet ex Christi verbis Mat. 10. Vult quippe Gregorius, antequam pij viri, persecutorũ rabiem fugientes, vites omnes obierint, Christum venturũ esse, sicq; quasdã eorũ fugæ residuas fore.*

49. *Procul exigetur) Nullo modo probari potest, quòd Leuuen. vertit, Quum Deus persequetur. Legendum enim esset,* ὅταν διώκῃ. *Atqui in Cardinalis exemplari est* ὅταν διωχθῇ ὁ χεχρηστός *&c. Mendosè quidem (quis non id videt? hæc enim lectio versum vno pede claudicantem reddit) sed ita tamen vt error facile corrigi possit, si legamus* διωχθῇ. *Id enim mihi multo magis placet, quàm si reponatur* διωχθῇ: *propterea quòd prius vocabulũ ad scripturæ illius, quæ est in codice Sirletino, similitudinem multo propius accedat. At dices, Quónam pacto propelli atque in fugam agi Deus potest? Nimirum si ipsius doctrina, & qui eam colunt, aut etiam prædicant, exagitentur atq; in fugã vertãtur. Sic enim Christus Saulo dicebat, Quid me persequeris? cũ dũtaxat ipsius seruos diuexaret.*

50. *Cuncta quòd ferret) i. quòd æquo animo calamitates omnes ferret. Necesse enim habeo hoc quoque explicare, quoniã nec in tã facili loco Germanus Interpres lapsum vitare potuit. Exponit enim* φέρῃ ἅπαντα, *omnia habere.*

51. *Multi licet sint) In neutro hanc vocem* πολλῶν *accipit Leuuen. minus tamen aptè, vt mihi quidem videtur. Sensus enim horum verborum est huiusmodi: Cum multi improbi & sint, & appellentur, solus tamen auarus Idololatra nuncupatur.*

52. *Vel execrandum quòd Chamos) Chamos, Moabitarum idolum erat. Ac Greg. in Orat. in plag. grand. ait quidem auaros perinde aurum & argentum colere, vt olim quidam Baal, & Astartem, & Chamos adorabant: sed cur hîc potissimum Plutum Chamos vocet, ex eius scriptis colligi non potest.*

DE SEIPSO Iambicum vigesimumtertium. Εἰς ἑαυτόν.

ARGVMENTVM.

Post multas & graues ærumnas ac molestias, quibus Gregorius apud Constantinopolim, tum ab hæreticis, tum ab inuidis quibusdam Orthodoxis affectus fuerat, in patriam reuersus, velut in portu nouas procellas offendit. Nam & Nazianzenam Ecclesiam Episcopo destitutã reperit; & improbos quosdam Presbyteros, qui optimo viro, nihil non studij atque operæ suscipienti, vt vir quidam pius huic vrbi præficeretur, partim tectè, partim apertè obstiterũt. Quã molestiã illud etiã magnopere auxit, quòd Ecclesiã illã, in qua excolẽda tot labores quodã exhauserat, ab Apollinaristis infici ac peruastari videbat, quibusdã vicinos huiusce calamitatis spectatores otiosos se præbentibus. Hæc vir sanctus hoc Carmine deplorat, Iambico quidẽ, sed non trimetro, verùm ita constructo, vt prior versus sit dimeter Iambicus, posterior ternis pedibus constet, quorũ duo vltimi sunt Iambi, primũ Spondæũ etiã admittit.

Η πολλὰ

Ἡ πολλὰ πολλὰ γίνεται	*Permulta certè plurimi*	
Μακρῷ χρόνῳ βροτοῖς.	*Secum trahunt dies:*	
Τλητὸν δ᾽ ἅπαν ὅκεν φέροι	*At ferre quæ mittit Deus,*	
Βίον στρέφων θεός.	*Vitam regens, decet.*	
Ἐγὼ γὰρ ἃς μὲν ἔσχον ἐν	*Namque ipse quos in extero*	
Ξένῃ πόλει πάθας,	*Casus solo tuli,*	
Λόγῳ πεσόντι σύμμαχον	*Verbis ruentem dum fidem*	
Γλῶσσαν φέρων ἐμὴν,	*Gnauus iuuo meis,*	
Ἄλλους λέγοντας αἰνέσω.	*Laudabo quisquis concinet.*	
Πολλοὶ λέγουσι δὲ,	*Multi canunt, scio,*	
Ξένοι φίλοι τε πίστεως	*Tam qui fidem rectam colunt,*	
Ἐμοὶ σεβασμίας.	*Quam quisquis exterus.*	
Οὐδὲν γὰρ οὕτως οὔποτε	*Nam talis* [1] *orbis motio*	
Ὀλὴν ἔσεισε γῆν	*Nunquam, reor, fuit,*	1
Ὡς πνεύματος παῤῥησία	*Quàm sanctus est cum Spiritus*	
Θεοῦ βοωμένου.	*Dictus Deus palàm.*	
Ὃ καὶ προσάντη τοῖς φίλοις	*Ob idque me liquit fauor*	Zelus Gregorij odiũ ei cõflauit.
Τέθηκεν, οἴδαμεν.	*Chari mihi gregis.*	
Καὶ σοὶ, μάκαρ, πλείστη χάρις	*Ob tale grates dedecus,*	
Καλῆς ἀτιμίας.	*Pendo Deus tibi.*	
Ταύτης γὰρ εὐκλεέστερον	*Quod namque ferre quispiam*	Sũma gloria, pro pietate dedecore affici.
Τί ἂν πάθοι βροτός;	*Maius queat decus?*	
Ἃ δ᾽ ἐνθάδ᾽ εὗρον οὐ δοκῶν,	*At nactus hîc quæ sum haud putans,*	
Αὐτὸς φράσω φίλοις,	*Cohors sciet famens:*	
Ὡς ἂν μάθωσιν εὐκόλως	*Vt ferre discat leniter*	
Φέρειν φθόνου πάλας.	*Liuoris impetus.*	
Θεοῦ μὲν ἦν λόγος πάλαι	*Olim Deus pulcherrimè*	
Κάλλιστος, ὡς θεοῦ,	*Dixit, velut Deus,*	Luc.4.
Πάντα προφήτην τίμιον	*Quòd quilibet vates fere*	
Ξένοις νόμοις δοκεῖν,	*Sit charus exteris,*	
Τὸ γνώριμον δ᾽ ἄτιμον	*Contráque sæpe fiat vt*	
Ὡς πολλὰ τυγχάνειν.	*Spernatur à suis.*	
Ἐγὼ δὲ τοῦτο καὶ πλέον	*Istud mihi nunc contigit,*	
Πέπονθα νῦν σαφῶς.	*Quiddámque durius.*	
Ἐπεὶ γὰρ ἠκόμην ξένης	*Nam cum relictis exteris*	
Λιπὼν ἕδος χθονὸς,	*Reuersus vrbibus,*	
Καὶ γῆν πατρῴαν ἀσμένως	*Plebémque dulcem & patrium*	
Λαόν τε τὸν γλυκὺν	*Vidi solum lubens,*	
Ὡς εἶδον, ὢχ᾽ ὑπέδραμε	*Hæc arca menti protinus*	Gen.7.
Κιβωτὸς, ἡ μόνη	*Occurrit, vna quæ*	
Κόσμου φυγοῦσ᾽ ἐπίκλυσιν	*Effugit has vndas, quibus*	
Καλῶς ὀλωλότος.	*Est mundus obrutus:*	
Καὶ τὴν γὰρ ἐκλελοιπότος	*Et hanc enim, penè obruta*	Greg. pater Ecclesiam suã ab hæresibus integram seruat.
Ὀρθοῦ λόγου σχεδὸν,	*Prorsus pia fide,*	
Ὑπέκλεψε τῷ ξύλῳ	*Seruauit excellens, ope*	
Μέγας πατὴρ ἐμὸς,	*Ligni, pater meus:*	
Ὅλης ὅλον τῆς τριάδος	*Dum Trinitatis integræ*	
Λάτριν καταστήσας.	*Hanc ille reddidit*	
Τοῦτον κάμνοντ᾽ ἀναρχίᾳ,	*Cultricem.* [2] *At ipse præsule*	2
Ναῦν ὥς τιν᾽ ἐν βυθοῖς	*Cassam (velut ratem*	
Ἔρημον οἰακοστρόφου,	*Rectore vacuam) turbine*	
Στρευβλούμενον ζάλῃ	*Pressam graui admodum,*	
Κακῶν μεγίστων ἤθελον	*Malis studebam è maximis*	
(Λιθαζέτω με πᾶς,	*(Quisquis volet, petat*	
Ὡς ἐκ παλαιοῦ, τοῖς λίθοις	*Saxis me, vt olim: commodè*	

Compactus ipse sum)
Imóque trahere per manum
Rectoris optimi:
Quem posse noram fluctibus
Probè resistere:
Munus licet quæstorium
Subisset hic recens.
Hæc expetebam: liuor at,
Infestus optimis,
His, constituta quæ bene,
Malignus obstitit.
Presbyteros intelligit. *Primum, secundos qui tenent*
Templi sacri thronos,
(Senatus ille splendidus,
Plebique præsidens,)
In me fuerunt haud boni,
Quis credidisset hoc?
Quosdam tenebat paruulus
Adhuc enim pudor.
Simulati bicolori vesti similes *His vestibus non dispares,*
Color quibus duplex.
Hi fronte pro nobis erant,
At corde non item.
Hos laudo, dementes velut
Latere quòd student.
3 *Nam [3] peior est, quàm dedecus,*
Aperta seruitus dedecore peior. *Aperta seruitus.*
Infesta pars at altera
Erat palam mihi.
Paruum videri nam pudor
His improbos erat.
4 *O [4] Sarcolatræ, spernitis*
Qui cœlitum patrem,
Heróque pro vero datis
Cultum Beelphegor,
Vbi sacra mensa est? integrè
Sanctéque iudicet.
Vbi panis, aut hæ sunt manus,
Quæ spiritum sacrum
Traxere vobis? vos quoque
5 *[5] Calcate gratiam.*
Hîc soluo plebem crimine.
Mirum quid est enim
Hæc si patret, cum præsules
Sit nacta tam malos?
Vix namque præfectos habens
Probos, esset proba.
Quanquã istud haud, gnati mei,
Hausistis à patre
(Parumper externam licet
6 *Plebem [6] ipse rexerim)*
Leges magistri dictáque vt
Spernatis improbè.
Perferre sed quibam tamen
Hæc dura fortiter.

Αρια θ' ἡρμοσμένον)
Ὥσαι βύθου γὰρ ἤθελον
Κυβερνήτου χερί,
Ὃν ταῖς πνοαῖς ἠπιστάμην
Μάλιστ' ἀντιστάτην,
Καίτοι νεωστὶ χρημάτων
Κράτος δεδεγμένον.
Τάδ' ἤθελον μὲν, ὁ φθόνος
Δ' ἀντίξοος καλοῖς,
Ὃς ἀντέπνευσε τοῖς καλῶς
Ἄγαν δεδογμένοις.
Πρῶτον μὲν οἱ τὰ δεύτερα
Θρόνων λελογχότες,
Λάου πρόεδροι πρεσβύται
Σεμνὴ γερουσία,
Πεφύκασιν ἡμῖν οὐ καλοί,
Τίς ἤλπισε τόδε;
Οἱ μὲν γὰρ αἰδοῦς λειψάνῳ
Βραχεῖ κρατούμενοι,
Δισώματοι καὶ δίχροοι
Χιτῶνες ὥς τινες,
Ἐκτὸς πρὸς ἡμῶν, ἔνδοθεν
Κακῶς πεπηγότες.
Οἷς καὶ χάρις τοῦ λανθάνειν
Ὡς ἄφρονας θέλειν.
Ἡ γὰρ πρόδηλος δουλεία
Χείρων ἀτιμίας.
Οἱ δ' οὐ λάθρα δυσμενεῖς,
Ἀλλ' ἐκφανεῖς ἄγαν,
Ἐρυθριῶντες εἰ κακοὶ
Δοκοῖεν εὐτελεῖς.
Ὦ σαρκολάτραι, καὶ θεοῦ
Περίφρονες σαφῶς,
Βεελφεγὼρ σέβοντες, οὐ
Τὸν ὄντα δεσπότην.
Ποῦ δὲ τράπεζα μυστική;
Καλῶς δικαζέτω.
Ποῦ δ' ἄρτος, ἢ ποῦ χεῖρες, αἳ
Τὸ πνεῦμ' ἐφείλκυσαν
Ὑμῶν καρδίαις; θρύψατε
Κακοὶ καὶ τὴν χάριν.
Λαὸν δ' ἀφήσω μέμψεως.
Τί γὰρ ξένον τόδε,
Τὸν ὄντα τοίων προστατῶν
Τοιαῦθ' ἁμαρτάνειν;
Μόγις γὰρ ἂν ἡγουμένων
Σοφῶν εἶεν καλοί.
Πλὴν οὐ τάδ' ὑμᾶς, ὦ τέκνα,
Ἐδίδαξ' ἐγὼ ποτὲ,
Εἰ καὶ χρόνον βραχὺν ξένην
Νώμησα ἡνίαν,
Περιφρονεῖν διδασκάλου
Νόμους τε καὶ λόγους.
Ταῦτ' ἦν ἔτι σθένος μοὶ καὶ
Πάσχοντι καρτερεῖν.

To

Τὸ γὰρ παθεῖν ὡς πλεῖστα τῶν
Φέρειν διδάσκαλον.
Ὁ δ' ἐξέτηξε καρδίαν
Μάλιστα τὴν ἐμὴν,
Ἐκ μ' ἠπάτησαν οἱ σοφοὶ
Λαῶν ἐπίσκοποι,
Λόγῳ μὲν ὄντες ἐν φίλοις,
Ψήφου τε τῆς ἐμῆς,
Ὡς ἀρρεποῦς τε καὶ φίλης,
Εἴπερ τινὸς, λόγῳ,
Ἔργῳ δ' ὅπου νενευκότες,
Λέγειν τόδ' οὐκ ἐμόν.
Πλὴν ἠπατήθην, ὦ τριὰς
Ἐμοὶ λαλουμένη.
Ὦ βήματ' ὦ λιθασμάτων
Τε καὶ πόνων ὅλων,
Οὓς ἐκ νέας ἀσκήσεως
Διήνυσ' εἰς τόδε.
Ὄλωλε πίστις εἰς θεὸν,
Ὄλωλε δ' ἐκ βροτῶν.
Ποῦ τίς μεταστῇ, καὶ τίνων
Γένηται πλησίον;
Εἰ ταῦτα λύχνοι, καὶ τὸ φῶς,
Σκόπει σὺ τὸ σκότος.
Δὶς ἐμπέπαισμαι, τοῦτο καὶ
Παθὼν ἐπίσταμαι,
Εἴπερ τι κἀμοὶ τοῦ φρονεῖν
Μέτεστιν ἐκ θεοῦ.
Ἀλλ' ἐνδικῶν ἤνεγκα (τίς
Τόδ' οἶδεν ἢ θεός;)
Θεοῦ τὸ χρηστὸν, εἰ θέμις
Φράσαι, μιμούμενος.
Μήτ' οὖν ἀκούειν μήθ' ὁρᾷν
Ὅλως δοκῶ μόνος
Τὰ πᾶσι δῆλα καὶ σαφῆ,
Κόσμῳ προκείμενα,
Ὡς ἂν τὸ χρῶμα γοῦν μένῃ
Τοῦ πρόσθε σώματος,
Ἤδη παρειμένου τε καὶ
Πεσόντος ἀθλίως.
Εἰ ταῦτ' ἀρεστὰ τῷ λόγῳ,
Διδάξατ' ὦ σοφοί.
Ἐμοὶ γὰρ οὐκ ἀρεστὰ, καὶ
Λίαν δοκεῖ κακά.
Ἐντεῦθεν, ὥσπερ τείχους
Ῥαγέντος, ἢ ῥόου,
Ἅπας κακῶν εἰσέρρυη
Ξένων λόγων σπορεύς.
Ὧν εἰσὶ καὶ νέαι πλάκες
Κακῶς γεγραμμέναι.
Οἱ τὸν θεόν μου τὸν μέγαν
Οὐκ ἐνδίκοις τομαῖς,
Τέμνουσιν, οἵ μοι τὴν μίαν
Πάντων ὑπερβολὴν
Ἄνω τιθέντες, καὶ μέσον,

Nam ferre discit aspera, Aduersitatū frequentia patientiā docet.
Qui multa pertulit.
Quod verò cordis intimos
Rosit sinus mei,
Episcoporum me manus
Decepit inscium.
Verbis fauebant nam mihi,
Meóque calculo,
Firmo velut, iustóque, si
Quis alter vspiam.
Re verò quonam tenderent,
Non est meum loqui.
Deceptus at sum, Trinitas,
Quam semper eloquor.
O [7] saxa cum sacrariis! 7
O & labor meus,
Primis ab annis quem tuli
Hucusque maximum!
Perit fides erga Deum,
Et funditus quidem.
Quò conferat se quispiam,
Iungátque se quibus?
Hæc si lucernæ, lumen &, Mat. 6.
Caligo quid, vide:
Bis esse lusum me scio.
Passus licet, scio.
Nam mentis & quiddam Deus
Summus dedit mihi.
Verùm labris morsis tuli,
(Hoc scit Deus) Dei
Benignitatem (si loqui
Sic fas mihi) sequens.
[8] Ego ergo solus non putor 8
Audire, cernere &,
Quæ clara cunctis, &
Quæ spectat orbis hic:
Seruentur vt saltem notæ
Colórque corporis,
Quod dissolutum cernimus,
Lapsúmque perditè.
Hæc æqua si vos creditis,
Sophi, docete me.
Iniqua namque esse arbitror,
Planéque pessima.
Rupto dehinc muro velut,
Quodámve flumine, Antistitum simultates hæreticis aditum aperiunt.
Fluxit nouorum dogmatum
Quiuis sator malus.
Tabulæ recentes hinc quoque,
Scriptæ nefariè:
Hi nempe qui magnum impiè Eunomiani.
Deum meum secant,
Ac numen illud, celsius
Quod rebus omnibus,
Prima, secunda, tertia,

Apollinaristæ.

Proh, sede collocant.
Hominemque discindunt Dei,
Sicut Deum meum,
9 [9] *Mentem negantes, mens Adæ*
Non lapsa sit velut:
Aut extimescant plena ne
Detur salus mihi.
10 *Nam scilicet* [10] *pelli salus*
Debetur vnicæ:
Spernenda verò cætera,
Non sumpta numini.
11 [11] *Iudaismum præter hæc*
(Haud vndenam, scio)
Annósque mille, nil quibus
Magis nugax, docent,
Olentem abortum crapulam
Erroris Ethnici.
Gregémque præclarum insuper,
Tanquam lupi truces,
Sæuo ruentes impetu,
Orbatum præsule
12 *Raptant,* [12] *dolore non sine*
Cordis graui mei:
Alius tametsi qui gregis
Acceperim pedum,
Tamen labores mœreo
Solui patris mei.
Æquè quis hæc enim ferat
Vel mente præditus?
Haud namque solum nutriit
Me quercus aut lapis.
Mendax pater, vir & malus,
Istud loquar tamen.
13 *Ne* [13] *tu quidem morbo manes*
Hoc liber, id scio,
Amice, qui nunc ob mea
Es insolens mala:
Gradu licet firmißimo
Te stare censeas.
14 [14] *Turres labant, & proxima*
Domúsne non labat?
Quatitúrque cedrus: quomodo
Pinus nihil timet?
Pugnam propinquam ni cupis,
Hanc pelle longiùs.
Versabit olim pectore,
Quæ dico, quispiam.
Restabit at tum nil nisi
Fructu carens dolor.
Quid, Christe, mittes durius?
Purgabis amplius?
Placidus modò sis, nil erit,
Quod non feram lubens.
Paulum moræ: vitæ aspera
Transacta tunc erunt.

Κάτω τε τὸ τρίτον.
Τέμνουσι δ' ὡς θεόν μου, καὶ
Θεοῦ μέγαν βροτὸν,
Ἄνουν τιθέντες, ὡς ἄνου
Ἀδὰμ πεπλωκότος,
Ἢ, μὴ τελείως τῷ πάθει
Σωθῶ, δεδοικότες.
Χρὴ γὰρ τὸ δέρμά μου μόνον
Τυχεῖν σωτηρίας,
Τὰ δ' ἄλλ' ἄτιμα τυγχάνειν
Θεῷ παρειμένα.
Ὧν καὶ τόδ' ἐστὶ δεύτερος,
Οὐχ οἶδ' ὅθεν, καὶ τίς;
Ἰουδαϊσμὸς, χιλίων
Τ' ἐτῶν ληρήματα,
Ἑλληνικῆς ἀμβλώματα
Μέθης τε καὶ πλάνης.
Οἳ καὶ τὸ καλὸν ποίμνιον,
Ὥσπερ λύκοι βαρεῖς
Ἐπεισπεσόντες, νηλεῶς,
Ἔρημον ποιμένος,
Κλέπτουσιν, ἁρπάζουσιν εἰς
Πόνον ψυχῆς ἐμῆς.
Ὃς, καὶ τὴν ἄλλου ποιμνίου
Βακτηρίαν λαβὼν,
Ὅμως ἄσχαλλω, πατρικῶν
Ὁρῶν μόχθων λύσιν.
Πῶς δ' οὐχὶ καὶ τίς μετρίως
Ταῦτ' ἂν πάθοι φρονῶν;
Οὐ γάρ τι δρῦς τις ἢ λίθος
Μόνον μ' ἐθρέψατο.
Ψεύστης μὲν εἴην καὶ κακὸς,
Ἐρῶ δ' ὅμως λόγον.
Οὐδ' αὐτὸς οἶδα τῆς νόσου
Μένεις ἐλεύθερος,
Ὁ νῦν ἐπόφρυς τοῖς ἐμοῖς
Κακοῖς, ὦ φίλτατε,
Κἂν ἀσφαλῶς βεβηκέναι
Καὶ καιρίως δοκῇς.
Πύργοι δονοῦνται, ἡ πέλας
Ἄστατος οἰκία.
Κέδρος τινάσσεται, πίτυς
Τρόπον τιν' ἀσφαλής;
Πόῤῥωθεν εἶργε τὴν μάχην,
Εἰ μὴ πέλας ποθεῖς.
Μεμνήσεταί τις τῶν ἐμῶν
Τούτων λόγων ποτὲ,
Ὅτ' οὐδὲν ἔσται πλεῖον ἢ
Τὸ δάκνεσθαι μάτην.
Τί χεῖρον οἴσεις, Χριστέ μου;
Πυροῖς δὲ τί πλέον;
Πάντα προθύμως δέξομαι,
Γένοιο ἵλαος πέλοις.
Μικρόν τι, καὶ παρήλθομεν
Τὸ τοῦ βίου τραχύ.

Κἀκεῖσε

Κἀκεῖσε δ' οἷα; χρηστά μοι
Κἂν ᾖ λίαν κακά.
Οὐ γάρ τις κἀκεῖ διπλόη.
Μόνη γὰρ ἁπλότης.

Quid pòst? [15] secunda cuncta mî, 15
Perquam licet mala.
Illic enim nihil [16] duplex,
[17] Nec vlla fraus erit. 16
17

SCHOLIA.

1. *Orbis motio*) Per terræmotum, cuius interdũ Scriptura mentionẽ facit, Gregorius in Orat. in laude Athan. insignem quandam rerum mutationem intelligit. Itaque iuxta hunc sensum per terræ motum hoc loco, pulcherrimam illam mutationem intelligit, qua factum est, vt cum Spiritus sancti diuinitas, Macedonianis rerum potientibus, vix quenquam haberet, qui eam publicè asserere auderet, Gregorij tamen opera, singularíque animi fortitudine palam publicéque in vrbe Constantinopolitana, quæ Macedonianorum metropolis & propugnaculũ erat, prædicata est.

2. *At ipse præsule*) Gregorius post reditum suum in patriam summo studio egit, vt Episcopus quispiam in NaZianZeno oppido crearetur, vt ex multis eius Epistolis videre est. Sed id ob quorundam hominum improbitatem consequi non potuit.

3. *Nam peior est quàm dedecus.*) Hoc vult, turpius esse ficto animo cuipiam blãdiri atque assentari, quàm eum apertè odisse aut contemnere.

4. *O Sarcolatræ*) Quoniam quid per Sarcolatras, hoc est, carnis adoratores, intelligat Gregorius, haudquaquam explicare potuit Leuuen. idcirco eum admonebo, hac voce Apollinaristas designari. Cur autem hoc nomine illos appellet, vide Epist. priorem ad Cledonium.

5. *Calcate gratiam*) Suspectum sanè mihi hoc verbum est, θρύψατε: ac nescio an τρίψατε legendum sit. Nec quo pacto Leuuen. legerit, in mentem mihi venire potest. Nam si legit θρύψατε, hoc verbum concedendi significationem habere minimè videtur. Vtut legendum sit, in eorum improbitatem & summam ingratitudinem inuehitur, qui sacris etiam ab ipso initiati, ne hac quidem cogitatione ab ipsius odio reuocari potuerant: ita vt gratiam eam diuinam, quam ipsius ministerio acceperant, quodammodo calcarent & obtererent.

6. *Ipse rexerim*) In Græco erat νώμησα λαῖνα. Pro quo λαίας reposui. λαῖνα enim hîc absurdè collocari nemo non videt.

7. *O saxa cum sacrariis*) Ad verbum, O sacraria, ô lapidationes. Multis autem locis commemorat quemadmodum ab hæreticis ob rectæ fidei propugnationem saxis sit impetitus.

8. *Ego ergo solus*) Hinc certè insignis quædam Gregorij probitas elucet, qui contumelias sibi illatas tacitè ferre mauult, quàm vt eas peruulgando ansam vllam cuiquam porrigat de Ecclesiastico ordine sinistrè existimandi.

9. *Mentem negantes*) Negabant enim Apollinaristæ mentem à Christo assumptam fuisse, quòd illius locum diuinitas suppleret. Hunc errorem confutans Gregorius, necessarium esse ait, vt cum Adamus non modò quantum ad inferiores animæ partes, sed etiam quantum ad mentem, peccarit, Christus quoque mentem assumpserit. His enim solùm allatam esse salutem, quæ ab eo assumpta fuerit. Itaque ex eorũ sententia illud sequi, vt mens nostra, per peccatum læsa & labefactata, nullam medicinam consecuta sit. Quod perspicuè falsum est.

10. *Pelli salus*) Carnem per extenuationem pellem vocat, hícque acrimonia non caret ironia. Nonne enim absurdum, atque adeo impium est, dicere carni soli remedium adhibitum esse, neglecta præstantiori parte?

11. *Iudaismum præter hæc*) Ne quis hic miretur quorsum Gregorius Iudaismi, vt etiam paulo pòst erroris Chiliastarum mentionẽ faciat, illud mihi Lector monendus est, per hæc eosdem ipsos Apollinaristas notari, qui præter illam hæresim, qua Christo mentem adimebant, alterum quoque Iudaismum inuehere, atque extinctum iam & sepultum Chiliastarum errorem ab inferis reuocare minimè verebantur. Id quod apertè ostendit Gregorius, in secunda aduersus Apollinarium epistola his verbis vtens: ἐντεῦθεν αὖθις ὁ δεύτερος ἰουδαϊσμὸς ὥρμηται, καὶ ἡ χιλιέτης καὶ ληρώδης ἐν τῷ παραδείσῳ τρυφή, &c.

12. *Dolore non sine*) Gr. εἰς πόνον ψυχῆς ἐμῆς. Leuu. Mei laborem animi suffurantur: sed perperam. His enim verbis hoc significat Gregorius, Apollinaristas, ipsius odio flagrantes, NaZianZenam potissimum Ecclesiam sibi delegisse in quam impetum facerent, & in qua erroris sui virus spargerent, vt optimo viro quamacerbissimum dolorem inurerent. πόνος enim hoc loco, non laborem, sed dolorem significat.

13. *Ne tu quidem*) Vertit nunc sermonem ad vicinum quendam Episcopum, qui, tanquam res ipsius non ageretur, paries cum proximus arderet, videns Apollinaristas lupinam suam & immanem rabiem in NaZianZenũ gregem exercere, ad propulsandum huiusmodi malum non modo nihil opis afferebat, sed etiam ex ea calamitate, quam plebs illa accipiebat, ex eóque dolore, quo proinde Gregorius afficiebatur, lætitiam quandam & arrogantiam concipiebat. Monet igitur eum vir sanctus, ne propterea animo efferatur, quin potius illud pro certo habeat, fore vt nisi maturè prouideatur, latius serpat hæc lues, flammáque ea, quæ tum in oppido NaZianZeno excitata erat, finitimas quoque vrbes breui inuadat & populetur.

14. *Turres labant*) Spero me in hoc loco restituendo non pœnitendam operam posuisse. Quo autẽ hoc planum fiat, priùs quæ Authoris sententia sit, aperiendum est. Vult igitur huic Episcopo, quem nunc alloquitur, & qui ita affectus erat, vt se ab omni periculo tutum & immunẽ existimaret, metum inijcere. Itaque seipsum ei proponit, vt hinc discat, cum vir tantus in hanc calamitatem inciderit, multo magis eandem tragœdiam sibi expectandã esse. Maiorum enim virorum clades minoribus terrori esse debere. Id porro duplici similitudine illustrat, altera ex Scriptura sacra petita, altera ex ingenio suo efficta. Zachariæ enim 11. cap. hæc verba sunt, vlula abies, quia cecidit cedrus, quanquam pro abiete pinum habent 70. Interpretes. sed idem est sensus. Hic porrò locus viam mihi

aperuit ad præcedentem versum, sanè deprauatissimum, emendandum. Est autem in Card. Sirleti libro eiusmodi, Πύργοι τὸν νῦν καὶ ἡ πέλας ἄπιστον οἰκία. Cui etiam lectioni consentit Germanicus codex: vt ex Leuuenklaicæ translationis vestigiis manifestum est. Sic enim ille vertit, Etiam mentem infidam aduersus vicinam domum attollito. Vbi eum quidem non insector. Quem enim ex tam corruptis verbis sensum elicere potuit, hunc quoquo modo expressit, etiamsi ab Authoris mente prorsus aberret. Quid autem ipse præstiterim, dicendum est. Primum illud animaduerti in hoc vocabulo πύργοι mendum hærere. Nec enim πυργίω Græci dicunt, sed πυργόω. Hinc facilè colligi πύργοι reponendum esse. Tum mihi quærendum fuit verbū aliquod, quod huic nomini responderet, eandémq; significationem haberet, quam, πιάσεται, quod est in sequenti versu. Hîc cum multa mihi vocabula in mentem venissent, quæ tamen mihi non satis cōmoda viderentur, tandem verbum occurrit, meo iudicio ad Authoris sensum aptissimum, nempe vt pro tribus his vocu!is τὸν νοῦ καὶ, in quibus nullus est sensus, vnica voce δονοῦνται legerem. Denique, vt similitudo omni ex parte constaret, pro ἄπιστος, ἄσειστος mihi reponendum esse visum est. Atq; hoc pacto locus hic iam planus & dilucidus est. Turres agitantur, inquit, & propinqua domus non concutitur? Cedrus quassatur, & pinus secura est. hoc est, Magni viri in calamitatibus versantur, & Ecclesiæ optime constitutæ hæreticæ flammæ ardore conflagrant: & tu cum tua Ecclesia perpetuam incolumitatem tibi polliceris?

15. Secunda cuncta mî) Tanto mihi, inquit, odio est simulationis artificium, vt in altero æuo, vbi nullus fictioni locus est, nihil sit, quod non tolerabile putem.

16. Vbi nihil duplex) διπλὸν erat in Sirleti libro. sed διπλόη legendū esse constat, tum ex sententia, tum ex versu.

17. Nec vlla fraus erit) Ad verb. Sola enim simplicitas.

GREGORII NAZIANZENI SENTENTIÆ
Distichis Iambis constantes.

1.

QVòd cœpta felix exitus claudat bona,
Rerum ipse finis monstrat hoc certissimè.

2.

Origo, lætum quæ parit mortalibus
Finem, est honestæ culta vitæ puritas.

3.

Doctrina pennæ sint tibi: pennis sine
(Auis nec istud nam potest) ne prouoles.

4.

Doctrina summum gignit in vita decus:
Damnosa verò est, si quis hac abutitur.

5.

Nunquam te inanis gloriæ sitis premat:
Namque illa vafrè simplices mentes capit.

6.

Viuens honestè, perstet vt virtus, stude.
Est namque cursus in malum celerrimus.

7.

Compesce risum, mentis æstum comprime:
Atque otiosis frena verbis inijce.

8.

Deum extimesce: queis satus, piè hos cole.
Senes honora, præsules lauda sacros.

9.

Ne cum parente litiget proles suo,
Natura primò, post eam leges vetant.

10.

Qod fers iniquè ab altero fieri tibi,
Istud cauendum est alteri ne factites.

11.

Graue quid patrantem non graue est iram pati:
Æquas rependit nam malis pœnas Deus.

12.

Prudentis ore verba manant dulcia:
At os amarum nil nisi pugnas vomit.

13.

Faceta lingua verba fundit mellea:
Procaci at ore pessimæ voces fluunt.

14.

Amant amici quæ placent his quos amant:
Hostes amicos turpiter spernunt suos.

15.

Egenti amico diuitis clausæ fores:
At copiosis splendidæ semper patent.

16.

Menti tuendæ nil aqua præstantius:
At prorsus illam turbat orta crapula.

17.

Frenare nescit impetus carnis merum:
Imò hinc voluptas excitatur noxia.

18.

Ventris tumorem mens procul tenuis fugat:
Aduersa nam se mutuis bellis petunt.

19.

Moderata præstant, suppetant dum; pabula,
Quàm cœna pinguis, ficta per somnos leues.

20.

Vir mente læua dormiens est ditior,
Quàm qui peramplos aggeres opum tenent.

21.

Orbum esse præstat, improbos quàm gignere:
Est orbus ille: multi at hi sunt & mali.

22.

Omnis sepulcrum mortuo est tellus: humo
Nam quicquid ortū est, humus & est, & huc redit.

23.

Mulgebit hircos, si velit, pastor quoque:
Merum at cruorem lactis exprimet loco.

24.

Immunda quamuis sus, tamen cœnam videns,
Turbare mensæ terminos semper fugit:

25.

Sic immodestos coge non dissoluere
Honestum & æquis legibus nixum ordinem.

26.

Legem tuendo proijcis metum foras.
Nam legis extra est pallidum custos metum.

27.

Fugiet peritus turbinem ductor ratis:
Itemque prudens cuncta mens pericula.

28.

Aduersum honesto mente nil verses tua.
Nam pœna fœdi criminis certa est comes.

19. Vt

29.
Vt spernit ingens stridulos incus sonos:
Sic pellit omnes mens sagax iniurias.

30.
Sonus pauorem frondium vt lepusculis
Excitat: inertes vmbra sic rerum quatit.

31.
Egentem vt odi, dona qui dat diuiti:
Sic & loquentem, qui tamen cibum negat.

32.
Rhetor scelestus legibus pestem parit:
At nil probato rhetore est concinnius.

33.
Casum orphanorum diues in risum trahit:
Et quas minatur improbis pœnas Deus.

34.
Tormenta pendet legibus grauißima,
Qui legem iniquam subditis induxerit.

35.
Sentire de se pauperes altè haud solent:
At cura vitæ nulla tangit diuites.

36.
Natura quantum concipit, stultos doce:
Fortasse mentem nam bonam sic induent.

37.
Percussus ignem concipit ferro silex:
Durum eruditur pectus acri verbere:

38.
Siue ipse iures, peßimum: siue alterum
Iurare cogas. Ius vtrinque læditur.

39.
Opes in æuum conde finis nescium:
Hæ namque nos & ante finem deserunt.

40.
Felicitatem sperne, quam delet dies:
Quod excitarit nam dies, tandem ruet.

41.
Præferre mores fœminis turpe est mares:
Probas pudore namque nil magis decet.

42.
Res est voluptas impetu prono fluens.
Vt venit ipsa, labitur velut lapis.

43.
Haud sanitate census est ægris prior.
Natura iure semper hanc valde expetit.

44.
Haud sermo stulti dispar est maris sono:
Ripas quidem implet: prata sed nihil iuuat.

45.
Vel mente cæcat præditos munus bona.
Quod rete auibus est, munus hoc mortalibus.

46.
Diem ante mœror efficit grauis senes:
Nam strata tempus moribus non eriget.

47.
Census minister est malis celerrimus:
Nam prompta res est ad scelus potentia.

48.
Haud vllæ amicos candidos æquant opes.
At fœdus vnquam cum malis ne sit tibi.

49.
Ordo colatur, robori & sit pro duce:
Nam robur ipse est, roboris custos quoque.

50.
Tinea est, medullas quæ coquit, mens an:
Curas edaces quod fugit, corpus viget.

51.
Castum esse nescit obrutum corpus cibis:
Ad ligna namque flamma currit feruid.

52.
Vinum iacentes excitat libidines:
Vt flamma lignis robur admotis capit.

53.
Lites pauorem queis mouent, iras fugant:
Lites furorem sæpe nam gignunt grauem.

54.
Labore feßis sarcinam est graue addere:
Labor laborem sæpe compreßit tamen.

55.
Alterius horret qui labores anxios,
Aliis patere cernitur periculis.

56.
Cura perenne sit decus semper tibi:
Hoc namque præsens quolibet fallit die.

57.
Consilia nemo recta commotus capit.
Consulta nec sunt, ira queis adiungitur.

58.
Sæui dracones, callidæ sunt aspides:
Est fœminarum vis duplex inter feras.

59.
Dum conspicamur ossa nuda carnibus,
Hîc esse nobis discimus certum nihil.

60.
Incessus an sit curuus haud cancro satis,
Discant parentis istud ex inceßibus.

61.
Natura si vim sentiat tuam, ex malis
Bonos magistris disciplos certè dabis.

62.
Orna quidem te rebus excellentibus:
Orbos egentes non tamen sperne insolens.

63.
Donante Christo nil malus liuor potest:
Non dante Christo nil labor noster potest.

64.
Partus dolores ne pauescat vipera:
Partum parentis experitur sic suæ.

65.
Fert nemo palmam, quem tenet turpis metus:
Nam sola laudes exigit victoria.

66.
Vir somnolentus sola reperit somnia:
Nam somnus haud res, visa sed tantum docet.

67.
Vis permouere dura nolentes solet:
Ipsis & affert nam manus gigantibus.

68.
Errante plebe circulator mox subit:
Plebs at malorum prorsus est confusio.

69.
Opus, quod ad rem nil facit, non est opus:
Nam despicandum, quicquid ad rem non facit.

70.
Est laude dignus ordo quem canes tenent,
Ad membra cùm se colligunt iacentium.

71.

Auro loquente sermo nil prorsus potest:
Hoc namque mentes permouet, mutum licet.

72.

Nil vnquam amico conferendum duxeris.
Nunquam ast amicum iunxeris malum tibi.

73.

Licebit illis pate nunc dulci frui,
Qui fluxa vitæ perditè nimis ambiunt.

SCHOLIA IN DISTICHA IAMBICA.

3. *Doctrina pennæ) Admonet Gregorius, vt doctrina, tanquam alis quibusdam, subuehi curemus. Vel etiam (si quis λόγοις hîc simpliciter pro sermonibus accipere malit) id monet, ne vanis adulatorum sermonibus nos decipi sinamus, dúmque illis de nobis (vt Flacci verbis vtar) plus quàm nobis credimus, eiusmodi res aggrediamur, quas perficere nequeamus. Quod autem ait Gregorius, λόγοις πτερωθεὶς, non multùm dissimile est Horatiano illi, Crescentem tumidis inflant sermonibus vtrem.*

4. *Doctrina summam)* βροτοῖς *legendum, vt & Aldus in emendationibus, & Reginæ codex.*

9. *Ne cum parente)* δίκαια λέγειν, *hoc loco idem est quod* δικαιολογεῖσθαι, *hoc est, ius suum defendere. Ait igitur Gregorius ex filij officio esse, ne in optima quidem causa cum patre contendere: verùm eum, iniquiùs etiam interdum & asperiùs agentem patienter ferre.*

14. *Amant amici)* φίλοι φιλοῦσι, καὶ ἃ τοῖς φίλοις φίλα. *In emendationibus tamen Aldinis sic legitur hic versus,* φίλοι λαλοῦσι τοῖς φίλοις ἅπερ φίλα, *hoc est, Amici amicis ea dicunt, quæ ipsis grata sunt.*

16. *Menti tuendæ)* εὐκρατεῖ φρένας, *id est, bonam temperiem menti conciliat. In Aldinis emendationibus habetur,* εὔκρατοι φρένες: *sed malè, vt patet ex sequente antithesi.*

18. *Ventris tumorem)* νοῦς λεπτὸς ὄγκον ἐκδιώκει σώματος. *Sic tamen hoc carmen legitur in Aldinis emendat.* νοῦ λεπτὸν ὄγκος. *Verùm vtraque lectio eodem recidit. Vt enim mens tenuis molem & crassitiem corporis expellit: ita corporis moles & crassities mentis tenuitatem & acumen exturbat.*

23. *Mulgebit hircos) Mulgens hircum, sanguinem exprimet, prouerbium est, quo admonemur, etiam atque etiam videndum esse, in quorum gratiam labores suscipiamus: ne pro speratis vuis nihil præter labruscas colligamus. Hoc etiam adagio non ineptè quispiam admoneri poterit, ne fidei pietatem ab hæreticis sugat, quippe qui pro lacte, id est, salutifera doctrina, non nisi cruentos ac pestiferos errores proferunt.*

28. *Nam pœna fœdi) In Reginæ libro pro* πλάνη *legitur* δίκη. *quam vocem, vt ad sensum aptiorẽ, sequi placuit.*

29. *Vt spernit ingens) Prouerbium de homine firmo atque constanti, aduersáque & grauia omnia forti animo perferente.*

30. *Sonus pauorem) Aliud prouerbium superiori contrarium, quod in eos torquere licebit, qui sine causa pericula sibi fingunt, &, vt ait Psalmista, trepidant timore vbi non est timor.*

33. *Casum orphanorum.) Reginæ codex* τύχην *habet, non* ψόγους. *Cui lectioni lubentiùs assentiar, quemadmodũ & versu sequente multo commodius est cum eo, & emẽdationibus Aldinis* αὐτὴν *legere, quàm* αὐτῆς. *Hoc enim vult Gregorius, malos diuites Dei quoque minas, propositásque pœnarum acerbitates in risus materiam trahere: tantum abest vt eas reformident.*

35. *At cura vitæ) Gr.* τοῖς πλουσίοις γὰρ οὐδὲ φροντὶς τοῦ βίου. *Nõ mirum est, inquit, homines maximis opibus præditos animis efferri, vt quibus in amplissima diuitiarum copia, nullum etiam laborem nullámque curam subeuntibus, vitæ tamen degendæ facultates abundè suppetant.* βίος *enim hoc loco ita exponi debet. Alioqui absurdum esset dicere, homines opibus affluentes hanc vitam nihil curare, cùm illi magna ex parte huic vitæ addicti affixíque esse soleant.*

37. *Percussus ignem &c.) Pulchra hac similitudine admonemur, ne de vllis ingeniis, quamlibet tardis atque obtusis, desperemus. In sequenti versu pro* σκληρὰ σκληρᾶς *legendum cum Aldinis emend.*

40. *Felicitatem sperne) Versus Græci hoc loco aliter leguntur in Reginæ libro, atque in eo quem Heruagius edidit. Sic enim habent:*

Μὴ σπεῦδε πλουτεῖν ἃ βραχὺς λύει χρόνος.
Ἃ γὰρ χρόνος τέθεικεν αὐτὸς καὶ φθίνει.

Sed verborum tantùm discrimen est, non item sensus.

41. *Nil vnquam amico) Hoc Distichum in vulgatis libris desideratur, quod quidem ex Reginæ libro adiicio. Sic autem Græca habent:*

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα, βέλτιον φίλου.
Πονηρὸν ἄνδρα μηδέπω κτήσῃ φίλον.

44. *Prata sed nihil iuuat.)* χηλὰς *enim legendum, vt in Aldi emend. & in Reginæ codice, non* χηρὰς. *Vt, inquit Gregorius, mare non sine fragore ripam alluens, propinquis pratis nullam vtilitatem affert: ita stulti hominis quamlibet clamosa, inutilis tamen est, omnis oratio.*

50. *Tinea est medullæ) Quod Salomon Prou. 25.* καρδίαν ἀσθενικὴν *vocat, hoc Gregorius* νοῦ ἐμμέριμνον, *hoc est, animum variis curis distractum ac solicitum.*

53. *Lites pauorem) Hoc, inquit, compendij faciunt, qui à litibus forensibúsque controuersiis abhorrent, quòd simul quoque animorum suorum lenitati tranquillitatíque consulunt.*

55. *Aliis patere) Gr.* ἄλλοις ὁρῶνται κινδυνεύοντες πόνοις. *Reginæ tamen codex habet sic,* ἄλλους ὁρῶσι κινδυνεύοντας πόνοις. *prior tamen lectio magis cum Auctoris mente conuenire mihi videtur.*

60. *Incessus an sit) Vix enim fieri potest, vt ij quibus mali vitæ magistri contigerunt, non ipsi quoque mali &*

flagitiosi

flagitiosi existant. Vnde illud, Mali corui malum ouum. In Graeco autem post ἀλόξα, *addo* μὴ *ex Reginæ libro, vt versus expleatur.*

61. *Natura si vim) Nam cùm homo natura sua iam inde ab ipsa adolescentia ad malum pronus sit, profectò qui natiuæ ad vitium procliuitati vim afferens, præclarè vitam instituit, bonos discipulos ex malo magistro, hoc est, bonum ouum ex malo coruo edit. Itaq; rectior est vulgata lectio,* δῶσας φεδήλως ἐκβιάζων τὴν φύσιν, *cui etiam Reginæ liber fauet, quàm vt emendat Aldus,* δῶσαι φεδήλως ἐκβιάζουσα φύσις.

62. *Orna quidem te rebus) Græca sic habent,* κόσμει σεαυτὸν τοῖς καλοῖς τεκμηρίοις. *Quid autem sit, ornare seipsum* τεκμηρίοις, *alij viderint. Mihi pro* τεκμηρίοις, κειμηλίοις *legendum videtur, aut aliquid eiusmodi.*

64. *Partus dolores) De viperæ partu supra iam diximus. His autem verbis obscurè hoc ostendit, non esse quòd quisquam queratur, si eodem modo alij cum ipso agant, quo ipse cum aliis prius egit. Vt si quis eodem supplicio, quo alios afficere solebat, postea excrucietur: aut si quis in parentes contumax, filios quoque in se contumaces experiatur.*

68. *Errante plebe)* Δῆμου σφαλέντος τοῖς ἀγύρταις ἄρχεται. *quid autem incipiat, non subiicitur. Quare pro* ἄρχεται, ἔρχεται *fortasse legendum, id est, in medium prodit, vt sit sensus: simulatque miscellaneum vulgus in fraudē aliquam inciderit, statim honestorum grauiúmq; rhetorum loco præstigiatores atq; impostores in medium prodire.*

Ibid. Plebs at malorū) Græca ita habebant. Δῆμος δ' ἐστὶ πάντη τῶν καλῶν ἀταξία. *Quàm autem rectè dici possit,* ἀταξία καλῶν, *id est,* ἀρετῶν *(est enim hoc loco neutrius generis,) velim mihi quispiam explicet. Dicimus quidē* ἀταξίαν *simpliciter, vel* πόλεως ἀταξίαν, *sed* ἀρετῶν ἀταξίαν *nusquam legere me memini. At si pro* καλῶν, κακῶν *legamus, commodissimus profectò sensus existet. Perturbatio, inquit, ac temeritas populus est malorum, id est, confertissimum quoddam agmen malorum, quemadmodum alibi orthodoxos in Trinitatis doctrina idcirco à triplicis essentiæ assertione abhorrere ait,* ἵνα μὴ δῆμον θεῶν εἰσαγάγωσι, *Gal.* à ce qu'ils n'introduisent vn monde de dieux. *Sic versus hic cum superiore optimè cohærebit, docens videlicet, quantum mali secum afferat vulgi imperium. Græci* ὀχλοκρατίαν *vocant. Hoc autem distichum in Reginæ libro haudquaquam extat.*

70. *Est laude dignus) Verba Græca fideliter, vt puto, reddidi. Quid tamen his verbis sibi velit Gregorius, quémque congregatorum canum ordinem intelligat, ingenuè fateor mihi non liquere, suspicor tamen eum de canibus Lazari vlcera lingentibus hoc loco agere.*

DE VITA HVMANA, Iambicum.

HOc carmen in excusis libris superiori adnexum est: cùm tamen apertè distinguendum sit, quemadmodum etiam in Reginæ libro distinctū reperi. Neque enim hîc per Disticha incedit Gregorius, vt vel ex versibus ipsis patet, qui impari numero fluunt. Quin sequens quoque Tetrastichum, quod in eo libro quem typis mandauit Heruagius, cum superiore item Carmine cohæret, Reginæ codex minimè agnoscit. Quod tamen, quia perelegans est, submouendum haudquaquam existimaui.

Vita hæc trocho similis.

HÆc parua, varia &, vita par est turbini,
Simul mouetur, fixus est & qui simul.
Sursum mouetur, ac deorsum voluitur.
Fixum esse quamuis nam putes, non stat tamen.
Fugiens tenetur, & manens rursum fugit:
Multúmque saltat, sed fugere nequit tamen:
Trahitque motu, retrahit & statum suum.
Nil ergo vita est, si velis describere,
Quàm fumus, herbæ flos vel, aut insomnium.

De Fortuna & Prudentia.

AVarus olim quispiam hoc dixit, Bonæ
1 *Mihi gutta sortis est prior mentis cado.*
Ad quem hoc reiecit quispiam prudentium:
Mihi gutta mentis est prior sortis mari.

SCHOLIVM.

1. *Mihi gutta sortis) Quoniam in versibus Græcis plurimum inest leporis, idcirco eos ascribere placuit. Auari itaque versus hîc est:* Θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον, *id est, Malo guttam prosperæ fortunæ, quàm doliū prudentiæ. Sapientis autem antistrophe est huiusmodi:* Ῥανὶς φρενῶν μοι μᾶλλον, ἢ βυθὸς τύχης, *id est, Malim prudentiæ guttam, quàm integrum secundioris fortunæ pelagus.*

INTERPRES LECTORI, S.

QVum in Græco quodā Reginæ matris codice, quem ipsius concessu, inchoata iam huiusce libelli editione, à doctissimo atq; humanissimo cœnobiarcha Benciuennio, eiusdem eleemosynario primo, ac bibliothecæ præfecto, vtendum acceperam, quædam Gregorij nostri Carmina nondum luce donata reperissem, nonnihil me gratiæ ab iis qui Græcis delectantur, initurum existimaui, si, quam initio rationem tenueram, eandem hîc quoque sequerer: hoc est, vt Græca priùs apponerem, ac deinde Latina subiicerem. Id quod etiam eò lubentiùs à me factum est, quòd alioqui videam eorum Auctorum, qui Græcè nondum in lucem exierunt, interpretationes, quamlibet accuratissimas ac pereruditas, nonnullis tamen suspectas interdum esse solere. Neque enim quenquam alieno ingenio atque industriæ tantum tribuere, quin suo quoque iudicio vti velit.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ, εἰς σωφροσύνην.

Καλὸν γάμῳ δεδέσθαι, σωφρόνως μόνον,
Πλεῖον νέμοντα τῷ θεῷ συσσαρκίας.
Κρεῖσσον τὸ δεσμῶν τυγχάνειν ἐλεύθερον,
Τὸ πᾶν νέμοντα τῷ θεῷ καὶ τοῖς ἄνω.
Θεὸς μὲν ἄζυξ, ἀγγέλων τ' ἀσαρκία.
Ὕλη δὲ συζυγής τε, καὶ πλήρης φθορᾶς.
Γάμος μέριμνα συζύγου καὶ φιλτάτων.
Τῇ παρθενίᾳ Χριστός. εἰ γυνὴ θεῷ
Ἴσον φέρει τι, καὶ γάμος λυτῷ βίῳ.
Εἰ δ' οὐδὲν ἴσον, οὐδὲ τοῖς βίοις ἴσον.
Μὴ τοίνυν, ὦ τεκόντες, ὑβρίζοιτέ με,
Γάμῳ προσεισκιρτῶντες, ἁγνείᾳ δὲ μή.
Γάμῳ δίδωμι, τὴν ἁγνείαν λαμβάνω.
Ἀλλ' εἰσὶν οἳ πεπτώκασ'; ἀλλ' ὄλοιό μοι,
Μὴ τοὺς ἀρίστους ἐκλέγων, τοὺς δ' ἀσθενεῖς.
Οἱ μὲν γὰρ αὐτοῖς αἶσχος, οἱ δ' ἡμῖν κλέος.
Γῆ δ' οὐκ ἀροῦται τῆς χαλάζης εἵνεκα;
Οὐδ' ἀμπελὼν φυτεύεθ'; ἡ θάλασσα δὲ
Ὅρμοις δίδωσι πάντας οὓς περ λαμβάνει;
Τί μοι τὰ πόρρω; κειμένῳ δ' ἑωσφόρῳ
Μὴ συγκατενέχθησαν ἀγγέλων χοροί;
Τί δ' οὐκ Ἰούδας ἦν φονεὺς τοῦ δεσπότου;
Ἀλλ' οἱ μαθηταὶ δόξα. τοῦτο δ' οὐ σκοπεῖς,
Τοῦ σοῦ γάμου τὰ δεινὰ, καὶ μοιχῶν κλοπὰς,
Ἐξ ὧν τὸ φίλτρον, καὶ γένος νοθεύεται.
Ὑψοῦ βάδιζε, τὸν φθόνον δ' ἔα κάτω.
Ἅγνευε πᾶσι παρθένε Χριστῷ μόνῳ.
Νύμφη κράτει τὸ κάλλος ἐσφραγισμένον.
Χριστὸς μὲν ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ ζήλου πλέως.
Οὐδὲν δυσειδὲς, οὐδ' ἄκοσμον ἐκφέρει.
Ἐσθῆτι κόσμου κόσμος ἡ ἀκοσμία.
Θρύψιν δὲ φεῦγε, καὶ ταπεινοῦ τὰς κλάσεις.
Μὴ τὸ βλέπεσθαι, τὸ βλέπειν θήρευέ μοι.
Σώφρων βάδιζε καὶ ἀναστρέφου μόνη·
Κλεὶς ὠσὶ κείσθω, μηδὲ πορνεύοι γέλως.
Πλεῖστον παρθαι, καὶ γέλωτος ἔμφασις.
Θυμὸς, μέθη, δαίμων τε παρθένοις ἴσον.
Πάντων δὲ χεῖρον πλησμονὴ γαστρὸς χάριν.
Εὐχαῖς τὸ κάλλος εἰκέτω, κἀγρυπνίαις.
Σύνοικον αἴρου μηδ' ἀδελφὸν ῥαδίως.
Ἐμπεπύρευμα τῆς νόσου τί δεῖ βλέπειν;
Οὐδὲν τόδ' αἰσχρὸν, πλὴν μόνη μνήμη χρὸς.
Πατὴρ μόνος σοι καὶ θεὸς πιστὸς νέα.
Ἄλλοι δὲ φευγέτωσαν, ὡς θῆρες ποτὲ,
Τὸ σινᾶ πλαξὶν ἐντυπουμένου νόμου.
Ἄψαυστος ἔστω προσφορὰ καὶ παρθένος,
Ἡ μὲν βεβήλοις, ἡ δ' ἁπάντων ὄψεσιν.
Ἡ χρεία δουλούτω σε σαρκὸς μηδ' ὅλως.
Ἂν προσδέῃ του, καψάκης σοι πηγάσει,
Ὑδρεία δώσει πυθμένος γεωργίαν.
Ἄρτοις τρέφονται πέντε μύριοι λεώς.
Πόσον σὺ μᾶλλον ἡ θεοῦ παραστάτις;

Μὴ

DE PVDICITIA. I.

Bonum ligari nuptiis, castè modo,
Deóque plus des, quàm thoro connubij:
At præstat esse liberum vinclis tamen,
Deóque totum, rebus & superis, dare.
Est numen iniux, angelis non est caro:
At coniugata, labis & plena, est hyle.
Et cura prolis coniugis &, est nuptiis:
At cura Christi cœlibi. Si [1] *par Deo*
Est vxor, est par cœlibi vitæ thorus. 1
Sin prorsus impar, impares vitæ quoque.
Vos ergo, patres, ne probris me aspergite,
Tedas sequentes, non thori vitam insciam.
[2] *Thoro pudicitiam iugali do quidem,* 2
At puritatis cœlibes carpunt decus.
At corruerunt, dixeris, quidam. Malè Nõ improbãda virginitatis professio ob quosdam malos.
Tibi sit, legis qui debiles, non optimos.
Illi probrum sunt nam sibi: hi nobis decus.
[3] *Dirámne propter grandinem tellus coli,*
Seríque vitis, desinit? Quid? littori 3
Pontúsne cunctos applicat, quos accipit?
Longinqua verò quid sequor? Cum Phosphoro
Vtrùm angelorum sunt simul lapsi chori?
Quid? Nonne Christi carnifex Iudas erat?
Apostoli verò decus? Quin iam mala
Tu nuptiarum cogitas, furta & thori,
Adulteratur queis amor, & queis genus?
Incede sursum. liuor at humi corruat.
Sis parte ab omni virgo, sis soli Deo
Sponsa, teneásque conditum formæ decus.
Benignus ille est: æstuans zelo tamen.
Deforme secum turpe vel, defert nihil.
[4] *Carere cultu sit tibi cultus, fuge*
Est molle quicquid, neque 4
Captes videndo prospici. Gressus tuus
Pudicus esto. degere & sola expete.
Claudantur aures, sit procax risus procul.
[5] *Sat est supérque vel leuis risus nota.* Fugiendus immodicus risus.
Par ira, Bacchus, & Satan, sunt virgini.
Peior saturitas ventris est his omnibus. 5
Cedat venustas vigilis, precibus quoque.
Sociúmque tecti facilè nec fratrem cape.
Spectare morbi fomitem quid attinet?
Non est quidē hoc fœdū: ast [6] *memoria sordidat* 6
Vel sola. Patri crede te soli, & Deo.
Fugiant (vt olim bestiæ montem Sina, Exod.19.
Cùm lex tabellis sculperetur) cæteri.
Intacta sint hæc, victima, & virgo: manus
Fugiat prophanas illa, visum hæc omnium.
Te nulla carnis subiuget necessitas.
Si quid requires, fontis in morem fluet
Lecythus, farinam & hydria tibi proferet.
Immensa quinque vescitur plebs panibus. 3.Reg.17.
Quanto magis tu maximo quæ adstas Deo? Matt.14.

Cùm

Cùm sponsus ergo sit tibi hic cuius decor
Est carnis expers, alteri iungi caue.
Namque est adulter iste, non coniux, viri
Ad sese amorem transferens viui. Deo
An tu canistrum cùm semel donaueris,
Gene.19. *Adimes? rogum cùm fugeris Sodomiticum,*
Redibis? Absit. ne salis fias lapis.
Quàm vidua plus es. At thorus viduas quoque,
Si castitatis fregerint votum, reas
Facit. Quid esse vilius lingua aurea
Possit? Didrachmo quid minus? Sed hæc tamen
7 *7 Surrepta totum perdidere exercitum.*
Hæc ergo cernens, virgo, Christo obtempera.

AD SVAM ANIMAM CARmen pentametro & tribus Iambis constans. 2.

SI libet, est ingens mens tibi prorsus opus.
Scrutare quid sis ipsa, quò perges breui.
Vnde orta sis, vbinámque stare te est opus.
Si viuis id quod viuis, an quid amplius.
Instat opus tibi mens: elue spurcitiem.
Deum Deique cogita mysteria,
Quid ante mundum, mundus hic quid sit tibi:
Vnde ortus ipse, quóque tandem profluet.
Instat opus tibi mens: elue spurcitiem.
Quo Christus orbem voluit & regit modo.
Quî fixa quædam, rursus at quædam fluunt.
Ac nos in æuo maximè fluxo sumus.
Instat opus tibi mens: sit Deus ante oculos.
Quinà antè splēdor mihi, quod & nūc dedecus.
Qui nexus, & quis terminus vitæ mihi.
Hæc cogitando, mentis errorem premes.
Instat opus tibi mens: aspera cuncta feras.

Supplicatio ad Christum. 3.

Tui memor sim, tu mei Rex sis memor,
O Rex, sophorum cantus, & splendor triplex:
Ne me in profundum tartari furtim Satan,
Sæuásque portas lucis expertes trahat.
Namque ille amicis subdolè parat tuis
Laqueos: fugiam at illum, memor si sis mei,
Verbísque, consiliisque me semper iuues.

Lamentatio ad Christum. 4.

Heu, Christe, serpens rursus ad me ventitat.
Accedit ad me perditum metu graui.
Scientiæ arbor dentibus pressa est mihi.
Mihi inuideri, credidi hosti liuido.
Nam nec Deus sum: sede læta & excidi.
O mucro paulùm comprimas flammam malā:
Vt rursum in hortum pateat ingressus mihi
Cum Christo, vt olim, post crucem, sicario.

Μὴ τοίνυν ἁγνὸν τόνδ᾽ ἔχουσα νυμφίον,
Κάλλους ἀσάρκου, συζυγῆς τῷ δευτέρῳ.
Μοιχὸς γὰρ οὗτος οὐκ ἀνὴρ καθίσταται.
Ζῶντος τὸ φίλτρον ἀνδρὸς ἐκκαρπούμενος.
Ἡ καὶ κανοῦν προσθεῖσα τῷ θεῷ σύγε
Ἀποστερήσεις, καὶ Σοδόμων φυγοῦσα πῦρ,
Παλινδρομήσεις; μὴ λίθος παγῇς ἁλός.
Χήρας σὺ πλεῖον. ἀλλὰ καὶ χήρας γάμος
Ὑπεύθυνος ψευσθέντος ἁγνείας ὅρου.
Χρυσῆς τί γλώσσης ἐστὶν εὐτελέστερον,
Ψιλῆς διδράχμου δὴ τί τῶν ἀναστάντων;
Ἀλλὰ κλαπέντα τὸν στρατὸν διώλεσε.
Ταῦτ᾽ οὖν ὁρῶσα, παρθένε, πείθου θεῷ.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΑΥΤΟΥ ΨΥΧΗΝ ΕΞ ἐλεγείου καὶ τριῶν ἰάμβων. 2.

Ἔργον ἔχεις ψυχὴ καὶ μέγα, ἢν ἐθέλῃς.
Ἐρεύνα σαυτὴν ἥτις εἶ, καὶ πῆ στρέφῃ.
Ὅθεν προῆλθες, καὶ ὅπη στῆναί σε δεῖ.
Εἰ ζῆς ὅπερ ζῆς τοῦτο, ἤ τι καὶ πλέον.
Ἔργον ἔχεις ψυχή, τοῖσδε κάθαιρε βίον.
Θεὸν νόει μοι καὶ θεοῦ μυστήρια.
Τί ἦν πρὸ παντός, καὶ τί σοι τὸ πᾶν τόδε.
Ὅθεν προῆλθε, καὶ ὅποι προβήσεται.
Ἔργον ἔχεις ψυχή, τοῖσδε κάθαιρε βίον.
Πῶς οἰακίζει καὶ στρέφει τὸ πᾶν θεός,
Ἢ πῶς τὰ μὲν πέπηγε, τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ἐκρέει.
Ἡμεῖς δὲ καὶ μάλιστα ἐν στρεπτῷ βίῳ.
Ἔργον ἔχεις ψυχή, πρὸς θεὸν οἷον ὅρα.
Τί μοι κλέος τὸ πρόσθε, τίς δ᾽ ἡ νῦν ὕβρις.
Τί μου τὸ πλέγμα, καὶ τί μοι βίου τέλος.
Ταῦτ᾽ ἐννόει μοι, καὶ νόος στήσεις πλάνην.
Ἔργον ἔχεις ψυχὴ μὴ τί πάθῃς καμάτῳ.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΙΚΕτηρία εἰς Χριστόν. 3.

Μὴ σου λαθοίμην, μηδέ μου λάθῃς ἄναξ,
Ἄναξ σοφῶν μέλημα, καὶ τρισσὸν φάος.
Μή που λάθῃ με δυσμενὴς συναρπάσας
Κευθμῶν᾽ εἰς ᾅδου, καὶ σκότους πικρὰς πύλας.
Δεινὸς γὰρ ἐστὶ καὶ λοχῶν τοὺς σοὶ φίλους.
Ὃν οἶδα φεύξομ᾽, εἰ σύ μου μνήμην ἔχεις,
Πυκνῶν ἀεὶ λόγοις τε καὶ νοήμασιν.

Θρῆνος πρὸς τὸν Χριστόν. 4

Οἴμοι προσῆλθε, Χριστέ μου, πάλιν δράκων.
Οἴμοι προσῆλθε δειλιῶν τί μοι σφόδρα.
Οἴμοι γέγευμαι τοῦ ξύλου τῆς γνώσεως.
Οἴμοι φθονεῖσθαι δ᾽ ὁ φθόνος πέπεικέ με.
Οὔτ᾽ εἰμὶ θεῖος, καὶ βέβλημ᾽ ἔξω τρυφῆς.
Ῥομφαία μικρὴν τὴν κακὴν σβέσον φλόγα. μικρόν.
Ὡς ἂν πάλιν δέξῃ με τῶν φυτῶν ἔσω
Χριστὸν συνεισελθόντα λῃστὴν ἐκ ξύλου.

Ἄλλη δέησις πρὸς τὸν Χριστόν. 5.

Ἐπιστάτα, κλύδων με δεινὸς ἀμφέπει,
Τὸν σὸν μαθητὴν ἐξέγειραι πρὶν θάνω.
Μόνον κέλευσον, καὶ ζάλη τεθνήξεται.
Τολμῶ φράσαι τι, Χριστὲ μὴ πίεζέ με.
Μηδὲ σβέσῃς με τῷ βάρει τῶν θλίψεων.
Πολλοὺς ἔχεις γὰρ καὶ κατωτέρους ἐμοῦ,
Οὓς ἠλέησας μὴ με κρίνῃς ἀξίως.
Κένου κένου δὲ τοῦ ταλάντου τὸ πλέον.
Μιᾶς τις οἴσοι φόρτον ἡμέρας μόνης;
Τίνι προσέλθω τοῖς κακοῖς βαρούμενος;

Alia oratio ad Christum. 5.

Fluctus graues me, Christe, discipulum tuum
Vrgent. soporem pelle, ne miser obruar.
Tantùm iubeto, & sæua tempestas cadet.
Dicam quid audax, ô Deus, ne me preme,
Nec me malorum mole dura confice.
Plerisque nam tu sæpe, qui cedant mihi,
Veniam dedisti. ne luam dignè scelus.
Ex parte magna fac mihi pondus leues.
Quis vel dieculæ feret onus vnius?
Oppressus ad quem tot malis me conferam?

Εὐχὴ ἑωθινή. 6.

Ὄρθρος δίδωμι τῷ θεῷ μου δεξιάς,
Μηδὲν σκοτῶδες ἢ δράσειν ἢ αἰνέσειν,
Ἀλλ᾽ ὡς μάλιστά σοι θύσειν τὴν ἡμέραν,
Μένων ἄστατος, καὶ παθῶν αὐτοκράτωρ.
Αἰσχύνομαι τὸ γῆρας, ἂν κάκιστος ὤ,
Καὶ τὴν τράπεζαν ἧς προεστάτης ἐγώ.
Ὁρμὴ μὲν αὕτη, Χριστέ μου, σὺ δ᾽ εὐόδου.

Precatio matutina. 6.

Hoc manè voto me Deo deuincio,
Quòd nec malum quid efferā laude, aut geram:
Illi immolabo sed diem hunc quàm maximè.
Firmum tenens me, & imperans affectibus.
Pudet senectæ, moribus si sim malis,
Mensæque, fungor munere in qua præsulis.
Hæc est voluntas: Christe da lætum exitum.

Πρὸς ἑσπέραν θρῆνος. 7.

Ἐψευσάμην σε, τὴν ἀλήθειαν, λόγε,
Σοὶ τὴν παροῦσαν ἡμέραν καθαγνίσας.
Οὐ πάντα φωτεινόν με νὺξ ἐδέξατο,
Ἡ μὴν προσευξάμην τε καὶ τοῦτ᾽ ᾠόμην.
Ἀλλ᾽ ἔστιν οὗ μοι καὶ προσέπταισαν πόδες.
Ζόφος γὰρ ἦλθε βάσκανος σωτηρίας.
Λάμποις τὸ φῶς μοι Χριστὲ, καὶ πάλιν φανείς.

Lamentatio vespertina ad Christum. 7.

Fidem fefelli, Veritas, tibi datam,
O Christe, pactus hunc diem sacrum tibi.
Accepit haud me lucidum nox vndique.
Licet id precatus, arbitratus & fore.
At in quibusdam lapsus est mihi pes tamen.
Venit saluti nam meæ hostis inuidens.
At Christe rursus luceat mi lux tua.

Δέησις πρὸς Χριστὸν τῇ ἐπαύριον. 8.

Ἐζημίωμαι, Χριστὲ, τὴν χθὲς ἡμέραν.
Χόλος προσῆλθε, καὶ μ᾽ ἔκλεψεν ἀθρόον.
Τὴν σήμερον λάβοιμι φωτὸς ἡμέραν.

Oratio postridiana. 8.

Hesterna, Christe, perdita est dies mihi.
Obrepsit ira, protinus méque abstulit.
Sit quæso lucis hæc dies mihi dies.

Εἰς ἑαυτόν. 9.

Μέμνησο σαυτοῦ, μὴ λάθῃς θεὸν βλέπων.
Ὀμώμοκας, μέμνησο τῆς σωτηρίας.
Αἶ αἶ. γόης κλέπτει σε τοῖς σοφίσμασι,
Κλέπτει σε κλέπτει δυσμενής. ὅθεν στρέφου
Πρὸς τὸν λόγον τάχιστα, μὴ πόρρω πέσῃς.
Σταυρῷ περιπλάκηθι, καὶ στῆσεις βλάβην.

Ad seipsum. 9.

Tui memor sis: ne Deus fallat tuos
Oculos, salutis vsque sis memor tuæ.
Imponit hostis artibus tibi suis,
Imponit, inquam, subdolus: citra moram
Te confer ad Christum, procul ne corruas:
Crucémque, noxam vt comprimas, amplectere.

Ἄλλο πρὸς Χριστόν. 10.

Πάλιν προσῆλθεν ὁ δράκων, σοῦ δράσσομαι.
Δαβὶδ παρέστω, κρουέτω τὴν κινύραν.
Ἄπελθ᾽ ἄπελθε πνεῦμα συμπνῖγον κακά.

Aliud ad Christum. 10.

Te stringo, Christe: me draco rursus petit.
Iessæus adsit, pulset ac lyræ fides. 1. Reg. 16.
Abi in malam rem suffocator spiritus.

Εἰς τὸν διάβολον. 11.

Καὶ τοῦτο τῆς σῆς, ὦ κάκιστε, προσβολῆς.
Τὸν νοῦν ἐφέρπεις εὐστρόφοις ἑλίγμασι,

Ad diabolum. 11.

Tui quoque hoc est impetus, ô pessime.
Mentem retortis nam subis gyris meam,

Amplexer

Amplexer amens ut voluptates monens.
At non mouebis: hoc Adam suasit mihi.
Prorepe terra, conteram caput tuum.
Ast dente sæuo si pedem meum petas,
Pendebis æneus, malum ut cernens leuer.

Πείθων τὸ λεῖον ἁρπάσαι τῆς ἡδονῆς.
Ἀλλ᾽ οὔτι πείσεις, τοῦτ᾽ Ἀδὰμ πέπεικέ με.
Εἰς γῆν ἀποστράφηθι, καὶ κάραν πατοῦ.
Εἰ δ᾽ ἰσχύς ἐστι μικρὸν ἐγχρίψαι ποδὶ,
Κρεμῶ σε χαλκοῦν ὡς βλάβην ὁρῶν φύγω.

Ad eundem. 12.

Inclamo Christum. iam celer te proripe:
Fuge scelerate, & carnifex mortalium.
Quid es molestus, læsus haud à me, mihi?
Matth. 8. *Ingressus imple iam tuis porcis mare:*
Promptè cadentem te sinu capiet suo.
At abstine à me, sentias ne ictum crucis:
Cuius pauore contremiscunt omnia.

Ἄλλως. 12.

Θεὸν βοῶ. τί τοῦτο; φεῦγέ μοι τάχος,
Φεῦγ᾽ ὦ κάκιστον θηρίον βροτοκτόνον.
Τί μοι διοχλεῖς οὐδὲν ἠδικημένος;
Τῶν σῶν συῶν πλήρωσον εἰσελθὼν βάθη.
Δέξονθ᾽ ἑτοίμως εἰς βυθοὺς πεσούμενον.
Ἐμοῦ δ᾽ ἀπόσχου, μή σε τῷ σταυρῷ βάλω,
Ὃν πάντα φρίσσει καὶ τρέμει φόβῳ κράτη. Leg. κράτους.

Ad animam suam. 13.

Quò pergis? hîc sta. Quò ruis miserrima
Mea mens? Rapit te per suas artes Satan.
Accessit ille ut paululùm, refert pedem,
Reditque rursus, ut ad ouem lupus solet,
Trahens, inescans per feros saltus, Dei
Te donec ipse legibus sanctissimis
Auulsam, in escam dentibus sumat suis.

Εἰς τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν. 13.

Πῆ θυμὲ βαίνεις; στῆθι. πῆ φέρῃ τάλαν;
Αἶ αἶ. γόης κλέπτει σε τοῖς σοφίσμασι.
Μικρὸν προσέρχετ᾽, εἶθ᾽ ὑποστρέφει πάλιν,
Εἶτ᾽ αὖ προσέρχετ᾽ ἐγγὺς, ὡς μόσχῳ λύκος,
Σαίνων, ἐφέλκων ἀγρίοις σκιρτήμασιν,
Ἕως ἀποσπάσας σε τῶν θεοῦ νόμων,
Θοίνην ὀδοῦσι τοῖς ὀλεθρίοις λάβῃ.

Lamentatio. 14.

Corpus teneret si meum morbus grauis,
Medicum vocassem. Si mihi nullæ forent
Opes, adissem diuitem: inque turbine
Portum: atque læsus iudicum subsellia.
Ruentem ab alto fortè seruasset frutex.
Corruptor at cum me studeat imaginis
Deiicere, ni te, Christe, quo niti queam?

Θρῆνος. 14.

Εἴ μοι πονήρως εἶχε κρᾶσις σώματος,
Ἰατρὸν ἄν τιν᾽ εὗρον. εἰ πένης τις ἦν,
Τῷ πλουσίῳ προσῆλθον. ὅρμῳ δ᾽ ἐν ζάλῃ.
Εἰ δ᾽ ἠδικούμην. τοῖς νόμοις καὶ βήματι.
Θάμνος δ᾽ ἐξέσωσεν ἐκ κρημνίσματος.
Εἰ δὲ σκελίζει μ᾽ ὁ φθορεὺς τῆς εἰκόνος,
Τί γένοιτ᾽ ἔρεισμα, πλὴν σοῦ κοίρανε;

Lamentatio altera ad Christum. 15.

Noui noui quid accidit mihi, Dei
Verbum, noui quid? Intimum sensis meum
Verbisque prorsus cor vacat prudentibus.
Malus quidem se spiritus dedit fugæ:
Virtuti at in me non patet locus. Tuis
Me quæso comple: liuidus ne in me Satan
Sibi officinam, rursus accedens, struat.

Ἄλλος πρὸς Χριστόν. 15.

Καινὸν καινὸν τί τοῦτο, ὦ θεοῦ λόγε;
Καινὸν τί πάσχω; καρδίας ἐμῆς βάθος,
Κενὸν λόγων τε καὶ νοημάτων σοφῶν.
Τὸ μὲν πονηρὸν πνεῦμα φεῦγον οἴχεται.
Οὔπω δὲ χώρα μοι * τοῦ κρείσσονος. * f. γέμει.
Πλῆσόν με τῶν σῶν, μὴ πάλιν ἐλθὼν φθόνος,
Αὑτοῦ με θῆται χεῖρον ἐργαστήριον.

Alia lamentatio. 16.

Deleta forma est cœlica, quis opem feret?
Deleta forma est, maximi munus Dei.
Turpatur illa. Liuide hostis ardeo
Verbis peregrinis, tuisque fraudibus.
O mens inanis, fons mali, ne proflue,
Aut lingua, saltem ne lutum fœdum excipe.
Si lingua, saltem ne malum manus gerat.
Imago tibi sic nam manebit integra.

Ἄλλως. 16.

Εἰκὼν κενοῦται, τίς βοηθήσει λόγος;
Εἰκὼν κενοῦται, δῶρον ἀχράντου θεοῦ.
Ὑβρίζετ᾽ εἰκὼν, αἴθομ᾽, ὦ φθόνε φθόνε,
Ἀλλοτρίοις λόγοις τε καὶ σοφίσμασι.
Πηγὴ κακῶν μὴ βλύζε, μὴ ματαία φρήν.
Εἰ δ᾽ οὖν σὺ γλῶσσα μὴ δέχου τὸν βόρβορον.
Εἰ δ᾽ οὖν σὺ χείρ γε μὴ δέχου τὰ χείρονα.
Οὕτως ἂν εἰκὼν ἡμῖν ἄφθαρτος μένῃ.

Εἰς διάβολον. 17.

Ἀπελθ' ἄπελθε δυσμενὲς βροτοκτόνε,
Ἄπελθε δεινὸν ὄμμα, λυσσῶδες κακόν.
Ἄπελθε, Χριστὸς ἔνδον, ᾧ φέρων ἐμὴν
Ψυχὴν δέδωκα. φεῦγ' ἀπειπὼν ὡς τάχος.
Ὢ ἢ βοηθεῖτ' ἄγγελοι παραστάται.
Ὢ ἢ τυραννὶς, καὶ κλοπὴ προσέρχεται.
Ὧν μ' ἐξέλεσθε, ναὶ, φίλοι, λιτάζομαι.

Ad diabolum. 17.

Discede iamiam carnifex mortalium,
Discede vultu sæue, pestis & furens.
Discede: Christus, cui meam mentem dedi,
Est intus. Animis concide, & statim fuge.
Iuuate, supplex quæso, me angeli adstites.
Instat tyrannus dirus, & fur subdolus:
Eripite ab huius impetu me, vos precor.

Ἄλλως. 18.

Ἦλθες μὲν ἦλθες, ὦ κάκιστ', ἀλλ' ἐχέθης.
Ὡς καπνὸν εἶδον, ᾐσθόμην καὶ τοῦ πυρός.
Ὀσμὴ δριμεῖα τοῦ δράκοντος ἔμφασις
Σταυρὸν δ' ἐφίστημ' ὃς φύλαξ ζωῆς ἐμῆς,
Ὃς πάντα κόσμον συνδέων, θεῷ φέρει.
Τοῦτον φοβηθεὶς, εἶκε μὴ πάλιν φανείς.
Καλεῖ μ' ἄχραντον ἡ χάρις παραστάτην.
Πόσον πιέζεις δή με τοῖς κακοῖς, πόσον;
Ἐμοὶ θεὸς τέθνηκε, κ' αὖθις ἤγερτο.
Αἰδοῦ τὸ λουτρὸν, εἶξον, ὦ βροτοκτόνε.
Ὡς ἡδονῇ με πρῶτον ἔκλεψας πικρᾷ,
Οὕτω κακῶς με σήμερον κτεῖναι θέλεις.
Ἄπελθ' ἄπελθε. τῆς πάλης γὰρ ᾐσθόμην.
Κἂν σῶμ' ἔχῃς μου, τόν γε νοῦν οὐ πείσομαι.

Aliud ad diabolum. 18.

Dæmon me adisti pessime, at repressus es.
Vt fumus est mî visus, ignem protinus
Sensi: draconem prodidit fœtens odor.
Crucem at, meæ quæ præses est vitæ, tibi
Oppono, mundum quæ Deo totum ligat.
Hanc pertimescens cede, nec rursus redi.
Purum Deus me nam vocat sibi adstitem.
Quousque duris me malis quæso premes?
Mihi mortem obiuit, redditus vitæ est mihi
Deus: verere balneum: fuge carnifex.
Per læta primùm vt facta fraus à te est mihi,
Necare sic me nunc cupis crudeliter.
Abscede. Luctam nam tuam sensi. meum
Corpus licet habeas, mens nihil damni feret.

Θρῆνος πρὸς Χριστόν. 19.

Οἴμοι στενοῦμαι τῷ βίῳ, καὶ τὸ πλέον
Ζωῆς παρῆλθεν, οἶδα, καὶ νεκρὸν πνέω.
Συνεκτελευτῆσαι δ' οὐ θέλει πονηρία.
Ἢ τῷ χρόνῳ τί πρόσθες, ὦ πνοὴ βροτῶν!
Ἢ τῶν κακῶν ὑφαίρει, τοῦτο χρηστότης.
Εἰ δ' οὐ θέλεις, τέθνηκα, καὶ τί σοι πλέον;
Εἰ μὴ φιλάνθρωπόν με καὶ τὸ πῦρ μένει.

Lamentatio ad Christum. 19.

Constringor annis, hei mihi, maior quoque
Pars vitæ abiuit, mortuum & spiro: meum
Verùm recusat exteri simul scelus.
Aut adde quiddam tempori, flatus hominum:
Aut deme duris. hoc petit clementia.
Id si recusas, occidi. Quid plus cupis?
Ni fortè sæuus me manet rogus quoque.

Ἕτερος θρῆνος. 20.

Οἴμοι στενοῦμαι τῷ βίῳ καὶ τῷ τέλει.
Ἐνθάδ' ἁμαρτὰς, ἀλλ' ἐκεῖθεν ἡ δίκη.
Μέσος φόβων ἕστηκα πυρποταμοῦ,
Σοὶ Χριστὲ πλεῖον ἢ βίου θαρρῶν πάλαις.
Εἰ μὲν γὰρ ἦν τι καὶ καθήρασθαι βραχὺ,
Τοῦτ' ἦν ἄριστον. εἰ δ' ἀεὶ πλείω κακὰ,
Καιρὸς λυθῆναι πρὶν λάβῃ με χείρονα.

Alia lamentatio. 20.

Constringor annis, hei mihi, & vitæ exitu.
Hîc noxa: pœna rursus ast illic grauis.
Inter timores sto duos, amnem & rogum,
Tibi Christe fidens plus, palæstris quam meis.
Nam si expiari mî daretur paululum,
Præclarum id esset. Plura sin semper mala,
Ne peius in me quid ruat, mori expedit.

Δέησις ἐν τῇ νόσῳ. 21.

Νοσῶ νοσῶ μὲν καὶ πονοῦμαι σώματι,
Καί μου γελῶσι τὴν πάθην ἴσως τινὲς,
Τραχηλιῶντες.
Ἁρμοὶ λέλυνται, καὶ ποδῶν σαθρὰ βάσις,
Εἴτ' ἐγκρατείας ἔργον, εἴθ' ἁμαρτάδων,
Εἴτ' οὖν πάλη τις (οὐ γὰρ οἶδα) πλὴν χάρις
Ἐμῷ κυβερνήτῃ γε τοῦτό μοι τυχὸν
Ἄμεινόν ἐστιν. ἀλλ' ἐπίσχες τὴν νόσον,
Ἐπίσχες εἰπὼν, σὸς λόγος σωτηρία.
Εἰ δ' οὐ, δίδου γε, ὡς τὰ πάντα καρτερεῖν.
Σῆτες τὰ σηπτῶν, συγκράτει τὴν εἰκόνα,
Ἐκεῖθεν ἕξεις καὶ τὸν δοῦλον ἄρτιον.

Precatio in morbo. 21.

Morbis laboro, corpore & valdè grauor.
Ac fortè sunt qui rideant casus meos
Ferocientes.
Soluuntur artus, languidè incedunt pedes,
Siue hoc inediæ fecerint, siue hoc scelus,
Seu lucta quædam (nam fugit me hoc:) gratiã
Tamen gubernatori habeo meo. hoc mihi
Nam fortè meliùs. At, Deus, morbum preme,
Sermone siste: nam salus sermo tuus.
Concede saltem perferam hunc, vt cætera.
Tineis suum sit: at tuere imaginem.
Hoc namque habebis integrum seruum modo.

Lamentatio. 22.

Sum multa dura passus, & durißima,
Ab hisque, de queis suspicabar id minus.
Maiore sed sunt qui malo me affecerint.
Fluxere namque cætera: at scelus graue
Libris notauit ferreis vindex Deus.

Θρῆνος. 22.

Πέπονθα δεινὰ πλεῖστα, καὶ δεινῶν πέρα.
Καὶ ταῦθ᾽ ὑφ᾽ ὧν ἥκιστα ᾠόμην παθεῖν.
Ἀλλ᾽ οὐδὲν οἷον μ᾽ οἱ κακῶς εἰργασμένοι.
Τὰ μὲν γὰρ οἴχεθ᾽, ὧν δ᾽ ἔγραψεν ἡ δίκη,
Βίβλοις σιδηραῖς, οἶδα τὴν μοχθηρίαν.

Alia lamentatio. 23.

Ciues, amici, quique me defenditis,
Odistis aut me, pertuli plagas graues.
Negatis istud? at libri circunferunt.

Ἕτερος θρῆνος. 23.

Φίλοι, πολῖται, δυσμενεῖς, ἐχθροί, πρόμοι,
Πόλλ᾽ οἶδα πληγείς, οἶδα· ἀλλ᾽ οὐ φάσκετε;
Βίβλοι φέρουσι ταῦτα, οὐ λήσεσθέ με.

Sermocinatio cum mundo. 24.

Int. *Lis, munde, tecũ est nunc mihi. Primùm doce*
Quis ortus, & quis terminus tandem tibi:
Me quique voluis, orbis vt formiculam?
Resp. Processerim vnde, nescio: certè ex Deo.
In melius autem desinam. nec voluo te:
Immundus at tu me probro contrà afficis.
Int. Quinam ergo quæso fixus es, non ast ego?
Resp. Extrà quidẽ ipse sũ: quænã est hæc gratia?
At, velle cùm sit, ampliùs, si vis, habes.
Int. Externa verò quis vehit? Resp. Quod hæc
Sunt hæc salutis optimis viris seges. (malum?
Int. Vt me ergo culpẽ præstat? Res. Istud scilicet.

Πρὸς κόσμον διαλογισμός. 24.

Ἐρώτ. Δικάζομαί σοι κόσμε. τίς πόθεν πάρει,
Πρῶτον δίδαξον, καὶ ὅποι καταστρέφεις.
Ῥοιζεῖς δὲ πῶς με κύκλος ὡς μύρμηκ᾽ ἄγων.
Ἀπό. Οὐκ οἶδ᾽ ὅθεν παρῆλθον, ἐκ θεοῦ δέ γε.
Καταστρέφω δ᾽ εἰς κρεῖσσον. οὐ ῥοιζῶ δέ σε,
Ἀλλ᾽ αὐτὸς ὢν ἄκοσμος, ὑβρίζεις ἐμέ.
Ἐρ. Πῶς οὖν σὺ μὲν πέπηγας, ἀστατῶ δ᾽ ἐγώ;
Ἀπόκρ. Ἐγὼ μὲν ἐκτός εἰμι, καὶ τίς ἡ χάρις;
Σὺ δ᾽ ὢν θελητής, εἰ θέλεις ἔχεις πλέον.
Ἐρ. Καλῶς. τὰ δ᾽ ἐκτὸς τίς φέρει; Ἀπ. τί γὰρ κα-
Ὕλη ποτ᾽ ἐστὶ τοῖς καλοῖς σωτηρίας. (κόν; Fort. τὸ δὲ
Ἐρώ. Ἡ κρεῖσσον αὐτὸν αἰτιᾶσθ᾽; Ἀπ. Οὕτως ἔχει.

In vitæ exitum. 25.

Iam flos abiuit: appetit meßis dies.
Canet capillus: horreum spicas vocat.
Abscessit omphax: instat at vindemia.
Premitur meorum iam malorum torcular.
O quàm dies hîc mî grauis! Quónam fugam
Capiã? quid et agã? Quàm metus me ingẽs habet,
Vuis Gomorræ, criminum atque sentibus,
Ne plenus extem, iura cùm dicens Dei
Natus piorum cuilibet sedem dabit
Pro dignitate, luminis captu & sui.
Breuis vna spes me lactat hæc dieculæ,
Ad te vt reuertar, ô Deus, ductu tuo.

Εἰς τὴν ἔξοδον. 25.

Παρῆλθον ἄνθη, καιρὸς ἤγγικε θέρους.
Λευκὴ δέ μοι θρίξ, ἡ δ᾽ ἅλως καλεῖ στάχυν.
Ἀπῆλθεν ὄμφαξ, ἡ τομὴ δὲ πλησίον.
Ληνὸς πατεῖται τῶν ἐμῶν ἤδη κακῶν.
Φεῦ ἡμέρας μοι τῆς κακῆς, ἰού, ποῦ φύγω,
Καὶ τίς γένωμαι; ὡς δέος μ᾽ ἁμαρτίας,
Δέος δ᾽ ἀκανθῶν, καὶ γομόρρας βοτρύων,
Πλήρη φανῆναι, Χριστὸς ἡνίκα κρίνων
Θεὸς θεοῖς δίδωσι * τὰ πρὸς ἀξίαν, * al. τὴν
Χώραν ἑκάστῳ φωτὸς ὡς ὄψις φέρει.
Ἐλπὶς μία μοι τὰς βραχείας ἡμέρας
Παλινδρομῆσαι τῇ ποδηγίᾳ μάκαρ.

De vita humana. 26.

Puluis, lutúmque, rursus & puluisculus,
Nam terra terræ iungitur, & inuoluitur,
Tamquam quibusdam fasciis, terra graui,
Rursúmque puluis prodit, instar pulueris.
Quem vis in altum sustulit cùm turbinis
Sæuique venti, deprimit mox: in modum
Sic namque nostram mobilem vitam parem
Mali procellæ spiritus altè efferunt,
Adulterinámque euehunt ad gloriam:
Ac puluis infrà labitur rursum, & manet
Humi, creantis vox potens donec Dei
Soluta morte vinxerit rursus simul.
At nunc vt alta de specu sese exerens

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΠΕΡΙ ζωῆς ἀνθρωπίνης.

Ὁ χοῦς, ὁ πηλός, ἡ παλίστροφος κόνις.
Τῇ γὰρ ἡ γῆ συμβιβάζεται πάλιν, Leg. Τῇ γῇ γὰρ
Καὶ σπαργανοῦται τῷ γεώδει σπαργάνῳ,
Καὶ χοῦς πάλιν πρόεισιν ὥσπερ ἡ κόνις,
Ἣν ἡ βιαία συστροφὴ τῶν πνευμάτων,
Πρὸς ὕψος ἐξαίρουσα συστέλλει κάτω.
Οὕτω γὰρ ἡμῶν τὸν πολύστροφον βίον,
Αἱ τῶν πονηρῶν πνευμάτων καταιγίδες,
Πρὸς ὕψος ἐξαίρουσι καὶ δόξαν νόθον.
Αὖθις δὲ χοῦς κάτεισι καὶ μένει κάτω,
Ἕως ὁ τοῦ κλίσαντος ἁρμόσῃ λόγος,
Τῶν συνδεθέντων τὴν ἀναγκαίαν λύσιν.
Νῦν δὲ προκύψας ὥσπερ ἔκ τινος βάθους

Ο χοῦς ὁ θείᾳ πνευματωθεὶς εἰκόνι,
Καὶ τὰς γεώδεις ἐκβοᾷ τραγῳδίας,
Καὶ τὸν γελᾶν δοκοῦντα δακρύει βίον.

Puluis (Dei cui spiritum forma indidit)
Terræ molestas clamitat tragœdias,
Falsóque risu diffluens æuum gemit.

Τοῦ αὐτοῦ ἡρωϊκοί. 27.

Ἦν ὅτε Χριστὸς ἴαυεν ἐπ' ὁλκάδος ἔμφυτον ὕπνον,
Τετρήχει δὲ θάλασσα κυδοιμοτόκοισιν ἀήταις,
Δείματί τε πλωτῆρες ἀνίαχον, ἔγρεο σῶτερ,
ὀλλυμένοις ἐπάμυνον.
ἄναξ δ' ἐκέλευεν ἀναστὰς ἀτρεμέειν
ἀνέμοις καὶ κύματα, καὶ κύλεν οὕτως.
Θαύματι δ' ἐφράζοντο θεοῦ φύσιν οἱ παρεόντες.

Eiusdem Heroïci versus. 27.

In naui quondã Christũ sopor altus habebat,
Et vesana graues turbabant æquora venti,
Ac trepidi nautæ clamabant, Abiice somnum,
Seruator, pestémque à nobis pelle propinquam.
Tum Dominus surgens, vẽtisq; vndisq; quietẽ
Protinus indixit: tranquilláque cuncta fuere:
Aetherei numen sic agnouere monarchæ.

Τοῦ αὐτοῦ Ἀνακρεόντιοι. 28.

Ἄπορον βίου τὸ τέρμα
Διὸ μὴ τρέχε ἀδήλως.
Ἀρετὴν δίωξον, ἵνα
Ἐκεῖθεν ὄλβον εὑρήσῃς.
Βλέπε πῶς πάντα κόνις,
Πάντα δ' αὖ πάλιν τέφρα.
Ὅσα γὰρ κόσμος ἔχει,
Τύμβος ὄντως ἀφέξει.
Βίος * πέφυκε μηδέν,
*Fort. οὐ Πόα εὐμάραντός ἐστιν,
Ἀνύπαρκτός ἐστιν ὄλβος,
Ἀτύπωτόν ἐστιν ἴχνος.
Γοερὸν κενῶσα δάκρυ,
Ἐμὸν εἰς τάφον τεκοῦσα,
Ὅπερ εἰ μόνον δοκεύσεις,
Κραδίης πόνον συνέξεις.
Δακρύων γέμουσι τύμβοι,
Ἀπλέστων γέμουσιν οἴκτων.
Leg. ἀπλέτων. Ὁ γὰρ εἰς τάφον παρακύψας,
Συνέλεξεν ἔνδον ἄλγος.
Ἐμὸν εἰς δέμας σὸν ὄμμα
Διάρας, σκόπευε γυῖα.
Ἐμὲ γὰρ ῥάδαμνον ὥσπερ
Νέον ἐξέκοψεν ᾅδης.
Ζοφερὸν δόμον πετάσας
Ἀκόρεστος εἷλε Πλούτων,
Ἐμὲ παῦλον ὥσπερ ἔρνος
Ἀπαλὸν τεμὼν πρὸ ὥρας.
Θάνατος νέων τὸ κάλλος
Ὅλον ὡς χλόην θερίζει
Δρεπάνῃ, πέλει γὰρ ὄντως
Leg. οὗτος. Ἀδιεξόδευτος ὄντως,
Ἴδε ποῦ τρέχεις, ἐπίσχες.
Ἴδε πῶς φθορᾷ συνάπτῃ.
Κόνις ὡς πέφυκε κόσμος,
Ὀμίχλη, θύελλα, τέφρα.
Δίκην τὰ πάντα ἀέρος
Ῥέουσιν ἀθρόως μάτην.
Λαγόσι μ' ἔκρυψε γαῖα,
Λόγον οὐ φέροντα πάμπαν.
Φθορὰ γὰρ πέδησε γλῶτταν,

Pauli cuiusdam epitaphium Anacreonticis versibus. 28.

Incerta meta vitæ:
Fac certus ergo curras.
Recto stude, queas vt
Illic beatus esse.
Vt puluis & fauilla
Sint cuncta, cerne quæso.
Quod mundo inest, id omne
Sanè feret sepulcrum.
Est namque fluxa vita,
Marcescit instar herbæ.
Sors est nihil beata, Quídnã vita hæc sit.
Signa pedis haud notata.
Tristi parens profuso
Fletu dedit sepulcro
Fœtens meum cadauer.
Solùm quod ipse cernens,
Luctum grauem fouebis.
Fletu scatent sepulcra,
Magno scatent dolore.
Nam qui videt sepulcrum,
Luctus asseruat intus.
Cernens meum cadauer,
In membra fige vultum.
Me namque scidit orcus,
Ramum velut tenellum.
Nigram domum recludens
Me lurco cepit orcus:
Plantam velut tenellam
Præcidit ante tempus.
Iuuenum metit decorem
Falx mortis, instar herbæ.
Nam nemo prorsus illam
Vitare possit vnquam.
Quò pergis ipse cerne,
Sistens gradum tuere
Mors vt sibi liget te.
Vt puluis orbis hic est,
Nubes, cinis, procella.
Hîc quicquid est, vt aër
Leuis, fluit repentè.
Tellus sinu tegit me,
Sic vt loqui negetur.
Nam labra mors ligauit,

Et membra cuncta sparsit.
Pater, pater, Deúsque,
Cuiusque qui creasti
Mentem, manúsque, quando
Voluetur amnis ardens,
Meas ab igne sordes
Quis, quæso, vindicabit?
Mea acta stuppa nam sunt.

Μέλεα σκέδασε πάντα.
Πάτερ ὦ πάτερ θεέ μου,
Ὡς ἔχεις πνοιὴν ἑκάστου.
Παλάμας ἔτευξας, ὅν περ
Καθάρας δίκης
Ῥοθίου φλέγοντος. οἴ μοι
Τότε πῶς ἄκαυστος ἔξω
Ὃν ἐγὼ ῥύπον συνῆξα;
Καλάμης γὰρ ἔχον ἔργα.

Ad Sigantium Eremitam. 29.

Lætus quidem ipse veneram, vt restinguerẽ
Sitim, videndi quæ tenebat me tui.
Ast vt carentem fonte fontem repperi,
(Aberat enim tum fons mihi dulcissimus)
Tristi recessi mente rursus admodum,
Hoc nactus vnum, maior vt premat sitis.
At tu precare, rursus vt mi copia
Fiat tui, quò maximum ignem comprimam,
Deique sensa dem tibi, sumam & simul.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΕΙΣ Σιγάντιον ἐρημίτην. 29.

Χαίρων μὲν ἦλθον, ὡς πόθου σβέσων φλόγα,
Τῆς σῆς ὃν εἶχον ἐνθέου συνουσίας.
Ἐπεὶ δὲ κρήνας εὗρον ἀκρήνους σαφῶς,
Πηγῆς ἀπούσης ἐμοὶ ποτιμωτάτης,
Ἀπῆλθον αὖθις καὶ μάλ' ἐστυγνασμένος,
Ἓν περιλαβών, τί τοῦτο; διψῆσαι πλέον.
Εὔχου δ' ὅμως μοι δευτέραν συντυχίαν,
Ὅπως κατασβέσαιμι τὴν πολλὴν φλόγα,
Λαβών τι καὶ δοὺς τῶν θεοῦ νοημάτων.

De patientia. 30.

Me quando sæuis obrutum morbis petis,
Mea dicta paucis accipe, & doctrinam habe.
Aegrum esse melius est mihi, quàm sit tibi
Valere. Morbo nam piari me scio,
(Licet piandos improbos susceperim.)
Ac fortè morbi maius est mysterium.
Sed arbitrari præstat id, quàm sordibus
Tinctum quibusdam, noxiè turgescere.
At tu sceleste nec tuum morbum vides.
Nam si videres, lachrymas fundens graues
Deum obsecrares, vt tibi radicitus
Morbum amputaret ante vitæ terminum.
Si namque lumen tale, quid tandem nigror?

Εἰς τὴν ὑπομονήν. 30.

Ἐπεί με βάλλεις τῇ νόσῳ πονούμενον,
Μικροῖς λόγοις ἄκουε, καὶ παίδευμ' ἔχε.
Ἐμοὶ τὸ κάμνειν κρεῖσσον, ἢ σοὶ τὸ σθένειν.
Ἐγὼ μὲν οἶδα τῇ νόσῳ πυρούμενος,
Καίπερ καθαίρειν τοὺς κακοὺς τεταγμένος.
Κἂν ᾖ τι μεῖζον τοῦ πάθους μυστήριον.
Φρονεῖν γὰρ οὕτω λῷον, ἢ ῥυπῶντά τι
Βλάπτειν ἐμαυτὸν ἐν κενῷ φρυάγματι.
Σὺ δ' ὢν κάκιστος, οὐδ' ἐπίσῃ τὴν νόσον,
Ἢ πόλλ' ἔδει σε δάκρυα σπεῖσαι θεῷ,
Ἵν' ἐκτέμῃς σου τὴν νόσον πρὶν ἂν θάνῃς.
Εἰ γὰρ τὸ φῶς τοιοῦτο, τὸ σκότος πόσον;

Eiusdem admonitio. 31.

Magnum per huncce compara mundũ tibi,
Hæc cuncta, quæ hîc sunt, despuẽs prõptissimè.
Scenam theatri maximi. Pare Deo,
Qui corpus ob te vestiit. Ad quid monet?
Hinc exeamus: ipse nam veni huc quoque,
Vt te, scelus quem deiicit, sursum locem.
Curramus ergo conciti: Deus vocat.

Τοῦ αὐτοῦ παραίνεσις. 31.

Κόσμον πόριζε τῷ παρόντι τὸν μέγαν,
Διαπτύων ἅπαντα τὰ τῇδ' εὐκόλως,
Σκηνὴν θεάτρου μείζονος. πείθου λόγῳ
Τῷ συμπαγέντι σὴν χάριν. λέγει δὲ τί;
Ἴωμεν ἔνθεν· καὶ γὰρ ἦλθον ἐνθάδε,
Ἄνω σε θήσων τὸν πεσόνθ' ἁμαρτίᾳ·
Θεὸς καλεῖ. σπεύδωμεν ἐπτερωμένοι.

Oratio ad Christum in morbo. 32.

Me Christe firma: quî tuus cultor iacet?
Iam lingua cessat, te canens: cur hoc sinis?
At firmitati redde me: nec me, tibi
Qui sacra supplex offero, prodas velim.

Τοῦ αὐτοῦ. 32.

Πῆξόν με Χριστὲ, πῶς ἐλύθη σὸς λάτρις;
Ὑμνῳδὸς ἀργεῖ γλῶσσα. πῶς φέρεις τόδε;
Ἀλλ' ἅρμοσόν με, μὴ προδῷς τὸν σοὶ θύτην.

Oratio alia. 33.

Redire vires expeto, præconium
Salutis vt obeam, ac Deo plebem expiem.
Ne Christe (robur nam meum es) me deseras.
Si te in procellis prodidi, rursus petar.

Τοῦ αὐτοῦ. 33.

Ποθῶ πάλιν στῆναί τε καὶ σωτηρίας,
Κῆρυξ γενέσθαι καὶ λαὸν καθαγνίσαι.
Σὺ τὸ σθένος μου λίσσομαι, μή μ' ἐκλίπῃς.
Εἴ σ' ἐν ζάλῃ προὔδωκα, βαλοίμην ἔπι.

Τοῦ αὐτοῦ. 34.

Ὄλβιος ὅστις ἄσαρκον ἔχει βίον, οὐδ' ἐπίμικτον
Εἰκόνι τῇ μεγάλῃ βόρβορον ἀμφέθετο.
Πάντα μὲν οὐρανίοισι νοήμασιν ἔσπετ' ἀνάγκῃ,
Πλείονα ἀντιάει, καὶ ζόφος ἐστὶ νόου.
Ῥοίκης γένος εἰμὶ, τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις;
Εἰ πνεῦμ' ἔλαβον θεόθεν, τίπτε με πηλόδετον
Χριστὲ φέρεις; γῆρας μὲν ἔβη, καὶ ἅψε' ἀκιδνά.
Εἰ δ' ἔτι λύσσαν ἔχει σὰρξ ἐπανισταμένη
Ἀμφαδὸν, ἢ λοχόωσα. τὸ δ' ἄλγιον ἔσπετο μύστην
Οὐρανίων θυέων μὴ καθαρὸν παρέχει.
Ὁρκίζω σε θεοῖο μέγα κράτος, ἠδὲ κελαινὸν
Ἦμαρ ἀλιτροβίων ἴσχεο μαργοσύνης.

Eiusdem elegiacum. 34.

Carne vacat quisquis, felix hic viuit, imago
Cuius & haud crasso cœlica iuncta luto est.
Cœlitibus sensis nam rarò inuitáque paret:
Sæpius obsistit, contenebrátque animum.
Fluxus me genuit: quid me immortalib⁹ æquas?
Aethereus flatus si mihi, Christe, luto
Cur ego sũ vinct⁹? Seniũ vrget, mẽbráq; lãguẽt.
Quod si carnis adhuc sentio bella meæ,
Insidiásque graues, magis hoc graue: si facit illa
Impuro vt faciam pectore sacra Deo.
Per Christũ te adiuro, diẽ nigrúmque malignis,
Bella procax misero parce mouere mihi.

Προσευχὴ εἰς Χριστόν. 35.

Τέθνηκα, τῷδε τῷ ταλαιπώρῳ βίῳ,
Ὃς φέρετ' ἄνω κάτω τ', εὐρίπου δίκην,
Βέβαιον οὐδὲν οὐδ' ἐφ' ἡμέραν ἔχων.
Ζῆσαι δ' ἐκείνῳ τῷ μακρῷ πόθος μ' ἔχει,
Ὃς ἆθλα κεῖται τοῖς καλ' ἠγωνισμένοις.
Πρὸς ταῦτα χαίρεθ', οἷς φίλα τὰ τοῦ βίου.
Ἐγὼ δὲ χαίρων ὄψομαι τὸν δεσπότην.
Τολμῶ τι λέξαι, ὦ μάκαρ, τὸ σῶμά σοι
Τὸ σὸν τὸ τῆς σῆς πλάσμα προὐθέμην χερὸς,
Ὡς λεπτὸν, ὡς ὀδωδὸς, ὡς παρειμένον.
Ἰδοὺ πρόκειται, βλέψον, ἐκλελοίπα μέν.
Καὶ νῦν πάρει, δὸς χεῖρα, λῦσον βίου,
Πρὶν καὶ τι χεῖρον συμπεσεῖν ἐμοὶ τέλος.
Τί δεῖ πάλιν κακῶν τε, καὶ καθαρσίων;
Ὄλωλ' ὄλωλα συμφοραῖς, σοὶ δ' ὄλλυμαι.
Σὺ γὰρ θεός μου, σὺ ζόφον λύεις κακῶν.

Oratio ad Christum. 35.

Iam clausus est huic vltimus dies mihi
Mundo, deorsum voluitur qui, vt Euripus,
Sursúmque, firmi nil habens, vel in diem.
Aeternæ at illi concupisco viuere,
Quam consequentur, qui probè pugnauerint.
Ad hæc valete, vita queis præsens placet.
Ast ipse herili perfruar visu lubens.
Metu remoto quidpiam loquar: Deus,
En corpus à te conditum hoc tibi offero,
Macrúmque, olénsque, viribus cassum & suis.
En intuere supplicem. Iam elangui,
Succurre: vel da morte subduci, prius
Acerbiore quàm miser fato cadam.
Malis quid est mî, rursus & lustris opus?
Confectus ipse sum malis, tibi occido:
Tu namque numen es mihi, fugans mala.

Εἰς τὴν ἀναχώρησιν. 36.

Ἄλλοι μὲν εὐπλόουσι τῶν θεῷ φίλων,
Ἄλλοι δὲ δυσπλοοῦσιν οὐδὲν χείρονες.
Τίς οἶδε τούτων τοὺς λόγους, πλὴν σοῦ, λόγε;
Μὴ τοῦ βαδίζειν εὐκολωτέραν τρίβον,
Τὸ τὴν προσάντη καὶ τραχεῖαν ἢ πλέον;
Ὅμως δ' ἔγωγε τοὐμὸν, ὡς ἔχω, φράσω,
Κρεῖσσον μὲν ἄμφω, καὶ τρέχειν, καὶ πρὸς καλόν.
Εἰ δ' οὐκ ἔνεστι, τοὺς πόνους ἀσπάζομαι
Πρὸ τῆς ἀδόξου καὶ κακῆς σωτηρίας.
Ὡς πολλὰ δὴ δεῖ καί με πρὸς θεὸν φέρειν,
Κάμνοντα σαρκὶ, πραγμάτων τ' ἐπιδρομαῖς.
Τί χρὴ παθεῖν με μὴ τυχόντ' ἀμφοῖν φίλοιν;
Σκεύαζε σαυτὸν ὡς τάχος, πρὸς οὐρανὸν
Ψυχὴν πτερώσας τῷ λόγῳ τὴν τιμίαν.
Μηδὲν περισσὸν, ἀλλὰ πᾶν ῥίψας βάρος
Βίου ματαίου, καὶ κακῶν τῶν ἐνθάδε.
Ἐγὼ τραπέζης μυστικῆς παραστάτης,
Ἐγὼ καθαίρω λαὸν, ὅν σοι προσφέρω
Ἐν τοῖς ἀναίμοις καὶ τελείοις δόγμασιν.
Ὦ λαμπρότητος βλύζουσα, καὶ πηγὴ φάους,
Ὡς αὐτὸς οἶδα, δεόμενος καθαρσίων,
Δεινὸν καθαίρειν βορβόρου μολύσματα.

In secessionem. 36.

Quidam secundis nauigant ventis pij:
Quidam sinistris, non licet minus probi.
Cur fiat istud, Christe, præter te queat
Quis scire? númque calle præstet arduo,
Quàm per viarum prona gressum figere?
Tamen quod ipse sentio, dicam breui.
Vtrumque præstat, currere, & percommodè:
Si non vtrumque mî licet, turpem & malam
Pono salutem dura post & aspera. Turpi saluti præferendæ afflictiones.
Me namque multa ferre Christo conuenit,
Patique multa carne, rerum & casibus.
Miser ergo quidnam factitem, cùm non queam
Vtrumque apisci? Protinus te compara:
Ratióque mentem tollat in cœlum tuam.
Nil, quod redundet, posside, sed sarcinas
Inanis huius & malæ vitæ abiice.
Ego adsto mensæ mysticæ, plebémque ego
Purgo, incruenta quam tibi per dogmata
Et plena prorsus, offero flexo pede.
O lux perennis, lucis & fons vnice,
Quantum ipse noui (cui quoque est lustris opus)
Purgare sordes est luti grauissimum.

De patientia. 37.

Florere cernis improbum quando virum,
Manere pœnas vltimo hunc noscas die.
At cùm piorum quempiam in malis vides,
Piamen illa crede. nam, si quid trahit
Cœnum, necesse est durus vt purget labor:
Iuuante Christo quò ferat victoriam.
Hoc laureatus Iob tibi persuadeat.

Εἰς τὴν ὑπομονήν. 37.

Ὅταν τιν' εὕρῃς εὖ παθοῦντα τῶν κακῶν,
Γίνωσκε τοῦτον τῷ τέλει τηρούμενον.
Ὅταν τιν' ἐν κακοῖσι τῶν καλῶν, καθάρσιον
Τὴν θλίψιν ἴσθι. δεῖ γὰρ, εἴ τι καὶ μικρὸν
Ἰλὺς ἐφέλκει, τοῦτο ῥυφθῆναι πόνοις,
Θεοῦ διδόντος ὡς ἀναῤῥήθη μέγας.
Ἰὼβ σὲ ταῦτα πειθέτω νικηφόρος.

De desiderio. 38.

Omnis cupido torquet: at duplex malum,
Desideratur cùm caput charum. triplex,
Puella si sit. ore si pulcherrimo,
Malum ingrauescit. ambias si nuptias,
Vrit medullas tum dolor sæuissimus.

Περὶ πόθου. 38.

Δεινὸν πόθος πᾶς. ἂν δὲ καὶ φιλουμένου,
Διπλοῦν τὸ δεινόν. ἂν δὲ καὶ κόρας νέας,
Τριπλοῦν τὸ κέντρον. εἰ δὲ καὶ κάλλους γέμων,
Πλεῖον τὸ κακόν. εἰ δὲ πρὸς γάμον φέρει,
Πῦρ ἔνδον αὐτὴν βόσκεται τὴν καρδίαν.

De morte charorum. 39.

Est funus omne triste. funus filij
Geminat dolorem. si probus rursus, dolor
Cor vrit imum. si statim post nuptias,
Tum cor parentum rumpitur luctu graui.

Περὶ θανάτου φιλουμένων. 39.

Πικρὸν τάφος πᾶς· ἂν δὲ καὶ τέκνου τάφος,
Διπλοῦν τὸ κακόν. εἰ δ' ἀριστέως πάλιν,
Ἡ συμφορὰ πῦρ. εἰ δὲ νυμφίου νέου,
Ἡ καρδία ῥάγηθι τῶν γεννητόρων.

De malis amicis. 40.

Pati molestum est. sed magis, si, quos amas,
Nocere tentent. clanculum si mordeant,
Hoc non ferendum. Si fide qui præditi.
Id peius. At si numinis summi adstites,
Quò iam recedes, tot mala vt vites, miser?

Περὶ φίλων τῶν μὴ καλῶν. 40.

Δεινὸν τὸ πάσχειν. ἂν δὲ καὶ φίλων ὕπο,
Ὡς χεῖρον. ἂν δὲ καὶ λαθραίοις δήγμασι,
Τοῦτ' οὐ φορητόν. ἂν δὲ καὶ πιστῶν ὕπο,
Ἐπίχες. ἂν δὲ καὶ θεοῦ παραστάτων,
Ποῖ τις τράπηται; πῶς φύγῃ κακῶν φοράν;

De eadem re. 41.

Omnis molesta est læsio. At si læserit
Amicus, istud fœdius. Si mordeat
Clàm, belluinum hoc. At loquax si fœmina,
Est dæmon hospes. Iudicis si qui gerit
Partes, opus tum fulmine est. At si sacer,
Sis Christe causæ, te rogo, iudex meæ.

Εἰς τὸ αὐτό. 41.

Δεινὸν τὸ λυποῦν. ἂν δὲ καὶ λυπῇ φίλος,
Ἀνδραποδῶδες. ἂν δὲ καὶ δάκνῃ λάθρα,
Ὡς θηριῶδες. ἂν δὲ καὶ γυνὴ λάλος,
Δαίμων σύνοικος. ἂν δὲ καὶ δικασπόλος,
Χρεία κεραυνῶν. ἂν δὲ καὶ θυηπόλος,
Ἄκουε, Χριστὲ, καὶ δίκαζε τὴν δίκην.

Ad Virginem. 42.

Sis parte ab omni, Virgo, sed potissimùm
Oculis pudica, nec virorum quempiam
Συνεισάκτους notat. *Admitte tecto, te vt iuuet, sophum licet.*
Tu namque quamuis casta sis, liuor tamen
Terret, malum ne dedecus conflet tibi,
Zelúmque vitæ deleat, quam amplecteris.
Pereas velim, qui, castitatem dum colis,
Communem habere vis domum cum virgine,
Quæ carne vacuis angelis adstat. Tibi
Flāma quid opus est? Nō times flāmā? Quid ast?
Fugiésne linguæ garrulæ fumum grauem?

Εἰς παρθένον. 42.

Ἅγνευε πᾶσι, παρθένε, καὶ τοῖς ὄμμασι
Πάντων μάλιστα· μηδὲ τιν' εἰσοικίσῃ,
Ἀνδρῶν βοηθὸν, μηδὲ τὸν σοφώτατον.
Σὺ μὲν γὰρ ἁγνὴ, τὸν φθόνον δ' ἐγὼ λίαν
Δέδοικα, μή σε κεντρίσας δυσφημίᾳ,
Λύσῃ τὸν ἁγνὸν ζῆλον οὗ στέργεις βίου.
Ὀλοιό μοι πᾶς ὅστις ἁγνείαν σέβων,
Τὴν τῶν ἀσάρκων ἀγγέλων παραστάτιν
Σύνοικον αἱρῇ παρθένον. τί δεῖ πυρὸς,
Κρείσσων πυρὸς σύ; πῶς δὲ τὸν καπνὸν φύγοις,
Σαυτὸν μελαίνων τῇ κενῇ γλωσσαλγίᾳ;

Εντεῦθεν ἤρθης, παρθένε, καὶ ζῇς ἄνω.
Μάζα στενή σοι, καὶ σκέπη τὸ φόρτιον;
Ων μή ποτ' αἰσχρὸν εἵνεκεν μηδὲν πάθῃς.
Μηδ' ἀντὶ σοῦ προστάτου δέξῃ τινὰ
Κοινωνὸν αἴσχοις, καὶ βίου, κἂν ἁγνὸς ᾖ.

Elata es istinc, virgo, sursum & victitas.
Est offa curta, te graue & pondus premit?
Hæc turpe propter, virgo, nil admiseris:
Sociúmque vitæ neminem, & turpis probri,
Quæris patronum dum tibi, susceperis.

ANNOTATIVNCVLÆ IN PRÆCEDENTIA CARMINA.

Carm. 1. *Si par Deo est vxor)* In Reginæ libro habetur, εἰ γυμὴ θεῷ. Perspicuum est tamen legendum esse γυνή. Hoc enim vult Greg. quantum inter Christum & fœminam interest, tantum etiam inter coniugatam vitam & cælibem interesse.

2. *Thoro pudicitiam iugali do quidem)* Hoc loco apparet versum aliquem in Græco desiderari, quo hæc verba exprimantur. Alioqui enim cum ἁγνείαν sibi assumat Gregorius, quid tandem erit quod matrimonio tribuendū putet? Vult autem, mea quidem sententia, hoc significare, se quidem minimè inficias ire, quin sua matrimonio pudicitiæ laus constare possit: ac ἁγνείας, id est, puritatis, laudem eiusmodi esse, vt eam virgines duntaxat sibi vendicare queant.

3. *Dirámne propter grandinem)* Hîc pro ζάλης, vt corruptè in Græco erat, χαλάζης reponere non dubitaui: ita nimirum postulante, tum sensu, tum carminis lege.

4. *Carere cultu)* Hîc quoque, nisi me omnia fallunt, aut versus quispiā desideratur, aut certè vitium aliquod in verbis Græcis hæret. Hoc enim velle videtur, ei quæ verè virgo sit, cultum in eo positum esse, vt cultum omnem respuat. Quam etiam laudem sorori Gorgoniæ, tametsi matrimonij vinculis adstrictæ tribuit, cui ἀκοσμίαν ἀντὶ κόσμου fuisse testatur.

5. *Sat est supérque)* γέλωτος ἔμφασιν ἀντὶ μειδιάματος accipit, hoc est, pro leui quodā risu, nec profuso ac petulanti, quem solum piis permittit Basilius in Regulis fusiùs disput. artic. 17.

6. *Ast memoria sordidat)* Hoc indicat, ne tutum quidem esse virgini vnà cum fratre habitare: quòd ex ipsius conspectu impuras quasdam cogitationes contrahere possit.

7. *Surrepta totum)* Hoc loco nemo est qui non facile perspiciat mendum inesse in hac voce ἀναστάντοι. Legendum fortasse ἀναστάτων, sup. πόλεων, aut aliud quippiam. Alludit autem Gregorius ad id quod de Acham habetur Iosue cap. 7. De quo vide scholium nostrum. 11. In Orat. de Episc. Ægypt. appulsu.

Carm. 4. *Mihi inuideri)* Hoc est, hosti meo fidem adhibui, dicenti hac de causa mihi arbore scientiæ boni & mali interdictum fuisse, quòd Deus diuinitatem mihi inuideret. Sic etiam alio loco ait, μὴ φθονήσῃς τῷ κατορθοῦντι ὁ φθονηθεὶς, καὶ φθινύθειν πεισθεὶς, καὶ διὰ τοῦτο κατενεχθεὶς. Quem locum Gesnerus lib. 1. Meliss. cap. 62. pessimè ad hūc modum transtulit: Noli inuidere præclarum aliquid facienti, quamuis illum tibi inuidum esse persuadeas, ac ideo succenseas.

Carm. 19. *Flatus hominum.* Gr. πνοὴ βροτῶν, id est, vita mortalium.

Carm. 20. *Amnem & rogum)* Gr. πυρποτάμου. quam tamen vocem mendosam esse ex ipso carminis vitio apertissimè constat.

Carm. 24. *At velle cùm sit)* ὢν θελητὰς, id est, volendi facultate præditus, hoc est, arbitrij libertate.

Carm. 26. *Fletu dedit sepulcro)* Deest hoc loco versus quispiam in Græco.

Carm. 31. *Sed arbitrari præstat)* Etiamsi Deus probationis causa nonnunquam calamitates nobis immittat: satius tamen est eas peccatis nostris ascribere: ne alioqui arrogantiæ quidpiam concipiamus.

Carm. 34. *Magis hoc graue)* Hoc loco Græca mendi suspecta mihi sunt. Sic igitur hæc verto, quasi in Græco sit, εἴποτε pro ἐκαστο. Quod tamen pro coniectura duntaxat haberi volo.

Carm. 36. *Purgare sordes)* Id est, Arduū ac molestum ei munus incumbit, qui homines fœdissimis quibusq; vitiis contaminatos instituendos ac purgandos suscepit.

Carm. 37. *Si quid trahit cœnum)* Id est, si corpus hoc luteū ac crassum labis aliquid secum trahit. Hoc enim vult Gregorius, pios viros ob eam causam calamitatibus affici, vt si quid pro naturæ fragilitate noxarum contrahant, id omne afflictionibus purgetur.

GREGORII AD SVAM ANIMAM, ANACREONTICVM CARMEN.

Qvidnam tibi requiris,
(Percontor ipse mentem,)
Paruum quid aut quid ingens
Tibi videtur esse
De rebus huius æui?
Tantùm petas quid amplum,
Dabóque perlibenter.
Sortémne Gygis optas
Lydi tibi venire,
Per annulúmque versum
Regno statim potiri,
Qui tectus hunc tegebat,
Paténsque detegebat?
Sortem Midæ ne poscis,
Cui diues obtigit mors,
Dum quod tenet fit aurum:
Sic aureámque sentit
Famem, peritque, votum

Miser

Miser luens iniquum?
Claras cupisne gemmas,
Terras cupis feraces,
Multum pecúsque, multos
Bouésque cum camelis?
Non hæc dabo. tibi nam
Nec ista profutura,
Dari queant nec à me.
Curas enim fugaui,
Cùm me dedi Tonanti.
Thronósne temporísque
Fastum petis caducum,
Vt cras humi sedere
Cernaris ore mœsto,
Alio superbiente,
Adstare qui solebat
Tibi, malúsque fortè?
Teda cupis ligari,
Philtrísque non pudicis,
Sequi leuísque tempus?
Morbum cupísne dulcem,
Curámque prolis amplæ,
In qua boni malíne
Plus sit situm, fugit me?
Lingua cupis diserta
Amplos tenere cœtus?
Turbare vísne leges,
Artes per haud honestas,
Simúlque ferre, ferri
Ad tribunal nefandum?
Vibrare poscis hastam,
Ardens amore belli:
Laurúmque triumphalem,
Ferísque ferre letum?
Plausus in vrbe quæris,
Et æream figuram?
Insomnij cupis sic
Vmbram, leues & auras.
Sonum cupis sagittæ,
Quæ non relinquit vllam
Viæ notam peractæ:
Sonum petis, manus quem
Plaudens solet mouere.
Sanis enim quid ingens
Horum queat videri,
Quæ sunt modò, modò non?
Queis & mali fruuntur:
Quæ nósque non sequuntur,
Mors atra cùm rapit nos.
Hæc ergo cùm negentur,
Quídnam tibi requiris?
Deúsne gestis esse,
Deus Dei supremi
Fulgore plenus adstes,
Ducens choros beata
Cum cœlitum phalange?
Age iam pedem moueto
Curæ, celer quæ volet,
Ac prompta tende sursum.
Pennas ego repurgo:
Verbis ego veho te.
Te nam, velut volucrem,
Ad astra celsa mittam.
Dic ast olens caro mî
(Heram Deus coco me
Quando meo ligauit)
Quídnam petis, queas vt
Vitæ dies tueri?
Nam stringor hoc ad vnum; Quid debeat anima corpori.
Licet petas ducenta.
Mensas odore poscis
Gratas, cocíque scitis
Technis, lyræq; pulsus
Libidinem cientes,
Iuuenum leuésque saltus,
Qui turpiter mouent se:
Et virginum choreas,
Quæ corpus indecorè
Nudant suum vocatæ,
Cùm cœnat is cui Venus
Arridet, ac libenter
Qui se Baccho perurit.
Hæc si requiris à me,
Tibi restis est paratus.
Hæc do meis amicis,
Queis nil potest sat esse.
Rupes domus tibi sit,
Quæ sponte membra velet.
Aut si labor ferendus,
Hora teratur vna.
Sit vestis aut cameli
Pili, velut Prophetæ,
Aut nuditas tegatur
Antiqua pelle vili.
Vulgaris & thorus sit,
Herbæ, frutéxque cæsus,
Sit mappa purpurata,
Non sæua comb: boni.
Iam mensa dulce spirans
Sit quod dat alma tellus
Nullo labore cuiuis.
At quando te locaui,
Aleris haud grauatim.
Cibos cupísne? panem
Habes, quid aut farinæ.
Opsonium tibi sal,
Quantum volésque cepæ,
Opsonium laborem
Quod nescit: alterúmque Optimum condimentum fames.
Maius, fames lacessens.
Potum cupísne? lympha
Fluit tibi perennis,
Potus mouere mentem
Qui nescit, & voluptas
A vitibus remota.
Si lautius petit quid,
Negatur haud acetum.
Sin hæc tibi sat haud sunt,
Sed vis vt effluenti
Vasi malè voluptas
A me ingeratur vsque,
Quæras licet tibi qui
Ministret ista. nam non
Domesticum vacat mî
Hostem sinu fouere,
Serpentis instar, vt cùm
Defouero rigentem,
Me vulneres repentè.

Amplas domósve poscis,
Aurata tigna queis sint,
Pictæq́ tam peritè
Formæ, queas vt ipsas
Vita frui putare.
Tabulæq́ nitens decus
Vario colore factæ?
Cupísne diffluentes,
Tangique quas nefas sit,
Vestes, in annulísque
Opes habere magnas:
Formámque, quam, sapit qui,
Ridétque, despicitque,
Præ cæteris ego, qui
Verum situm decorem
In mente sola credo?
Hæc verba dico vobis,
Quorum iacens humi cor
Præsens quod est requirit,
Plus nílque contuetur.
At vita queis honesta
Agitur, & vt meretur
Pars, quam Deus supernè
Carni dedit lutosæ,
(Egentis en tumorem)
Qualem cibum ministro.
Fac transeas rubentem
Ensem, Deum colis qui.
Sis arborum Dei, quæ
Semper virent, colonus:
Queis læta me sequentem
Orbauit asper hostis.
Ædito rursus æui
Lignum citus perennis,
Quæ notio Tonantis
Est, vt mihi videtur.
Qui lumen est trifulgens,
Quò quicquid est refertur.
Sic quisque mente sana
Secum frequens loquetur.
Quòd si loqui recuset,
Frustrà dies peregit.
Frustrà quid ipse dico?
At in malum peringens.

Eiusdem hymnus ad Deum.

TE maximum monarcham
Da prædicare quæso,
Te principem, Deúmque,
Quem laus ob est & hymnus,
Et cœtus angelorum:
Ob quem absque fine secla,
Quem lucet obque Phœbus,
Ob quem sorórque currit,
Et stara pulchra cœli.
Ob quémque nosse numen
Nacti sumus supremum
Nos, contigit quibus mens.
Nam cuncta tu creasti,
Et ordinem dedisti
Cunctis, & hæc gubernas.
Locutus es, fuitque
Statim quod es locutus.
Sermo tuus Deúsque
Est, natus &, tibique
Essentia parenti
Par, ac honore prorsus
Nil non is ordinauit,
Vt imperet quibusque.
At Spiritus coërcens
Vi cuncta præpotenti,
Gubernat & tuetur.
O viua Trinitas, te
Vnum canam monarcham,
Origo cui nec vlla
Est, versio nec vlla:
Excedit esse cuius
Sermonis omne robur:
Sophiáque mente cuius
Nulla potest teneri:
Cœli perenne robur,
Ortu caréns que fine,
Aciémque cuius omnem
Splendor fugit supremus.
Quæ cuncta contueris,
Quam nil humi latet, nil
Et in mari profundo.
Lenis Pater mihi sis:
Da numen istud à me
Colatur absque fine.
Absterge quæ patraui,
Mentem meam repurgans,
Ne quid mali volutet:
Vt gloriam tibi dem,
Puras manus in altum
Tollens, canámque Christum:
Genu petámque nixo,
Assumat vt clientem,
Ad sceptra cùm redibit.
Lenis Pater mihi sis:
Da te mihi benignum:
Grates decus decent quem
In secla seculorum.

In nobilem malè moratum.

NObilis, at grauibus vitiis adopertus, honesto,
Non tamen illustri, commemorabat auos.
Risit ad hæc alter, scitéque hoc rettulit: Vt mî
Dedecori genus est, sic quoque tu generi.
Hoc memori condas animo, repetásque subinde:
Vt virtute tibi nil prius esse queat.
Quòd si te salibus quisquam probrísque lacessat,
Quòd tibi cum facie sit quoque fœdus odor:
An dices, Forma genitor præstabat, odórque,
Quem dabat è toto corpore, gratus erat?
An multas, dices, timidus si fortè voceris,
Imbellísque, atauus vincit Olympiadas?

Sic quo-

A *Sic quoque si quis te nequam stolidúmque vocarit,*
Ne mihi, quos rapuit mors fera, profer auos.
Pulchra rudes modulos dedit vni barbytus: vni
Vilis at egregios edidit icta sonos.
Dic mihi quis fidicen melior censendus eorum?
An non qui docta barbyton arte ferit?
Ergo animos tollis, quòd, sis licet improbus ipse,
Diceris auratis patribus esse satus?
An tibi nobilitas sunt prisca cadauera, ficti
Sermones, & quos garrula fundit anus?
Ludis? Ego at tantùm id specto (par omnibus ortus
Argilla est etenim) sis bonus, ánne malus,
Omnibus est eadem pellis: nos patria, opésque,
B *Nos tamen & tumidos reddit inane decus.*
Vana quid ergo refers, patriā, genus? haud mihi ficta,
Haud mihi busta placent: temet ego inspicio.
Omnibus est idem puluis, fictórque: tyrannis,
Non natura, homines scidit in ista duo.
Qui malus, hic seruus: quisquis bonus, hic mihi liber.
Quid facit ad clarum mens nimis alta genus?
Quod probrum est mulis asino fluxisse parente,
Quod mulos asinis est genuisse decus?
Quin parit, at fœtus nido Iouis eiicit ales.
Ergo te misso quid mihi promis auos?
Esse probus malim, quamuis ignobilis ortu:
Quàm claros, vitiis plenus, habere patres.
Ex spinis etiam rosa nascitur: ignibus at tu
Dignus es è molli spina creatus humo.
Cur caput, instar equi, molitor sustollis aselle,
Obq; atauos, cùm sis improbus ipse, tumes?

IACOB. BILLIVS CANDIDO LECTORI S.

C *CVM versio hæc nostra superiore anno postridie assumptæ Virginis excudi cœpta, diúque postea, contrà quàm opinabar, ob Gallicos tumultus intermissa, tandem aliquando sub incudem reuocata fuisset, libenter equidem fecissem, vt quicquid ex Gregorij carminibus supererat, carmine quoque redditum in lucem efferrem, si mihi non tam extincto, vt nunc videmus & experimur, quàm vtcunque sopito belli incendio, ex hac vrbe, in quam, multis variisque calamitatibus, velut grauissima tempestate iactatus, tanquam in portum confugeram, excedere, méque ad meos recipere, ac iusto studiorum otio frui contigisset. Quod quoniam mihi per eos minimè licuit, quibus non dulce pacis nomen, non fides data, non denique regis imperia, nec de animis odia, nec de manibus arma vnquam extorquere potuerunt: nihil me à publicis commodis alienum factuRum putaui, si in tam exiguo otio, quod mihi suppetebat, ea quæ vertenda restabant, oratione soluta transferrem. Id quod profectò nemini mirum atque insolens videri debet. Vetus enim hæc est stili exercendi ratio, vt, quemadmodum ea, quæ oratione prosa conscripta sunt, interdum carmine reddantur, ita etiam vicissim ea, quæ versibus mandata sunt, solutis numeris efferantur. Atque hoc exemplum memoria nostra Vitus Amerbachius non sine laude renouauit: quippe qui aduersarias Aiacis &* D *Vlyssis orationes poëticis numeris solutas adeò feliciter expresserit, vt qui authorem Ouidium ignoret, sic existimaturus sit, eas non à Poëta quodam, sed ab Oratore primùm fluxisse. Quod mihi eo magis in Nazianzeno concedendum est, quòd carminum ipsius tale argumentum est, vt non minus commodè prosa, quàm versibus tractari possit. Nam si numeros ipsos, carminísque leges exceperis, nihil hîc omnino poëticum inuenies, hoc est, nihil vanum & inane, nihil absurdum ac fabulosum. Omnia grauitatis, pietatis, philosophiæque Christianæ plena sunt. Nunc hominis naturam fragilem & inconstantem graphicè depingit: nunc ardentissimas ad Deum preces mittit: nunc optima & saluberrima vitæ præcepta regulásque tradit. Accipies ergo hæc æquo animo, candide Lector, tantispérque his frueris, quoad aliquis meliora in communem vtilitatem attulerit. Vale. Nannetibus 3. Non. Decembr. 1568.*

E

GREGORII SENTENTIÆ Distichis versibus comprehensæ.



NVdus omnino vitæ pelagus sulca: nec nauis cuiuspiam instar, nimis onustus mari te committe, alioqui iam iámque pessum iturus. Mórtem velut præsentem semper tibi ob oculos pone: [1] ita 1
enim fiet vt cùm ipsi occurrendum erit, superior existas. Perpetuum tibi sit hoc studium, vt mentem tuam templum Deo extruas. Hinc enim assequeris, vt eum pro spirituali statua in intimo

corde habeas. Nosce teipsum, vir præstantissime, hoc est & vnde originem duxe- A
ris, & qua dignitate præditus sis. Sic enim facilè primarium illud pulchritudinis
exemplar consequeris. Dies ad diem te transmittit, leuissiméque voluitur: At con-
stantis hominis sententia sempiternum diem habet. Quisquis venientibus vicis-
simque abeuntibus rebus confidit, ille vtique fluuio perennè labenti confidit. Par
meo quidem iudicio malum est, vita & oratio scelerata: vtram earum habueris, al-
teram quoque profectò es habiturus. Flagitium est, hominem impurum sacrificiis
2 adstare: Flagitiosius autem [2] omnes mortuorum reliquias venerari. Caue vnquam
in virtutis via subsistas. Tibi enim, qui à vitiosa vita excessisti, perinde esse puto
3 consistere, [3] ac si in imum vitij gurgitem labereris. Videns cæcus est, qui vitij sui
exitium minimè intuetur: Contrà qui belluæ vestigia sedulò indagat, hunc perspi-
cacissimum esse iudico. Cùm ad vitiorum profligationem medici opera indigeas, B
si vitia celes, perniciosam certè putredinem nunquam effugies. Tuus sermo est,
opus meum: qui facinus haudquaquam honestum admiserit, ex honesta oratio-
4 ne nihil aliud commodi feret, [4] quàm vt pro socia aduersariam habeat. Contume-
liæ atque insolentiæ parens est satietas: tu verò, me quidem authore, in hoc ela-
Mundus aranearum telis similis borabis, vt animus natura sua perpetuò volubilis in te fixus & constans sit. Cu-
rabis etiam, vt solas diuinitatis opes tibi compares, mundúmque vniuersum ara-
nearum telis similem semper arbitreris. Cætera omnia, quæ homines possi-
dent, aliena ab hac vita sunt. Nam, si verè dicendum est, sola vita virtus dicenda
est. Venite igitur (omnibus Verbum inclamat) atque ad Trinitatis cognitionem
properate. Animis vestris hoc infigite, quicunque matrimonium contraxistis,
5 vt vberiorem atque [5] ampliorem frugem in cœlestia horrea inferatis. Quæcun-
que rursus pro sponso Christum complexæ estis, virginitatísque studium profite- C
mini, omnia Deo offerte. Splendor præclarus est Monachus: verùm animum à
mundo abducat, atque à mulieribus quàm longissimè absit. Contumelia est, fi-
dem in corporis superficie ac non in corde habere. Quod enim altè impressum
non est, facilè obliterari potest. Id demum mihi placet, quod altissimas in animo
radices egit. Caue ne vel nimis rigidam iustitiam, vel incuruam ac versutam pru-
dentiam habeas. Optimus enim omnibus in rebus est modus. Animi præsiden-
tiam rege, ne alioqui à fortitudine ad temeritatem desciscat. Nam temperantis
animi est, nonnihil quoque serenitatis præ se ferre. Diuinis oraculis mentem assi-
duè patere vtilissimum est: hac enim ratione diuinarum legum scientia compara-
tur. Optimus esse contende: displice his, quibus displicere quàm placere præstat.
Fœda enim est gloria, vitio delectari. Turpe est eum, qui virtute excellit, nefario- D
rum hominum patronum se profiteri: quod perinde esse puto, ac si pedem ipse
Simile. tuum intra vitium habeas. Quemadmodum aurum fornace, ita vir bonus affli-
ctione exploratur: ac plerumque dolor incolumitate leuior est, magísque expe-
tendus. Deum ille facilè abiurarit, qui parentem suum negat. Scito autem pieta-
tis quoque magistrum patris loco tibi colendum esse. Tineæ omnia abrodunt: Se-
pulchris opes tuas ne relinquas. Nullus enim funebris honor cum præclara fama
comparari potest. Hospitibus nostratibus parce, potissimum autem mortuis, qui hu-
mana omnia morte reliquerunt. Age verò, deserto vniuerso hoc mundo, mundíque
sarcinis excussis, ad vitam cœlestem vela pande. Atque omnia quidem egregia ope-
ra, vt Deo dignum est, exequere: sed præsertim Trinitas tibi curæ sit. Amens est
ille, qui sempiternum Dei Verbum non æquè ac Patrem adorat. Amens iti- E
dem, qui Verbum hominem hîc visum non æquè ac cœleste Verbum colit: ve-
rùm aut Verbum à Patre, aut formam humanam crassitiémque nostram à Verbo
disiungit. Deus erat, sed compactus est. Patris Verbum est, homo noster: vt huius-
6 modi mixtione Deum hominibus misceat. Vnus vtrinque Deus est, [6] hactenus ho-
mo effectus, vt me ex mortali Deum efficiat. (Parce quæso primarie Deus hoc ver-
bo vtenti.) Atque hæc nobis dixisse sufficiat. Quid enim genus, mixtionémque
omni oratione sublimiorem indagare aggrediar? O mortales, cùm de Deo agitur,
sermonis mediocritate contenti estote. Ac siquidem tibi fidem nostra oratio fe-
cit, bene se res habet: Sin tu multis versuum millibus chartam inficere obstinasti,
huc

A huc age, in tabulis tuis paucos hos versus calamo meo [7] atroris omnis experti, con- 7
scribam. * Virgo & oculis, & abditis corporis partibus, virgo esto; nec marem vl-
lum curatorem tibi asciscas. Christum amicum habes, viros omnes aspernare. Quid
tibi mortiferum toxicum intus habere opus est? Equidem in hac canitie corpus
lanio, oculos premo, diurnis nocturnísque curis ter miseram animam conficio, vt
eam à flamma extraham: ne sic quidem tamen nisi admodum ægrè corpus in po-
testate teneo. [8] Quanam ergo fronte tu & ætate florens, & carnes elephante ipso la- 8
tiores excitans, postea mihi delicias facis, perinde atque egregia quadam puritate
præditus, atque [9] amasiam tuam spirituali duntaxat amore complectens? O auer- 9
sandum amorem, quem Christus fastidit. Monachi monasticam vitam ducite. Nã
si cum amasiis vitæ consuetudinem habeatis, non iam monachi estis. [10] Societas 10
B enim à monachismo abhorret. Angelicæ gloriæ imago est vnitas: quòd si amasiis
oblectamini, mortalis vtique dualitatis amici estis. Virgo Christum habes immor-
talem adiutorem, spõsum desiderabilem, erga cœlestem formam tuam zelotypum.
Proinde caue ne carnem rursus, [11] carnísque scelus accipias: flagitiosarúmque re- 11
rum curatorem fuge. Immaculatam Christi tunicam turpitudini miscere noli: ne
alioqui virginibus omnibus probrum ignominiæque notam inuras. Quàm diffici-
le est ei, quæ carnes propinquas habet, libidinis tumultus effugere! Quocirca mo-
nachi procul à fœminis vos remouete: [12] multa quippe matrimonij, etiam ante cõ-
tractum matrimonium, arcana sunt, quibus mulier animam suam conspurcat, so- 12
loq; aspectu semen trahit. Ignis stipulæ propinquus parum tuta res: nihilo tutius, ô Simile.
monache, tibi fuerit, mulierem virginem contubernalem habere. Marem & fœ-
C minam spes melior separauit. At natura occultum morbum intus habet. Si procul
à fœmina abfueris, manet scintilla: si autem vitæ commercium cum ea habeas, ex
paruo vento incendium magnum excitabis. Inter album & nigrum fuscus color
interiectus est: inter vitam & mortem nihil est tertium. [13] Συνεισάκτοις autem, sic 13
enim omnes appellant, haud satis certum habeo, inter coniugatos, an inter cœli-
bes numerare debeamus: an eos medium quiddam inter vtrosque esse statuemus.
Quamlibet enim me maledictis incessatis, nunquam tamen rem huiusmodi com-
probabo. Marem omnem fuge, imprimis autem συνείσακτον: [14] Merræ, mihi crede 14
virgo, amarulenta est aqua. Alij aurum, alij argentum, alij opiparè instructas men-
sas, hoc est, vitæ ludibria, alij sericas telas, alij frugiferas terras, alij denique qua-
drupedum greges in pretio habent. Ego verò Christum amplissimarum opum in-
D star duco: quem vtinam aliquando nuda mente purè mihi intueri contingat: cæ-
tera autem mundus habeat.

SCHOLIA.

Ab eo loco, quem nos asterisco notauimus, omnia vsque ad finem temerè ac nullo cum iuditio quispiam superioribus attexuit. Fit enim subita & quidem perpetua digreßio, vel potius aberratio ab eo quod titulus in fronte pollicetur. Relictis enim sententiis suis in alio prorsus alieno argumento versatur, nimirum in turpibus illis contuberniis insectandis, quæ nonnulli pseudomonachi cum sororculis quibusdam, quas, specioso videlicet nomine ἀγαπητὰς vocabant, non sine magno omnium offendiculo contrahebant. De quo vide 4. In hac porrò digreßione post aliquot Elegiacos Heroici versus inseruntur, semélque atque iterum carminis genus immutatum reperitur. Id quod perspicuo argumento est, Gregorium hæc, vt forte in animum veniebant,
E *in charta quadam scripsisse, quæ postea quidam, quoniam eandem materiam complectebantur, vt coniuncta reperit, ita coniuncta quoque primo cuique tractatui assuere non dubitauit.*

1. *Ita enim fiet) Quid enim morti tantas aduersus hominem vires suppeditat, quàm quòd nunquam nobis moriendum esse cogitamus? Quare non mirandum si improuisus ipsius impetus animos nostros frangat, metúque debilitet. fortasse etiam alludit Gregorius ad illud scripturæ, Memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis.*

2. *Omnes mortuorum reliquias) De falsis diis hæc accipienda sunt. Neque enim hîc habent hæretici quod arrodant. Tantum enim ab eo abest Gregorius vt eum honorem, qui sanctorum corporum reliquiis à piis hominibus haberi solet, exagitandum putet, vt Cypriani cineres innumera miracula edere solitos scribat, ἃ πάντα, inquit, δύναται Κυπριανοῦ καὶ ἡ κόνις μετὰ τῆς πίστεως. Id est, vt exponit Nicetas, ἐάν τις προσέλθῃ μετὰ πίστεως. Quæ omnia, inquit, efficere possent ipsi etiam Cypriani cineres, duntaxat si quis cum fide accedat.*

3. *Ac si in imum) In Græco legendum* χακοῦ ἐς βυθὸν ἔρπειν Σοὶ στάσις, *Hoc est enim quod vulgò dicitur, in virtutis via non progredi, regredi est.* A

4. *Quàm vt pro socia aduersariam habeat)* ἀντίθετον *lego, non* ἀμφίθετον. *Hoc enim vult Gregorius eum, qui in flagitiosa vitæ ratione præclaros interim sermones habet, de ore suo, vt Christus dicebat, seipsum iudicare, atque condemnare. Quòd si quis erit, cui* ἀμφίθετον *retinere libeat, honesta & grauis oratio homini scelerate viuenti* σύμμαχος ἀμφίθετος *erit, id est, dubiam opem afferet. Quatenus enim pulchra ea & laudabilis est, ipsius partes tueri videtur. Quatenus autem à vita moribúsque discrepat, eidem aduersatur.*

5. *Ampliorem frugem) His verbis coniugatos admonet, vt nihil aliud in liberorum procreatione sibi proponant, quàm vt maior sit eorum copia, qui Dei sempiternum numen laudent. Quemadmodum & in Paræn. ad Olymp. hunc præclari matrimonij finem esse debere ostendit. Potest tamen ad hunc quoque modum hic locus explicari, vt his verbis, eos qui in matrimonio viuunt admoneat, vt non tam curent filios multos in lucem edere, quàm vt ipsi virtutibus augeantur atque egregios animi fœtus in lucem proferant.*

6. *Hactenus homo effectus) Corruptus est haud dubiè hic locus in Græcis codicibus,* ὡς θεὸς ἀμφοτέρωθεν ὅσ' ἄμβροτος, *sic, vt opinor restituendus,* ὡς θεὸς ἀμφοτέρωθε, Τίσσα βροτὸς, *&c. Quemadmodum ait in carmine de Human. nat. Christum idcirco carnem induisse,* ὥς με θεὸν τελέσῃ εἴδει τῷ βροτέῳ. *sententia ergo Gregorij talis est, vt Christus homo factus est: ita nos quoque dij efficiamur. Et oratione de Filio, causam natiuitatis Christi afferens,* ἵνα, *inquit,* γένωμαι τοσοῦτον θεὸς, ὅσον ἐκεῖνος ἄνθρωπος. *id est, vt tantum efficiar Deus, quantum ille homo. nec enim aliam ob causam humanam naturam assumpsit, quàm vt nos diuinitate afficeret.* B

7. *Atroris omnis experti) Vox Græca* μέλαν *& nigrorem significat, & atramentum. hîc autem metaphoricè per nigrorem, atram ac virulentam hæreticorem doctrinam intelligit.*

8. *Quanam ergo fronte) Hîc repente mutata persona mares alloquitur.*

9. *Amasiam tuam) Gr.* ἀγαπητὴν. *Nec enim aliud aptius verbum in præsentia occurrit, quod Græco respondere queat.* ἀγαπηταὶ *sororculæ erant, quæ cum monachis quibusdam, non libidinis explendæ causa, vt quidem præ se ferebant, sed ad solitudinis solatium, vitæ consuetudinem habebant.*

10. *Societas enim) Ad verbum dualitas, quæ à monachismo abhorret, vt nomen ipsum apertè declarat.* μοναχὸς *enim est, qui solus viuit.*

11. *Carnísque scelus) Gr.* μὴ σάρκα πάλιν σαρκὸς τε τομήσω δίξῃ. *Quo loco quid significet* τομήσω, *alij viderint. Ego pro* τομήσω *lego* τὸ μῦσος. *si cui hæc emendatio non placet, meliorem afferat, & ei gratiam habituri sumus.* C

12. *Multa quippe matrimonij) q. d. Non est quod tibi virginitatis laudem arroges, etiamsi corporis tui copiam nulli viro feceris: nisi animo quoque & oculis sensibúsque omnibus castitatem colas.*

13. συνεισάκτους.) *De hac voce vide pag. 317. Schol. 4.*

14. *Merræ) Mara vocatur hic fluuius Exod. 15. Sensus Gregorij talis est. Vt fluuius ille licet pulchras ac lympidas, amaras tamen aquas habebat: sic monachus ille contubernalis tuus, ex cuius consuetudine plurima tibi vitæ solatia atque oblectamenta proponis, magnæ tandem acerbitati tibi futurus est. q. d. sub sancti ac spiritualis contubernij specie te in fraudem inducet, tibíque tandem id quod vita ipsa charius esse debet, eripiet.*

ADVERSVS MVLIERES AMBITIOSIVS *sese ornantes & excolentes.*

D



Auete, ô mulieres, ne caput vestrum nothis & adulterinis crinibus, tanquam turribus quibusdam muniatis, mollia colla è scopulis delicatè ostentantes: neu Dei formas fœdis coloribus inun-
1 gatis, sic [1] vt iam non facies, sed laruas gestetis. Neque enim mulieri nudum caput viro conspiciendum præbere fas est, dum vel coma auro stringitur, vel certè omnino soluta, humerísque hinc atque illinc pendens, mollibúsque ventis agitata, Mænadis cuiusdam instar, subsultat. Nec verò cristam illi, galeis similem, supernè ferre licet, procúlque conspicuam speculam viris collucentem, cæsariem nimirum tenuissimo lino pellucidam, simúlque occultam ac perspicuam, quáque parte velo minimè obtegitur, flauum quiddam coruscantem: ita vt manus opus & la- E
2 bor appareat: tum videlicet, cùm formæ [2] magistram oculorum sensu carentem, hoc est, imaginem vitæ expertem sibi constituens, pulchritudinis exemplum illinc petit. Quin potius, ô mulieres, si naturæ beneficio formæ elegantia vobis
3 concessa est, pigmentis eam [3] ne occultate: verùm puram eam solis maritis vestris conseruate, nec procaces & impudicos oculos aliis quibusquam iniicite.
4 Oculos quippe cor nefariè sequi solet. Sinautem pulchritudo vobis à natura negata est, secundam deformitatem fugite. Sic enim pulchritudinem eam voco, quæ manibus atque arte comparatur: pulchritudinem, inquam, eam, quæ à terra producitur, atque à triuialibus mulierculis, & quidem paucis obolis emi potest.

Oculos cor sequitur.

Pulchri-

A Pulchritudinem, inquam, quæ absterſa in terram fluit, nec ad riſum conſiſtere po- Fucatæ pulchritudinis deſcriptio.
teſt, ſimulátque effuſior lætitia genas totas ſoluerit: quæ etiam lachrymarum riuulis
proditur, & humido timore, guttíſque exiguis adeò labefactatur atque deletur, vt
gena, quæ prius gratiſſimo quodam nitore prædita erat, eadem repente non ſine
magno hominum riſu bicolor, ſubatra, marmorea, nigra, minióq; tincta appareat.
Non ergo te pudet pulchritudinem, quæ tam facile prodi atque obliterari poteſt,
retinere? Atqui hæc non ſtatuis viuis motúque præditis conueniunt: ob ídque tur-
pe & flagitioſum tibi eſt,[5] portatilem formam multíſque modis delebilem habere. 5
Sic [6] alterum corpus Dei eſt, alterum manus: illud vetus, hoc nouum ac recens. Di- 6 Simile.
cas pratum quoddam eſſe, duplices flores, iucundos nimirum, viciſsímque ingra-
tos & inamœnos ferens, aut veſtem quandam bicolorem, pluribus zonis tractam.
B Quocirca pictum ac fucatum corpus vel fuge, vel cōſerua: nec turpe atque obſcœ-
num tibi formæ adiumentum aſciſce. Quid enim alioqui agis, quàm quòd [7] Pene- 7
lopes inſtar telam noctu ſoluis, interdiu texis,[8] internéque Hecubam, externè He- 8
lenam refers? Enimuero ſi qua arte hoc conſequi potes, vt fucum maritus minimè
perſentiat, non tamen ferendum eſt, te formam diuinam mortali forma obducere
atque occultare. Verendum enim eſt, ne Deus iratus te huiuſmodi verbis alloqua-
tur. Dic, age, ô aliena mulier, ecquis tandem & vndénam eſt tuus fictor & procrea-
tor? Non te depinxi, canis: ſed imaginem mei finxi. Quî fit igitur vt pro chara ima- Oratio ad fucatas mulieres.
gine idolum habeam? Verùm huic morbo aliquid ſanè concedamus. Sinautem ef-
ficere non potes, quin homines te, velut tabulam quandam pictorum, formam for- Mulier fucata idolū.
mæ ſuperiectam habere facilè perſpiciant, hiſce pigmentis nihil aliud, mihi crede,
C conſequeris, quàm vt forma illa, quam tu [9] ingenii viribus viuam depingis, apertiſ- 9 Simile.
ſimam tibi apud homines contumeliæ notā inurat. Venuſtas hæc [10] Adonidis hor-
tus eſt, citò marceſcens,[11] Polypi color, literæ in arena cōſcriptæ. An tu cum [12] gra- Fucata pulchritudo cui ſimilis.
culi formam habeas, non times, ne detractis tibi alienis pennis, riſum tandem mo-
ueas? Non poſtremam deformitatem curas, cùm pulchritudo tua vnà cum ætatis
flore extincta fuerit? An verò elegantiam hanc tibi conſtantem ac perpetuam fore
exiſtimas? Breui perſpicies quantus ex aliena atque adulterina pulchritudine mœ-
ror exiſtat. Nam ſi vera ſunt quæ audio, hoc commodi fucus habet, quòd poſtea-
quam ſenilis ætas formam prius florentem rugis contraxerit, tum demū, cùm iam
fucus ac pigmenta membris adhiberi deſierunt, carnis reliquias velut igni aduſtas
relinquit. Túmque, ſed nimis ſerò, anus illas fraudem ſuam impoſturámque deplo- Simile.
rare, cùm id quod ſupereſt carnis denſiſſimis rugis [13] ſimiam propulerit. Talis com- 13
D mentitia corporis venuſtas eſt. Ac nunc, ô præſtantiſſima mulier, formæ ſpeculum,
vt prius ſolebas, ſtatue. Vix equidem verum ſpeculum eſſe credo: Tu certè priuſ-
quam ei faciem admoueas, ne vnum quidem ex iis oculos habere optabis, qui te
antea ſuperbis greſſibus huc illúcque procedentem laudibus in cœlum ferebant,
oculóſque in te defixos habebāt. Iam quàm ridiculum illud eſt, quòd fucum tuum
viris minimè ſubolere cupis, cùm tamen viros formæ tuæ myſtas aſciueris. Viri et-
enim pharmaca hæc, quibus gaudes, contriuerunt, domorum prædones [14] inſa- 14
niæque ipſi ſuæ fabri & architecti. Hæc artificia non pudicitiæ ſunt, ſed laſciuiæ ac
libidinis. Quicquid enim in virorum gratiam comminiſceris, corporis libidinem
prodit.[15] Ferunt inſolentem pauonem, cùm curuato collo, pennísque gemmanti- 15 Pauonis mos.
bus circulum efficit, fœminas clangore ſuo ad venerem inuitare. Eodem modo ad-
E modum mirabor, ſi tu aliam ob cauſam formam pingas, quàm vt nitidorum & ſala- Simile.
cium virorum oculos ad te conuertas. Etenim ſi mariti amore flagras, vt ille tui, Libido fuci mater.
iam inde ex quo te florentem puellam matrimonio ſibi ſociauit: id gratiſſimum ha-
bet. Sinautē aliis oculis placere ſtudes, hoc iam maritus execratur. [16] Membrorum 16
elegantiam domi occultare præſtat, quàm commentitiam & adulterinam pulchri-
tudinem nefariè proferre. Marito ſufficit natiua tua pulchritudo: ſi autem ea pluri-
bus viris, non ſecus ac rete auium gregibus proſtat, quid inde accidet? Delectabit te Simile.
ille, qui tua forma delectatur: aſpectúmque aſpectui repēdes. Mox riſus mutuúmq;
colloquium, ídque furtiuum primò, deinde liberum atque intrepidum: caue porrò
loquax lingua, ne quæ deinceps ſequuntur, eloquaris. Cæterùm hoc verè dicam,

nihil ex omnibus iis, quæ mulieres cum iuuenibus ioco dicunt, vel faciunt, aculeo
Simile.
caret. Omnia enim inter se cohærent, non aliter ac ferrum à magnete tractum, alia A
Stupidos maritos insectatur.
multa deinceps ducit. Atque vtinam stolidi viri, mulierum loco, cerussa & fuco, &
quidem abunde, renidérent. Qui tantam turpitudinem contubernalem ob oculos
habentes, tantas sibiipsis nebulas offuderunt, vt vitio suo delectentur. Et cùm alias
fuco nitentes sannis ac dicteriis incessant, ipsi tamen in propria labe atque obscœ-
Simile.
nitate porci sint. Atque etiam fortasse in tenebrosas haras deciderent, [17] feriparis
Circes vnctionibus inclusi: quippe qui huiusmodi fucos adeò non auersantur, vt
etiam tanquam aridam materiam flammis iniiciant, quam extrahere vtique satius
esset, quàm inferre. Etenim de vxorum ornatu inter se contendunt, quáque amen-
tia præditi sunt, in ea re quisque superior esse gestit. Plerumque etiam tenues homi-
nes abiectæq; fortunæ, vt vxorum suarum libidinem vehementius excitent, labo-
18 res multos suscipiunt. Quid porrò tam stultum atque absurdum, quàm [18] hosti gla- B
dium, quo tibi necem afferat, porrigere, aut torrenti facilem ad segetes tuas aditum
19 aperire? [19] Pandoram aiunt, cùm ignis à Prometheo furtim sublatus fuisset, vindi-
Pandora.
candi huius sceleris causa mortalibus aduenisse, pro bono videlicet atq; vtili igne,
ignem alium malum ac pestiferum. Quóque ardentius hominum animos inflam-
maret, omni eam pulchritudinis genere à diis instructam & exornatam fuisse. Ita,
cùm suum quisque illecebræ ac fraudis genus in vnum contulisset, tum verò con-
fertam & cumulatam imposturam hominibus inuectam esse, versutam nempe mu-
20 lierculam, impudentē, dicendi suauitate præditā, perniciosum oblectamentū, [20] fa-
cem perpetuò ardentem. Non quidem fabulis fidem adhibere: sed si tamen ita iu-
Pādoræ filiæ quæ.
bes, etiam atque etiam vide, ne tu varia illa Pandora existas. Pandoræ quippe filiæ
sunt procaces omnes mulierculæ, perfrictæq; frontis. At tu Christi imago, da ope-
ram vt pudicitia prudentiáque clareas. Sed iam missis fabulis verba mea audi, quæ C
ex diuinis oraculis tibi depromam. An te fugit, quemadmodum primogenitum pa-
rentem tuum exitiosæ atque homicidæ arboris pulchritudo in fraudem impulerit,
Pulchritudini minimè confidendum.
eúmque hostis dolo, vxorísque consilio circumuentum, ex virenti paradiso præci-
pitem statim eiecerit? Ab eo tempore, ô filia mea, tibi paterna lege cautum est, ne
pulchritudini tuæ vnquam confidas. Omnem formæ elegantiam mihi breue ver
affert: eámque hyemis asperitas protinus extinguit. Aut enim eam præmaturè mor
bus frangit ac debilitat: aut ipsa certè senectus delet atque obliterat. Hoc verò ma-
gis adhuc ridiculum. Videas enim mulierem in deformitatis suæ conscientia adeò
21 insolentem, vt turpitudine sua glorietur, [21] Danaénque præ se contemnat. Quod
Mulieres fucū inter se studiosè celant.
autem turpius (vt quidem aiunt peruersi huius artificii periti: mihi enim hoc mini- D
mè exploratum est) communi morbo laborant, & eum inter se celatum volunt.
Quid hoc morbo grauius excogitari potest? Faber fabri opus scit, cantor musicæ pe
Vitiū cæcitatē affert.
ritum, fur furem nouit: at hæ ea, quæ in aliis deprehendunt, in se deprehendi no-
lunt. Quàm verum est illud, quod dici solet, vitium oculis cæcitatem afferre! Consi-
milem in modum viri, facies eas, quas rident, honore cultúque prosequuntur, viua-
rum tabularum coloribus sese oblectantes. Quanquam non tam eos tabulis huius-
modi delectari existimo, quàm virorū arte atque ingenio, cuius colores testes sunt.
22 Quidā olim, vt poëtæ fingunt, inanis & informis [22] Echus amore captus, per mon-
23 tes ac scopulos oberrabat. Alius [23] formam suam deperiens, ad amplexandum pul-
chritudinis exitiosæ simulachrum in fontem insiliit. Alius rursus perdito quodam
atque insano fluminis cuiuspiam amore flagrabat, nec pedem vnquam ab adamata E
ripa referebat. Aquam lambebat, manibus hauriebat, spumam arripiebat: nec ta-
Cæcus amor.
men vndis vllis amoris ardor extingui poterat. Tam cæca & præpostera res est
amor! Quamobrem nihil est, cur quispiam magnopere miretur, si tu quoque ita ni-
tens mollitérque vestita, támque roseis digitis, excelsóq; capite, iuuenum aliquem
mentis errore afficias. Quid autem vnum aliquem dico? Immò omnes eos, quorum
causa faciem pingis. Iam mihi fidem illud facit, quod de insigni quodam pictore
commemoratur, qui ligneam iuuencam omnibus artis coloribus ita depinxit, vt
24. 25 [24] taurus elusus ad eam tanquam ad veram iuuencam accurrerit ([25] ô nouum & in-
auditum amoris genus! viua animantia ad inanimas formas currunt) quandoqui-
dem tu

A dem tu quoque iuuenibus tale scelus moliris. Atque Orpheus quidem feras flectebat: tu autem viros eos, qui belluina mente sunt, insanóque mulierum amore præcipites feruntur. Quòd si non vt carnis libidini, sed vt oculis tantùm obsequaris, atque à viris specteris, fuco tibi vtendum putas, aëreum quoque amorem in morbo ac vitio esse scito. At prorsus à vulneribus tuta es? credo equidem: sed ne hoc quidem pulchrum atque honestum mihi videtur,[26] inanis vitii suspicione laborare. Sic enim, quamlibet alioqui prudens & cordata, plerisque tamen mulierculis turpem & indecoram legem instítues. Ad vitium quippe facilis cursus patet. Aliarum est vitæ sordes ac spurcitiem arte occultare: [27] tuæ autem pudicitiæ conuenit, nonnihil quoq; nigri ferre. Nam si pudicæ mulieres nitida & renitendi facie esse studeāt: nunquam profectò mulieres aliæ adduci poterunt, vt pudicitiam amplectantur.

Aëre' quoque amor in vitio est.

26

27

B Præclara est itaque lex hæc nostra, qua cauetur, ne quis adultero animo [28] in alienam vxorem oculos iniiciat. Impudentis enim amoris origo, impudens aspectus est: quem si quis fugerit, idē proculdubiò scelus quoque fugiet. Quî porrò fieri potest, ô mulier, vt tantum [29] amoris cestum ad illiciendos viros tecum circunferens, ab adulterii crimine procul absis? Age verò, fabulam quoq; vestræ turpitudini congruentem referam. Ignoscetis autem, nam senectus natura sua loquax esse consueuit. Tanta olim, vt fama fert, inter homines erat perturbatio, vt optimi à sceleratissimis nullo modo internosci possent. Ac multi quidem præstantissimi homines iniusti ac nefarii habebantur: multi contrà, cum stulti ac væcordes essent, probitatis tamen existimatione florebant. Infimos ac abiectissimos homunciones gloria, excellentissimos quosque cōtemptus sequebatur: vtrisque nimirum iniquam vitii virtutísque mercedem ferentibus.

28

Impudens amor ex impudēti aspectu originē trahit.

29

Senectutis vitium loquacitas.

C At Deus improbitatem meliori conditione esse, principatúmque obtinere perspiciens, eámque rem ægrè ferens, tandem aliquando his verbis vsus est. Haudquaquam æquū est bonos ac malos eadem gloria frui: sic enim vitium in dies augeretur. Quocirca præclarum signum ipsis imponam, quo perspicuè cognosci queat, quis bonus, quis malus sit. Hac oratione habita bonorum quidem genas rubore tinxit, suffuso scilicet pelli sanguine, quoties turpitudo aliqua animum adoriri pararet. Quem etiam ipsum mulieribus, quia & rariori cute, & molli pectore sunt, vberius infudit. At verò malis sanguinem condensauit, immotúmque intus tenuit: eóque efficitur, vt ad nullam turpitudinem erubescāt. Quo in numero te pono, quæcúmque variis coloribus tincta es. Nec enim tuus iste rubor me mouet: quamlibet copiosus in superficiem luceat. Ex impudentia enim

Pudor viris bonis adiutor datus.

D oritur hic rubor, quem pristinus ille Sodomorum imber obruit. Proinde ne faciem tuam pingas, ô improba mulier, nec cuti tuæ imposturam facias. Nullam enim ipse aliam pulchritudinem agnosco, quàm eam, quæ naturæ dono contingit. Nam & præstantiores eas opes esse iudico, quas pater mihi reliquit, quàm quas manus mea iniustis artibus collegit, tametsi alioqui multis partibus illas superent. Eodem modo mulierem quoque marito suo acquiescentem, adulteræ longè antepono. Itidémque liberi illi, quos aliquis procreauit, pictis liberis longè præferendi sunt: etiamsi picti illi veris elegantiores in tabula videantur. Hæc tu memori animo voluens, corpus tuum quale creatum est, custodi, nec alia pro alia videri affecta. Vt [30] Galli ad Rheni vndas fœtus in lucem editos explorant, vt ignis de auri puritate certissimus index est: sic ego animi tui pudicitiam ad incomptam fu-

Nulla alia pulchritudo quàm naturalis.

Simile.

Corpus tale custodiēdum quale creatū est.

Simile.

30

E cíque expertem formæ elegantiam expendo. Verendum enim alioqui, ne te fuliginosus ille Belial pingat. Aut enim totam in cineres rediget: aut certè nomini tuo fumum offundet: ac pro exigua voluptate miserè te deformabit. Non nobilibus fœminis charissimum aurum gemmis intextum, suóque splendore oculorum aciem perstringens: non collare aureum pectus ambiens, aurémque gemmea sarcina deprimens, non etiam aurum illud, quod adornando capiti adhibetur, non auro abundans vestis, non opera tenuissimo filo scitè & eleganter elaborata, tam purpurea, quàm aurea, ac pellucida, eximiáque arte confecta, non perniciosa genarum pigmenta, non purpurea labra mulieribus ornatum afferunt. Nihil etiam tibi venustatis ex eo accedit, quòd pictarum palpebrarum supercilium attollas, humidásq; pupillas intus voluas, quòd lasciua voce beneuolas aures allicias,

Ornamētū mulierū in quo consistat.

31 quòd manus, ac pedes aureo vinculo constringas, [31] seruilíque gloria fruaris, quòd A
32 mollibus vnguentis corpus tuum, aut caput vngas ([32] cadauera enim vultures cu-
33 rant) [33] quòd cibum ab esu alienum mandas, atque huc illúcque mentem agites,
perinde ac pudicas & graues fœminas contemnas, quòd dentibus humidóque ore
spumam emittas. Nec verò eam rem tibi ornamento fore existimes, si lecticarũ ful-
gore gestias, atque per varias elegantésque fenestras formam tuam obiter ostẽdas,
34 spectantésque conspicias. Nihil est insuper, cur tibi famulorum greges, aut [34] ima-
gines tui pectoris ancillæ animos tollant. Vt enim hirũdines veris, flores fructuum
nuncii sunt: Sic de heræ moribus ex ancillis iudicari potest. Id quod tibi diligenter
expendendum puto. Hæc enim tametsi singula non graue dedecus afferãt: omnia
tamen in vnum coacta certissimum exitium accersunt. Vnicus color in mulieribus
amabilis est, nimirum rubor ille, quem pudor gignit: qui quidem à [35] pictore nostro
pingitur. Dabimus etiam, si ita lubet, & alterum: nempe vt pulchritudini tuæ pallo- B
rem asciscas, Christíque laboribus intabescas, atque & precibus, & lachrymis, &
diurnis nocturnísque peruigiliis teipsam maceres. Nam hæc remedia non virgini-
bus tantùm, sed etiam coniugatis prosunt. Colores verò parietibus relinquamus,
iisque mulierculis, quæ cœno suo iuuenes in rabiem agunt. Illæ sanè & impudenter
saltent, & rideant. At nos meretrices ne intueri quidem sine scelere possumus. Mu-
lierum ornamentum est, morum probitate & elegantia florere, domi vt plurimum
manere, colloquium cum diuinis oraculis habere, fuso ac lanæ operam dare (hoc
enim fœminarum munus est) ancillis opera mandare, ac seruos vitare, labiis, oculis,
ac genis vinculum iniicere, pedem limine non admodum frequenter efferre, pudi-
cis quidem omnibus mulieribus oblectari, cæterùm eo duntaxat viro, qui tibi legi-
36 timo matrimonio virgineam zonam soluit. [36] Quin ipsi quoque licentiæ audaciæq; C
modus imponendus est. Sic enim ipsi fidem facies, te ab alienis oculis & amoribus
abhorrere. Enimuero quis primus Dei figmentũ illinere aggressus est? Pereat quis-
quis ille fuit, qui primus coloribus atque pigmentis impudentiã adiunxit. Vt enim
impudẽtes vrinatores, virorúmque nomine indigni, larua primum faciem tegunt,
atque ita deinde sequuntur, quæ inhonestæ rei conueniunt, saltitationes videlicet,
ac turpis membrorum solutio stultis hominibus gratissima: ad eundem modum hæ
quoque, postquam alienam formam externè induerint, (scenicum nempe, non sa-
crum pudoris integumentum) ita demum vt picta illa & fucata forma dignum est,
mouentur. His fores laborant, his claues, specula, pigmenta, pictrices: ne tectũ qui-
dem ipsum tremoris est expers. Atque hæc affert inanis formæ pictura. Pudica au-
tem & incompta pulchritudine nihil minus laboriosum. Quòd si ob ascititiã pul- D
chritudinem adeò insolescis, nunquam certè pudicum erga eum, qui fucum auer-
satur, animum habebis. [37] Esther quidem elegantiam formæ sibi arte conciliauit.
37 Sed quis huius elegantiæ fructus extitit? totius Iudæorum gentis salus. Fornicaria
38 quoque ac ferox [38] Iezabel oculos pinxit: cæterùm meretricio cruore meretrices
perfudit. Tibi autem nec regiæ iræ sedandæ negotium incumbit, nec inter meretri-
ces pars est. Itaque nihil obstat quominus pudicitiæ tuæ parcas. Non sacerdotes
extimescis, dum caput, tanquam laruam quandam oppositis inter se formis lucen-
39 tem illis submittis? Non horrescunt manus, cùm eas ad [39] mysticum cibum exten-
40 dis, quibus tu [40] luctuosam pulchritudinem pingis? Iam quomodo martyribus, qui-
bus populus, in pretiosi sanguinis honorem & venerationem choreas agminatim
institiuit, faciem vulgus inescantem geris, non secus ac forum quoddam in medio E
vrbium populares attrahens, aut velut ferarum ostensores, qui serpentes è tenebro-
sis cubilibus suis trepida manu proferunt. At mulier sermonibus nostris obtempe-
41 ra: [41] nec tibi mens manus ad faciem ducens vulnus infligat. Caue ô filia, ne cum ta-
libus mulieribus vel nauiges, vel consilium ineas, vel denique contubernii necessi-
tudinem contrahas. Aliis superuacanea relinque: tu verò etiam virorum ore cele-
brari erubesce. Nam in hoc mulierum gloria sita est. Si tibi vita à matrimonii vincu-
lis libera est, omnibus huius vitæ negotiis excussis, vni Deo viue, splendida virgo,
42 prudens, consilio clara, animæ tuæ sponsum Verbum habens. [42] Sin autem te late-
ris illius, à quo secta es, cupiditas cepit, vnicum saltem illud latus tuũ complectere,
ac præ-

Ancillæ pectoris dominarum imagines.

Simile.

Vnicus ille rubor qui ex pudore nascitur, amabilis est.

Pallor egregius color.

Meretrices ne aspici quidẽ sine scelere possunt.

Egregia similitudo.

Mulieres fuco gaudentes vt plurimum impudicæ.

Simile.

Inter sordidas quoque

A ac præclarum & laudabilem amorem foue: aliis autem affectibus ne per somnium quidem indulge. At tu, quæ Deo magno astas, nō est, quòd obscurum & occultum id fore existimes, si humili atque abiecto vitæ generi fœmineum quiddam admisceas. Sunt enim, sunt quoque interdum in sordidis vestibus deliciæ: contrà in mollibus grauitas nonnunquam inuenitur, quemadmodum multi norunt. Atque illud quoque velim ne ignores, rugam vnam tibi turpiorem esse, quàm maxima & grauissima vulnera iis, qui in mundo viuūt. Quo maiore studio tibi prospiciendum est, ne quid professione tua indignum admittas. Neque enim tam notabilem ac conspicuam in sordidis, quàm in puris vniúsque & eiusdem coloris vestibus, labes aliqua fœditatem habet. Hæc si tibi oratio nostra persuasit, vtilitatē allatura esse confido. Sin tu faciem obfirmare decreuisti, per me sanè tibi licet, si ita vis, tanto adhuc
B magis, & auro & electro & argento & ebore collucere. Talia enim nouis istis elegātiæ pictricibus largior. Columna parata est: ego autem hæc verba insculpam. Huc quisquis volet, se conferat, [43] pulchritudinéque oblectetur. 43

vestes deliciæ interdū sunt, & cōtra.

His qui se Deo vouerunt ruga vnica turpior est quā aliis grauissima vulnera.

SCHOLIA.

1. *Vt iam nō facies) Perit hîc interpreti agnominationis gratia. πρόσωπον enim faciem significat: προσωπεῖον autem laruam.*

2. *Magistram oculorum sensu carentem) Simulacrum quoddam intelligere videtur omnibus elegantiæ numeris absolutum, ad cuius imitationem lasciuiores mulierculæ formam suam componere solebant. Neque enim hæc de speculo commodè intelligi posse existimo. non enim ab eo pulchritudinis exemplum peti solet. Vnde etiam inferius non formæ ἀρχέτυπον dicitur, sed ἔκτυπον: quemadmodum ἔκτυπον, seu ἐκμαγεῖον annuli, est forma in cera im-*
C *pressa.*

3. *Ne occultate) κρύπτετ' enim legendum ex emendatione codicis Aldini.*

4. *Oculos enim) Difficile est enim, vt si oculi conspectu alicuius viri delectentur, non itidem pectus ipsum delectetur.*

5. *Portatilem formā) Φορητὴν μορφὴν opponit χιτουμένῃ, i. χίτωνα ἐχούσῃ, quemadmodum à nobis ostensum est, cùm quid sit χιτώνιος πίναξ explicaremus. Φορητὴ μορφὴ est non natura, sed arte quæsita pulchritudo.*

6. *Alteram corpus Dei est) Dei corpus vel potius formā, eam vocat, quæ talis conseruatur, qualis à Deo creata est. corpus autem manus, externum illum fucum quo facies oblinitur.*

7. *Penelopes telam) Penelopes telam retexere prouerbium est de his qui inanem operam sumunt, & rursus destruunt, quod effecerunt. Vide Eras. in Chiliad. Gregorius autem faciem fuco imbutam ac nitentem eleganter Penelopes telam vocat: quòd, telæ illius instar, subinde retexatur, nec quicquam certi ac solidi habeat.*

8. *Internéque Hecubam) Id est, internè deformem, externè autem formosam & elegantem. Neque enim hîc de pudicitia aut impudicitia Gregorius loquitur, sed de vera aut ficta fluxáque pulchritudine. Appositè itaque*
D *mulierem parum honesta forma præditam, interim tamen pigmentis pulchritudinem sibi conciliare studentem, internè Hecubam, externè Helenam referre ait.*

9. *Ingenij viribus) Gr. μορφὴν, ἣν σὺ γράφεις ἔμπνοον Ἀλκινόου. Vbi pro Ἀλκινόου haud dubiè mihi legendum videtur ἀλκὶ νόου. Neque enim de viua Alcinoi forma vsquam me quicquam legisse memini.*

10. *Adonidis hortus) Prouerbium de rebus leuiculis, parúmque frugiferis breuémque voluptatem habentibus. De quo Erasm. in Chiliad. Eleganter autem ita vocat Gregorius formas fucatas, vtpote quarū pulchritudo breui marcescat & intereat. Fertur, inquit Hieronymus in 65. cap. Esaiæ, sapientissimi apud Græcos merito celebrata & laudata sententia, qui omnes sæculi voluptates vt pompam mundi atque luxuriam celeriter transeuntem hortos Adonidis vocat.*

11. *Polypi color) De Polypi natura superius diximus. Polypi autem color, & literæ in aquis conscriptæ, prouerbia sunt de rebus fluxis & inconstantibus. Aptissimè autem hæc ad fucatam pulchritudinem transfert, quòd vt nihil inanius est literis in aqua scriptis: vt nihil mutabilius Polypo, ita nihil citius diffluit, ac dissoluitur quàm picta pulchritudo.*

E 12. *Graculi formam) Ita vocat pulchritudinem fuco ac pigmentis contractam. q. d. vt Æsopi graculus alienis plumis, quibus insolescebat, sibi detractis risum omnibus auibus excitauit: sic tibi quoque videndum, ne si quis varia illa formæ artificia atque pigmenta tibi detraxerit, omnibus postea risui ac ludibrio sis. Horatius in epistolis graculi loco corniculam posuit.*

13. *Simiam propulerit) Id est, ementitam pulchritudinem, quæ vera pulchritudo videri volebat. Vt enim simia hominum gestus imitari gestit, sic fucatæ mulieres pigmentis suis facieique medicationibus agunt, vt verè pulchræ videantur.*

14. *Insaniæ ipsi suæ) Medicamenta enim illa conficiunt, quæ mulierum faciei adhibita elegantiores eas reddāt. Ex eóque efficitur, vt in amoris laqueos incidant.*

15. *Ferunt pauonem) Elegantissima similitudine ostendit, quo animo corporis ornatum mulieres affectent. Vt, inquit, pauo cùm gemmas suas ambitiosè ostentat, fœminas ad Venerem prouocare fertur: ita nullam aliam ob causam fucatæ huiusmodi elegantiæ studere mulieres videntur, quàm vt viros ad congressum inuitent.*

16. *Membrorum elegantiam*) μελῶν enim legendum non βελῶν, sicq; ex secundo codice restituit Aldus. A
16. *Alia multa deinceps ducit*) ἄγων enim lego cum Aldini codicis emendatione, non ἄγος.
17. *Feriparis Circes*) Stolidos maritos, qui vxoribus suis fucum faciei suæ adhibere permittunt, salsissimè perstringit. Tanta est, inquit, eorum væcordia, vt idem propemodum illis ab vxoribus suis accidat, quod Vlyssis sociis à Circe: Quemadmodum enim illa veneficiis suis Vlyssis socios in sues mutauit: sic lasciuæ mulierculæ fuco suo ac pigmentis maritos adeò dementant, vt pene ex hominum natura migrasse, ac belluinã formam induisse videantur. De Circæa fabula vide Homer. lib. 11. Odyss.
18. *Hosti gladium porrigere*) Hosti gladiũ porrigere, & torrenti in proprias segetes iter aperire, prouerbia sunt, quæ in eos commodè torqueri possunt, qui sibiipsis malum quoddam accersunt.
19. *Pandoram*) Pandora puellæ nomen est apud Hesiodum in libro qui inscribitur Opera & dies, sic dicta, quòd dij omnes donum aliquod in eam contulissent. Hanc ob cælestem ignem à Prometheo surreptum è cælo in terram demissam fuisse poëta ille fingit, vt homines philtris suis ac fucis in exitium impelleret. De ea enim hæc Iouis ad Prometheum verba sunt.

Σοὶ δ' ἔτοι ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν, ᾧ κεν ἅπαντες B
Τέρπωνται κατὰ θυμὸν, ἑὸν μόρον ἀμφαγαπῶντες.
At tibi pro flamma dabitur vir subdole pestis,
Grata tamen miseris, proprium qui pectore cæco
Exitium, & mortem malè sana mente fouebunt.

Commodè itaque fucatas mulieres, atque vnguentis delibutas Pandoræ confert: vtpote quæ philtris suis & ementita pulchritudine ita stultos homines capiant, vt scientes & videntes, quod dici solet, in perniciem suam ruant, eásque, quasi boues ad victimam ducti sequantur. Huiusmodi Pandorarum egregiam descriptionem habes apud Salomonem Prou. 7.
20. *Facem perpetuò ardentem*) Alludit ad Hesiodũ, qui de mala vxore loquens, ait, εὕει ἄτερ δαλοῦ, καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν, sine face, inquit, hominem inflammat, eique præmaturam mortem accersit.
21. *Danaénque*) Danae Acrisij filia pulchritudinis suæ præstantia Iouem ad sui amorem allexit, ab eóque sub aureo imbre tandem compressa est. Ait ergo Gregorius: Quid tam ridiculum, quàm quod mulieres quædam, licet fœdissima ipsæ facie præditæ sint, elegantissimas tamen sugillare atque obterere non dubitant, séque illis anteferre? C
22. *Echo*) Narrat quidem Ouid. 3. Metam. quemadmodum Echo Narcissi amore correpta fuerit, sed quisnam ipsam Echo deperierit non addit.
23. *Formam suam*) Narcissum intelligit, de quo iam dictum est.
24. *Vt taurus elusus*) Simile quiddam de Parrhasio pictore commemoratur, qui arte sua atque industria pictas vuas ita ad viuum expressit, vt aues ad eas tanquam ad veras vuas aduolarint.
25. *O nouum & inauditum amoris genus*) Gr. ξεῖνος ἔρως. Fortasse tamen legendum ξυνὸς, vt præcedentis distichi ratio reddatur, negétque Gregorius mirandum si taurus præstantia artis deceptus in pictam iuuencam impetum fecerit. Hoc enim ipsi commune esse cum stultis viris, qui fucatæ formæ elegãtia plerumque inescati, in luculentam fraudem incidant.
26. *Inanis vitij suspicione*) Neque enim ansam cuiquam dare debemus, famæ nostræ obtrectandi. Vnde sapienter nos admonet Paulus vt bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus prouideamus. D
27. *Tuæ autem pudicitiæ*) σωφροσύνη nominandi casu legi debet.
28. *In alienam vxorem*) Vera enim est lectio εὐνὴν ἰδ' ἀλλοτρίην, vtcumque in emendatione Aldina legatur εὐνῇ ἰδ' ἀλλοτρίῃ. vt patet ex Matthæo cap. 5. Qui viderit mulierem, &c.
29. *Amoris cestum*) Cestus cingulum erat Veneris, conciliandæ gratiæ vim habens, quod quidem Iuno apud Homerum Iliad. 14. à Venere mutuata est, vt Iouem amore sui inflammatum in fraudem induceret.
30. *Galli*) Vide scholia in carmen Nicobuli ad Patrem.
31. *Seruilique gloria fruaris*) Vt enim malæ fidei mancipia vinculis ferreis coërceri solent: sic huiusmodi mulierculæ catenis, licet aureis, corpus suum constringunt.
32. *Cadauera enim vultures curant*) Non satis perspicio, quàm rectè conueniant hæc verba cum his quæ præcedunt. Hoc tamen mihi significare videtur Gregorius, vnguenta non viuorum sed mortuorum potius corporibus adhiberi debere.
33. *Quod cibũ ab esu alienum*) Moris erat hoc quoq; lasciuis mulieribus, vt ciendæ saliuæ causa vel lignum aliquod vel aliquid eiusmodi dẽtibus premerent: credo, vt humoris illius emissione vegetius os redderetur. Ad hũc igitur morem exagitandum ita hæc describit, quasi de equis verba faciat. Equorũ enim proprium est ἀφρῶσι ἰδω-δὴν μαλθάσσειν, G. ronger son frein, ac maxillas huc illúcque distorquere, spumámque ore emittere. E
34. *Imagines tui pectoris*) Eleganter ancillas herarum suarum imagines vocat, quod quales heræ, tales quoq; ancillæ esse soleant. Vnde prouerbium, Qualis domina, talis canis.
35. *A pictore nostro*) Per pictorem nostrum vel Christum ipsum, vel Scripturam sacram, vel quemlibet pietatis magistrum intelligit.
36. *Quin ipsi quoque licentiæ*) Vide schol. parænet. ad Olymp. schol. 2.
37. *Esther*) Vide cap. 2. Esth. sic etiam Iudith cap. 10. myrto optimo se vnxisse legitur. Sed vtraque earum non libidinis, sed conseruandæ patriæ causa hoc faciebat.
38. *Meretrix IeZabel*) Quemadmodum IeZabel introitu Iehu audito depinxerit oculos suos stibio, capútque suum ornauerit, atque ab Eunuchis præcipitata fuerit, habes lib. 4. Reg. cap. 9. Meretricem porrò eam vocat

A *Gregorius, quòd à Dei cultu & religione ad idololatriam desciuisset. Huiusmodi enim nomine tales homines appellare, Scripturæ familiare est, vt supra alicubi docuimus. Quod autẽ ait eã sanguine suo meretrices imbuisse, allusio est ad id quod quidam de impudente homine dicebat, eum non habere in oculis κόρας, sed πόρνας. κόρη enim significat & puellam, & nitidum illud quod est in oculo. Hoc itaque vult Gregorius, impiam IeZabelem impudens os suum oculósque cadendo cruentasse.*

39. *Ad mysticum cibum) Id est, ad sacrosanctam Eucharistiam, quæ olim manibus accipi solebat, vt alio loco à nobis dictum est.*

40. *Luctuosam pulchritudinem) Id est, luctificam, quemadmodum pallida mors dicitur, quòd pallidos homines reddat.*

41. *Ne tibi mens) Ita verti vt Græca habent, μή σε νόος τρώσῃ χεῖρας ἐπ' εἶδος ἄγων: fortasse tamen pro νόος νέος legendum, vt sit sensus, cauendum esse mulieri, ne eius animum iuuenis quoque quispiã vulneret, vnguentis quibusdam faciem suam illinens.*

42. *Sinautem te lateris) Id est, costæ. vide scholia in carmen ad Helen. schol. 1.*

B 43. *Pulchritudinéque oblectetur) Hoc est, veniat tanquam ad cupidinis forum. Omnes enim penè mulierculæ quæ ascititia pulchritudine delectantur, longam pudicitiæ salutem dixisse, amatorésque velut euocare videntur.*

BASILII MAGNI EPITAPHIA.



O Basili, Christi serue, prius equidem antehac fore existimabam, vt corpus sine anima viueret, quàm vt ego sine te viuere possem. Et tamen hoc tuli, ac mansi: quid iam in terris moror? non me hinc sublatum in tuo aliorúmque cœlitum choro collocabis? Ne me, ne me, inquam, linquas: tumulum tuum testor, nunquam, ne si cupiam quidem, tui obliuiscar. Grego-
C rii hoc dictum est. Quo tempore Trinitas Basilii, hinc libentissimè excedentis, spiritum rapuit, totus quidem cœlestis exercitus ad eius profectionem gaudio exiliit: omnes autem Cappadociæ vrbes ingemuerunt. Nec verò Cappadocia sola luctum excitauit: sed orbis quoque vniuersus alta voce inclamauit: Obiit præco, obiit pulcherrimæ pacis vinculum. Mundus totus, potentissimæ Trinitatis pars contrariis doctrinis turpissimè concutitur ac labefactatur. Ah verò, ah silentio clausa Basilii labia sunt. Excitare, quæso, tuísque sermonibus & sacrificiis tempestatem seda. Tu quippe solus & vitam doctrinæ, & vitæ doctrinam [Præclara laus.] æquasti. Vt vnus est Deus altè regnans: ita vnum te, Basili, dignum pontificem nostra ætas vidit, veritatis vocalissimum nuncium, clarissimum Christianorum ocu- [Simile.]
D lum, animæ multiplici pulchritudine lucentem, Pontíque & Cappadocum etiamnum illustre decus & ornamentum. Te supplex oro, vt pro mundo stes, [1] donáque offeras. 1 Atque etiam ipsum epitaphii sui authorem inducamus. Hic me Basilium Archiepiscopum, Basilii filium, Cæsarienses condiderunt, Gregorii amicum, quem ego toto pectore amaui: cui vtinam Deus tum prospera omnia alia concedat, tum hoc etiam, vt quamprimùm vita beata atque immortali fruatur. Quid profuerit, diutius in terra morantem angi, ac cœlestis amicitiæ recordatione contabescere? O Basili paulum adhuc in terra spirabas: omnia Christo dono obtuleras, animam, corpus, sermonem, manus. Basili magna Christi gloria, sacerdotum veritatísque, nunc in multas partes dissectæ columen. O doctrinæ & eloquentiæ studia! O amicitiæ contubernium, ô charæ Athenæ! O vitæ piè sanctéq; instituendæ pacta iam olim inita! Notum hoc vobis sit, quòd Basilius in cœlũ, vt cupiebat, euolauit: Gre-
E gorius autem in terra versatur, labiis vinculum ferens. O clarissime Basili, maximíq; apud Cæsarienses nominis, [2] tonitruum erat oratio tua, fulgur vita. Nihilominus 2 tamen sedem sacram reliquisti: ita visum est Christo, vt te cœlitibus quam celerrimè iungeret. Omnia spiritus profunda noras: prophanam omnem eruditionẽ perceperas: [Egregium præconiũ.] viua etiam victima existebas. Octo annos pii populi habenas tenuisti: hoc vnum Basili, in tuis rebus paruum ac breue fuit. Vale, ô Basili, etiamsi nos reliquisti: à Gregorio epitaphium habes, sermonémque, quem charissimum habebas. Amicitiæ debitum tibi persolutum est: tuísque cineribus donum, mihi sanè triste, funebre hoc carmen obtuli.

SCHOLIA. A

1. Donáque offeras) Alludit ad illud Pauli Hebr. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.

2. Tonitruum erat) Paucißimis verbis excellentem Basilij virtutē complexus est. Vt, inquit, nec tonitruo quicquam exaudibilius est, nec fulgore splendidius: Ita Basilius tum dicendi sublimitate, tum vitæ puritate & claritate omnibus mortalibus præstitit.

GREGORII SENTENTIÆ DISTICHIS ELEGIACIS COMPREHENSÆ.

PRæclari principii præclarum quoque finem esse, rerum exitus rectè probant. Principium porrò illud, quod egregium mortalibus B
1 finem parit, vitæ puritas est, pio studio exculta. [1] Verborum pennis fretus, ne sine pennis vola. Nam ne aues quidem ipsæ absque
2 pennis volant. Eruditio [2] maximum est hominibus in hac vita decus atque ornamentum: cæterùm his qui ea abutuntur, perniciosa. Caue ne te inanis gloriæ cupiditas vllo modo abripiat: ea enim simplicioribus animis callidè insidiari solet. Cùm rectè atque ex virtute aliquid facies, da operam vt in eo perstes: celer enim ad vitium cursus est. Risus compescatur, ira finem capiat: otiosus autem sermo prorsus arceatur. Deum primùm ti-
3 me, parentes cole, sacerdotes lauda, senes reuerere. [3] Ne filius cum patre quoquo modo expostulet, cùm lex interdixit, tum ante leges ipsa natura. Quæcunque tibi ab alio fieri non vis, eadem nec ipse alii facere in animum inducas. Non grauis ira C
iis videri debet, qui grauia perpetrarunt: vindex enim numen eadem iisdem rependit. E sapientis labiis iucundissimi sermones fluunt: amarulentum autem guttur pugnas eructat: è facunda lingua suauissimi latices manant: sermones malos præceps,
4 iudiciique expers os gignit. [4] Amici ea quoque, quæ amicis chara sunt, amant: inimici autem amicos turpiter contemnunt. Diuitum fores pauperibus amicis clausæ
5 sunt: luculentæ autē aulæ diuitibus [5] semper amicæ sunt. Aqua, potio optima, [6] mēti
6 bonam temperiem & habitudinem comparat: crapula contrà, arreptam mentem turbat atque inficit. Vinum natura sua sobrietatem nescit: quin potius voluptates
7 ciet atque irritat. [7] Mentis subtilitatem crassus venter expellit: contraria enim contrariis aduersantur. Melior est mediocris cibus, modò suppeditet: quàm delicata cœna, quam sibi quis insomnii errore cōfinxit. Stulti maioribus opibus per somniū D
affluunt, quàm qui infinitam pecuniarum vim habent. Liberis carere præstat, quàm stultos ac væcordes filios procreare. Ille enim liberorum quidem expers est: hi autem multi ac mali. Cuiuis homini morienti terra quælibet sepulchrum est:
8 nam quicquid ex terra ortum est, terra quoque est, atque in terram redibit. [8] Pastor hircos etiam, si velit, mulgeat: verùm pro lacte cruoris duntaxat fontem exprimet. Sus epulas inspectans, mensæ fines minimè confundit: eodem quoque tu modo præcipites & temerarios homines coërce, ne decorum ordinem legibúsque compositum euertant. Quisquis leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle: omnis enim cui legum custodia mandata est, metu vacare debet. Vt peritus gubernator tempestates, quoad eius fieri potest, vitat: sic sapientis animus grauia omnia & periculosa. Nihil in animum admitte, quod cum optima vitæ ra- E
9 tione pugnet: perspicuè enim [9] in vitio est omnis error. Vt [10] incus maxima ictus
10 non pertimescit: sic mens sapiens omne detrimentum extrudit. Vt [11] foliorum stre-
11 pitus lepores exterrent: ita rerum vmbræ timidos homines atque ignauos. Odi pauperem diuiti donantem: nec minus eum, qui bona quidem verba dat, interim tamen egentem alere obliuiscitur. Orator improbus leges labefactat, bonus autem atque innocens apta & concinna est harmonia. Rident locupletes orphano-
12 rum probra: atque adeò [12] Dei animaduersionem risu prosequuntur. Legibus inuoluetur ac miserè peribit, qui leges nō legitimè sancit. Pauperibus hoc à natura cō-
13 paratum est, vt minimè magnificè de se sentiant: [13] at diuitibus & copiosis ne curæ quidem

A quidem est, vnde viuant. Stultos pro naturæ ipsorum captu institue: præter spem
enim tuam fortasse prudentiam colligent. [14] Vt ferrum attritu suo lapides quoque 14
accendit: sic durum & asperum pectus coërcere virga solet. Iusiurandum dare &
accipere pessimum est: vtroque enim modo iustitiam æquè offenderis. In sempi-
ternum æuum thesauriza: Nam huius vitæ thesauri, plerumque etiam ante mor-
tem nos deserunt. Opes eas ne ama, quas tempus delet: Nam quicquid tempus
extruxit, idem etiam euertet. Turpe est mulieribus, masculos mores præ se ferre:
honestis enim & grauibus hominibus ordo in pudore consistit. Voluptati indul-
gentibus, procliuis est voluptas: quæ protinus vt accessit, lapidis instar cadens,
perit. Nullæ opes his, qui in dolore versantur, sanitate sunt potiores: sapienter hanc
quoque natura semper appetit. Sonitus maris viris stulti sermones sunt: Ita enim
B ripas premunt, vt meliora interim ac [15] pinguiora prata non reddant. Munera fa- 15
ciunt vt sapientes quoque viri hallucinentur: atque, vt aues laqueo, sic homines
auro capiuntur. Mœrores præcocem senectutem mortalibus pariunt. Neque
enim ea vnquam tempus instaurabit, quæ moribus diruta fuerint ac prostrata.
Opum copia malis celerrimè inseruit: potentia quippe ad flagitium prompta est
& expedita. Nullæ facultates amico præstantiores sunt: improbum autem homi-
nem nunquam tibi amicum asciscas. Ordo colatur, roborísque præeat: Robur
enim in se est perpetuúsque roboris custos. [16] Mens solicita tineæ instar ossa cor- 16
rodit: corpus autem curas omnes valere iubens, eximiè floret. Quemadmodum
hoc fert ignis natura, vt ad subiectam materiam ardeat: sic etiam natura compa-
ratum est, vt immodicam satietatem libido comitetur. Vt influens materia flam-
C mæ vires addit: ita vinum languentem libidinem excitat. [17] Fugiunt iras, qui in 17
lites incidere timent. Iram enim sæpenumero lites accendunt. Graue est labori-
bus vexato labores addere: sed tamen labor labores plerumque sedat. Sunt qui
aliorum labores reformidant, atque interim ipsi aliis laboribus non sine periculo
conflictantur. Perpetuam sempiternæ gloriæ curam habe: Nam hæc præsens quo-
tidie homines fallit. Nemo iratus tutò deliberationes habet. Quæ enim cum ira
geruntur, consilio adhuc carent. Horrendi sunt dracones, subdolæ aspides: vtrius-
que feræ vim mulier complexa est. Ossa nuda spectata nos admonent, ne quid
huius vitæ nobis proprium ac certum esse credamus. [18] An cancrorum fœtus o- 18
bliquè gradiantur, ex maternis incessibus experimentum capere licet. Quòd si
[19] naturæ tuæ vim attuleris, bonos proculdubiò ex malis magistris discipulos e- 19
des. Præclaris [20] virtutum dotibus teipsum exorna: nec interim pauperem orpha- 20
D num contemne. Deo dante nihil potest liuor: eodem abnuente nihil potest la-
bor. [21] Paris vipera? partus dolores ne time: materni quippe partus experimen- 21
tum habes. Nemo apertè ignauus bellica vnquam laude floruit: victoriæ enim
suo quodam iure laudes exposcunt. Vir somno atque inertiæ deditus somnia in-
uenit: somnus enim non res ipsas, sed inania rerum simulachra oculis obiicit.
Nolentibus vis persuadet: ea enim gigantes etiam sæpe cogit ac premit. [22] Popu- 22
lo decepto atque in errorem abducto circulator quiuis incipit: [23] porrò ex per- 23
turbato rerum ordine malorum agmen oritur. Opus nihil ad rem faciens, nullo
modo opus voco: quæ enim nihil ad rem faciunt, contemni quoque debent.
[24] Canini cœtus erga mortua abiectorum, humíque prouolutorum hominum 24
membra, ordo laudatur. Auro loquente iners est omnis oratio: persuadet enim
E illud, etiamsi vocem nullam edat. [25] Desinant nunc quoque pacis tranquillitatis- 25
que commodo frui, qui insana quadam fluxorum & caducorum huius vitæ bo-
norum cupiditate flagrant. Rota est incertè fixa, breuis hæc & multiplex vita.
Sursum mouetur ac deorsum trahitur: neque enim stabilis est, quantumuis ita vi-
deatur. fugiens tenetur & manens effugit: saltat plerumque, nec tamen fugere po-
test. [26] stationem suam motu trahit ac retrahit. Quocirca ipsius inanitas nullo 26
modo rectius describi potest, quàm si vel fumus, vel insomnium, vel herbæ flos
appelletur. Atque olim quidem auarus quispiam his verbis vsus esse fertur: for- 27
tunæ guttam malo, [27] quàm mentis dolium. Sed ei præclarè sapiens quidam hoc
opposuit, Mentis guttam pluris facio, quàm fortunæ dolium.

SCHOLIA. A

1. *Verborum pennis*) Admonet Gregorius ne vanis adulatorum sermonibus nos decipi sinamus, dúmque illis de nobis (vt Flacci verbis vtar) plus quàm nobis credimus, eiusmodi res aggrediamur, quas perficere nequeamus. Quod autem ait Gregorius, λόγοις πτερωθεὶς, &c. non dissimile est Horatiano illi, Crescentem tumidis inflant sermonibus vtrem.

2. *Maximum est hominibus*) βροτοῖς legendum, vt & Aldus in emendationibus.

3. *Ne filius cum patre expostulet*) δίκαια λέγειν, hoc loco idem est quod δικαιολογεῖσθαι, hoc est, ius suum defendere. Ait igitur Gregorius ex filij officio esse, ne in optima quidem causa cum patre contendere: verùm eum, inquiens etiam interdum & asperius agentem patienter ferre.

4. *Amici ea quoque*) Gr. φίλοι φιλοῦσι καὶ ἃ τοῖς φίλοις φίλα. In emendationibus tamen Aldinis aliter legitur hic versus, φίλοι λαλοῦσι τοῖς φίλοις ἅπερ φίλα, hoc est, Amici amicis ea dicunt, quæ ipsis grata sunt.

5. *Semper amicæ sunt*) Hoc est, semper patent. Respondet enim hic versus præcedenti.

6. *Menti bonam temperiem*) Gr. εὐκρατοῖ φρένας, sicque legendum, non vt in Aldinis emendationibus εὔκειται φρένες, vt patet ex antithesi sequente. B

7. *Mentis subtilitatem*) Gr. νοῦς λεπτὸς ὄγκον ἐκδιώκει σαρκὸς. Aliter tamen hoc carmen legitur in Ald. emend. νοῦ λεπτὸν ὄγκος, &c. Verùm vtraque lectio eodem recidit. Vt enim mens tenuis molem & crassitiem corporis expellit: ita corporis moles & crassities mentis tenuitatem & acumen exturbat.

8. *Pastor hircos*) Mulgens hircum sanguinem exprimet, prouerbium est, quo admonemur, etiam atque etiam videndum esse, in quorum gratiam labores suscipiamus: ne pro speratis vuis nihil præter labruscas colligamus. Hoc etiam adagio non ineptè quispiam admoneri poterit, ne fidei pietatem ab hæreticis sugat, quippe qui pro lacte, id est, salutifera doctrina, non nisi cruentos ac pestiferos errores proferunt.

9. *Error in vitio est*) Hoc vult Gregorius, eum qui à recta viuendi ratione aberrat sine vlla dubitatione in vitio esse. Itaque προδήλως lego in aduerb.

10. *Maxima incus ictus non pertimescit*) Prouerbium de homine firmo atque constanti, aduersáque & grauia omnia forti animo perferente.

11. *Foliorum strepitus lepores exterrent*) Aliud prouerbium superiori contrarium, quod in eos torquere licebit, qui sine causa pericula fingunt, &, vt ait Psalmista, trepidant timore, vbi non est timor. C

12. *Ipsam Dei animaduersionem rident*) αὐτὴν lego, vt Aldus in emend. vt sit sensus, malos diuites Dei minas, propositásque pœnarum acerbitates in risus materiam trahere, tantum abest, vt eas reformident. Quòd si quis impressorum codicum fidem sequi, atque αὐτῶν legere malit, sic explicandus erit hic locus, vt hoc significare velit Theologus, tantam quorundam diuitum crudelitatem atque amentiam esse, vt non modò humanitatis ac beneficentiæ officia pauperibus negent, sed paupertatem etiam ipsis exprobrent, perinde atque in pœnam illis à Deo immissam. Atque hæc sententia non abhorrebit ab eo quod ait Gregorius in Orat. de pauperum amore.

13. *At diuitibus*) τοῖς πλουσίοις γὰρ οὐδὲ φροντὶς τοῦ βίου. Non mirum est, inquit, homines maximis opibus præditos animis efferri, vt quibus in amplissima diuitiarum copia, nullum etiam laborem nullámque curam subeuntibus, vitæ tamen degendæ facultates abundè suppetant. Βίος enim hoc loco ita exponi debet. Alioqui absurdum esset dicere, homines opibus affluentes hanc vitam nihil curare, cùm illi magna ex parte huic vitæ addicti affixique esse soleant.

14. *Vt ferrum*) Pulchra hac similitudine admonemur, ne de vllis ingeniis quamlibet tardis atque obtusis desperemus. In sequenti versu pro σκληρὰ, σκληρὸν legendum cum Aldi emend.

15. *Herbas pingues non reddunt*) χλόας enim legendum, vt in Ald. emendat. non χοὰς. Vt, inquit Gregorius, mare non sine fragore ripam alluens, propinquis herbis nullam vtilitatem affert: ita stulti hominis quamlibet clamosa, inutilis tamen est omnis oratio. D

16. *Mens solicita*) Quod Solomon καρδίαν αἰσθητικὴν vocat, hoc Gregorius νοῦν ἱμμέριμνον, hoc est, animum variis curis distractum ac solicitum.

17. *Fugiunt iras*) Hoc, inquit, compendij faciunt, qui à litibus forensibúsque controuersiis abhorrent, quòd simul quoque animorum suorum lenitati tranquillitatíque consulunt.

18. *An obliquè*) Vix enim fieri potest, vt ij quibus mali vitæ magistri contigerunt, non ipsi quoque mali & flagitiosi existant. Vnde illud, Mali corui malum ouum.

19. *Si naturæ tuæ*) Nam cùm homo natura sua iam inde ab ipsa adolescentia ad malum pronus sit, profectò qui natiuæ ad vitium procliuitati vim afferens, præclarè vitam instituit, bonos discipulos ex malo magistro, hoc est, bonum ouum ex malo coruo edit. Itaque rectior est vulgata lectio, δώσεις προδήλως ἐκβιάζουσα φύσις, quàm vt emendat Aldus, δώσεις προδήλως ἐκβιάζων τὴν φύσιν.

20. *Virtutum dotibus*) Græca sic habent, κόσμει σεαυτὸν τοῖς καλοῖς τεκμηρίοις. Quid autem sit, ornare seipsum τεκμηρίοις, alij viderint. Mihi pro τεκμηρίοις, κειμηλίοις legendum videtur, aut aliquid eiusmodi. E

21. *Paris vipera*) De viperæ partu supra iam diximus. His autem verbis obscurè hoc ostendit, non esse quòd quisquam queratur, si eodem modo alij cum ipso agant, quo ipse cum aliis prius egit. Vt si quis eodem supplicio quo alios afficere solebat, postea excrucietur: aut si quis in parentes contumax filios quoque in se contumaces experiatur.

22. *Populo decepto*) Gr. Δήμου σφαλέντος πᾶς ἀγύρτης ἄρχεται. quid autem incipiat, non subiicitur. Quare pro ἄρχεται fortasse ἔρχεται legendum, id est, in medium prodit, vt sit sensus: simulatque miscellaneum vulgus in fraudem aliquam inciderit, statim honestorum grauiúmque rhetorum loco præstigiatores atque impostores in medium prodire.

23. *Populus porrò ex perturbato*) Græca ita habebant, Δῆμος δὲ πάντη τῶν καλῶν ἀταξία. Quàm autem rectè

A *dici poßit ἀταξία καλῶν ἀρετῶν, est enim hoc loco neutrius generis, velim mihi quispiam explicet. Dicimus quidem ἀταξίαν simpliciter, vel πόλεως ἀταξίαν, sed ἀρετῶν ἀταξίαν nusquam legere me memini. At si pro καλῶν κακῶν legamus, commodißimus profectò sensus existet. Perturbatio, inquit, ac temeritas populus est malorum, id est, confertißimum quoddam agmen malorum, quemadmodum alibi orthodoxos idcirco à triplicis essentiæ, in Trinitate, assertione abhorrere ait, ἵνα μὴ δῆμον θεῶν εἰσαγάγωσι. G.* à ce qu'ils n'introduisent vng monde de dieux. *sic versus hic cum superiori optimè cohærebit, docens videlicet, quantum mali secum afferat vulgi imperium, Græci ὀχλοκρατίαν vocant.*

24. *Canum canini cœtus) Verba Græca fideliter, vt puto, reddidi. Quid tamen his verbis sibi velit Gregorius, quémque congregatorum canum ordinem intelligat, ingenuè fateor mihi non liquere. suspicor tamen eum de canibus Lazari vlcera lingentibus hoc loco agere.*

25. *Desinent nunc quoque) Tantum, inquit, abest, vt qui fluxis & fragilibus huius vitæ oblectamentis totos se tradiderunt, quicquam in posterum æuum sibi polliceri debeant, vt ne in hac quidem vita veram ac solidam pacem sint habituri. ἕξουσι enim hoc loco λήξουσι expono, sensu ita postulante.*

B 26. *Stationem suam) Versiculus integer hoc loco in Græcis desideratur: eóque fit vt ne in versione quidem nostra satis integra sit sententia.*

27. *Quàm mentis dolium) Hoc loco perspicuum est, in Græco pro βυθὸς πίθος legendum, tum vt ῥανίδι respondeat, tum quia hoc poscit antistrophes ratio, cui omnis gratia perit, nisi eadem verba, nonnihil tamen inuersa, repetantur. Versus autem Græcos, quia memoria digni sunt, ascribere hîc libuit,*

Auari versus, Θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον.
Sapientis antistrophe, Ῥανὶς φρενῶν μοι μᾶλλον, ἢ πίθος τύχης.

MONASTICHA GREG. NAZIANZ. SECVNDVM ORDINEM *Alphabeti:*

C

Sic reddita, vt & Iambici versus Latini singulis, Græci singulis respondeant, & aliqua Latini quoque alphabeti (quantum eius fieri scilicet potest) ratio habeatur.

Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιοῦ θεόν.	*Agendorum initium sit, & finis, Deus.*	
Βίου τὸ κέρδος, ἐκβιοῦν καθ' ἡμέραν.	*Beata lucra vitæ, cottidie mori.*	
Γίνωσκε πάντα τῶν καλῶν τὰ δράματα.	*Cognoscere hominum facta egregiorum stude.*	
Δεινὸν πένεσθαι, χεῖρον δ' εὐπορεῖν κακῶς.	*Durum est egere: peius ditem esse improbè.*	
Εὐεργετῶν νόμιζε μιμεῖσθαι θεόν.	*Eris si beneficus, imitaberis Deum.*	
D Ζήτει θεοῦ σοι χρηστότητα χρηστὸς ὤν.	*Fac sis benignus, vt benignum habeas Deum.*	
Ἡ σὰρξ κρατείσθω καὶ δαμαζέσθω καλῶς.	*Geras caue carni morem, sed eam doma.*	
Θυμὸν χαλίνου, μὴ φρενῶν ἔξω πέσῃς.	*Habenis retine iram, ne te occupet furor.*	
Ἴστη μὲν ὄμμα, γλῶσσα δὲ σταθμὴν ἔχοι.	*Inhibeto visum. quædam linguæ norma sit.*	
Κλεὶς ὠσὶ κείσθω, μηδὲ πορνεύοι γέλως.	* *Clauem auribus obde. risum lasciuum fuge.*	* Aliã nos literã nullã habemus, quæ Græco K respondeat.
Λύχνος βίου σοι παντὸς ἡγείσθω λόγος.	*Lucerna sit ratio vitæ tibi totius.*	
Μή σοι τὸ εἶναι τῷ δοκεῖν ὑπορρέοι.	*Missam fac opinionem, rémque amplectere.*	
Νόει τὰ πάντα, πρᾶσσε δ' ἃ πράσσειν θέμις.	*Noscenda cuncta putato: sed quæ fas, age.*	
Ξένον σεαυτὸν ἴσθι, καὶ τίμα ξένους.	*Omnẽ exhibe hospiti honorẽ, quum hospes ipse (sis.*	
Ὅτ' εὐπλοεῖς, μάλιστα μέμνησο ζάλης.	*Procella timeri cursu debet prospero.*	
Πάντ' εὐχαρίστως δεῖ δέχεσθαι τἀκ θεοῦ.	*Quæcunque dat Deus, animo grato accipe.*	
E Ῥάβδος δικαίου πλεῖον, ἢ τιμὴ κακοῦ.	*Res virga iusti potior est, quam honos mali.*	
Σοφῶν θύρας ἔκτριβε, πλουσίων δὲ μή.	*Sapientum mihi fores, non locupletum tere.*	
Τὸ μικρὸν οὐ μικρόν, ὅταν ἐκφέρῃ μέγα.	*Tibine pusillũ est, vnde quid ingens prouenit?*	
Ὕβριν χαλίνου, καὶ μέγας ἔσῃ σοφός.	*Vir magnus esse potes, frenans petulantiam.*	
Φύλασσε σαυτόν, πτῶμα δ' ἄλλου μὴ γέλα.	† *Probe tibi caue, alterius lapsum haud riseris*	† Hasce literas, φ, χ, ψ, & ω, nos desideramus.
Χάρις φθονεῖσθαι, τὸ φθονεῖν δ' αἶσχος μέγα.	*Gratum inuideri: at inuidere, ingens probrum.*	
Ψυχὴν θύοιτο μᾶλλον ἢ τὸ πᾶν θεῷ.	*Præstat animum, quàm cætera, offerri Deo.*	
Ὢ τίς φυλάξει ταῦτα, καὶ σωθήσεται.	*O quàm beatus, hæc quisquis seruauerit.*	

A

CÆSARII, VIRI ILLVSTRIS,
AC GERMANI FRATRIS GREGORII NAZIANZENI, DIALOGI IIII.

Quibus continentur explicationes quarundam quæstionum de rebus grauibus, propositarum Cæsario per Constantium, Theocharistum, Andream, Gregorium, B *Domnum, Isidorum, Leontium, quo tempore Cæsarius à secretis erat, & Constantinopoli docens* XX. *totos annos commorabatur.*

DIALOGVS PRIMVS.

A.



QVI nauigant ingens & amplum mare, quàm quidem diu secundis auris ex animi sententia vela faciunt, non sunt admodum vicinis de locis solliciti: sed si cooriatur aduersus vehemensque vẽtus, qui tempestate concitata mortem paullo antè securè nauigantibus minitetur: tum verò tranquillum aliquem portum offerri sibi magno desiderio expetunt. C Itaque postquàm oculos omnem ad terram obiectam sibi circumtulerunt, ac nusquam appellere se posse vident: quod vnum restat, fortè proximam aliquam ad insulam claui adiumento dirigunt nauem, ac nulla non ratione saluti suæ consulunt. Ad eam delati propius, vbi horrendo mortis è periculo seruati, se in tutum sub promontoria receperunt: testes grati animi voces ad omnium Seruatorem Deum emittunt. Ita nos etiam, pater optime, qui procellosum vitæ huius mare traiicimus, absurdarúmque opinionum fluctibus multipliciter exhausti, nullum vsquam rationis participem portum inuenimus: ad benignitatem tuam nos conferimus, vtque nos cum de adoranda sacrosanctáque Trinitate, tum aliis sacrarum litterarum capitibus audias, obsecramus: D ne cum insipientibus circumueniamur, sed confirmati doctrina, & admonitioni suauissimæ tuæ obsequuti, è mundi huius tempestate paullatim nosmet tacitéque subducamus, & participem animi nauiculam nostram in secretum ab omni fluctu Christi portum agere studeamus. *B.* Meam verò intelligentiam accurata sacrarum litterarum explicatio longè excedit ac superat: quippe quæ purgata necdum sit, crassæq; in nobis materiei multis morbis obnoxiam vestem nondum deposuerit. Nam socordia depressus, ad Deum qui iustus est, ipse non iustus erigi nequeo: non ipsum accedere mihi fas est, vt de corporeorum & corporis expertium, de iudicij, de prouidentiæ rationibus erudiar, quum & Opifex, & Dux, & Gubernator sit omnium: non vt cum Rege ac Domino miser ipse versari possum: quippe qui capite nudo hactenus eum compellare audacter nequeo, quum mundi adhuc simulacra circumferam, & corrupta imagine E quasi crapula grauatus, ad terram allidar. Ad summam, quoties diuinarum rerum sublimitatem intueor, mox vertigine correptus tremo, illorum instar, qui de excelso montis vertice in immensum mare prospectant. Vel idem accidit mihi, quod iis, qui dum & læsis oculis, & puro meridie, sole cælum perequitante, immoto hunc vultu intueri conantur, victi à nimia radiorum copia, & orto ab iis splendore, videndi facultatem amittunt. Quapropter equidem existimaui, silentij ope mihi vtendum esse: verum ne, si prorsus sim mutus, inuidiæ merito meo me insimuletis, quasi qui facilitatem obsequendi vana taciturnitate repellat, (quum diuinus ille Dauides canat: Multa tu Domine, qui Deus es meus, admiranda fecisti: nemo tibi

Caligo mẽtis humanę diuinis in rebus.

Prædicãda esse Dei beneficia & opera.

A tibi par esse cogitando potest. Equidem hæc annuntiaui ac protuli, supra omnem numerum amplificata sunt. Item: Magno in cœtu iustitiam annuntiaui. Ecce labia mea, Domine, non comprimam, sicut ipse nosti. Iustitiam tuam meo in corde non occultaui: veritatem ac beneficium in saluando me tuum exposui. Misericordiam & veritatem tuam frequente in concilio non cælaui. Tu quidem, Domine, miserationem tuam multiplicem nobis diu ne differto. Itidem quum princeps Apostolus præcipiat, vt ad reddendum rationem ea de spe, quam fouemus, ad quemuis de hac sciscitantem parati simus. Paulus etiam clarissimè clamet, esse nobis ipsius vestigiis inhærendum, imitandúmque Christum: qui profectò & ipse diuinitus præcepit, vt quæ gratis acceperimus cum aliis vicissim gratis communicemus: omnésque vires in hoc contendamus, vt diuina nobis in eum finem ab ipso credita talenta, quo augeantur, duplicemus: ne si vano hæc silentio tanquam in terra defoderimus, vnà
B cum prauo illo desideque seruo, de quo proditum est in Euangeliis, ad tenebras extimas abiiciamur.) metuendum mihi potius, quàm silendum arbitror. Est enim sapientiæ principium, Domini timor: quemadmodum vates ille rerum diuinarum prudens Dauides loquitur. Præclarum sanè, certo iudicio consideratéque silere ac mundo quidem quasi mutum ac crucifixum: in prædicatione verò diuinorum operum ad omnes illustrem ac perpetuò vocalem esse. Sic nimirum & summa cum voluptate muti diuinis in rebus erimus, & nihilo minus eas absque silentio tractabimus, exorantes diuinum numen in iis sanè, quæ animo perniciem ædferunt, his verbis: Adhibeto, Domine, custodiam ori meo, & circum labra mea quoddam ostium, quo coërceantur: néve cor meum ad sermones prauos deflectere patiaris. In illis
C verò, diuina quæ sunt, & in quibus viuit animus: Aperito labra mea Domine, ac laudem tuam os meum annunciabit. Quamobrem meritò ad interrogationes vestras iterum accingar, sic tamen, vt & Deum orationis nostræ Ducem constituam, & vestris ad hũc supplicationibus innitar. Libet enim illos imitari, qui ludos equestres perlubenter spectant. Solent hi cursum in certaminibus ad eos, quos fauore suo complectuntur, tametsi ad summam illi celeritatem nihil reliqui faciant, victoriæ tamen studio de sellis gradibúsque superioribus quasi toto cum viscerum motu, acclamationibus vti: oculísque vnà cum cursu circumactis, aurigã (vti quidem arbitrantur ipsi) maiorem ad impetum excitant. Quin & equos acclamando cohortantur, proque flagello manum ad eos protendunt, & indice digito proximos sibi feriunt. Neque malas tantùm fricant, sed nonnunquam & dentem exacuunt, & vultu minantur, & totos se ad stadij cursores erigunt, digitísque gesticu-
D lando quæ facere sibi ad consequendum præmium videantur, indicant. Atque hæc non eò faciunt, quòd ad victoriam quidquam momenti adferant: sed suam erga illos, qui decertant, beneuolentiam amorémque tam voce quàm gestu exprimunt. Idem vt & ipse faciam, amici ac fratres, quos equidem maximè suspicio, meum me studium erga vos cogit. Nam apud vos, qui agiliter virtutis stadium percurritis, & ad supernæ vocationis præmium crebris & expeditis saltibus contenditis, non quædam propriè mea leuiáque proferam: sed quæcunque clarorum beatorúmque patrum prata peragrans, de illorum roseto collegi. Quorum rosæ aqua latere Dei ac Sermonis, qui carnem adsumpsit, manante rigantur: & à iugi sanguinis indidem orti riuo, rubro colore tinguntur, totúmque mundum suaui odoris fragrantia replent. Qui & splendore suo firmamenti luminaria vin-
E cunt, & vitæ sermonem continent. Quorum ellychnium nunquam decidit, & lucerna non comminuitur, & oleum non absumitur, & lampas non quassatur, & flamma non extinguitur. Nam crucem gestant pro virga, euangelia pro pera, caritatem pro pedo ac fistula, quibus omnibus Christi gregem rationis participem pascunt. Quamobrem, viri optimi, sic ea proponite, de quibus percunctatum accessistis, vt qui diuina horum semina messuri ex me, homine cæteroqui vili, sitis. *A.* Quando igitur ex nonnullis voces quasdam abhorrentes à ratione & execrandas audimus, qui & de vnigena Dei F. & de Spiritu sancto adserunt, illum quidem creatum, patríque dissimilem: hunc verò ministri loco ac conditione esse, nonnullas etiam his absurdiores abiectioresque de vtroque commenti opiniones:

Quæ res silentiũ, quæ prędicationem nostrã requirant.

Qualia esse patrũ scripta putari debeant.

per eam te caritatem obsecramus, qua nos vt liberos tuos complecteris, vt quid de diuina & adoranda Trinitate sit statuendum, breuiter nobis exponas. *B.* Omne bonum donum, munus omne perfectum de supernis oritur, & à luminum patre descendit: quemadmodum diuinus vir Iacobus inquit. At qualiúmnam, non immeritò quæsiueris, luminum? Nimirum & proprium, & princeps, & verum lumen est ipse Pater, sicut Ioannes ille cognomento Theologus his verbis scripsit. Hæc est illa promissio, quam nosmet ex ipso (filio scilicet) audiuimus: Deum esse lumen, & caliginem in ipso nullam esse. Deinde Filius quoque lumen est, sicut idem Ioannes ait: Erat is lumen verum, quod in hunc mundum veniens omnem hominem illuminat. Quin & ipsum hoc ab omni crassa materie caliginéque secretum lumen, quod omnem naturam intelligentia præditam ac rationis participem illuminat, in Euangeliis inquit: Ego sum mundi lumen. Sanctum etiam Spiritum lumen esse, diuino Dauidi adsentiens aio. In lumine (ait) tuo lumen videbimus. Nam in Deo ac patre Filium & ipsum Deum, atque in Filio patrem: Spiritum autem in vtroque cernimus, quemadmodum Filius ait: Pater in me est, & ego in patre. Qui vidit me, patrem vidit. De Spiritu verò inquit: Spiritus veritatis, qui de patre procedit. Itaque in lumine, quod est Pater, lumen aliud, nimirum ipsius Sermonem ac Filium cernimus: & in Lumine quod est Filius, Lumen Spiritum videmus. Quamobrem ratione consentanea tria in seipsis lumina intelligantur, omni sine tam confusione quàm separatione vnita. Extraquàm quòd omnipotens ille Deus ac Pater, qui supra vniuersa est, non est genitus, non ortus ab alio, tanquam caussa: Genitor autem & caussa ipsius Filij, sicut fons fluminis, sicut Sol radij, sicut ignis flammæ, horum ergo sicut sunt illa quidem caussæ, non tamen hæc ortu præcedunt: sic filius est quidem is à patre, tanquam à Caussa & Genitore, ab æterno ineffabiliter genitus: non tamen tempore posterior, non inferior potestate, non inæqualis maiestate. Nimirum semper & in patre, & ex patre, & cum patre existit, eíque sine confusione, sine separatione, sine immutatione adest. *A.* Et quî potest is, qui ex patre genitus est, & exiit, cum patre & in patre existere? Nam quod semel est genitum, atque ab eo, quo continebatur, exiit: quo pacto rursum erit in gignente? *B.* Nimirum Filius ac Spiritus non hominum more per fluxionem, sectionémve, aut dimensionem ex patre prodierunt: sed vt ex fonte flumina, quæ quidem ex eo, & in eo, & cum eo sunt: vt ex Sole radij, qui in eo, & cum eo, & ex eo sunt: vt flamma & lux de igne, cum igne, in igne existunt. His enim rebus equidem vsus hæc declaraui, obscurè sanè rem explicantibus, sed ab imagine tamen non prorsus abhorrentibus. Filius ergo qui est in patre, de eodem prodiit, & cum patre existit, & infinitis sæculis erit, quemadmodum ipse inquit: Ego in patre sum, & pater est in me. Quibus verbis & eandem vtriusque naturam siue essentiam, & nulla ex parte diuersam vtriusque diuinitatem, & parem denique potestatem esse significat. Rursus quum ait, Ego de patre sum egressus, atque in mundum veni: diuersitatem proprietatémque personæ demonstrat. Porrò diuinus sanctissimúsque Spiritus non ille quidem est genitus, sed procedit: atque eo ipso quòd de patre procedit, à patre tanquam caussa oritur. Dauides quidem, sacrosanctæ Trinitatis enarrator: Domini sermone, inquit, constabiliti sunt cœli, & spiritu oris ipsius omnis cœlestis exercitus. Quibus & illa Zachariæ verba sunt consentanea. Robustæ sint Zorobabeli, & Iosedeci sacerdotis, & populi manus, quoniam ego vobiscum sum, & Sermo meus, & Spiritus meus. Hæc Domini omnipotentis verba sunt. Pater igitur non est genitus, filius genitus, spiritus procedit, quæ tria sunt in seipsis lumina. Non confunduntur, lucent eodem lumine, lucent æternum, indiuisè per hypostases siue personas distinguuntur, & sine confusione sunt vnum essentia supernaturali, & coniunctione mentis vim superante, & distantia nullam dimensionem admittente. Atque vti tres hypostases Deitatis vnam essentiam in totidem naturas non diuidunt: ita vnitas essentiæ fontem illum Deitatis tribus ostiis æternum fluentem, in vnam siue personam siue hypostasin neque commiscet neque contrahit. Ergo & pater lumen est, & filius est lumen, & Spiritus itidem sanctus: & nihilo tamen minus hi tres vnum lumen existunt, quod est supra omne tempus, & ante sæcula, & expers principij,

Cur Iacob⁹ Deũ appellarit luminũ patrem.

Pater lumẽ est princeps.

Alterũ lumen filius.

Tertiũ lumen Spiritus sanctus.

Quare lumen pater à lumine Filio distinguatur.

Remouendas esse à doctrina de Trinitate cogitationes de generatione humana.

Personarũ proprietates.

A principij, & personas tres habet, & tres hypostases, & tres Dominos, & thronos tres, & trinam lucem & trinum splendorem, & lucis æqualitatem, immutabile, nulli obnoxium diminutioni, caliginis expers, inuictum, interitui minimè subiectum, vna essentia, potestas vna, vna gloria, vnum regnum, vna diuinitas, vna voluntas, actus, imperium. Denique non nisi vnitas, æqualitas, identitas est in Trinitate, extra proprietatem ingeniti, & geniti, & procedentis: vnaquaque hypostasi singillatim & existente, & exstitura, non aliquando orta, non desinente, sed eodem se modo semper habente, ac manente citra mutationem omnem. Semper enim exstitit Deus ac pater, qui quidem semper est pater vnigenæ filij, Sermonis subsistentis, à quo facta sunt vniuersa, quibus & diuus ille Spiritus semper adest, vnáque cum ipsis ab omnib. intelligentia rationéque præditis creatis adoratur. Nemo in his vel prior B est natu, vel posterior: non accrescit, non imminuitur instar luminis, quod sub sensum cadit, vel instar earum, quæ supra mundum sunt, copiarum. Quæ quum vniuersæ natura sua idem existant, (quemadmodum & animi hominum rationis participes idem natura sua sunt omnes) partim tamen ordine, partim statione, partim adsistendi ministrandiq; munere differunt, ac per incrementa, & mutationes, & cõuersiones, libero animi consilio vel in melius vel deterius propendentes, non aliqua naturali necessitate magis minúsve degenerant, excellentibus aliis alias secundum ea, quæ indicauimus, discrimina. Quin & homini luminis appellatio tribuitur, & soli, & lunæ, & vario reliquorum siderum choro: quorum tamen maximo numero luminum, de materie constãtium, multísque partibus ac modis inter se diuersorum auctor est & opifex verum illud & expers materiei lumen, nimirum Deus & pater, C qui est supra omnia, cum vnigena filio suo, diuóque spiritu, incorporeus, sub adspectum non cadens, omni & natura & cognitione superior. Qui filium genuit, & spiritum produxit ratione secundũ naturam ineffabili, sine vllo tempore, ante sæcula. Non enim quidquam vel maius vel minus natu, non quidquã prius existens aduentitiúmve diuina in Trinitate vel ante sæcula fuit, vel est hodie, vel deinceps erit. Nimirum tria semper existunt, tria sunt eiusdem sanctitatis, tria simul expertia principij, tria agentia, tria simul agentia, tria in eadem forma, tria conformia, tria efficacia, tria effectionib. coniuncta, tria subsistentia, tria simul subsistentia, quæ non mutantur, neque transeunt, neque miscentur inter sese. Nam semper existit pater, & quidem solummodo pater est, non etiam filius: semper existit filius, & quidem solummodo filius est, non etiam pater: similitérque diuus ille spiritus nec pater est, nec filius: sed omni sine mutatione procedit: semper habent id, quod singulis est pecu- D liare, perfectione summa, pro sua vnusquisque hypostasi. Nimirum pater, filius, spiritus sanctus, in vnitate Trinitas & est, & intelligitur, & profitẽdo perhibetur, & adoratur ab iis, qui verè, non dicis caussa, vel blasphemè adorant, vt Arrius, qui & Dei naturã distrahit, & ad trutinã reuocat, & maius ac minus diuina in Trinitate imaginatur: vel vt Sabellius, qui eandem commiscet ac confundit, & υἱοπατορίαν, hoc est, patris filiíque confusionem singulari furore docet. Quapropter statuamus Trinitatem parem potentia, gloria, amplitudine, vel potius summa cum gloria & amplitudine, omnem animi perceptionem superantem, idq; in vna diuina natura, regno, robore, libera potestate, quæ vniuersam rerum naturam de nulla materie subiecta fabricata sit. Quomodo autẽ hæc sese habeant, id verò accuratè peruestigare supersedeamus. Nam nemo nouit patrem, extra quàm filius, & filium nullus extra E patrem nouit. Mortalibus autem eos diuus ille Spiritus patefacit. Atque in hunc modum hæc tria sic existũt, vt nec accrescant, nec minuantur, nec altius insurgant, nec contrahantur: & singula ex se, vel à se, vel ad se, ratione ipsis consentanea, tã intelligãtur, quàm credantur. Quemadmodum seipsa patefaciunt Lumen, Ignis, Spiritus. Quin & per alias, vt equidem arbitror, visionum cõparationes ac similitudines patefiunt, prout dignus is habitus fuerit, qui diuinas res tractat. *A.* Atenim quî Moses scribit, Deus ille tuus, qui Dominus est, vnus est Dominus? Et in Annæ hymno dicitur: Non est quisquã sanctus, vt Dominus: non est quisquam iustus, vt Deus noster: non est quisquã sanctus extra te. Quin & ipse Christus ait: Vt agnoscant solum verum Deum esse te, & quem misisti Iesum esse Christum. Non inquit, Iesum

Discrimen increati luminis, & creatorum.

Impiæ de Trinitate sententiæ reiiciendæ.

Obiectio cõtra Trinitatis doctrinã prima: Deus vnus est.

esse Deum. *B.* Enimuerò Christus his verbis à deitate seipsum non eximit, sed potius ad vnius rerum principis ac Dei nos agnitionem in sublime ducit, ne mundi elementis amplius suppliciter addicti simus, ac Dei loco nostris conseruis cultum diuinum exhibentes, ad deastrorum multitudinem exorbitemus. Idcirco quũ ait, Et quem misisti Iesum esse Christum: quémnam hũc esse dicit, nisi Deum? sicut & Ioannes inquit: Vnigena filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quibus sunt cõsentanea, quæ Paulus de Christo scripsit: Quorũ sunt patres, & ex quibus Christus est, quod carnem attinet, qui est Deus supra vniuersa. *A.* Si ergo patri æqualis est filius, cur in Ioannis & Pauli monumentis litterarum non adorationis eo cultu adficitur, quo pater, cui veri Dei appellationem illi tribuunt? *B.* Ergóne quisquam poterit vniuersè receptam Ioannis epistolam subuertere, quæ in extremo clamat: Iesus Christus hic verus Deus est, & vita æterna? Et alio quodam loco de patre dicit, Deus est lumen: neque adiicit vocem, Verum. Ergóne dicere audeamus patrem nõ esse verum Lumen? *A.* Satis abs te Patris & Filij demonstrata est æqualitas. Quamobrem quod reliquum est, cupimus etiam de Spiritu sancto fateri opera tua, verum hunc Deum dici. *B.* Id verò Filius ipse nos abundè docet, quum ait: Ego si abiero, veniet ille, qui Spiritus est veritatis. *A.* Atqui litteræ sacræ Spiritum creatum esse significant, quum aiunt: Qui solidum efficit tonitru, & spiritum creat. *B.* At nõ heic de diuino Spiritu sermo est. Nam spiritui creato sancti appellatio non adiicitur, sed nudè dicitur: Qui spiritum creat. Nimirum qui flat in hoc, vt nubes commoueat, & efficiat imbres. Per quem & tonitrus sonum fieri consentaneum est, spiritu in concauitatibus nubium intercepto, & perruptione flatúque subiecta supplodente: prorsus vti fieri videmus in auium vel iumentorum vesica, quæ tenui pellucidæque bullæ consimilis est. Hanc enim petulantes maleque morati pueri sumtam, & aëre siccatam, suo spiritu extendunt, ac deinde clanculum eam ferientes, fragoris sono circumstantes toto cum viscerum motu & imo corde perterrefaciũt. *A.* Et quî fit vt quum hiberno tempore sint iidem spiritus, immò etiam vehementiores, tonitruum tamen fragores illi non accidant? *B.* Quum nubes madidæ sunt, ac factæ molliores ob crassitiem aëris, & caliginosam humidámque aquarum euaporationem, tam quæ fontibus, quàm quæ fluuiis continentur, & terræ mistæ sunt: strepitus ille fragoris orti de perruptione nubium nequit effici. Quod quidem non vbiuis terrarum accidere solet, sed tantùm in climatibus eius hiemi plus æquo subiectis. Ac licet heic imaginem de scutica membranáve petere, quæ si à sole sint arefactæ, ne contingi quidem citra strepitum possunt. Verùm vbi maduerunt, sonum planè nullum edunt, siue adeò rumpantur, siue cõplicentur. Eodem modo si quasi luteus sit crassusq; circa terram aër, exaudiri non posse fluidum laxumque sonum illũ tonitrus arbitror. Debetis igitur existimare, litteras sacras dicere, spiritum illum ventosum à Deo creari: qua ipsa de caussa vox hæc tonitrui coniuncta est. *A.* Quando rectè nos de spiritu erudiisti, petimus vti de filio quædam adiicias. Quod enim sacris in litteris perscriptum legimus: Dominus me creauit, initiũ viarum suarum, ad opera sua: id de Filio plerique dictum volunt, esse videlicet hunc creatum, ac patre posteriorem. *B.* Etiam ipse de filio dictũ illud accipio, non tamen de ipsius diuinitate: sed de carne, quã ex Maria sumsit. Increatus enim respectu diuinitatis, eius ratione creatur, quod adsumsit. Nec enim litteræ sacræ de patre sic loquuntur, Qui creat hominibus vnctũ suum: sed, Qui annuntiat hominibus vnctũ suum: Deum scilicet illum verum, immutabilem, non creatum, coæternum patri, & cum eo subsistentem ante sæcula, de quo Ioannes clamat, Qui est in sinu patris: & qui Mosem Pharaoni dicere iubet: Non is, qui conditus aliquando est, de sententia stolidorum quorundam & insipientium: sed, Qui est, ad te me ablegauit. Ipse denique de se per Paulum ait, Christus qui est Deus supra vniuersa. *A.* Immò de patre scripsit hoc Moses, Qui est, ad te me ablegauit: non de Christo. *B.* Equidem à vestra caritate peto, ne sacrorum Euangeliorũ falsarij sitis, in quibus ipse Dominus hoc diuinitus protulit: Moses de me scripsit, & mihi testimonio est. Igitur & pater est Existens ille, & filius existit cum patre, de patre genitus, nõ confusus cum patre, non existendi principium habens: sed existens cum patre, tanquam natiuus filius.

Altera obiectio: Christus non appellatur verus De⁹.

III. An Spiritui Sãcto veri Dei tribuatur appellatio.

IIII. Obiectio, ex phrasi sacrarum litterarum. Tonitruum caussæ naturales.

Cur hieme nulla tonitrua.

V. ex Prou. Salomonicis.

VI. de libro Ex hodi.

Nec

A Nec enim vnquam æuum aliquod, vel tempus, vel temporis articulus fuit, quo filius non existeret. Cætero, qui num & ipse pater erat alterius se prioris patris? Quapropter simul patrem profiteberis, & mox cum patre vnigenam dilectissimúmque filiũ. Nam qui se patrem honore putant adficere, si dicant eum prius exstitisse, prorsus impii propterea sunt, quòd tempus ante sæculorum opificem Christum statuãt. Etenim apud Deum nec æuo locus est, nec tempori, nec dierum conuersionibus, nec puncto, nec minutis, nec oculi momento: sicuti nec informare secum mens vlla Trinitatis ineffabilis æternitatẽ potest. Quippe si dicas, fuisse patrem aliquando, quum filius non existeret: cuius erat obsecro pater, quum filium nõ haberet? Quòd si negas eum patrem esse, simul ipsam eius naturam in vniuersum tollito. Quapropter credendum, esse filium eiusdem essentiæ cum patre, non cum essentia patris B confusum, quemadmodum Sabellius delirabat. Nam horum alterum significationem personæ ac substantiæ habet, alterum planè blasphemum est: quando ea ratione Filius & Spiritus cum patre commiscentur, ac Trinitas in vnitatem resoluitur, quod omnino diuinis à legibus est alienum. *A.* Quantum nos quidem deprehendimus, veneratione dignissime pater, tres esse Deos statuis. quò si exorbitabimus, in multitudinem incidemus. Eáque ratione fiet, vt nos doceas colere non vnũ principem Deum, sed multos. *B.* Ego verò quum tres personas statuo, nõ diuinam naturam diuido: sed vnitatem eius confitendo, Trinitatem supplex imploro. *A.* At quum Deum patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum dicis, manifestò tres Deos doces. *B.* Immo Trinitatem profiteor vnius & eiusdem essentiæ, potestatis ac diuinitatis eiusdem, quæ non augescit, vel deminuitur, vel deficit, nec inC cremẽtum numeri recipit. Quanquam enim Sermoni placuit cum carne vniri, numero tamen Trinitatis haudquaquam aliquid addidit. Quapropter vnicum est in Trinitate signaculum atque salus, & nihil in eadem creatum. Quippe si pater est increatus, filius autem creatus, itémque spiritus, de sententia fabularum Arii, reliquorúmque dementium: quónam quæso pacto creatis increatum coniunctum est & copulatum, ita vt pari honore gloriáque cum eo adficiatur in obsignatione * perfectionis illius arcanæ? quasi videlicet pater salutem largiri non possit, ac propterea creata duo, quorum ope vteretur, adsumserit. *A.* Quòd si ergo tres sunt Trinitatis personæ ac tres hypostases: omnino sequetur, hypostasim personam, ac personã vicissim hypostasim constituere, qua ratione tres Dii significantur: id quod Apostolus refellere volens, in hæc verba scripsit: Vnus Dominus, vna fides, vnum baD ptisma. Et ante ipsum Moses ad Israëliticos inquit, Dominus Deus ille tuus, Dominus vnus est. *B.* At præter Mosem & Paulum etiam Cheruborum Seraphorúmq; vocem illam audiamus, qua citra intermissionem clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Nam hoc non vel bis, vel quater animalia illa spiritualia diuinóq; numine plena proferunt, non item semel tantùm efferunt, vel Sancti, Sancti, dicunt, ne quod vnicum est, plures appellationes habere declarent: sed tribus sanctitatem perpetuò tribuũt, & singulari nihilominus vtuntur numero, ne Deûm multitudinem in animos rudiorum inserant. *A.* Quid igitur sibi vult, quod perscriptum legimus, Spiritus scrutatur etiam Dei profunditates? Si Trinitas vnius & eiusdem est essentiæ, si vna cognitio, voluntas vna, diuinitas vna, nec quidquam in ea creatum vel inæqua-le: quo tandem pacto scrutari spiritus profunditates Dei, tanquam eas ignorans, diE citur? Quippe si eas cognitas habet, perscrutationis haud indiget: quum scrutari, sit ignorationis. *B.* At non scrutatur ex ignoratione vel curiositate, quemadmodum furens ille Macedonius tradit, sed natiua quadam ipsi proprietate. Nam quum diuinus ille sanctissimúsq; spiritus est in egregiis & sanctis hominibus, sic eos instruit, vt profunditates Dei scrutentur, de faciliore ac obuia cuiuis litterarum sacrarum indagatione subuehens ipsos ad sensum quendam sublimiorem, dum in perscrutatione rerum diuiniorum quasi ad fundum mens penetrat, pérque spiritus hamum de huius vitæ gurgite piscem animi educit, continentem ore staterem illum maximi pretii, adeóque Christum seruatorem omnium. Sic enim & apostolus ille princeps pro seipso & Christo animæ piscem iis, qui exigebant, dare iubetur, habentem stateram Christum, & fidei doctrinam in ore, profectámq; de profunditate cordis

ὁμοούσιος & συνούσιος.

VII. num tres Dii.

*hoc est, in baptismo.

VIII. obiectio.

IX. obiectio ex Paulo.

subuectionem & laudem. Ex profundis enim, inquit, clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Sed & eximius ille apostolus: Nos, inquit, spiritum Dei accepimus, vt sciamus quæ à Deo donata sint nobis. Atque iterũ inquit idem: Nobis autem Deus reuelauit per spiritum suum. Et rursus diuinorũ carminum auctor Dauides: Os meum (inquit) aperui, & spiritum attraxi, nempe non aërium, sed diuinum, per quem abscondita de aduentu vniti cum Deo hominis mille iam ante annos luculentè declarat, canens Deo: Obscura & abscondita sapientiæ tuæ nota fecisti mihi. *A.* Si filius est Deus, & æqualis Patri, quomodo ignorat ea, quæ nouit Pater? At verò ipse in Euangelio inquit: Nemo nouit diem, neque horam consummationis, neque angeli cœlestes, neque filius, nisi solus Pater. *B.* Solet humanis vti similitudinibus sacra scriptura, & de rebus naturalibus sæpenumero quædam petit, vt quum in Euangelio inquit Dominus: Simile est regnum cœlorum fermento, & grano sinapi. Paulus item ille sublimis, corpora (inquit) cœlestia sunt, & corpora terrestria. Et de rebus naturalibus sumtum etiam illud, quod ad Corinthios scribens, tibiæ citharæque meminit. Iccirco & ipse nunc à rebus nostris petita exili quadam similitudine vtar. Num ignoraret mea ratio consilia mea? nullus hoc eorum, qui vel qualemcunque disciplinam consequuti sunt, dicet. Quomodo igitur Dei & Patris Sermo ignorabit eius consilia? quum dicat ipse, omnia quæcunque habet Pater, mea sunt: nempe, quòd Deus est vita, quòd est lux, quòd est immortalitas, quòd est incomprehensilis. Et alibi ait, Omnia mea tua sunt Pater, & tua mea sunt. Si igitur omnia, quæ Patris sunt, ipsius sunt: etiam cognitio, quę Patris est, omnino ipsius est, itémq; spiritus, vt paulo pòst latius dicetur. *A.* Num igitur, si dixero, Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, etiam cognitionem habeo Patris, & consilium eius noui? *B.* Meritò interrogem & ego vos ô præclari. Quis maior: num dies & hora illa, an Pater? *A.* Pater vtique, qui est absque principio, & sæculis omnibus prior, & incomprehensilis, & omnium conditor. *B.* Si ergo maior Pater, quàm hora & dies ille, & quidem maior omnibus: quomodo maius cognoscens filius, ignorabit minus? qui & conditorẽ cognoscit, & operatur cum ipso in omnibus, quomodo ignorabit à se facta? Quemadmodum, inquit, nouit me Pater, etiam ipse noui patrem. Quomodo igitur ignorabit minus, qui nouit id, quod maius est? *A.* Atqui nos arbitramur etiam filio maiorem esse patrem, quemadmodum inquit ipse: Pater meus maior me est. *B.* Non satis piè putatis maiorem esse Filio Patrem, vel ambitus ratione, vel molis, vel temporis, vel dignitatis, vel roboris, vel diuinitatis, vel magnitudinis, vel excellentiæ. Nihil enim eiusmodi in sancta Trinitate locum habet: sed quatenus Pater Pater est, legitimo quodam honore Filius Patrem adficit. Nõ enim mole quadam gestatur diuinitas, vt mole superet Filium Pater. Neque tẽpori subiacet vt prior tempore sit genitor genito. Neque item sublimitatis habita ratione separatim ponitur Pater, qui omnia cõplectatur, ipse à nullo comprehensus, expers magnitudinis & quantitatis. *A.* Si igitur æqualis Deo ac Patri Filius est, & bonus quemadmodum ille, quomodo inquit ipse, Nemo bonus est, præter vnum Deum? *B.* Non quòd neget in semetipso bonitatem, neque de diuinitate se eximens, solum inquit bonum esse Deum & Patrem. Summi nimirum amoris & bonitatis euidens argumentum est, non sibi sed Patri deferre honorem, quo ipso nos amore parentes prosequi debere docet. Nam spõte de se modestè loquens, non inanem captat gloriam, neque dignitatis existimatione effertur, vt solent superbi & arrogãtes, qui tenue ac obscurum imperium nacti, eo ipso ad inamabiles mores, & omni à comitate in congressibus alienos per vocem præconis elati, immanem quandam in ferã mutantur, ideóque non ex mansuetudine ac humanitate perpetuæ gloriæ potestatem metientes, odium in sese non abs re concitabunt. Quòd si temerè quoduis bonum deificabitis, plurimos in hac parte Deos habituri sumus, multis in locis clamante scriptura sacra, secundum Deum & alia quædam esse bona: verbi gratia, quum quodam ait in loco, bonum fuisse puerum, & sapientem Samuelem: alibi verò, Bonus erat Saulus Cisi F. primus rex Israëliticorum. Et Annæ propter orbitatem ac sterilitatem ingemiscenti dicebat Elcana: Quamobrem mœsto es animo? Nónne bonus tibi sum ego præ decem liberis? Sapiens autẽ in diuinis Solomo: Bonum est, inquit, in do-

X. obiectio de die ac hora extrema, quam filius non norit.

A B C D E

A in domum luctus ingredi. Et alibi dicitur: Aperi cœlum, thesaurum tuum bonum. Item Bonus sermo præstat munere. Item, Bonus canis qui viuit, potior est leone mortuo. Quòd si leo maximè viuat, non tamē Deus erit, sicuti nec canis quidem viuus: nisi fortè de ethnicis loquamur, apud quos & fontes, & cepæ, & flatus ventris non sine furore quodam inter Deos referuntur. *A.* Quia suprà pollicitus es, te latius dicturum de eo, quòd Christus norit diem illum, & horam consummationis: rationem eius nobis reddito, ne quando disputantibus nobis, alio quodam modo nos superare queant, qui se nobis opponunt. *B.* Est quidem iam de hoc breuiter dictum: sed nihilominus magnifacio vestram multiplicem de eo quæstionem. Sanctus ille Sermo, viuens, & per se subsistens, Rex vniuersæ creaturæ, Patris Filius genuinus, splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ, coæternus, & in eodem sedens solio cum Patre, incorruptus iudex viuentium & mortuorum, vita de vita, lu-
B men de lumine, sapientia de sapientia, ex diuina scaturigine fons perennis, flumen quod absque defectu manat diuinis gratiæ donis, quod impetu suo lætificat ciuitatem Dei, sicut est in carmine illo diuino perscriptum, radix Iessea, sceptrum Dauidis, virga, & ortus ex ea diuinus ille flos, secundum vatem sacrum Esaiam leo, Rex de tribu Iudæ, secundum mysteriorum doctorem Mosem, Rationalis (secundum Esaiam) ouis, innocens agnus (secundum Ieremiam in multis periclitatum) pro salute mundi immolatus, lapis improbatus à Iudæis, qui in caput anguli ecclesiæ gentium est positus, & totam cœtus eius structuram conseruat, secundùm Dauidem diuinorum carminum auctorem, maximi consilii nuncius, Deus fortis, vt inquit Esaias, mortalis factus, manens Deus, non immutatus ratione naturæ, neque factus
C alius secundum diuinitatem, Sermo ille incarnatus, & carne genitus, Sermo caro factus, qui tamen quod erat mansit, non in hoc degenerans ratione naturæ: (postquàm enim intonuisset Ioannes, In principio erat Sermo, omnémque personuisset creaturam, infert: Et Sermo caro factus est, quibus verbis Sermonem fuisse ante æternitatem, & positum supra omne tempus Deum, in eadem solii gloria cum Patre ostendit, & subsequētibus aliis, quum ait, Caro factus est, significat vniti cum Deo hominis ex Maria semper virgine progressum) viuens igitur ille, sanctus, & per se subsistens sermo, loquens & audiens, in Euangelio diuinitus illa verba protulit: Nemo nouit diem aut horam illam, nec angeli cœlestes, neque Filius: & quidem ratione administrationis suæ, ac secundum peculiarem sensum ea protulit. Hac enim de caussa superius à nobis dictum est, si omni magnitudine & comprehensione perce-
D ptionéque superiorem Patrem cognoscit, quomodo diem & horam illam nesciret, quæ sunt instar auræ puluerísque cuiusdam, aut etiā leuioris & tenuioris rei, si cum natura numinis illius diuini comparentur? præsertim quum disertè dicat: Nemo nouit patrem nisi filius, neque filium quisquam cognoscit, nisi pater. Vt enim magnus ille pater nouit filium, vtq; maximus ille filius nouit genitorem: ita & æqualis magnitudine spiritus ille sanctus nouit patrem & filium, ab vtrisque cognitus. De duabus autem cognitionibus, duplicique notitia sacris in litteris docemur, quarum alia quidem secundum actum, alia verò secundum faciem existit: quemadmodum obscuris exemplis vtens funem ignorationis abrumpam, ac vos à sectarum blasphemo agmine reuocabo. Sic enim captos à versuto Beliale mortales, vicissim captiuos sibi reddit Christus, exaltatus in cruce, secundum Dauidem vatem diuinum. Præuidebat enim sanctus ille vir salutarem passionem & captiuitatem nostrā,
E & iccirco inquit: Adscendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem, dedisti dona inter homines. quæ'nam illa? Fidem in Trinitatem, & rerum mysticarum sacram administrationem, & spem resurrectionis. Subiicit autem rursus canticum diuinū: sed & inobedientes ad habitandum. Quidnam, & vbi? Eos qui sunt ex Iudæis, & gentibus in sancto habitaculo ecclesiæ. Inobediens enim ille, terrificus & discerpens Christianos lupus erat Paulus, qui nunc ecclesiæ columna est, altisona fidei tuba, qui aliquando malè persequebatur, rectè conuersus spontanea voluntate pro iis qui persequutionem patiuntur flagellatur, percutiens virgis cæditur, interfector pro occisis lubens capite truncatur, per auditam cælitus vocem & oculorum plagam conuersus, pro Saulo Paulus, à redemptore Christo deinceps nominatur, vt

gentibus Christianorum nomen inderet. Sed enim ad propositum sermonem recurramus, acriore mentis adspectu vtentes ad considerationem duplicis cognitionis & notitiæ. Inquit igitur scriptura sacra de Adamo & Eua, quòd postquam eiecti essent è paradiso, degustato fructu interdicto, cognouerit Adamus Euam vxorem suam, quæ fœtu cõcepto, pepererit. Quid igitur dicemus? an quòd in paradiso non cognouerit eam, qui de ipsa dicebat, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea? Omnino cognouit eam, illic quidem solo adspectu, heic autem & adspectu & actu corporali. Sic etiam Abrahamus cognouit Saram vxorem suam, non incognitam ante commistionem. De Dauide perscriptum est in libro de Regnis: Consenuit Dauides, & operuerunt eum vestibus, nec tamen calefiebat. Igitur quærebant virginem, quæ cum ipso dormiret, & foueret eum. Et inuenta est Abysa Sunamitis, quam nõ cognouit Dauides dormientem secum. Num igitur propter hoc dicemus, quod neque adspectu neque attrectatione cognouerit eam? sæpe autem nos quoque dicimus ad eos, qui nobis propter mulieres crimen intentant, deuouentes nosmet, ac iureiurando purgantes, non nouisse nos, sit'ne mulier illa, vel vir. Id quod actus quidem ratione dicere verè posse videmur, ex voce tamen & adspectu haud obscuram habemus maris vel fœminæ cognitionem. Non ignorat igitur filius diem & horam illam, quum omnia eius signa, prodigiáque terribilia prædicat, & quasi præsentem suis indiciis describat: verùm noluit clarius respondere ad vanam illam quæstionem, adeóq; prudenter omnibus vt ignota esset instituit, quò nimirum quamlibet diem & horam illam esse arbitrantes, ad eam præparemur, & sobriè exspectemus ipsum venientem ad compensationem atq; remunerationem certaminum huius vitæ. Absit igitur procul ea dementia, quæ ignotionem vnius diei & horæ quodam cum delicio tribuit conditori sæculorum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, quemadmodum sanctus ille Apostolus loquitur. *A.* Quid igitur? num aliter illam cognoscit Pater, & aliter Filius? *B.* Non aliam quidem dicimus cognitionem Patris, aliam verò Filii & Spiritus: sed aliud quidem actu præteritum, aliud verò in futurum reseruatum. Cognoscit enim pater illam horam duplici cognitione & actu, alia quidem quòd tanquam opifex crearit, alia verò quòd decreuerit per vnigenitum filium iudicare omnes. Cognoscit autem ipsam & filius æqualiter cum genitore, secundum scientiam & actum creationis, non tamen iudicii. Nondum enim iudicium exercuit, secretis iis, qui vel inextincto igni, vel voluptati æternæ destinati sunt: id quod non ignorãtiæ, sed longanimitatis est, correctionis tempus flagitiosis præbentis. Quo quidem tempore quotquot à turpitudine non purgantur & euigilant, eorum miseriam decantans & deplorans Dauides inquit: Mutuum accipit peccator, & vsuram non persoluet. Tempus heic scilicet diuinæ longanimitatis significans, ac persolutionis voce intelligens pœnitentiam. Iterúmque diuinorum carminum auctor subiungit, Iustus autem miseretur, & dat. Quibus in verbis Deus est qui dat, tempus autem pœnitentiæ est id, quod datur. Mutuum enim dans Deus hominibus, vel rarò, vel vix, vel nunquam recipit, vsque ad finem debitoris exspectans persolutionem. Mutuum autem accipiens, propter proximos misericordiam rursus multiplicans retribuit: quum citò quidem benefacere, tardè verò punire consueuerit. Nũc enim adhuc impii oderunt Deum, & increduli in diuinis operibus claudicant, neque vlla alia re mentis gressus firmant, adeóque iniquitas superat, & iudex longanimis est, vsque ad secundum ad nos aduentũ, qui est diei & horę illius, nimirũ iudicii exercendi cognitio. *A.* Quomodo verò inquit ipsa, Ad Deum meum & Deum vestrum, & patrem meum & patrem vestrũ? quo ostendit se non æqualem esse patri, quum inquit, Vado ad Deum meum. *B.* Nequaquam recidat eò mens nostra, vt putemus minorem esse patre filium, offensa hoc verbo, quod ratione administrationis vniti cum Deo hominis dicitur. Non enim ante hoc tempus eum constat sic loquutum esse in scriptura veteri, quum adhuc esset incorporeus: Vado ad Deum meum. Immò etiam carni vnito diuinitas nihilominus à vatibus tribuitur. Esaia quidem clamãte: Puer natus nobis, & datus est, cuius imperium fuit super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Magni consilii nuntius, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Dominator, princeps pacis,

A pacis,pater futuri æui. Dauides autem secundum vniti cum Deo hominis aduentum canit, quo ad iudicium & retributionem omnes excitabuntur: Deus noster manifestò veniet,Deus inquã noster, nec tacitè id fiet.Ignis præcedet ante ipsum, & in circuitu ipsius vehemens procella,impellens ad supplicium reos,quos terribili & incorrupto sistet tribunali eius qui supra omnia existit, Dei scilicet ac seruatoris nostri Iesu Christi. Meritò igitur propter administrationem[in corpore suam inquit,Vado ad Deum meum. Propter eam verò, quæ secundum naturam diuinæ ex patre generationis est, Vado (inquit) ad Patrem meum. Deus igitur ille discipulorum est,& Pater filii secundum naturam: & Deus idem filii secundum carnem, ac pate discipulorum secundum gratiam. *A.* Et quî fit,vt de patre sit scriptum,Non esuriet,non sitiet,neque est inuenire sapientiam eius: de filio autem, quòd esurierit B post quadraginta dies,tentatus in deserto? Et quòd sitierit,dum peteret à Samaritana potum. Iterúmque de patre: Non lassabitur,non dormitabit, neque dormiet custos Israëlis. At Iesus defatigatus est ex profectione,& dormiuit in naui:quæ vtique Deo non competunt. *B.* Apage sis cum hac tua dementia mi homo. Nõ enim esurire modò sustinuit, per se subsistens ille, viuus sanctúsque Sermo: sed & passus est adsumta nostra natura,in qua & sepulturam subiit. Primũ flagellis cæso dorso,constrictus vinculis ad Herodem missus est à Pilato. Deinde colaphis in maxillas cæditur, & conspuitur. Sed & fleuit, & in angore constitutus sudauit, fuítque sudor eius tanquam guttæ sanguinis. Et apparuit angelus qui corroborabat eum, inquit diuinus ille Lucas. Quinetiam velut ignorans de Lazaro quærebat, Vbi posuistis eum? Et de muliere profluuio sanguinis laborante, quæ clam per tactum fimbriæ C abstulerat sanitatem, Quis me tetigit? inquit. Et ad Iudæos qui ipsum comprehensuri erant, Quem quæritis? ait. Et ad discipulos, Quem me dicunt homines esse? Item, Quot panes habetis? Quum nihil horum ignoraret, sicut exitus ipse rerum declarat, in Lazaro primùm, quòd eius mortem prædicit, quo de apertius paulo pòst disseram, quum ad finem orationis me tempus compulerit: in muliere sanguinis profluuio laborante, contrectationis ipse sensus,& copiosum diuinæ potestatis auxilium: in comprehensoribus, impetus & accessus caussa, & horæ illius propinquitas, item quòd interfectoribus dicit, Ego sum: in eo quòd quærit, quis hominibus esse videretur,hoc ipsum, quòd Petrum ob exactissimam firmissimámq; confessionem beatum prædicat: in panibus, de exiguis & paucis ingens multitudo reliquiarum. Quum enim quinque tantùm essent, quinquies mille ad satietatem pauerunt,ac præterea duodecim cophinos fragmentis repleuerunt, postquàm D turba epulata erat, contactu & fractione illius aucti, qui in principio terræ mandauerat,vt triticum produceret,& aquis vt produceret omne genus natatile, ac quicquid ex eis nascitur. *A.* Quòd si perfectus Deus est Christus, quomodo inquit Euangelista, Puer Iesus crescebat ac spiritu confirmabatur, & proficiebat tam sapientia quàm ætate? Deus certè non crescit, neque proficit sapientia, neque confirmatur, vt antea infirmus. *B.* Qui est sapientia,& potentia Dei & Patris,vt inquit sanctus ille Apostolus, per dispensationem nostri similis incedit, voluntaria demissione, sapientiam docens mortales, qui Adami plantauit aurem. Paulo autem superius oratione repetita,dilucidius ipsum demonstrabo Deum, qui citra conuersionem & immutationem vllam propter nos mortales infans sit factus, & incrementum acceperit corporis, non diuinitatis. Dicit igitur multa perpessus ille vaE tes Hieremias: Homo est, & quis cognoscet ipsum? quo innuit, ipsum Deum esse, qui tamen ignoretur ab iis, qui crassiore sunt intellectu, neque possunt per incredulitatem capere cognitionem eius, veluti qui oculis ægri sunt, per imbecillitatem adspectum solis tolerare nequeunt. Si verò homo erat, quomodo non cognoscebatur, quemadmodum nos? Omnis enim homo planè cognoscitur aut ex parentibus,aut ex cognatis & consanguineis, aut denique ex contubernalibus & domesticis. Ex nullo igitur eorum, quæ in nobis sunt, vates ipsum exprimens inquit: Homo est,& quis cognoscet eum? Quoniam quum Deus esset,hoc tamen fieri voluit,famem & sitim æquè admittit, quæ sunt corporis adfectiones expertes vitii ac reprehensionis,Manichęorum hoc ipso vanitatem refutans,qui opinionem & rem

imaginariam esse statuunt ipsius in carne administrationem. *A.* Num animam tradis habere, corpus Sermonis, vel pro anima in ipso operatur diuinitas? Hoc enim multi adserunt, & verisimile videtur. *B.* Stoliditatis & dementiæ est, inanimatum putare Dei Sermonis corpus. vtrisque enim, quibus humana natura constat, Sermo vnitus est supra captum rationis nostræ, animæ inquam & corpori, vtrique parti robur suppeditans. Alterutro enim si careat, inutile erit & alterum, & imperfecta salus nostra, dum vel manente in interitu corpore, vel anima detẽta in orco. *A.* Quãobrem ergo Ioannes id non indicat? Postquàm enim dixisset, In principio erat Sermo, & Sermo caro factus est, non addit, quòd etiam anima factus sit, aut quòd animam sumserit. *B.* Si inanimatum esse cogitabimus Domini corpus, sequetur prorsus, passioni nos obnoxiam pronuntiare diuinitatem, animæ instar in carne sedidentem, famem, sitim, somnum, lacrymas, angorem, sudorémque naturaliter perferentem. Audiatur autem Dauides diuinus ille vates, de anima personæ ex homine Deóque constantis canens illius ipsius verbis: Quoniam non derelinques animam meam in orco, neque permittes vt sanctus tuus videat corruptionem. Ipse verò Seruator inquit in Euangelio: Potestatem habeo ponendi animam meam, & rursus sumendi eam. Item, Ego sum pastor ille bonus, qui ponit animam suam pro ouibus. *A.* Num igitur & Pater animam habet? Esaias enim in ipsius persona de Christo inquit: Ecce seruus meus, quem elegi, dilectus meus, qui gratus & acceptus est animo meo. Si igitur ex iis, quæ filius loquitur, animam ipsum habere putas: omnino etiam ex iis, quæ loquutus est pater, animam habere ipsum dixerimus. Quòd si pater non habet, nec filius habebit. Sin autem habet, de hoc ipso liquet, quòd patri sit inæqualis. *B.* At non habet animam pater, quòd neque carnem humanam subiit cum filio, neque crucem & mortem, propter quæ Sermo carne opus habuit, vt illa adsumta pateretur, ac pro mortalibus immortales & æternùm beatos homines efficeret. *A.* Sed quare non apertè Ioannes & de anima dixit, quòd adsumserit eam, sicut dicit de carne? *B.* Num ergo, quia dicit scriptura, quòd fecerit Deus hominem, accepto de terra puluere, nec addidit, quòd fecerit caput, aut cerebrum, aut hepar, aut splenem, aut pulmonem: non quòd cætera denique naturalia in nobis arcana fecerit, ideo priuatos esse, & illis carere nos putabimus, quia non quæuis minuta nostræ naturæ organa litteræ sacræ recensent? vt igitur in consideratione nostri ex parte totum cognoscitur: sic & sanctum Deum Sermonem tam animæ, quàm corpori vnitum esse credamus, ne inanimatum diuinum illud corpus arbitrantes, Deo quasdam adfectiones naturales tribuamus. *A.* Sed quomodo æqualis patri secundum diuinitatem est Christus, angori & sudori obnoxius, & ab angelo confirmatus, quemadmodum de ipso Lucas inquit, de quibus suprà quæstione mota, eorum declarationem præteriisti. *B.* Per hæc manifestò docemur, non imaginariè, nec hominum opinione, sed reipsa potius nobiscum vnitum esse viuum illum & per se subsistentem sanctum Deum Sermonem, excepto solo peccato atque vitio, quæ cadere diuinam in naturam nequeunt. Nam angi animæ, sudare verò corporis esse dicimus: sanguineas autem guttas è carne efferuescentes puto per emanantem liquorem, infusum nobis per aures venenum serpentis in transgressione diuini in paradiso præcepti, per vnionem Dei & Sermonis à nostra natura abstergere: ne amplius sacrificiorum nidore, & sanguine, filiorúmque mactationibus à nobis colatur auctor ille malorum dæmon. Neque angelus corroborare, suúmque creatorem confirmare mihi videtur. Quomodo enim famulus Dominum confirmaret, aut spiritus rupem corroboraret? Nam rupes erat Christus, inquit diuus ille Apostolus. Et rursus, Qui facit angelos suos spiritus. Item, Absque omni controuersia, minus à maiore benedicitur & confirmatur. Ex quibus meritò intelligatur, propter nouum & inauditum miraculum victoriæ Christi, quod sequuturum erat, victorialem quandam speciem angelum exhibere, Mosis legislatoris verba reipsa declarantem, qui ante mille & plures annos exclamat: Exsultate cœli cum eo, quoniam id quod deiectum erat ad superna reduxit, & adorent ipsum omnes angeli Dei, quum sua loca hominum accessione augeri cernant. Exsultate gentes cum

A cum populo eius, & quotquot ex gentibus Enocho, Noë, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iosepho, Dauidi, Christo, & ecclesiæ sunt additi. Quoniam sanguis filiorum eius, inquit, vindicatur, & vindicabit, & retribuet vltionem inimicis, & odio prosequentibus ipsum retribuet, & expurgabit Dominus terram populi sui. Sed & eximius Apostolus victoriosè in Christo se confirmans inquit: Christus est Dei potentia, & Dei sapientia. Et rursus tanquam ipsi victori omnem creaturam se suppliciter summittere docens, inquit: In nomine Iesu Christi omne genu se flectet cœlestium & terrestrium, & omnis lingua confitebitur ei. Cum hoc autem consentiens filius ille tonitrui Ioannes, de Christo victoriosè concionatur, in hæc verba: Et conspeximus gloriam eius, gloriam velut vnigeniti à patre, qui plenus est gratia & veritate. Angelum autem & nos imitemur, quasi confirmantes victoriosè Christum, B tempore diuinæ illius rerum mysticarum administrationis, clamantes: Quia tua est potentia, & tuum est regnum, & potestas, & gloria. Ecce vnitatem diuinæ naturæ, nempe Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Consimilis & in gymnicis certaminibus consuetudo est, siue in exercitiis corporum ac certaminibus, vt athletæ fortes atque robusti adolescentulorum & admodum iuuenum, quibus adhuc nulla barbæ lanugine genæ conteguntur, acclamationibus excitentur & vngantur, quò vigore quodam aucti fortius in aduersarios tendant. Non quòd robur & fortitudo ab imbecillioribus suppeditetur fortibus, sed quòd certa lege & ordine consueuerint hæc præcedere. Dominij quidem certè lex est, vt à famulis heri vngantur atque colantur. legis autem plenitudo est Christus, qui omnium in vniuersum Dominus est. Angelis verò proposita lex est, vt sapientem illum conditorem & herum C suum studiosè colant atque demulceant, & ab eo iuuentur, non cum ipsi iuuent. Nam si illorum robore indigeret, multo magis in deserto, dum quadraginta dies à diabolo tentaretur, indiguisset. Verùm id sacris in litteris nusquam traditur. Angeli enim accedentes, non auxiliabantur, sed ministrabant ei. Id quod euidenter illius quidem dominium, horum autem subiectionem demonstrat. Secundum hanc igitur rationem expositam intelligantur ista de angelo. Neque enim sancti illi cherubi quippiam sanctitatis addentes in cœlo sanctæ Trinitati sine intermissione, Sanctus, sanctus, sanctus, exclamant: neque itidem dum nos in hymno sanctissimo canimus, Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, vel sanctitatem aliquam, vel fortitudinem, vel immortalitatem diuinitas recipit. *A.* Satis de iis, quæ à nobis explicare iussus eras, edocti sumus: quod reliquum est, rogamus vt D insipientum quorumdam voces subuertantur. Dicunt enim, Seruatorem ignorare Lazari sepulcrum, & mulierem profluuio sanguinis obnoxiam, quũ fimbriam tangeret, non sensisse. Præterea quòd neque perfectus fuerit Deus. Proficiebat enim, & confirmabatur sapientia, & ætate, & gratia, vt inquit Euangelium. *B.* Nolite committere, vt quæ ratione administrationis in carne ab ipso dicta sunt, vobis occasionem blasphemiæ præbeant. Nempe, Vbi posuistis ipsum? aut, Quis me tetigit? aut, Quem quæritis? aut, quòd puer creuit, & corroboratus est, & proficiebat sapientia & ætate. Nihil enim horum ignorationis crimen impingit ei, qui propter nos similis nostri factus est Deus sermo. Pater enim meus, inquit, vsq; ad hoc tempus operatur, & ego operor. Non quòd deficiat quidquam in condito à nobis vniuersitatis huius opificio, quasi imperfecta sint creata sub adspectũ cadẽtia: sed opera- E ramur, eam quæ consentanea virtuti est, vitam hominibus suggerentes cum Deo patre nostro, ídq; per eos, qui ab ipso iam ex conditione deteriori confirmati sunt in meliorem. Pater idem interrogabat primum parentem nostrum Adamum, postquam deliquisset, Vbi es? Non ignorans ipsum latebras conatũ quærere, vel quod oporteret terrore percelli transgressorem: sed quasi ridens ac subsannans clandestinam ipsius subductionem, & temerarii consilii stoliditatem, quòd mox post fructus vetiti degustationem occultare se vellet. Itaque compellat ipsum is, quem nihil latere potest: Vbi es? Tu qui putasti futurum, vt consilio serpentis Deus euaderes, vbinam es? Qui incredulus fuisti Deo, & credidisti inimico, ne te abscondas, inquit: nõ enim ignorat, te immortalẽ & beatã vitam exuisse. Similiter igitur & filius, vbi clausus iaceret Lazarus, nõ ignorabat. Nam ea de caussa iam totũ ante biduum,

priusquam in Lazari patriam Bethaniam perueniret: Lazarus, inquit ad comites itineris, amicus noster dormit, & vado vt excitem eum, qui iam ante totos quatuor dies mortuus fœtet. Quomodo igitur is, qui ante accessum locorum, ea quæ in iis locis acciderant norat, postquàm corpore ad illa peruenit, ignorabat quæ præcognorat ipsius diuinitas, secundum quam implebat vniuersa? Nimirum certo quodam consilio quærebat, vt ea occasione ipsum demonstrarent Iudæi ad sepulcrum congregati, iidémque testes fierent resurrectionis eius, qui fuerat mortuus: quo pacto illius, cuius sudario caput erat obligatum, facies amictu lintei tecta, pedes vinculis sepulcralibus cōstricti, iam per caluariam cernentis, ore diducto corrupti, lingua oculísque diffluentis, quo igitur pacto huius anima per vocem opificis eminus attracta in corpus illud, quod reliquerat, rursus immigrasset? Quomodo item conuolutis pedibus exsiliens sepulcro, egressus esset, dum illæsus & nulla corporis parte mutilatus cernitur, per vocem Sermonis corroboratus, eóque ad egressum auxiliatore vsus? Videtur autem mihi, ipsam quoque mortem quodammodo commoueri ad velocissimam istam excitationem, ne quando per cunctationem altera voce Sermonis audita, mox vniuersos apud se degētes soluere cogeretur, quale quiddam post sex dies accidit infelici, quum is qui ad reuiuiscendum vocat mortuos, ad mortem accederet, secundum diuinorum vatum Iobi & Esaiæ prophetiam, ante mille annos luculentè clamantium: Ingressus es mare, & ambulasti in vestigiis abyssi, aperiuntur tibi cum terrore portæ mortis. Custodes ianuæ orci te videntes exhorruerunt. His autem consentiens diuinorum carminum auctor Dauides inquit: Cantate Deo, psallite ipsius nomini, viam parate ei, qui ingreditur ad occasum. Dominus nomen ei. Viam autem nos ipsos Domino parare docemur, domúmque facere per sanctam viuendi rationem, numen ad nos velut in sacrarium recipientes, mansio & templum ipsius facti, vt in Euangelio & Paulo diuinitus ipse docuit. Et intelligi per occasum potest natura nostra, & ærumnosa huius Mundi regio, quæ vitiorum voluptatibus obumbratur. Intelligi etiam potest orcus. Atque in his immaterialis & vmbra carens illa lux irradians, omnia meliorem in statum redegit & transformauit. Naturam reparauit mundo illustrato, & orco spoliato, quo mitescat, & detentos apud se dimittat. Atque hoc quidem aliquo modo tectè mihi videtur innui à Dauide. Verba autem Iobi & Esaiæ haud multo pòst explicabimus, nunc propter angustiam temporis ea differentes. Vterque autem id quod futurum erat, quasi iam factum pronuntiauerunt ratione conueniente, tanquam certi de vaticinii sui euentu. Secundam dispensationē igitur ignorare se simulauit, qui omnis in vniuersum creaturæ cognoscit arcana, vt per interrogationem turba excitaretur ad monstrandum Lazarum, & vt ab ipsis inimicis tanto maius testimonium prodigiosæ rei perhiberetur. *A.* Satis bene hac de Lazaro ratione percepta rogamus de muliere sanguinis profluuio laborante vt disseras, vt ex hac coniecturam faciamus etiam de cæteris interrogationibus Seruatoris. *B.* Per hanc quoque docemur, æqualem filium esse Deo & Patri, nec ob ignorationem, sed ex dispensatione certóq; consilio patrem imitando quærere. Inquit enim is ad primum homicidam Cainū, qui per inuidiam interemit fratrem, propterea quòd illius dona prælata essent, iam intus latente inuidia, & gladium cædis exacuente: Vbi est Abelus frater tuus? Non ignorans, sed cruento homicidæ occasionem pœnitentiæ suggerens. Ipse verò in amentiam versus: Num custos ego, inquit, fratris mei sum? Rursusque ipsum diuina vox redarguens inquit, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Ex quibus manifestum fit, non ex ignorantia, sed ex amore & bonitate qua erga hominem præditus est, interrogationem à Deo & patre ad crudelem homicidam institutam fuisse. Ad eundem igitur modū & filius, non quòd ignoraret, sed ideo interrogauit, ne si ipse per se miraculum indicasset, crassioribus videretur superbire: neque item ipso tacente, iacturam faceremus miraculi, certo consilio interrogatione vsus est, vt ipsa progrediens, prædicaret eius pœnæ ac mali liberationem, quæ per fimbriæ attrectationem facta erat. Inquit enim Euangelista: Videns mulier quòd latere non posset, tremens venit, & adorans congenulabat. Quin etiam ante aduentum suum in carne ignorantiam præ se ferens, inquit ad Abrahamum: Vbi est Sara vxor tua?

A Quòd si ignorasset, non sanè reprehendisset eam, quę in tabernaculo ridebat. Nam quod habetur, intra semetipsam risisse Saram, modicè ipsam risisse indicat. Confestímque trinus hospes à patriarcha susceptus, nominatim ipsam compellabat, eam quæ sterilis erat, fœcundam fore promittens. Finis autem promissionis erat, natus ex hac Isaacus. Non enim figmentum, non creatura, non præterita, non præsentia, non futura, nõ quidquid nominari vel cogitari potest, Christum latet. *A.* At quomodo ipse in ministri ordine, & in famuli numero semetipsum ponens dicit, Nemo venit ad patrem nisi per me? *B.* Verùm oportet & eam vocem, quæ huic opposita est, à Christo audire: Nemo, inquit, venit ad me nisi pater meus cœlestis traxerit eum. *A.* Sed non est idem, per me & trahere. Nam per me, eius est qui subiectus est: trahere verò, qui propria potestate cogit. *B.* Quid igitur est, quòd ad Adamum B Deus adducit animalia, vt videret qui vocaret ea, sicut inquit liber de creatione rerum? Num propterea audebis ministrum & famulum nominare Deum? *A.* Ergo si perfectus Deus erat Christus, quomodo sapientia & ætate ipsum proficere dicit Euangelium? *B.* Non debemus illa applicare diuinitati. Secundum illam enim neque crescit, neque deficit, non minuitur, non fit gloriosior, non maior, non insistit, non contrahitur. Proficit verò roboratus & crescens secundum naturam nostram in seruili forma. Non enim plenitudo diuinitatis imminuta est, neque secundum profectum humanum Deus factus est. *A.* Quomodo verò non dicemus creatum esse filium, de ipso in Epistola dicente Apostolo: Suscipite pontificem fidei vestræ, qui fidelis est ei qui constituit ipsum. Et, Notum sit vobis omnis domus Israëlica, quòd hunc Iesum quem vos crucifixistis, Dominum & Christum Deus fecit. Sed & Salomõ inquit in persona Christi ad Deum & Patrem: Dominus creauit me, initium C viarum suarum, ad opera sua. *B.* Quum etiam in præcedentib. de iisdem tractauerim, iisdem rursus implicari, absurditatis fuerit aut lusus puerilis. Nam quod inquit, Fecit ipsum, &, Creauit me, de carne intelligi puto. Videmus autem & similitudines non idem esse cum rebus adsimilatis. Nam in Parœmiæ volumine positum esse scimus illud, Dominus creauit me. Parœmiæ autem allusiones quædam sunt, in verbis sitæ. (Parœmia.) οἶμος enim viam in externa doctrina significat. Quapropter & allusiones, & imagines rerum sunt parabolæ. Simile est regnum cœlorum grano sinapis, inquit Dominus. Quomodo verò in grano sinapis omnium seminum minutissimo immensæ multitudines & nationes angelorum & archangelorum locum habebunt, nisi dicamus similitudine vsum esse sapientissimum Dominum? idq; vel propter humilem voluntariæ paupertatis & ad nostram tenuitatem demissionem, D per quam nobis vmbra & refrigerium fit dolorum præsentis vitæ: vel propter mediocritatem Euangelici gregis, qui erat ab initio: vel propter diuinitatis in Sermone acredinem, per quam cientur niues lachrymarum delicatis & mollib. per virtutem intellectile pœnitentiæ sinapi participantibus: quo & diuinus vates Dauides se satiatum canit: Lauabo singulis noctib. lectum meum, lachrymis meis stratum meũ rigabo. Et rursus, Decursibus aquarum submersi sunt oculi mei vel propter futurum diuinum iudicium, quod acerbum superueniet ijs, qui superati sunt à vitiis, quẽadmodum vbique diuina pagina perhibet, & externæ doctrinæ per Platonem vlulatus lugubres in igni futuros minantur. Vel propter indiuisam & inseparabilem Sermonis & carnis vnionem, & vnam hypostasin, nullo verbo aut cogitatione separabilem. Nam illico excidit diuinum regni granum per digitos mentis eorum, E qui diuidunt, blasphemorum manibus includi nequaquam sustinens. Sed neque manifestò quisquam scire potest, num Parœmiarum scriptor Salomo de filio Dei loquatur, quum ait: Dominus creauit me, vel etiamsi sic accipiatur sapientis illius viri dictum, videtur mihi significare aduentum vniti cum Deo hominis, quum ait: Dominus creauit me, initium viarum suarum, ad opera sua. Ante æuum me fundauit, & ante omnes colles gignit me. Quomodo igitur genitum fundatur? aut quomodo creatum gignitur? Nam creatum genitum non est, & genitum creatum non est. Aliud enim est illud, & aliud hoc. Vtraque verò videmus esse filium. Increatum quidem diuinitate, creatum verò humanitate. Est autem frequens mos sacræ scripturæ, ea quæ nobis propiora sunt, indicare primùm, & deinceps antiquiora. Sic

enim facit & Diuus Matthæus, ex propinquioribus ordiens annuntiare nobis Euãgelium de Christo: Liber (inquiens) generationis Iesu Christi, filij Dauidis, filij Abrahami, partim quidem Iudæos alliciens, filios Abrahami sese falsò prædicãtes, & vanè se iactantes propter viros sanctos, quorum vitę rationem non imitabantur: partim verò rudiores per propinquiora in diuinam cognitionem ducens, & in Euãgelio deinde progrediens, orditur diuina prædicare de Christo, quasi per scalam aliquam subducens ad diuiniora nostrum intellectum. Inquit igitur rerum diuinarum peritus ille Salomo: Dominus creauit me, initium viarum suarum. Nam initium viæ iustitiæ Euangelij, est quòd secundum carnem nobis ex perpetuæ virginitatis matre Maria nascitur Deus Sermo, qui ante omne æuum erat. Antequam circularis esset hebdomada sæculi præsentis, sexta die anima in Adamo fundata est ab opifice naturæ nostræ. Atque sic post sextam septima huius sæculi cõstituitur dies, septies in semetipsam reuoluta per totum præsens sæculum. Ad diuiniora autem & antiquiora progrediens, inquit, Ante omnes colles gignit me, per colles hoc loco cœlos, vel certè eas quæ supra cœlos sunt, potestates significans. Non enim cœli, non angeli, non archangeli, non temporis qualitas aut quantitas, non sæculum, non aliud quidquam, quod cogitari vel dici potest, antiquius est filio. Nam ipse sæculorum conditor est, omniúmque rerum in vniuersum, apertè clamante Paulo, Per quẽ & sæcula condidit: &, In ipso creata sunt vniuersa tam adspectabilia quàm inadspectabilia: quoniam omnia per ipsum facta sunt. Creatur igitur ex Maria ratione carnis adsumptæ: fundatur verò anima in creato corpore: vtrisque autem vnitus Sermo, creatus quidem cernitur homo, increatus autem intelligitur Deus, ex increato patre, ac patrem non habente. *A.* At quomodo ipse filius creatum semetipsum ostendit, dicens: Ego sum ostium ouium & via. Similiter & à prophetis creatus esse innuitur, ab Esaia quidem, quum lapis offensionis dicitur, & petra scandali: à Dauide verò, columna ignis, & ab aliis, leo, ouis, & alia quàm plurima. *B.* At cauendum, ne litteræ dormitando incumbentes, nosipsos à diuinioribus secludamus. Nam secundum eximium Apostolum, littera occidit, spiritus verò viuificat. Vicissimq; inquam ego, Non occidit littera eos qui rectè considerant, neque item viuificat spiritus blasphemantes ipsum. Honoremus igitur spiritum vt intelligamus litteram. Figuratè filium ostium, & viam, & lapidem, & si quid aliud est eiusmodi similitudinem dici accipiamus, viam intelligentes ipsum, vt qui nos in cognitionem patris diuinarúmque rerum ducat. Ostium est apertum iis, qui per virtutes intus regenerari student, pugno frequenter percutientes pectora. Columna verò intelligatur firmamentum esse fidei nostræ, firmiter suffulciens & ferens simul vniuersa. Lapis autem offensionis incredulis est, & petra scandali Iudæis. Nobis autem lapis fundamenti ecclesiæ, totam basim continens. Petra, robur & firmitas confessionis, qua procellæ hæresum impugnatæ, in spumam rursus dissoluuntur. Vermis, quemadmodum Dauides diuinorum carminum auctor inquit: ac nobis quidem instar vermis ex terra, absque aliquo adfectu, aut coitu ex perpetuæ virginitatis matre Maria, absque nuptiali commistione natus, aduersariis autem vermis supplicij, stimulans & depascens absque fine. *A.* Atqui nisi ipsum creaturam esse dixeris, contumelia patrem adficis, adfectum ei tribuens. Omnis enim qui generat, omnino erit obnoxius adfectui. Aut enim contrahitur, aut dilatatur, aut sectionem deriuationémve patitur, aut effertur, aut deprimitur, aut certè tale quid sustinet, qui generat. *B.* Absit procul tale delirium, ô præclare. Non enim diuina natura corpus est, elationi aut contractioni subiectum, aut fluxui, aut sectioni, aut prorsus qualicũque adfectui mancipatum. Quatenus igitur Pater spiritus est, filium Deum Sermonem spiritualiter absque tempore ineffabiliter genuit. Et verò quia plerisque videtur visui potius quàm auditui credendum, etiam facili aliquo exemplo vtendum esse ratus sum in eo declarando, quòd absque affectu Deus generet, non fluxum, neque sectionem patiens. Creatura vtique Dei est Sol, à quo aliqui in extremitatibus inhabitabilibus igne carentes ad coquendos cibos, equorúmque pastores, & bubulci, subulci & pastores alij, calicem aqua pura implent, & radio solis obuertunt, aridóq; fimo admoto ad vas aquarium, illico ignem auferũt, quum interim nec sectionem, nec

A nec fluxum, nec tumorem, nec contractionem luminare ipsum patiatur. Idem per purum vitrum in domiciliis penetrans, quasiq; radios gignens per vniuersam terram, nihilominus absque defectu, & absque sectione per omnia cernitur. Similiter & fax, etiamsi infinitas lampades accenderit, neque fluxum, neque sectionem patitur. Si igitur absque læsione fiunt ista, in infinitum istis per omnia superiorem esse naturam diuinam credamus. Nam simul in vniuersum omnia ad ipsam collata sunt instar venti tenuis. Ergo genuit pater filium, non per sectionem aut fluxum, nō per tumorem vel contractionem: sed incorporeus existens incorporeum Sermonem eiusdem substantiæ, qui & audit & loquitur. Vani igitur illi & insipientes, qui cum ignominia honorant patrem, ne audeant creatum pronuntiare filium. Si enim, vt aiunt, pater generans patitur: etiam ego creantem fatigari dico. Vnde igitur ortum
B dicemus filium, ne patrem aut pati, aut fatigari blasphemè statuamus? Absit igitur à te, vt cum hac ignominia velis naturam diuinam honorare. Nam qui filium blasphemat, patrem lapidat. Quemadmodum ipse in Euangelio sanctè prædicat: Qui non honorat filium, neque patrem honorat. *A.* Sed quomodo dicunt aliqui, quòd secundum electionem & gratiam Christus sit factus Dei filius? Non enim inquit pater, Hic est filius meus dilectus quem genui, sed quo delector. Et Esaias in persona Dei & patris de Christo inquit, Ecce filius meus quem elegi, dilectus meus quo delectatur animus meus. Ad eundem modum & Salomo inquit, Electus è decem millibus. *B.* Vt videtur, Arriana laboras dementia, tanto conatu aduersus veritatem contendens. Ostende igitur similes Christo, quos pater approbauerit, vt Christum elegit solum. Nam si filius est vnigenitus, non habet fratrem aut æqualem, aut sibi ex opposito respondentem. Cecinit enim de ipso Dauides ille diuinus: Quis
C adsimilabitur Domino, inter filios Dei? Et deinceps: Magnus & tremendus est, supra omnes qui sunt in circuitu ipsius. Tanquam nemo possit secundum gratiam, aut secundum profectum conferri Deo Sermoni, qui propter mortales hominem adsumpsit, & meritò electus est. Qũ enim plurimæ & innumerabiles essent mulieres adhuc incorruptæ, solam tamen ex omnibus selegit Mariam, in ipsa ineffabiliter vniens sibi & copulans naturam nostram, quemadmodum diuinus ille vates inquit: Elegit nobis hæreditatem sibi pulchritudinem Iacobi, quam dilexit: Mariam perpetuò manentem virginem significans, quæ nunquam ad generandũ progressa fuerat, aut fœtum in vtero materna conceperat. Amplexus autem pater eam, quæ ex ipsa erat, incarnationem Sermonis, è supernis acclamat: Ecce filius meus dilectus, quo delector. Quibus in verbis intelligit vnicum illum ex se, & ex perpetua
D virgine natum nobis filium Deum, sibi & nobis consubstantialem: ipsi quidem diuinitate, nobis verò ratione carnis adsumtæ. Idem enim inter mortales apparens immortalis, spontanea voluntate mansit quod erat, qũum conspiceretur id esse, quod sum ego. *A.* Quomodo verò secundum profectum & dilectionem Apostolus ipsum ostendens filium Dei, de patre inquit, Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ? *B.* Verùm ex his non ostendetur, esse ipsum secundum profectum filium Dei. Alibi enim idem inquit Apostolus, Quoniam Deus dilexit nos in Christo, significans dilectionem Dei & patris esse Christum, quemadmodum & sapientiam & virtutem. Dilectio igitur est pater, similiter & filius, vt lumen ex lumine, & Deus ex Deo, & dilectio ex dilectione. Nam Deus est dilectio, inquit Ioannes. Cessent igitur Arrianæ vesaniæ sectatores, qui
E creaturam creatorem putant, neutro Testamentorum id volente. Quatuor nobis sunt Euangelia, capita mille centum sexaginta duo, & ab initio ad finem vsque in ipsis diuinitus tradit doctrinam filius de patre, & pater de filio, & tamē neuter ipsorum inquit, Creaui mihi filium: aut vice versa, Creauit me pater. *A.* Quid igitur statuis de virgine Maria? num creatam, an increatam, & quod ex ea est corpus Christi? Et quomodo Christum adoras? Nam si ipsum creatum dixeris, id quod omnino necessum est, creaturam videlicet aliquam adoras. Si verò non adoras, negas filium Dei. Non describo diuinitatem secundum formam. Simplex enim est, & inadspectabilis, & forma carens. Carnis autem formam intuens, adoro Deum vt par est propter eam, quæ secundum hypostasin est, vnionem. *B.* Per meam

certè salutem, non vt creaturam adoro Christum, sed vt creaturarum opificem & Deum. Quemadmodum regem cum purpura honoro vna & eadem veneratione, ipsum ab illa non separans. Alioqui num tibi videtur ad Imperatorem dicendum esse, Surge de throno tuo, vt adorem te? aut, Egredere ex templo, vt te celebrem absque materia inanimata? Si ergo res inanimæ vnà cum animatis adorantur, & res omnino leues: meritò vtique & eius qui omnium in vniuersum, quæ sub sole sunt, Dominus est, & Sermo ille, cum templo corporis, quod ipsum purpuram eius voco, & tunicam, & solium, vna adoratione adorabitur. *A.* Atqui si Deus est cum corpore, quomodo inquit ipse, Deū nemo vidit vnquam? Siquidem Deus erat, omnes qui cum illo id temporis fuerunt, viderunt ipsum. *B.* De patre loquitur filius, quum ait, Deum nemo vidit vnquam. Non enim inquit, Filium qui Deus est Sermo, & homo factus, nemo vidit vnquam. Viderunt quidē prophetæ, & apostoli, & omnes iusti Deum, verùm nullus quod est natura sua videre potest. Non enim est vlla natura, quæ sit capax eius adspectus. Vnicuique verò apparet digno, non sine aliquo velamento pro mensura puritatis eius, qui ei ministrat. Vidit proinde Iobus, sed per turbinem & nubes. Ante ipsum vero Abrahamus per angelos loquentem. Vidit Iacobus vt hominem secum luctantem. Moses in medio caliginis. Similiter & cætera sanctorum turba per ænigmata & velamenta. Viderunt & apostoli per carnem hominem factum Deum & Sermonem. Eundem filium & Dei & hominis, vnusquisque cernit pro mensura propriæ virtutis & roboris animæ, sicuti prout vel lucidi vel turbati sunt corporis oculi, alij quidem diu possunt solem directò intueri, alij verò imbecilliter, haud ferentes fulgorem eius luminaris, neque incursum radiorum. Videmus mare ab aliquo montis vertice vel colle, & cum veritate dicimus, nos mare vidisse: quum superficiem pelagi solam, eámque tantum particulariter cernamus. Non enim ab eo, quod apud nos est, plano præruptóve litore in eam, quæ è regione opposita est, speculam vis oculorum pertingere potest, euanescens in aëre. Neque item profunditatem eius imumq́ue fundum mens inuenire potest. Semper enim ab eo, quod putatur, aliud animum subit, quod contineat eius eminentias, ne diffundatur aut diffluat, quatenus in immensum extenditur, * intellectus noster, vt apparet, deficit. Cernimus autem & cœlum non omnes similiter, sed quisque secundum vires oculorum. Neque enim mens ad extremitatem pertingit, neque propter resilientem à nobis illius fornicis soliditatem prorsus accedere potest. Cernimus igitur ea, quæ sunt in eadem seruitutis conditione, non secūdum id quod sunt, sed secundum id quod percipimus. Sunt enim nobis proposita tum adspectabilia tum inadspectabilia, & horum aliud quidem ex parte, aliud verò totum. Consimiliter & Deus & adspectabilis & inadspectabilis est hominibus. Illud quidem ratione velamenti corporis, per demissionem: hoc verò, naturaliter & immensitatis ratione. Non enim sustinet ignis propinquitatem stipula & palea; quum ob ariditatem mox in terram resoluantur. Paululum enim in se diuinitatem nudans Christus, in monte transformationis versauit columnas ecclesiæ. Nam illico procidentes Petrus, & Iacobus, & Ioannes, ob timorem palpitantes, propemodum colliquescebant igne diuinitatis. Ad id autem nos ducens diuus Apostolus, apertè clamat: Ex magnitudine creaturarum & pulchritudine, ratione quadam conueniente cernitur. Quum enim cœlum, & terram, & mare, vt secundum naturam sunt, totum cernere nequeamus: quomodo conditorem nostrum videre secundum ipsius naturam poterimus? *A.* Postquam de Christo satis instructi sumus, cupimus pauca audire de spiritu sancto, num æqualis sit patri & filio, propriæ potestatis auctoritate faciens & mandans quæ vult, & quare cum aqua & igne in scriptura comparetur. *B.* Audi proinde ô præclare, propria auctoritate & potestate spiritum præcipientem & facientem æqualia cum patre & filio. Segregate iam mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod vocaui eos, inquit ad apostolos. Consentiens autem cum hoc ad Paulum inquit filius: Ingredere in ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid tibi faciendum sit. Alibi autem dicunt Acta apostolorum, Hi quidem emissi à spiritu, abierunt Seleuciam. Ad eundem modum filius, Profecti docete omnes gentes. Consimiliter Apostoli, Visum est, inquiunt, spiritui sancto & nobis,

* Locus corruptus.

A & nobis, de nulla alia re vos admonēdos, quàm de necessariis illis. Similiter & Paulus inquit, Dico aūt nō ego, sed Dn̄s, ne vxor separetur à viro. Peragrata, inquit alius, Phrygia, & Galatica regione, prohibiti sunt à spiritu, quo minus doctrinā exponerēt in Asia. Ad eundē modū filius ad Apostolos inquit: In viā gentiū ne abieritis, & in ciuitatē Samaritanorū ne ingrediamini. Sed & diuinus ille Dauides sacræ Trinitatis opus ostendēs, hæc vniuersa canit in Psalmis: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorū, per Dn̄m Patrē significans, per Verbum Filiū, per Spiritū deniq;, sanctū illū Spiritū. Cū hoc autē consentiens diuinus ille omniū, quę sub cœlis sunt magister Paulus, inquit: Diuisiones donorū sunt, sed idē spiritus: & diuisiones ministeriorū, sed idē Dn̄s: & diuisiones operationū, idē verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Tres quidē exprimēs personas, vnā verò diuinitatem,
B potestatis auctoritatē & regnū. *A.* Quæsumus vt iis quæ hactenus disseruisti, addas quare cū aqua & igne cōparetur in scriptura spiritus sanctus. *B.* Nō frustra, neque abs re illis cōparatur diuinus spiritus. Nā herbas producēdi, & fouēdi, & alēdi vim habet aqua de cœlis pluēs, & omnia pinguefacit, omnib. sese miscēs, ac licet vniformis sit, multis tamen modis operatur, & ex vna scaturigine diuersa genera germinū rigantur. Eadē pluuia quū sit vniformis natura & adspectu, multifariā sese declarat efficacē: in lilio quidem alba, in rosa verò rubra apparēs, purpurea in violis, fulua in croco. Super ficū vniformis pluens, alterius formæ efficitur, dulcis quidē in fructu, acerba verò in expresso lacte. Eadē in vitē vniformis veniēs, densatur in capreolos, in germina, in vuas, in botros, in vinū, in potum: & vt summatim dicā, in omnibus omnia fit. Vniformis quū sit, eorū, à quibus suscipitur, naturæ vnita, vnicuiq; quod
C est commodū tribuit. Itidē & ignis vniformis quū sit, variis modis operatur, calfacit, purgat, cōcoquit, probat, illuminat, ardet. Ad eundem modū & sanctus spiritus, quū sit vnus, vnius formæ & eiusdē modi, vniusq; substantiæ, indiuisus & absq; defectu, vnicuiq; diuidit gratiā sicut vult. Vtq; in plantis fieri solet, vt quandiu quidem hiemis asperitas præualet, infrugiferæ maneāt: postquàm verò pluuiis rigatæ, sole fouētur, renascuntur & germināt: sic & mortaliū animæ, quandiu quidē hieme vitiorū detinētur, difficiles, & omnis cōmunionis expertes mores erga proximas ostēdentes, mortuæ & infrugiferæ sunt. Quū autē diuinā spiritus pluuiā per doctrinam institutionis susceperint, & turpitudinē quæ est ex vitiositate, abstersering, multisq; adfectibus obnoxiū corporeæ molis vestimentū deposuerint: mox in eis suscitatur ratio, & quasi renascūtur per diuinā rigationē & calorē spiritus, & fructū ferūt, secū-
D dum Domini sermonē, alius quidē trigesimū, alius verò sexagesimū, alius verò centesimū. Nam alij quidē ad sapientiā accōmodat linguā, alij ad vaticiniū, alij ad dæmonū expulsionē, alij ad declarationē rerū diuinarū. Alium ad sobriè viuendū instruit, aliū ad misericordiā, aliū ad temperantiā confirmat. Alium ad martyriū vngit & excitat, ac diuersus in alio esse videtur, quū ipse nō sit alius, quemadmodū eximius ille & mentis vi præstans scribit Apostolus. Vnicuiq;, inquit, datur declaratio spiritus, prout expedit. Nam alij quidē per spiritū datur oratio sapiētiæ, alij verò oratio scientiæ secundū eundem spiritū: alij fides in eodem spiritu: alij prodigiorum effectiones: alij vaticinatio: alij diiudicationes spirituū: alij genera linguarū. Sed oīa hæc efficit vnus ille & idē spiritus, dispertiēs peculiariter vnicuiq; sicuti vult. Quēadmodū igitur aqua vim habet producēdi herbas, & putrefaciēdi, ignis vrēdi & il-
E luminādi: sic & diuini spiritus est, benefacere & castigare. *A.* Quia te medicū animæ deprehendimus, affatim per demōstrationes adhibentē animis nostris medicinā, & ab errore adserentē: quæsumus vt adiicias ad præmissa de angelis, num aliqui sint eorū ordines, & quot, & quales sint natura, nū itē quæ futura sunt sciāt. *B.* Creati quidē sunt angeli, & obnoxij mutationi, spiritus rationales ad ministerium missi, quemadmodū inquit diuinorū carminū auctor, & cū ipso Paulus consentiens: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammā: quibus verbis simul & naturā & maiestatē eorū significant. Septē verò sunt ordines, vt scripsit Iudas, & eximius enumerat Apostolus, quē & sequūtur sacri ministri officij diuini, dū alta clamāt voce ad Deū: Te laudibus celebrāt angeli, archāgeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes. Quod verò mutabiles sint, cuius es est demōstratio, ad malū versus auctor ille mali diabolus, secū ad defectionē multos angelorū trahēs, non

Angeli.
Angelorū ordines.

natura, sed voluntate mutatos per ducis sui suggestionẽ, qui congruentẽ suo facto A
suscepit appellationẽ. Nã ab eo, quòd alios sui generis calũniatur, propriè nominatus est Diabolus. Satan verò ex eo, quòd Deo & hominibus aduersatur, quapropter etiã de locis illis vltramundanis eiectus est, & apud Ezechielũ diuinũ vatem cheruborum probris incessitur: Quomodo decidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Simul & igneã lucentémq; naturã eius, & principatus dignitatem, in ordine, per similitudinẽ luminaris illius exprimens. Cum hoc autẽ consentiens Danielus, nequitiã eius traducit, & subductionẽ sectatorũ exponit. Ignorant autẽ vnà cum hominibus & angeli res futuras. Solius enim sanctæ Trinitatis est, omnia habere cognita, & præscire ea quæ futura sunt. Ministrant autẽ & huic, & nobis. Huic quidem, vt erga Deũ par est, seruientes: nobis verò præstãtes ea, quæ ad salutem nostri certo cõsilio ipsis ab ea mandantur. Itaq; nõnullos propter maliciã, in qua nullus emẽdationi lo- B
cus est, perimunt: ne proximi quiq; perniciei implicentur, vt prudẽtes medici solẽt, qui antequã per totũ corpus diffundatur morbi vitiũ cauterio aut sectione impetũ eius amputãt. Id quod ab agricolis etiã studiosè obseruatur, vt mox in exortu malas herbas eradicent, ne fortè simul natæ & sursum tendentes, triticũ opprimãt. Sed & vinitores herbã vites suffocantẽ, dũ adhuc tenera est, antequã viti sese implicet reuellũt, aut falce resecãt, ne vua lædatur. Hoc & agricola ille nostræ naturæ, & ecclesiæ vinitor facere solet. Præuidens eius qui adhuc lactens ab vberibus pendet, perniciosum incrementũ, interim dũ crescit, eradicat & euellit eum, qui alios euulsurus erat per opera & doctrinas exitiales. Aut propterea, vt sit leuius ipso sublato flagellũ aliis ob ea, quæ in vita designarũt, debitũ. Nã qui heic pœnas subeunt, & pœnã futuræ vitę præueniẽtes depẽdunt: in eos mihi videtur nõ amplius inquisitũ iri super iis, C
de quibus satisfecerũt. Nõ propter ea, quæ variè cõmisit homicida, sed ob id, cuius causa recens dãnatus ad mortẽ ducitur, vt oculũ pendat pro oculo, dentẽ pro dẽte, itẽ vt ille qui sanguinẽ effudit, interficiatur, lex diuina præcipit. Et ne rursus iidẽ adficiantur supplicio propter eadẽ delicta, apertè dicitur: Nõ capiet vltionẽ Dominus bis de eodẽ. Neq; enim hoc apud nos æquũ est, sub duobus iudicibus puniri aliquẽ reũ. Nã dũ heic iudicamur, à Domino castigamur, ne cũ mundo damnemur. Et eximius inquit Apostolus: Quẽ diligit Dominus, castigat, & corripit omnẽ filiũ, quem suscipit. Non alios quidẽ suscipit, alios verò reiicit: sed alij quidem heic, alij verò illic id faciunt, recipientes ipsum, aut repudiantes per ipsa mãdata. Non enim via regia causam præbet offendentibus aut cadẽtibus, sed ipsimet dũ oculis circumuagãtur, & incautis pedibus incedũt. Tollunt igitur angeli eos, qui in malitia perseuerãt, cõ- D
seruant verò eos qui ad virtutẽ sese conuertunt. Egressus enim est angelus Domini ex castris, & interfecit centũ octogintaquinque millia alienigenarũ, inquiũt litteræ sacræ. Item, Angelus suffocauit primogenita Ægypti. Et angelus impediebat profectionem Balaami, euntis ad Balacũ, vt Israëlicos exsecraretur, quẽ vbi cõspexisset iumentũ, quod ipsum portabat, metu perhorrescẽs, substitit, humana voce vectorẽ reprehẽdẽs. Michaëlus archãgelus ad Iesum Nauæ F. mittitur. Gabrielus ad Danielum, vt interpretaretur ei somnia: ad Zachariã, vt annuntiaret Ioãnis natiuitatẽ: ad matrẽ & semper manentẽ virginẽ Mariã, de Dei & Sermonis conceptione. Ad Tobiam Raphaëlus mittitur, ad portandũ eius peram, & ad comitandũ quatuordecim dies, vxorémq; legitimã copulandũ, & ad separãdũ ab interfectore dæmone eã, quæ viro per ipsum iũcta erat, & ad aperiendũ oculos socero spõsæ, volucrũ stercore cæ- E
catos, & expressa piscis bile restitutos. Sed & alia plurima angelorũ inuenies ministeria, in Abrahami vita, & Mosis, & Manoæ, apud Bethlehemam, & pastores, apud monumẽtũ Christi, & in eius ascẽsione. *A.* Atqui si res futuras ignorãt angeli, quomodo Danielo prædicit in Babylone Gabriel, post 493. ann. nasciturũ Christũ? Nã 69. hebdomadas, de quibus ad ipsum loquebatur, 70. annorũ hebdomadas esse interpretes tradũt. *B.* Sed nõ propria præsciẽtia id indicauit, verũ quæcunq; angeli à superna sapiẽtia discũt, illa dicũt. Sãctas enim res à sacra Trinitate discũt, & ab ipsis rursus homines, & ab hominibus alij loco inferiores quæ sequũtur. *A.* Si ergo per doctrinã percipiũt, necesse est ipsos libellis & chartis vti more nostro. Voces enim & decreta nõ scripta mox obliuioni dãtur. Nã si voces in memoria durabiles essẽt, nõ sanè Moses in tabulis lapideis in mõte ipsas scriptas accepisset; iisq; confractis, aliis

A aliis non fuisset opus, siquidem eorum, quæ in prioribus scripturis erant, memor fuisset. *B.* Moses quidem in tabulis Decalogi diuinorum decretorum absque cælatorio scriptorióve instrumento digito Dei exsculptas voces accepit. Quomodo verò idem perscripsit, de sola memoria prompta, quæcunque Deus protulit de origine mundi? aut quomodo per memoriam expresso illo, quod demonstratum erat ipsi in monte tabernaculum diuinum, oratione sola Bezeleelum docuit per materiam id imitari, quod erat expers materiæ? Quomodo item omnes diuini vates & apostoli, non per disciplinas, sed quemadmodum in ipsis Sermo sonabat, licet aliquid in memoria reponerent, orbi terrarum prædicabant? Galilæi doctores cum Romanis consuetudinem habentes, lingua cuilibet genti conformes fiebant. Parthi enim, & Medi, & Elamitæ, & reliquæ gentes audiebāt quisque sui sermonis forma proferentes ipsos amplitudinem rerum diuinarum: quas non per disciplinam B litterariam, sed per efficacitatem ac vim quandam spiritualem prædicabant. Conspectæ sunt enim in ipsis diuisæ linguæ velut igneæ, nempe quinquagesima die à resurrectione, decima verò ab adscensione. Et sedit super vnumquemque ipsorum, inquit diuus Lucas, eorum enarrans gesta. *A.* Si incorporei sunt angeli, quomodo cum mulieribus consuetudinem habuerunt, ex quibus prognati sunt gigantes? Quomodo item, vt homines, sanctis apparent, siquidem incorporei sunt? Inquit enim Scriptura sacra: Et ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, ex quibus aliqui aiunt natos esse gigantes. *B.* Incorporei quidem sunt angeli ratione respectúque naturæ nostræ, corpus verò habent, secundum naturam suam, vt ventus, vel ignis, Angelica corpora. vel fumus, vel aër: corpora enim sunt subtilia, crassæ materiei nostrę expertia. Quippe corpora quædam sunt cœlestia, quædam terrestria, inquit sanctus ille Apostolus. C Absurdum verò & planè stultum fuerit, putare ipsos cubare cum mulieribus: sicut & dæmones dormire cum mulieribus existimantur, qui tamen haud naturam, sed statum reliquerunt, neque magnitudine, sed libertate destituti sunt. Blasphemiæ * igitur & stultitiæ est, putare quòd angeli fœminas deperēat. Neque enim de his in- Filij Dei. quit Scriptura sacra, quòd ingressi sint filij Dei ad filias hominum. Nusquam enim angeli filij Dei appellantur, sed filij Sethi, & Enosi per illas corrupti sunt. Deificari enim Sethus & Enosus illis temporibus cœperunt. quia Sethus cœpit primus inuocare Deum, inquit Scriptura. Sed & Mosi inquit Dominus: Deum te constitui Pharaoni. Et de diuinis iudicibus inquit: Diis non maledices, nec principibus populi. Rectè igitur filij Sethi & Enosi filij Dei intelligendi sunt, qui per libidinem capti, ad filias Caini ingressi sunt, ex quorum mutua contaminatione nuptiali in vi- D tam editi sunt gigantes, propter iustitiam quidem robusti, propter Cainum autem mali. Et verò quónam pacto mulieres cum angelis dormire poterant, quando viri ad illorū adspectū obstupuerunt, iiq; non vulgares, sed virtute præstantes? Hac enim de caussa Danielus Gabrieli aspectum non sustinens, mox in terram cadebat, & præ metu tantùm nō colliquescebat. Sed & Zacharias illū horruit, & ad primū adspectū mutus factus, timore palpitabat, linguæ vsu carens vsque ad Ioannis natiuitatē, nutibus tantùm voluntatis placita significans. Id quod mihi videtur prænuntiare silētium legis & veteris cultus sacri, ad præstātioris aduentum. Sed paullo pòst clarius ipsum sensum demonstrabimus. Præterea & mulierculæ ad Seruatoris sepulcrum cum festinatione contendentes, illorum angelorum adspectu obstupuerunt, & timore perculsæ, non annuntiarunt apostolis quæ sibi erant iniuncta. Inuaserat enim E ipsas tremor & stupor, vt nihil cuiquam dicerent, inquit diuus Euangelista. Si igitur ne angelorum quidem demissionem viri magni sustinere potuerunt, quomodo teneræ mulieres illorum contrectationem aut concubitum ferre possent? Nequaquam enim satis firma est aduersus vim propinquam stipula. Perscriptum sacris est in litteris: Vixit Adamus annos ducentos & triginta, genuítque filium ad similitudinem suam & secundum imaginem suam, hoc est, qualem habuit ab initio, quando factus est à Deo, imaginem & splendorem in facie, & vocauit nomen eius Sethus, hoc est, resuscitatio. Quoniam videbat in ipso pristinam & admirandam illam formam & gratiam renouatam, & splendorem sacrosancti spiritus, quem vidētes illius temporis homines Deum appellauerunt. Ac propterea Scriptura dicit,

quòd videntes filij Sethi filias hominum,quæ erant ex genere Caini,acceperint sibi eas in vxores. Participes enim & ipsi erant gratiæ sancti spiritus, vsque dum dixit Deus:Non permanebit spiritus meus in hominibus istis. Atque Sethus quidem ad quingentos quinque annos hanc talem formam retinuit. *A.* Si versus ad deterius diabolus ex cœlis decidit,supra se habens eos,qui permanserunt immutabiles:quomodo ipsi licet cœlis appropinquare,& cũ angelis Deo adsistere, ac deposcere Iobum? Inquit enim de ipso scripta historia: Venerunt angeli Dei, & diabolus in medio ipsorum. *B.* Non quòd possit in cœlos adscendere, qui inde præcipitatus est ob furorem suum diabolus, aut cum angelis ad Deum accedere, aut vlla ex parte supra cœlorum circumferentiam venire, hoc ita perscriptũ est:sed quia diuina natura quantitatis & magnitudinis expers,& incomprehensibilis,vbique præsens sit, & omnia impleat. Nam Deus noster in cœlo est, & in terra,in mari, & in omnibus abyssis,inquit Dauides,diuinorum carminum auctor. Ex quibus docemur in conspectu eius esse,& conspici ab ipso non solùm angelos, sed & diabolũ & dæmonas, & homines,& iumẽta,& simul in vniuersum omnia. Quemadmodum Elias ille diuinus ait,Viuit Dominus,in cuius conspectu ego sto hodie. Nam si aëre omnia cõtinentur,multo magis in illius conditore comprehensa est hæc quadripartita Naturæ vniuersitatis rerum constitutio, quarum vna carnis est expers, intellectilis & rationalis,altera sensilis & carne prædita & rationalis,tertia animata & irrationalis, quarta inanimata & sensus expers. Omnia enim nuda sunt & resupinata corã oculis eius,nec est creatura occulta in cõspectu eius,inquit diuus Apostolus. *A.* Quare Moses non ab angelis,& ab iis,quæ sunt in supernis, exorsus est descriptionem, sed præteritis angelorum nationibus,omnibúsque quæ supra cœlos sunt, à cœlo & terra contextum orsus est? *B.* Conueniens temporibus & hominibus vtile principium scripti sui statuit,quando id temporis ex Ægypto Iudæi exierant, & insinuatos auribus illorum errores habebant. Nam alij quidem impiorum cœlum, alij verò terram deificauerunt, quæ duo à ventis & nubibus mutantur. Alij autem soli & lunæ venerationis cultum exhibuerunt,vt alij quidem noctu,alij verò interdiu per occasum luminarium impij manerent. Nam hi quidem quæ nocte, & nebula, & puluere obscurantur inter deos referunt: illi verò intereuntem, & paullo pòst desituram adorant. Alij item fontes & flumina deos esse adserunt, vt in æstate quidem desinentia,in hieme verò aucta & exundantia deos habeant. Alij verò ignem quasi Deum metuunt, qui tamen infusa aqua extinguitur, aut defectu nutrientis materiæ marcescit.O dementiam,quæ seipsis sunt abiectiora,deificant vani & insipientes: à vero Deo per errorem abducti. Propter quos Moses rerum diuinarum scriptor relictis vltramundanis, ab iis quæ captui nostro sunt exposita, narrationem orditur, per sensilia & adspectabilia ducens ad intellectilia, & ad inadspectabilem illum verúmque Deum. Ad eundem modum & illi socij Ananiæ diuini hominis Babyloniũ Deum,supplicium fornacis,& ignem conculcantes,qui naphtha, & pice,& sarmẽtis augebatur,aqua verò extinguebatur: Laudate omnia opera Domini Dominum,inquiunt. Ad immaterialem & nullis manibus factum Deum impios Chaldæos per institutionem hanc ducentes, ac omnes gentilium deos creata esse verè subsistentis, & veri, & increati Dei innuentes. Laudate,inquiunt,omnia opera Domini Dominum. consequenter eo cantico demonstrantes,Deo simul in vniuersum omnia ad seruiendum esse obnoxia. Laudate ipsum,aiunt,angeli,cœli, aquæ,sol,luna,astra,ignis,terra,montes,colles,iumenta,bestiæ,reptilia,volatilia,& cætera,quæcunque gentiles in Deûm numerum retulerunt. *A.* Quomodo creauit Deus omnia,priusquam existeret materies,qua vteretur? *B.* Primo quidem die ex nullo subiecto materies produxit, simul cogitans, qualis vnaquæque cuiusque deberet esse materies. Deinde statim proferebat ea,quæ cogitauerat. Atque hoc loco nolim te mihi delabi ad cogitationes,vt quærere velis quo id pacto sit factum. Nam & volebat, & poterat omnia vis illa effectrix omnium. Ex iis verò, quæ die condidit primo, deinde reliqua creata fecit, videlicet cœlum primum, non illud quod cernimus,sed suprà positum, de quo Dauides canit, Cœlum cœli Domino, ad modum domus duplicem fornacem habentis, interspiens & discernens à terrestri-

A terrestribus vltramundana, & veluti tabulato quodam dirimens. *A.* Quare non scripsit Moses, quòd fecerit Deus aquam, aut ignem, aut aëra, vt de cœlo, & terra, & arboribus, & cæteris? *B.* Num ergo, quia id etiam scriptum est, quòd Deus accepto puluere terræ formauerit hominem, neque additum sit, quòd ei fecerit oculos, aut aures, aut pedes, aut brachium, ideo putandum est à Deo non esse creata omnia naturæ organa, tum interna tum externa? Nimirũ in iis quæ composita, & aliquando seiuncta sunt, ex præstantiore ipsam rem repræsentare sacra scriptura solet. Quẽadmodum diuinorum carminum auctor inquit, Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Non vtique à beatitudine mulieres excludens, sed quum eadem sit natura, ex principaliore carmen orditur. Ex iis igitur, quæ in isto carmine præstantiora sunt, etiam de sequentibus iudicium fiat. Nam commemoratione cœli, & terB ræ, vniuersum hoc comprehenditur, aër, tenebræ, abyssus. *A.* Cur autem quasi viribus inferior Moses, non aggressus est scribere tenebrarum & abyssi creationem? *B.* Enimuero quæ Moses præteriit, quo minus scriberet, non viribus destitutus fecit: sed exercitium nobis reliquit. Solomo scripsit in persona filii ad patrẽ loquentis: Antequàm abyssos faceret, eram apud ipsum, aptè omnia disponens, nimirum potentia & sapientia Dei Christus. *A.* Aër quando factus est? Num quòd etiam de hoc scripserit Solomo, dicere potes? *B.* Audi Mosem dicentem: Et spiritus Dei ferebatur supra aquam. Cum hoc autem consentit & Amosus: Dominus intendens tonitru, & creans spiritum. *A.* Verùm non de hoc aëre dicit, sed potius de Spiritu sancto dictum est id verbum. Non enim aliud dicimus esse aut vocari spiritũ, quàm ipsum spiritum sacrosanctum. *B.* Vereor ne cum creatura connumerem increatũ. C Verumtamen non negans hoc quod dictum est, admittito: & hunc, si vt par est & Deo competit intelligatur, ferri supra aquas, ad viuentia producenda ipsas fouentem, & instar incubantis gallinæ vitalem quandam vim immittentem aquis sub se fotis, ad producenda innumera piscium genera. *A.* Cupimus insuper ex te discere de ortu ignis. Nusquam enim in Scriptura legimus, quod dixerit Deus, Fiat ignis. *B.* Omniũ maximè efficax est natura ignis, videtúrque consistere & latitare in creatione terræ. Quando lapidem percusseris, ex eo concipitur ignis, & ferro colliso similiter effici solet. Sed & lignis collisis consimiliter conspicitur, vt ostendit axis in curru ex pressura oneris ardens per admistum ignem. Neque id tantum, sed & molæ si circumaguntur inanes, apparet ignis exsiliens: ad quarum similitudinem & nubium collisiones ventis impulsarum efficere fulgura consueuerunt. Omnia enim igni mista sunt, vt inquit Petrus ille, claues regni cœlorũ gestans, ad hunc ferè moD dum. Nam cœli, qui nunc sunt & terra, igni repositi sunt, & seruantur in diem iudicii, & perditionis impiorum hominum. *A.* At quî fit, vt hieme quum eædem sunt nubes & venti, neque fulgur neque tonitru fiat? *B.* Quod tonitru attinet, quid mihi videatur, suprà dictum est. Quòd vero fulgura non apparent hieme, propter aëris crassitudinem fieri puto, & propter penetrantem humorem nubium. Non enim quemadmodum quod siccum & aridum est, etiam madida & multam habẽtia materiem in collisionibus lucere solent, quum illud quidem per ignem incendatur, in hoc verò vis eius flaccescat. *A.* Satis quidẽ vera sunt, quæ dicis: verùm nos de fulgure quærimus, & de generatione ignis, vbínam dixerit Deus, Fiat ignis. *B.* Moses scribit, Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux: videlicet ignis natura. Non enim solummodo is ignis est, qui apud nos est: sed & supernæ illæ potestates ignis esse viE dentur, cognatæ ei, qui apud nos est. *A.* Sed quomodo supernus ei, qui apud nos est, cognatus est: cùm ille quidem inextinguibilis, hic autẽ extinguibilis fit? *B.* Propemodum angelos & nostras animas similitudinem quandam dico habere. Vtraq; enim sunt spiritus, à Deo suum ortum habentes. Hi quidem in corporibus nostris lampadum instar lucentes, & quasi extincti per separationem, agendi efficacitatem amittunt. Nam & à veteribus sapientibus homines appellãtur φῶς, hoc est, lumen: propter vim rationis. Similiter & ignis dicuntur, vt paulo pòst demonstrabo, postquàm oratio ad nostram generationem progressa fuerit. Angelos autem dico spiritus inextinguibiles, non habentes corporalem disiunctionem, aut copulationem. Porrò animorum & angelorum similitudinem etiam tres illi sancti expresserunt

pueri, quum aiunt: Laudate spiritus & animę iustorum Dominum. Et rursus in canticis Dauides inquit: Qui facit angelos suos spiritus. Et similitudinem ipsorum ad animas nostras innuens, inquit: Velociter exaudi me Domine, quia defecit spiritus meus. *A.* Quomodo verò ignis apud nos habet vim vrẽdi ligna & quamlibet materiem, supernus autem non adurit aridas arbores, aut ouium vellera, vel capillos nostros soli expositos? *B.* Sit ipse hac in parte sol pædagogus noster, ac doceat nos tam sui, quàm eius qui apud nos est, ignis cognationem. Nam sæpenumero aliqui caprarii, aut bubulci, aut pastores equorum in tabernaculis solitariis agentes, quum coquere carnes aut frumenta volunt, mundo vitreo vase aqua impleto, si ex opposito solarium radiorum id tenuerint, tetigerintque cum vase aquario fimũ aridum, à superno lumine ignem concipiunt. *A.* Tenebras quis fecit? Num Deus? an ab initio fuerunt? Aut num diabolus eas fecit, vt aduersarius lucis? Arbitramur enim plerique, quòd ab initio fuerint ante mundum. Nusquam enim Moses dicit, quòd aliquis tenebras fecerit, sed quòd fuerint. *B.* Neque Deus ipsas fecit, neque diabolus, neque prius fuerunt, quàm adspectabilis hic mundus. Omnes enim angelorum chori carnis expertes agebant in luce, etiam antequam mundus fieret: sed supernè extenso cœlesti corpore, quasi ab septo quodam per obumbrationem tenebræ subierunt, quemadmodum si in alto meridie vmbraculum ex densa aliqua, solidáque materie circum se aliquis figat. Idem ex nauigantibus discimus, qui aduersus imbres expansione pellium obumbrant nauem. Aut si hoc nõ est, videtur mihi ex nebulosa exhalatione abyssi densata caligine & vaporibus tenebras ortas esse. Et dixit Deus, Fiat lux. Prima Dei vox lucem procreauit, quam & diem vocauit, serena quadam appellatione exornans id, quod placidum & mansuetum est. Possunt quidem & alia numerari lumina ab ipso facta, vtpote lumen ignis Mosi apparens, quando rubum vrebat, neque comburebat tamen, vt & naturam suam demõstraret, & vim notam faceret. Lumen quod in columna ignis Israëlicos præcedebat, & mansuefaciebat desertum. Lumen quod circumfulsit pastores. Lumen quod Eliam rapuit in igneo curru, raptúmq; non combussit. Lumen quod pastores circumfulsit quando lumen expers temporis ad temporale venit Christus. Lumen apparentis stellæ in Bethlehema, vt & Magos in itinere duceret, & stiparet satellitio suo quod supra nos est lumen, apud nos natum. Lumen demonstrata discipulis in monte diuinitas, paululum adspectu durior. Lumen quod Paulum circumfulsit, plaga oculorum tenebras animæ sanans. Lumen est & futuræ vitæ splendor, in illis, qui heic purgati sunt, quando lucebunt iusti vt sol, quorum consistit Deus in medio deorum & regum, disponens & diuidens vnicuique secundum dignitatem & pro ratione exactę vitæ præmia futuræ beatitatis. Lumen etiam, datum in paradiso primo parenti nostro præceptum. Lucerna enim pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis, inquit Dauides, diuinorum carminum auctor. Lumen est & rationis vis, quæ in nobis existit, secundum Deum dirigens gressus nostros. Lumen & id, quod de Deo testimonium perhibuit, & quod ad ipsum sua face ducit, cõculcata flamma erroris, vt Ananiæ socii in Babylone in media flamma camini choreas ducunt, etiam illæsis ipsorum palliis manentibus. Lumen præterea, quo peculiari modo baptismi constat illustratio. Lumen sunt vltra omnia, quibus in sancta Trinitate gloriosa & inculpata est fides. Itaque dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. Et vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. *A.* Num igitur aliud est lux, & aliud dies, vel aliud nox, & aliud tenebræ? *B.* Quidquid lætum & hilarum est, placidum meritò appellatur: his verò contraria, nox nominantur. Sed & aliter mihi videtur per appellationem seruitutem ipsorum significare, benéque dispositam cursus per vices constitutionẽ. Domini enim est nominatim vocare, famulorum verò obedire, & quasi voce, ordinis bona obseruatione respondere. *A.* Quomodo erat terra inadspectabilis & inculta? num quasi semiperfecta à Deo facta? aut quo tandem pacto? *B.* Inadspectabilis erat terra, & inculta, non natura, sed exornatione & facie, nondum segregatis aquis ad proprium locum, vt cerneretur eius substantia, plantis exornaretur, & floribus coronaretur. Abysso namque super ipsam exundante, nondum erat fontium & fluminum distinctione cincta, neque variegata ad enutritionem eorum quæ diuino

[Margin notes: A, B, C, D, E (section letters); * * beside "Ananiæ"; ἡμέρα, dies. ἥμερον, placidum.]

A uino præcepto ex ipsa producenda erant,animalium, quasi lugubri quadam veste
abysso circumdata,quemadmodum auctor ille carminum diuinorum Dauides in-
quit: Abyssus veluti vestis opertorium eius: Oceano scilicet instar anuli terram ad-
huc circumdante,sicut etiamnum hodie constat. *A.* Quare autem propheta non
dixit in fœminino genere,opertorium eius:sed eius,in masculino vel neutro? *B.* Ni- αὐτῆς καὶ αὐτοῦ.
hil in hoc discriminis est,si elementum pro terra subintelligatur, neque item quum
omnium animæ fœminino genere appellentur, iccirco vel fœminas vel mares esse
concedemus animas. Sed & Christus sapientia,& potentia, & petra appellatur, quũ
sit Sermo & homo idem. Intelligatur autẽ & alio modo. Inuisibilis erat terra. Non-
dum enim erat eius contemplator homo, neque ea quæ naturaliter ad ipsam prona
se inclinant,assiduéque ipsam spectant,balatũ edentia animalium genera. *A.* Quid
B est secundum naturam firmamentum quod intermedium separat aquam & aquam
vltracœlestem & marinam? *B.* Primo quidem die cœlum creabatur, quod situm
est supra firmamentum. Secundo verò id firmamentum, quod supra caput nostrum
cernitur, quod alterius quàm superius illud est naturæ. *A.* Quomodo verò cum
vnius & eiusdem sint nominis, alterius & diuersæ erunt naturæ? *B.* Qui studiosè &
non perfunctoriè litteram examinant, etiam in appellatione multum differentiæ
deprehendent. Aliud enim cœlum, aliud verò est firmamentum. Proinde & ex ipsa
appellatione discimus, id quod cernitur solidioris esse naturæ quàm sint inadspe-
ctabilia. Moses siquidem inquit, In principio fecit Deus cœlũ & terram. Hinc verò
firmum illud memorat, Et dixit Deus, Fiat firmamentum. Et Esaias adserens illorũ
quidem tenuitatem & leuitatem naturæ, huius verò soliditatem & crassitudinem
C corporis,inquit: Qui firmauit cœlum veluti fumum,& extendit ipsum veluti taber-
naculum. De eo verò quod cernitur,inquit, Qui fixit cœlũ veluti cameram. Etiam
virum & mulierem,hominem appellare consueuit Scriptura sacra, qúmque sit ea-
dem appellatio,tamen ille quidem robustus & ad grauiora ferenda validus est, hæc
verò mollior & leuior, tam intelligentia, quàm oratione. Superiorum igitur substan- Cœlũ crystallinũ vel glaciale.
tiam silentio præteriens, quantum adsequi possum, eius quod cernitur, naturã cry-
stallinam inquam esse, diuino præcepto fixam & roboratam, vt facilius ferat vltra-
mundana, idémque nostræ crassitudinis expers esse. Vtrosque verò cœlos sustineri
ab ea, quæ omnia vincit & sustinet, diuina virtute. *A.* At quomodo potest crystal-
lum portare & separare multam & infinitam illam aquam? *B.* Per fidem apprehen-
di dogmata Christianorũ solent. Nam vbi vult Deus, subiicitur natura, præter na-
turam seruiens. Sic aqua in vinum conuertitur in Cana Galilææ. Sic in Ægypto ru-
D brum colorem accipit Nilus. Sic præter naturam instar terræ permeabile fit mare
rubrum, instar murorum sectorum constabilita aqua, & in arido, fundo nõ maden-
te pertransit populus. Sit verò tibi incredulitatis castigatio exosus Deo Pharao,
aquis marinis immersus. Nam qui illum in eodem transitu submersum obruit flu-
ctibus, idem olim velut pellem aliquam cœlum extẽdit, supra terram quidem con-
uexum ipsum eleuans, super abyssum autem fundans, quemadmodum docet diui-
norum carminum auctor: Extendens cœlum velut pellem, tegens aquis superiora
eius. Atque hic venit ad nos, inquit, temporibus extremis carnem gestans, & humi-
dum instabiléque mare siccis pedibus transiens. *A.* Atqui iam antè in præceden-
tibus rogauimus te, qui nos toleres, dum interrogamus, non vt increduli, sed quasi
qui aliorum vocibus vtentes, per te velimus ædificari. *B.* Ego verò non abs re ve-
E stram eximiam subtilitatem oro, ne claudicetis gressu mentis in cognoscenda ve-
ritate. Dabimus autem verbi gratia similitudinem, quasi centum cubitis terram ex-
cedat aqua. Quum autem dixisset Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, & diui-
dat inter aquam & aquam, constabilitum rursus fuisse crystallum, quod dimidium
aquarum sustineat, quemadmodum in vitro videre est, ex quo alius sit separatus ca-
lix, qui discernat dupliciter quod infusum est. Maior autem omni humana cogita-
tione est absolutissimè sapiens operatrix illa vis Dei. Animaduerte verò euidentius
exemplum de firmamento, non arte mortalium, sed diuino consilio constitutum,
& quasi doctrinæ gratia nobis propositum, vnum ex quatuor fluminibus de para-
disi fonte fluentibus, quod Phison à doctrina nostra, apud Græcos verò Ister, apud Danubius.

Romanos Danubius, & apud Gothos Danubis appellatur, si hieme congelet, & in A lapideam duriciem mutetur mollis illa fluminis natura, vt ferre possit incedentes in eo armatos, & ad Romanorum, Illyriorum Thracumq; fines transeuntium multitudinem. Ita sanè etiam illud ipsum ex aqua stabilitum firmamētum. Subtus quidem alluitur subterlabente flumine, sed supra se fert equum & vectorem, aliquoties (vt cernitur) numero decies mille. Fit etiam aliquando, vt asperitate hiemis inualescente, & perseuerante frigore, vehemens aqua è nubibus depluat, & per valles, aut montium vertices, aut colles manans, ad fluminis firmamentum feratur, quod diremptum respectu eius quod supernè fluit, quasi intersepto ex aquis firmamento, absque commistione confusioneque manet cum eo quod subest. Consimilia per niuem discimus, quæ excipitur à firmamento de quo dicimus, ita vt sit ipsum intermedium septum crystallinum, separans inter aquam & aquam, instar cœlestis firmamenti ab infernis & terrestribus superna & vltramundana discernentis. Dico B autem infinitis modis fortius, quàm hiems possit, diuinum illud mandatum stabiliuisse impositum capiti nostro firmamentum. *A.* Sed quare sunt aquæ supernæ? vt aliquis hauriat, aut bibat, aut nauiget, aut potum præbeat alteri, aut quémnā propter alium talem vsum? *B.* Quia crystallum esse dixi firmamentum, recepturum erat subiectorum luminarium splendorem, solem inquam & lunam, & reliquum astrorum cœtum, ex igne naturam habentem. Ne igitur illorum ardore resolueretur quod fixum est, per id ab illo discreuit infinitam illam aquam, veluti positam super humeros eius ad refrigerandum inflammationem, & ad leuigandum rotationem, vt illa humiditate crassius redditum resistere possit igni luminarium. *A.* Quomodo verò fieri potest, vt glacies resistat igni, quæ nullo modo fert ignis propinquitatem, neque manus contrectationem, neque auram calidiorem, neque vt veste C tegatur? *B.* At non sunt illa vltramundana terrenis per omnia subiicienda. Nam aliter, quàm pro nostra infirmitate, diuina virtus omnia dispensat atque gubernat. Ex iis igitur rebus, quarum apud nos vsus est, facilibus exemplis vtentes, loquemur de iis quæ supra nos sunt. Lucernæ omnium minimæ in domo maxima lucenti cōferimus regem luminarium, solem, ad cœleste corpus comparatum. Prorsus ac si quis in disco permagno exiguum carbonem ponat, aut lucernam succendat, non solum comburere aut inflammare illum non poterit, verùm ne vas quidem ipsum calfacere quiuerit. Quomodo igitur imbecillis lucerna poterit abyssum constabilitam soluere aut comburere? Et qui calix attingendo lædere poterit frigus hiemis enitētis extinguere per gelu lucernæ ellychnium, & in lapidem conuertere aquam quæ in eo est, & oleum, supra modum frigore lampadem debilitante? Quomodo D verò Amiantus herba ignem sustinere potest, in medium ipsius flammæ posita, omnísque adustionis expers manens? Sed & Salamandram vile animal, diuersa ab igni natura, scimus per medium caminum in ignem insilire, atque pertransire, nihil tamen prorsus per edacem naturam ignis lædi. Proinde neque sol læserit cœlum sub quo currit, cuius matutinos exortus describens diuinorum carminum auctor, inquit: Ipse velut sponsus egrediens ex thalamo suo, exsultabit vt gigas ad currēdum viam suam, à summo cœli egressus eius. Vides hic poni verba Summi & Egressus, non spheræ & adscensus circularis, vt aliquibus videtur vanas coniecturas sequentibus. Et occursus eius, inquit, vsque ad summum cœli. Vide rursus occursum & summum, non descensum & occasum. Sedenim ad sponsalem pulchritudinem huius luminaris accedamus. Inquit enim de eo Dauides: Et ipse velut sponsus E egrediens ex thalamo suo: verbis hisce alacritatem & temperamentum adspectus eius matutini exprimens. Nam quum meridionale cœlum percurrit, sæpenumero refugium quærere tentamus, igneum calorem eius non ferentes. Simul autem in exortu iucundus est omnibus, & velut sponsus adspicitur, & à tempore matutino ad vesperam vsque perpetuò per radiorum suorum reflexiones dissoluit hac suæ facis luce iniucunditatem aëris, aut cum terra ad excitandam fertilitatem quasi coit, eámque fouet, ad proferenda semina prouocans. *A.* At quomodo non soluitur glacies per solis inflammationem, quum tantus sit calor, vt plerique in meridie non ferant eius flammam? *B.* Quia tuum illud, Quomodo, compesci

Glacies.

non

A non vult: iure & ego ex te quæsiuerim, quomodo rubus circa Mosen ardens non comburebatur, sed quasi rore adspersus magis etiam viridis cernebatur? Quomodo cæsaries & pallia sociorum Ananiæ in fornace Chaldæorum, eleuata ad quadraginta nouem cubitos flamma intacta & illæsa manserunt, magis quàm ignis lucentia? Ne verò putarent ij, qui illam augebant stupa, & pice, & naphtha, atque sarmentis, ipsos per præstigias aut imaginariè cohibuisse vim ignis edacem: idcirco quæ cũ eis intus exsultabat diuinitas, facit vt per os camini eleuata flamma in terram excurrat, & eos qui procul ad quadraginta nouem cubitos ab incendio sedebant ministros & spectatores combureret, & in puluerem cineréſq; redigeret. Aut quomodo Elias in igneis quadrigis in cœlum subuolans, ab igni mãsit illæsus, etiam ad suos vsque pilos? Vel quomodo ex Amianto herba ellychnium in lucernam positum, ad B viginti annorum circuitum sufficit, solo oleo semper per lucernæ ignem euaporante, ipsa manente incorrupta? In Deo igitur quiescat illud, Quomodo. Vox Domini perrumpentis flammam ignis, inquit carminum diuinorum auctor. Ad hunc enim modum in rubo deserti, & in fornace Babylonis, & in Elia vate, aliisque prodigiis edacem vim ignis mandatum diuinum resecat, separans ea, quæ apud nos inseparabilia sunt, & innuens futuri diuini iudicij integritatem: vbi illuminatio quidem ignis æterni iustis tribuetur, inflammatio autem aduersariis. Nam dies illa in igni reuelatur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit, inquit eximius ille Apostolus. Cum hoc autem consentiens Petrus diuini ministerij princeps: Qui nunc cœli sunt, ait, & terra igni reconditi seruantur in diem iudicij & retributionis. Seruorum autem suorum sermones obsignans Dominus, inquit in Euangelio: Tunc C filius hominis mittet angelos suos vbique per terrarum orbem, & congregabunt peccatores è medio iustorum, & proiicient ipsos in fornacem ignis. *A.* Quid igitur? an nunquam abolebuntur cœli, nec luminarium illorum erit interitus? *B.* Erit quidem creaturæ dissolutio, non omnimoda tamen sublatio, sed in melius transmutatio, quemadmodum ex Dauide diuino vate discimus, in hunc modum canente: Ab initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum cœli sunt: ipsi intereunt, tu autem permanes. Et rursus de regeneratione subiiciens, inquit: Et omnes vt vestimentum veterascent, & velut pallium circumuolues eos, & mutabuntur. Deficientibus igitur vltracœlestibus aquis, omnia simul liquescent abundantia ignis. nã stellæ cadent, vt de vite folia, inquit eximius ille inter vates Esaias. In catholicis autem epistolis Petrus inquit, Elementa æstuantia soluentur. Quòd autem ad melius, & in statum deinceps non amplius desiturum omnia corroboranda D sint, tradit tam præsentium quàm futurorum diuinus ille vates his verbis: Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. *A.* Num & mare desinet aliquando in consummatione, quum tam magnum sit? num etiam vltracœlestes aquæ? de quibus inquit Deus, Existat inter aquam & aquam firmamentum. *B.* Atqui satis, vt apparet, ab eximio Esaia docemur, mare deficere & euanescere in consummatione. Inquit enim ad Deum sanctus ille vates: Qui dicis abysso, desolaberis, & flumina tua siccabo. Intelligantur autem metaphoricè. Abyssus quidem malitiæ diabolus, flumina autem ex ipso & in ipsum fluentia dæmones: quando illius quidem alluuies nobis letifera est, hi verò fluctuum instar eleuantur & semper insultant nobis per tentationes. Porrò naturam aquarum creator condidit, quę solummodo sufficeret vniuersi huius constitutioni. Non solùm autem ad refrige- E rium vltramundanarum aquarum reseruatum est firmamentum, sed & flammam Deus & luminarium ad inferiora mittit, propinquo suo corpore sursum tendentem ignem ad inferiora cogens, & in radios diffundens per reflexionem, perinde ac si lampadem in manibus nostris tenentes, supernè premamus flammam tabula vel patella, & in radios ac eiaculationes frangamus. Idcirco sublimem solem fecit ipso prior sol Christus, & hinc æstiuum, illinc hibernum ortum, ne diutius in eodem immorando tractu, corrumpatur circumferentia firmamenti, aut aliqua pars orbis comburatur. *A.* Quidnam igitur statuendum de aquis vltramundanis? num similes marinis sunt, amaræ & salsæ, & graues, & muscosæ? *B.* Dimidium est vniuersæ aquæ, id quod supernas in partes est secretum: excepto, quod non habet nimium

illum amarorem, aut grauitatem aut fœtorem, qui est in aqua marina. Nam illam quidem non attingit subter ipsam currens sol, hanc autem perpetuo suo splendore permeans, per vapores haurit & subuehit quidquid omnium dulcissimum & potabile de fluminibus & torrentibus in mare excernitur. Videmus enim sæpenumero regiones aquarum copia inaccessas vno meridie aridas & siccas relinqui, per vapores aqua separata, & per eleuationem nubibus immista, vnde rursus terræ quasi ex spongiis exprimitur, & in pluuiam conuertitur. *A.* Num igitur imbres ex mari suppeditati nubibus, rursus super terram disperguntur? Atqui quomodo potest tantum pondus & multitudo aquarum in nubes subuehi? *B.* Audi Dauidem de Deo canentem: Adducens nubes ab extremitate terræ, fulgura in pluuiam fecit. Alius autem prophetarum inquit: Qui aduocat aquam maris, & effundit ipsam super faciem terræ, Dominus Deus omnipotens nomen ei. Nam collisione nubium per ventos impulsarum, quæ pluuiam ferunt, fulgura fiunt. *A.* Quomodo verò, quum tam multis annis exhauriatur per eleuationem pluuiarum, & omnium participationem, non deficit aqua vel fontana, vel marina? *B.* Aqua fontana non deficit ex mari reddita, & in id rursus defluens per flumina atque torrentes. Propterea illud neque exundare potest, dum quod ex se est, in se recipit: quemadmodum docet rerum diuinarum peritus ille Solomo: Flumina cuncta in mare tendunt, neque mare impletur. Marina rursum non attenuatur propter retributionem quæ fit è supernis, qua id quod euaporauit per solem auctum destillat cœlitus, & exundat per rorem exhalationum aëris cottidie sursum tẽdentium excrescens, vt fit in cubis balneorum per aëris euaporationem madefactis, & vicissim guttas in solum deiicientibus. Etiam sæpenumero videre est aëra crassum ex mari, fontibus, & fluuiis exhalare, qui nihil aliud, quàm aqua mihi videtur esse. *A.* At quomodo ex mari potest esse fontana aut potabilis aqua, quum illa quidem amara & salsa sit, hæ verò dulces, & potabiles, & paullo leuiores? *B.* Nihil horum officere potest iis, quæ hactenus dicta sunt. Nam per expressionem meatuum & obliquos exitus in scaturiendo, pondus illud cum amarore deponitur, & salsugo extenuatur, veluti si vinum aquæ mistum super spongiam vel purum panem fundatur, vinum quidem tanquam crassius intra panis meatus retinetur: aqua verò tanquam magis tenue quiddam & pellucidum, per meatus excolatur. Idem ostẽdit oleum aquæ mistum supra materias prædictas fusum. Nam hic etiam quod pinguius & crassius est remanet, eo quod magis est tenue transeunte ac excreto. *A.* Quòd si res ita se habet, quare non vbique aqua de abysso sursum tendit, sed puteos fodientes haud vulgarem suscipimus laborem, interdum & miserrimam mortem reportantes, in fodinis obruti? *B.* Immò verisimiliter ex puteis coniicere licet, fontanas aquas ex abysso esse, per laxiores sinus terræ redditas. Nam procul ex abysso tendentes, & tortuosè per meatus manantes, feruidæ factæ amaritudinem amittunt, & salsuginem deponentes, dulcescunt. Porrò putealis, vt par est, grauior & subsalsa, & parum potabilis est, propterea quòd fundum abysso propinquum habet, & tanquam cadus aut dolium innatat abysso. Quo fit, vt propter propinquiorem adscensum, & breuiorem exitum amarã aquæ marinæ salsuginem æquare nequeat, sed medio quodam modo adfecta sit, grauior quidem quàm fontana, marina verò leuior. *A.* Quomodo ferũt in sublime nubes marinã aquam? aut quomodo sublata nõ mox effunditur in terram? quomodo item in quibusdam locis pluit, in quibusdam non pluit? *B.* Audi de Deo canentem Dauidem: Qui cõgregat quasi vtrem aquas maris. Alium item dicentem: Qui ligat aquam in aëreis nubibus. Ante hos autem Iobus certaminum diuinorum magister, turris & propugnaculum, inquit: Et non est rupta nubes sub ipsa, scilicet aqua. Intelligatur autem idem etiam de deificatæ humanitatis Seruatoris adsumptione. Nubes enim subiit sub pedes eius, non adiuuans adscensionem: sed vt ostẽderetur illum esse, qui per turbinem & nubes olim quidem ad Iobum, post ipsum verò ad Mosem loquutus esset. Impletis verò nubibus velut vtribus aut siphonibus, loco vinculi, aut digiti, aut siphonis premendo retinentis aquam, diuinum ipsis incumbit mandatum, perinde ac mercatores facere solent, quum demittunt in profundum vas siphonẽ, eoque impleto, oppo-

A oppoſito pollice reducunt, & per totam domum quaſi per mundum ferunt plenas quaſi nubes, & refertur in vſus aqua ſumpta, prout viſum fuerit ei qui hauſit, idq; per impoſitionem & ſubtractionem digiti. *A.* Quum omnia primùm continerentur aqua, & abyſſi tegerentur, vbi congregata eſt, & quò conceſſit, dicente Deo, Congregetur aqua in congregationem vnam, & appareat arida? *B.* Vniuerſi effectrix illa diuina vis quando conſtituit aquam ſecernere ad congregationem & locum vnum: mox & locum ipſam recepturum condidit. Nondum enim erat illud extra Gadira ſitum mare, neque magnum illud quod exhorrent nautæ pelagus, quod Britannicam inſulam & Heſperios Iberas ambit: ſed condita tunc diuino mandato certa regione, ad ipſam ſimul aquarum multitudines confluxerunt. *A.* Eſtne vnum mare ſiue congregatio, vel multæ? *B.* Vna quidem eſt congregatio
B totius elementi, plures verò partes principaliores. Nam ſtagna quæ ad Arctum, & quæcunque ad Græciæ ſpectantur mare, quæque Macedoniam, & Bithyniam, & & Palæſtinam obtinent, congregationes vtique ſunt, quas multitudinem aquæ habere nullus contradixerit: non tamen propriè maria eſſe dicimus, licet propemodum cum mari ob amaritudinem & ſalſuginem miſtæ ſint, qualis eſt Aſphaltites lacus in Iudæa, & Serbonites inter Ægyptum & Palæſtinam, ad deſertum Arabicum extenſus, itémque Hyrcaniam & Caſpiam. Et videmus à nonnullis ipſos eſſe deſcriptos. Oportet enim attendere deſcriptionib. Geographicis eorum qui & viderunt, & ſcitu dignas res memoriæ prodiderunt. Nam occultè conſeruantur inter ſe & coniunguntur vno eóque maximo mari: quemadmodum rubrum declarat mare, parte ſuperiore cum Gadirico occultè coniunctum. *A.* At quomodo congre-
C gationes aquarum maria vocauit Dominus? *B.* Sinus qui ſecundum ſuas ſpecies à circumiacente terra comprehenſi ſunt, maria Dominus appellauit. Hoc eſt, mare Boreale, mare Auſtrale, Eoum mare, & Heſperium mare alterum. Præterea pelagi huius vel illius peculiares appellationes, pontus Euxinus, & mare Helleſponticum, Ægæum & Ionium, Sardoum pelagus, & Siculum alterum, & Tyrrhenicum, & infinita marium nomina, quæ vt à nobis cuncta recenſeantur, præſentis non eſt temporis. *A.* Quare Moſes in principio Geneſis terram nominat, inde rurſus aridam? Annon enim aliud eſt arida, & aliud terra? *B.* Nihil omnino mihi videtur ab arida differre terra: verùm ne cauſam arefaciendi tribueremus ſoli, antiquiorem ſolis ortu ariditatem terræ opifex Deus declarauit, mox à principio deſipientes ab ea vanitate reuocans, ne ſolem Deum facerent. *A.* Quid eſt, quod Moſes inquit: Et
D vidit Deus quòd eſſet bonum? Quomodo omnium præſcius poſtquam feciſſet, vidit quòd bona eſſet lux? Nam ſi homines antequam quid faciant, ſciunt bonúmne vel malum ſit futurum quod perficitur, quomodo Deus poſtquam feciſſet, tunc demum vidit quòd eſſet bonum, quaſi non præcognoſcens id quod facturus erat? *B.* Non hoc volunt iſta verba, delectabilem maris adſpectum Deo viſum fuiſſe. Nec enim opifex rerum intuetur oculis pulchritudinem creatorum: ſed ineffabili ſapientia contemplatur ea quæ fiunt, qui ad Hieremiam inquit, Antequam te formarem in vtero, noui te, & antequam egredereris ex aluo materna ſanctificaui te. Ad Nathanaëlem autem, Antequam te Philippus vocaret quum eſſes ſub ficu videbam te. Qui dicit Abrahamo: Ad tempus illud habebit Sara filium. Iudæis autem, Ante Abrahamum ego ſum. Pulcrum enim ſpectaculum mare albi-
E cans, quum ipſum conſtans tenet tranquillitas. Iucundum item eſt, quando ad auras matutinas horridum dorſo purpureo cæruleóve ſpectantibus obiicitur, neque violenter propinquam terram pulſat, neque penitus quieſcens, ſed pacificis quibuſdam amplexibus litora ſua ſalutans, ad ſemetipſum reſilit. Pulchrum item, quòd diuinum præceptum reueretur, Hucuſque venies, & non tranſgrediere, ſed in temetipſo collidentur tui fluctus. Idem ad reprehenſionem temeritatis ſtoliditatíſque noſtræ inditum ſibi metum oſtendit, ne paullulum quidem fluctibus vltra terminum excurrens, conſpicuam litoribus lineam imprimens, quaſi lingua mandat ne tranſgrediatur terminum mandati diuini. Pulchrum quoque, quòd quũ fluminũ ſit mater, ipſum eadẽ rurſus ſuſcipit, hinc quidem quaſi in lucem proferens, illinc verò recipiens quaſi hoſpites. Pulchrum verò, quòd & plurimum

inter se dissitas continentis terras & vrbes per se coniungit, ac ferens in sua summitate naues, nullúmque præbens impedimentum nautis, partim quidem nautis, partim verò cæteris commercium præbet. Sed & eorum quæ ignorantur, variæ cognitionis beneficium largitur, & in rebus necessariis subuenit indigentibus, exportandi & vicissim reddendi commoditatem ciuitatibus præstans. Non tamen sic & de Deo putandum est, quòd bonum vel pulchrum & iucundum illi visum sit mare: sed bonum de quo ibi habetur ratione opificii iudicatur. Ad eundem modum & de luce & cæteris existimandum est. *A.* Quomodo scripsit Moses, quòd dixerit Deus, Progerminet terra herbam graminis, quæ seminet semen secundum genus & secundum similitudinem suam, & lignum fructiferum, cuius in se sit semen secundum genus: cum tamen videamus multas plantas prorsus infrugiferas, quæ neque semen habent? Quémnam enim fructum habet alnus, aut abies, aut pinus siluestris, aut arundo? Quale item semen habet allium, aut rosa, aut crocus, aut vitis, aut alia innumera infrugifera? *B.* Si quis diligenter & accuratè explicet res diuinas, inueniet omnia absque defectu diuina voluntate producta. Alnus enim fructum præbet in ramis ad vniuscuiusque nostrûm necessitatem: folium repositum facit ad nutrienda in hieme pecora: ex fruticāte stolone oleum quod præbetur infirmis, quod à multis oleum alni nuncupatur. Vice autē seminis rami alni defossi radices agunt. Ad eundem verò modum & abies, & arbor piscea ramusculis & defractis surculis genus augent. Rosa autem, aut allium, aut crocus, partim quidem ad odoris fragrātiam conducunt, partim vt commisceantur degeneranti vino siceræ potoribus, vnguentariis item ad conficiendum artificiosè suffitum, & medicis ad collyria, in cibo sumptum. Sed & aquæ potoribus aquam innoxiam præstant. Arundo verò fructum fert, comam quidem ad spongias, reliquum verò ad instrumenta scriptoria. Vtrumque autem radicum suppullulationibus genus augent. *A.* Quare quasi naturaliter cohærent cum bonis mala, & corruptibilia cum vita nostra, cum tritico zizanium, & cicuta: cum rosis spinæ: cum cæteris nutrimentis helleborum, & aconitum, & mandragora, & succus papaueris, quæ nostram vitā tollunt? *B.* Num igitur relicta pro vtilibus gratiarum actione, crimen intentabimus opifici, quòd quædam nobis ad discrimen, quædam verò vtiliter nascuntur? Aut non reputabimus illud, quòd non omnia propter ventrem nostrum condita sunt? Atqui nobis quidem deputati cibi omnibus in promptu & cognitu faciles sunt. Vnumquodvis verò nascentium peculiarem quandam in creatione rationem implet. Ne enim læderet venenatus taurinus sanguis, non debuit id animal produci, vel carere sanguine, cuius robore in tam multis indiget vita nostra? Atqui ad cauenda perniciosa tibi ratio sufficit. Annon enim oues & capræ norunt refugere quæ vitæ suæ perniciosa sunt, solo olfactu noxia diiudicantes? Tibi autem cui & ratio adest, & ars medicinæ, quæ quod est salubre suppeditat, & præcedentium experientia, perniciosorum fugam suggerens, difficile erit declinare mortifera? Nihil autem horum inutiliter aut abs re natum est, sed aut nobis aut pecoribus ad vtilitatem tributum. Nam cicuta quidem sturni pascuntur, helleboro verò coturnices, vtriusque noxæ immunes quadam dispositione naturæ. Per mandragoram autem somnum infirmis inducunt medici. Succo papaueris corporum vehementes dolores sopiunt. Iam verò & cicuta quidam rabiem appetituum sustulerunt, & helleboro multos diuturnos morbos extirparunt. Quare quod putamus inimicum esse nostræ naturæ, id nobis in augmentum gratiarum actionis accessit. *A.* Quare de herba & arboribus, Progerminet terra, inquit, de pecoribus autem & bestiis, Producat? An non aliquam dissonantiam habet, vtrisque ex eodem prouenientibus ventre? *B.* Quandoquidem germina & fructus quotannis germinatura erant, & in terra remansura, in ipsam, velut in sinu matris defluentibus floribus desinentia, & ex ipsa rursus enascentia: animalia verò semel ab ipsa producta, non amplius ex ipsa, sed à succedentibus procreantur. *A.* Quare non cœlum tanquam primum à se creatum exornauit, sed eius quæ post illos condita est, terræ priorem curam habuit, quum tamen secundum consequentiam creationis deberet addita fuisse cœlo primùm exornatio? *B.* Propter errorem de multitudine Deorū, qui oriturus erat,

A erat, qui etiam nunc apud multos obtinet, qui Solem pro Deo colunt, cum noctu ad illius occasum sint impij, ne existimarentur fructus calore Solis productos à terra digeri, & nō ab omnium moderatrice diuina potentia vnumquodque perfici ad eam, quæ ab illa definita est magnitudinem. vel etiam, ne auctorem & patrem lucis Solem putarent aliqui, eam ob causam terra prius, quàm cœlum, est exornatum. *A.* Et quare non die primo, abysso adhuc obtinente cœlestia, nondúmque congregata aqua ad congregationem vnam, fecit Solem, & Lunam, & stellas? *B.* Eò quòd nondum erat firmamentum in quo luminaria erant reponenda. In principio enim, inquit, fecit Deus cœlum & terram. Non id quod cernitur, sed supra id quod cernitur, constitutum. *A.* Num & multitudinem dicis cœlorum esse supra firmamentum? *B.* Numerum quidem nullus sanctorum vnquam pronuntiauit, excepto eximio Apostolo, qui ad tertium se peruenisse clamat. Non tamen in eo
B numerum ipsorum collocat. nam quòd inquit se raptum in tertium cœlum vsque, per articulum Vsque, subinnuit etiam alios supra tres constitutos esse. Et Dauides diuinorum auctor carminum, Laudate Dominum ex cœlis, inquit. Et socij Ananiæ diuini: Benedicite, inquiunt, cœli Domini Dominum.: vtrique numerum per spiritum subticentes. Quid enim nos iuuabit summum, & numero superius scire cœlum, quum ne quidem id quod est ante, & super capita nostra, conscendere mente velimus, materie crassa grauati & adfectibus: id quod mente percipi potest obscurantes, inferioribus & humi positis semper inhiantes? *A.* Quid igitur? num aliud secundum naturam putas id, quod suprà positum est, ab eo, quod cernimus, & firmamentum dicimus? *B.* Subtilioris illa esse substantiæ dico ab eo
C quod secundum est, tanquam superiora, & leuiora, velut bullæ in glacie enascentes. Id autem quod cernitur densius, propter gestationem vltramundanorum. Laudate enim Deum in firmamento virtutis suæ, inquit Dauides. Cum hoc autem consentientes Ananiæ socij canunt, Sit benedictus, inquiunt, in firmamento cœli. Ante hos autem Moses indicauit, aliud quidem esse quòd initio mundi factum est cœlum primo die, aliud verò quòd secundo firmamentum. Nam illic quidem, In principio, inquit, fecit Deus cœlum & terram: heic autem, Et dixit Deus, fiat firmamentum, alterius & naturæ & vsus. *A.* Quomodo verò non delabuntur per præruptam compagem firmamenti aquæ quæ supra ipsum sunt? *B.* Non omnino concauæ sunt summitates, sed æquales & planæ, velut balneorum tectum, & sub antris structuræ docent, quæ infernè quidem adspectæ, conuexæ visuntur, supernè verò apparentes, decliues & planæ & habitabiles sunt. Ad eun-
D dem modum & diuinæ protensiones, infernè concauæ videntur in supernis esse, supernè supinæ & æquales sunt, ad se recipientes præclaros in ecclesiis viros. Non enim eo modo, quo mortales, operatur Deus, neque eadem ratione, aut nunc hoc, nunc aliud fundamentum ponit, sed supra molle concamerauit grauius, instabili autem & diffluenti crassum & materiale præualet. Atque sub cœlo quidem aëra & & eminentiam abyssi expandit, terræ verò aquas inseruit, sub leuioribus grauiora conspici imperans. Vtraque verò ex diuinorum carminum auctore discimus: Qui stabilit in aquis superiora eius, qui ponit in nube adscensum suum. Et post alia: Cōfitemini, inquit, Domino, qui firmauit terram super aquis. Atque architecti quidem pro magnitudine domorum in altum ædificantes proportione altitudini respondentia fundamenta subdunt: & nauium structores decem millium capacē na-
E uem fabricantes, congruentem ponderi mercium carinam conglutinant. At Deus meus primò fastigium supernè extendit, atque sic demum fundamentum supposuit: primùm vela expandit, ita demum nauem huius creaturæ subtus fabricatus est, quasi in ponto ferentem procellosam hanc & instabilem vitam, quæ neque læta durabilia, neque tristia possidendo perseuerare potest, vsque quò tranquillum consummationis portum subierit ex præsentis turbinis procella. O miraculum! Quomodo solubili innatat terra? Quomodo per liquidum non penetrat graue? quomodo mōtes in molli non submerguntur? Oblitus sum mei ad Deū dicens, Quomodo? Quis enim intelliget quo pariete contineatur abyssus, aut quis extremus eius fundus & angiportus inferiora continens? ad immensa enim & infinita deficit meus

intellectus, dum sic procedit, præter inuentas sedes imas & bases insuper alias excogitans, vltra quas quod succurrat nihil est, Solomone inclamante, Sublimiora te ne quæras, & profundiora te ne scruteris. Quæ tibi mandata sunt, illa cogita, credens conseruatricem vniuersi diuinam potentiam omnia sustentare & conseruare, & omnia penetrare ad gubernandum in vniuersum omnia. *A.* Vnde facta sunt luminaria Sol & Luna, & astrorum cœtus? Quòd Dei quidem sit opificium scimus, sed de substantia quærimus. *B.* Ex primigenia luce mihi videntur luminaria esse. Nam materiam lucis producens Deus, inquit, Fiat lux, & facta est lux. Transmutans autem in varias species materiã, inquit, Fiant luminaria. Veluti si quis primùm promat massam auri, quam in numismata sectam, duo præcellere magnitudine faciat, & in orbe permagno coniungat, domúsq; tecto applicet, oblectans quidem adspicientium oculos, immortalia verò faciens monumenta suæ industriæ, ipsáq; procul à firmamento remouens, deinceps illi subiecit. Inquit enim ipse diuinorum enarrator Moses, Et fecit Deus duo luminaria magna. Hic mihi attentas aures præbe, ô præclare. Nam ex ipsa elocutione manifestum faciam, luminarium creationem extra firmamentum esse. Inquit enim Moses, Et posuit ea in cœlo, inferiora significans, aut extra tectum orbes ipsorum describens, sicq; deinde ei subiecta esse. *A.* Num simul illa duo constabiliuit, aut à se inuicem disiunxit? *B.* Etiam post terræ exornationem sol productus est, ne ipsum aliqui lucis auctorem nominarent, néve de terra nascentium opificem. Primùm enim lucis natura producta est. Quarto verò die Solaris corporis currus primigeniæ luci paratus est, velut aliqua lucerna propter impositum sibi ignem. Quemadmodum autem aliud quidem est albedo, aliud verò dealbatum corpus: sic & hæc diuersa quum sint, vnita sunt, licet discreta sint. Enimuero quæ opinione nostra sunt separabilia, operatione differunt, virtute eius qui fecit. Qui & vrendi vim in igne à splendore separauit, velut in rubo, & in fornace trium puerorum, cuiusmodi & in terribili iudicio audimus ignem fore, qui iustos quidem illuminet, comburat verò peccatores. Quemadmodum testatur Dauides, Vox Domini perrumpens flammam ignis. Eorum verò quæ de passionibus Lunæ quæruntur, breuis comprehensio est, quòd decrescens non toto corpore suo consumatur, sed circumiacente luce deposita, rursúsque assumpta, decrementi & incrementi species præbeat. Potest enim in aëre puro videri eius obscuratio tanta circumferentia circumscripta, quanta in pleniluniis est. Idem intelligas & de Sole: Nisi quòd hic quod semel accepit, id inseparabile habet, illa verò assiduè induitur & exuitur. Et hæc de Sole dicta creduntur. Porrò situm eorum ex Mosaïco scripto intelligamus. Inquit enim, Et fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento. Luminare magnum in dominium diei, & luminare minus in dominium noctis. Ergo sibiinuicem è regione opposita locauit, illum quidem in regione matutina, hanc verò in vespertina. Et illum quidem qui diei præesset: hanc verò quæ nocti. Vt sibi ex opposito currentes, ille quidem per diem nocturnum, hæc autem per noctem diurnam, ad eundem pertingant ortum. Vt inclinante die, hæc in summum ortus matutini veniat, agens veluti regina, splendoribus noctem exhilarans. Ille verò tenebris ingrauescentibus ad idem centrum appellens, veluti rex præsidentia sua regionem omnem quæ sub cœlo est illustret. Vt sit illius quidem ortus, huius occasus, & huius præsidentia illius subtractio. Vt perficiatur illud, Dominentur diei & nocti. *A.* Quomodo quum elapsi essent dies ab ortu rerum quatuor, plena erat luna, & totum mundum illustrabat, non aliter ac si dies quindecim elapsi fuissent? Quomodo verò hodie quum itidem quatriduana est, non similiter per noctem illuminat mundum? *B.* Quatriduana quidem respectu præcedentis conseruorum ortus dicitur, non quasi quatriduana fuerit, quæ postmodum creata apparuit. Enimuerò quum condita est, perfecta erat. Non enim debuit mutilatum aut semiperfectum esse diuinum opus. Quòd autem nunc non talis conspicitur, quando quatriduana est, ne quidem quæstione dignum arbitror, si nostram imaginem consideremus. Perfectus enim primus pater noster Adamus creatus, perfectam quoque vitæ consortem accipit. Atqui videmus illorum posteros non eandem seruare æqualitatem magnitudinis, neq; item ad generãdum progredi,

A gredi, niſi prius proceſſu temporis ad debitam peruenerint magnitudinem. Poſtea-
quam autem hanc aſſequuti fuerint, interuentu mortis in terram rurſus deſinunt.
Paulo pòſt vero per reſurrectionem renaſcuntur, depoſito & denuo induto corpore
iuxta Lunæ ſimilitudinem. Vndecim autem dies, quibus ſuperauit ſolem, non ſub-
ſtantia ſed natura rependit ei, per quemlibet menſem dies viginti nouem & dimi-
dium numerans, & trecentos quinquaginta quatuor dies abſoluens per anni cir-
cuitum, ſecundum Hebræam ſupputationem. Non enim norunt illi menſes Roma
norum, qui apud nos ſunt, ſolam ſequentes Lunam. *A.* Quid eſt hoc, Sint in ſigna
& in tempora, & in dies, & in annos? Si quidem aſſerunt aliqui multa ex principiis
iſtis iudicari de humana natiuitate. *B.* Circunſcribunt quidem ſuam natiuitatem
aſtrologicis ſupputationibus vani homines. Quod verò ex aſtris non poſſint quic-
B quam portendere de mortalium vita, teſtatur Eſaias, dicens: Surgant aſtrologi cœ-
li, qui ſtellas intuentur, & annuntient tibi quid futurum ſit. Sed paulo pòſt latius il-
lorum fabulas explicabo. Signa verò cœli & aſtrorum merito receſeantur, imbres,
flatus, tempeſtates, ver. Hæc ex aſtris dicimus per Dei erga genus humanum boni-
tatem, vt in mari nauta, ſignum videns, ad portum nauem dirigens, naufragium ef-
fugiat: vt agricola anniuerſarium Eteſiarum ſignum ſequutus, fodiat aruum: vt via-
tor in diuerſorio minus diu moratus, effugiat ingruentem imbrem aut grandinem.
Fiunt ſigna & belli & pacis, quæ ad Iudæos concionans confirmauit Seruator. *A.*
Quid igitur? Num idem putas eſſe temporis articulum & ſignum, & tempus? At-
qui quomodo Scriptura differentiam indicans, inquit, Et ſint in ſigna, & in tempo-
ra, & in dies, & in annos? *B.* Aliud quidem eſt tempus, aliud verò temporis articu- χρόνος καὶ καιρός.
C lus. Nam illud quidem prolixioris ſpatii ſignificationem habet, hoc verò opportu-
nitatis. Neque enim dicimus, Inſtat ſpatium temporis meſſis, aut vindemiæ, ſed op-
portunitas: neque ſpatium temporis vt nubat puella, ſed tempeſtiuum eſt: quæ qui-
dem nos ſapiens ille docet Solomo. Signa autem aſtrorum illa dico, Ortum qui-
dem Pleiadis initium meſſis & nauigationis, occaſum verò diuerſum. Nam ille qui-
dem congregat, hic verò ſpargit in aruis ſemina. Illud autem, In diem, quæ periodo
ſeptimanæ conſtat, diem ſabbatiſmi dicit. Omnia enim feſta laborum intermiſſio-
nem habentia ſabbatum apud Hebræos appellantur, quorum ab ipſis præter heb-
domadarium cyclum tria in anno perficiuntur. Aliquoties etiam præter quàm pro-
priè dictum ſabbatum. Dies enim ſabbati erat & tempus quo veſcebantur infer-
mentatis: ſimiliter & Pentecoſtes: ad eundem modū & Scenopegiæ. Et extra pro-
priè ſabbatum dictum, ſi temporis periodo incidat ipſis feſtum, ſabbatum diem ap-
D pellant, quod declarans eximius Apoſtolus Matthæus, ſabbato ſecundo primo in-
quit. Eum diem ſignificans, qui poſt ſabbatum proprium ipſum per feſtum ocio va-
cabat. Proinde menſes Luna perficit, annos autem Sol: illa quidem per periodum
dierum plena facta: hic autem ex periodo menſium in eodem centro ortus matuti-
ni conſtitutus, cōuerſiones ſeruans æquinoctii, æſtatis & autumni. *A.* Eſtne ſphæ-
ra cœlum, aut hemiſphærium, quod actum circulari motu Solem ſub terram fe-
rat, aut alio modo curſum ei tribuat? *B.* In his vtriſque ab eximio Eſaia inſtitua-
mur, qui clamat: Qui conſtituit cœlum velut laquear, & extendit ipſum velut pel-
lem. Quod igitur conſiſtit, non mouetur circulariter: quod expanſum eſt, non ſub-
tus fertur. Principium igitur habet cœlum & terminum. Non enim inquit Scri-
ptura, Aſcendit Sol, ſed, Egreſſus eſt ſupra terram, & Lothus ingreſſus eſt Segorem.
E Non globum, ſed laquear eſſe confirmans. Et Dauides inquit in carminibus. A ver-
tice cœli egreſſus eius, (non aſſcenſus) & occurſus eius vſque ad ſummum cœli:
non autem deſcenſus eius aut occaſus. Ne ipſum percurrentem circulariter moue-
ri faciat. Et iterum, Et ipſe, inquit, velut ſponſus non aſſcendens ex thalamo ſuo.
Ipſe verò concionatur Dominus: Mittet, inquit, angelos cum tuba & voce magna,
& congregabunt electos ab extremo cœli vſque ad extremum eius. *A.* Quomodo
igitur occidit Sol, ſi nō fertur ſub terram, & quínam locus eſt qui radios eius inum-
brat? *B.* Peragratis celeri curſu cœleſtibus terminis, poſtquam latus quoddam, bo-
reale nempe clima ſubierit, eleuante ſe Cappadocū ſolo, inumbratur quidem radio-
rum fulgor per ſiluas & aquas ex ſuperna repreſſione firmamēti, perfractis ad latera

radiis, & per eminentiam terræ luce ipsius exclusa, ídque secundum prius exhibitam similitudinem lampadis, cuius apud nos vsus est, si testa fax comprimatur, & aliqua ex parte inumbretur, ad aliquod liberum latus lux recedit. Hoc modo etiam Sol peruenit ad orientem, occultè borealem plagam permeans. Estq; nobis illustris testis in rebus diuinis sapiens ille Salomo: oritur (inquit) Sol, & occidit. Ortus per occasum graditur, & gyrans circulariter fertur ad Aquilonem, & in locum suum redit. Adspice proinde ipsum per meridiem currentem, & plagam borealem circumeuntem, vt intra præscriptum ab oriente feratur. *A.* Si absque intermissione cursus eius est, quomodo æstate quidem maiores nobis dies efficit, hieme verò minores? *B.* Eò quòd non ab eodem centro semper procedit, sed prope meridiem constitutus, non altam sed obliquam incedens viam, breuiores nobis dies efficit. Occidens verò in summo plagæ vespertinæ, ambit per noctem omnem occidentem, & Arctum, & orientem, quo perueniat rursus ad summum meridiei, inde rursus diurnum celerem cursum incipiens. Vnde (ceu constat) accidit, vt nox lõgior, dies verò breuior efficiatur. Quando verò æqualiter per medium agit æthera, ęquinoctium perficit. Æstate verò rursus ad borealem vergens plagam eleuatur, ac nocti quidem aufert, addit verò diei per breuiorem noctis circulum. Luna autem non prorsus per imminutionem deficere deprehenditur, sed ex parte orbis inumbratur: ipsámque adspicere licet decrescentem atque deficientem sub nube obscuratam, quæ veluti veste bombycina rursus induta luce, attracto complemento, instar reginæ procedit. Estque euidens imago nostræ naturæ nascens, crescens, plena, decrescens, imminuta, occidens, non tamen prorsus intercidens. Consimiliter & nos nascimur, crescimus, ad plenitudinem euadimus in senectute: ita deinde deficimus vigore faciei, decrescimus elegantia coloris, & gratia floris in vultu, rubori pallorem inducentes. Imminuimur corporis robore, incipientes incedere curui, & inniti baculo, ad terram inclinati, & ipso habitu ipsam obtestantes, Ecce adsum. Morimur, & in ipsam desinimus corpore, non tamen intercidentes spiritu, sed paulo pòst deposito carnis pallio rursus anima vestitur. Non enim ego sum corpus, sed ego quidem anima, meum autem hoc corpus, & quæcunque ex terra nascuntur, vnde & hoc rursus post interitum nascitur, vt Luna quæ veluti reuiuiscens, sub adspectum omnibus venit. Quandoquidem & nos in sepulchro intereuntes, rursus resurgemus, quasi renati secundum verbum illud diuinum: Quando venerit filius hominis in regeneratione: quo nostræ resurrectionis tempus significatur.

Luna hominis imago.

CÆSARII V. C.

DIALOGVS SECVNDVS.

A.



QVandoquidem audiuimus heri te ad eos, qui quæsiuerant, dicentem, inanimatam esse terram: si inanima est, quomodo generat animata, bouem, ouem, leonem, draconem, & cætera genera pecorũ & reptilium, & bestiarũ? *B.* Nihil horum animatam terram esse demõstrat. Siquidem hoc modo concedemus omnino & vitem cum botris delitescenté, confestim proferri: & palmam arborem fructum plenum proferentem sub terra mox exsilire vt appareat: aut vt triticum plenam spicam & ad messem paratam subtus protendat, rursúsque diuino præcepto oriatur. Verum non habet rationem similitudo. Nam si terra animata ex eo est, quòd animata profert, seipsam anima destituit. Nã qui animam educit, siue suam siue proximi, mortuus omnino & exanimis est, vitalem causam eiiciens. *A.* Num igitur, quandoquidem homines viuentia & animata generant, edito in lucem infante inanimus relictus est? *B.* Verùm nihil aliud quàm organum homo generat, animam autem immittit Deus. Nusquam enim in Scriptura dictum est: Producat mulier animam viuentem, neque quòd Eua concipiens, aut Sara, aut Elisabeta produxerit animam, sed quòd genuerit infantem puerum.

Cur

A Cur cæteroqui plurimæ matres generant sola corpora, anima destituta, siquidem poterant animatum producere fœtum? Aut quare fœtũ mortuum enixæ, super eo lugent & plorant, & non mox animam indunt mortuo: siquidẽ denuo fas erat animam generare? Quomodo verò quoduis animatum ferro dissectum aut laniatum, mox sanguinem profundit instar torrentis, & circumquaque rubefacit subiectum? Terra verò arata, pastinóque dissecta, & in puteum effossa non clamat, non reddit sanguinem, non rubefit, non contradicit percussoribus, vt animata omnia solent. Quomodo verò allium & cepæ, aut aliæ plantæ cultro vel falce amputatæ sanguine non perfunduntur, siquidem animatæ sunt, secundum Manichæos vaniloquos & stultos, qui fœtidam maledicentiam in suis animabus circumferunt? Omne autem animatum terrenum & marinum omnino erit, & sanguinem habens. Non igitur animata terra est, neque quicquam plantarum, aut luminarium. Nusquam enim B de his inquit pagina sacra, quòd inspirauerit ipsis flatum vitæ, quemadmodum inquit de homine. Absit igitur à te procul quæso illorũ dementia & delirium. Omne enim animal sibi simile generat, bos bouem, similiter & equus equum, & caprea, & tigris, & oneribus portandis destinata iumenta, bestiæque crudiuoræ, vnumquodlibet suam naturam eámque solam generat. Quomodo igitur terra quum vnius naturæ sit, tot queat animas generare alterius generis & inæqualium animalium, nisi diuino mandato animarentur quæ inde producuntur? Quomodo verò & aquæ eidem diuino iussui obnoxiæ, quum sint vnius naturæ mollis & fluxæ, innumera genera natatilium animatorum, cæterorúmque & aliorum piscium cartilagineorum, in vno temporis momento consimiliter cum terra excreuerunt? Quî res mollis & fluida produxit corpora animata, solidáque & lapidea, in abysso fluitantia, adæquata C montibus magnitudine, cuiusmodi sunt phocæ, balenæ, priones, gauri, &c. horribilia dictu & aspectu in profundo degentia animalia, quorum non est præsentis temporis expositio? Quomodo igitur, siquidem vna natura animata est aqua, innumera effluxerunt genera natatilium & volatilium, aliter nascentia, & aliter viuentia, & quidem diuerso victu viuentia: nunc quidem super terram, nunc verò in aquis victum quærentia? Niliaci sunt in Ægypto crocodili, ad occidentalem Phisonem canes fluminei: Euphratæi gryphes, palustres ranæ, & apud nos echini & cygni. Atque innumera quis inuenerit amphibiorum genera, quæ nunc quidem in pratis & medimnis semina colligunt, aut herbas comedunt, vnà cum terrestribus animalibus: nunc verò in aquis natantia leuiores fluuiatiliũ cibos comedunt: quod & crudiuora ex terrestribus facere solent. Sed ad propositum sermonem guberna- D cula vertamus, prophetica sequuti dogmata. Nusquam enim terram animatã pronuntiant, sed diuina virtute & spiritu animari ex ipsa pullulantia: diuino quidem Dauide canente, Mittes spiritum tuum, & creabuntur: Esaia verò velut in persona Dei manifestò clamante: Ego Deus qui feci cœlum & terram, & qui dat flatum vitæ omnibus calcantibus eam. *A.* Nihil quod mugit, aut rugit inanimum esse dicimus. quomodo igitur rugit terra, siquidem inanimata est, & quomodo mugit quando concutitur? *B.* Similiter & mare subterraneis spiritibus intumescens, quasi stridorem aliquem aut mugitum reddit. Etenim illud sæpenumero euaporante profundi æstu commotum & exundans, sonitum efficit, allidens semetipsum procellis vehementioribus. Quiescente verò flatu, velut inanimatum haud clamat, sed sopitum profunditatis tranquillitatem habet. Cæteroqui num putatis aquaria E vasa, vel dolia animata esse, quæ audimus stridentia & mugientia, quum penetrat aërius spiritus? occisa verò capra & excoriata, cuius constat ipsam pellem inanimam esse. In vtrem verò cute commutata, & spiritu distenta, deinde rursus compressione manuum nostrarum emisso flatu, quomodo stridorem quendam, aut mugitum reddit inanimata? Quomodo item musico seruiens instrumento, ductu hominis variè illo vtentis quoduis carmen efficitur, ac tam lugubriter quàm remissè per fistulas resonat? Num igitur animatas dicemus quòd inflatæ musicis insonant instrumentis hominum excogitatione? Item cithararum chordas, & tympanorum pelles tinnitus & sonos edunt, pérque tactum eius, à quo tenentur, strepunt. Ad hũc modum cogita & terram, per alterius alicuius operationẽ, mugire &

concuti. *A.* Quomodo igitur tres illi pueri omnem creaturam animatam innuūt, A
canentes in fornace: Benedicite omnia opera Domini Dominū, celebrate & exaltate ipsum in sæcula. Benedicite angeli, cœli, terra, sol, luna, astra, rores, pluuiæ niuales, glacies, niues, lux, tenebræ, noctes, dies, montes, colles, mare, flumina, & omnia quæ sequuntur? Nam hoc, esse illa animata significatur. *B.* At non omnino animatas ostendit esse illorum sanctorum hymnus, præter homines, etiam bestias, & cetos & cætera terrestria & aquatilia. Angeli enim benedicunt vt rationales spiritus, & ministeriales: cœli autem, non sermone & voce, sed suppeditatione imbrium & firma constitutione. Sol autem & luna, exortu, & mutua vicissitudine cursus & radiorum eiaculationibus. Præterea processione ordinata Lucifer quidem diem annuntiat, Hesperus verò diuersum. Pleias conspecta securitatem nauigantibus pollicetur: occidens verò diuersum . . . . . . aliquando quidem ad matutinas, ali- B
quando verò ad vespertinas partes axem flectens, noctem & lucem significat. Terra verò fructibus benigniter fouens mortales, laudat Dominum. Mare prosperitate profectionum, & lignis permeabilis, piscésque nobis proferens & conseruans, Dominum laudat. Animalia autem bruta, & homines: nos quidem cū ratione laudes offerimus, illa autem portantia laudantes, & vota facientes, ordinatè ab illis gubernata, & in timore cohibita, Dominum prædicant. Nihil enim minus quàm pro nobis ipsis, etiam pro iumentis orare consueuimus. *A.* Si in firmamento fixa sunt astra & luminaria, consistit autem immobile (vt dicitur) cœlū, quomodo currit per ipsum sol & luna, non secantes ipsius substantiam? Quomodo item in glacie figi potest ignis, ita vt non soluatur? *B.* Non sunt fixa, sed sub firmamento aptata, & feruntur quidem in æthere leuitate naturæ, currunt verò sub firmamento: illius quidem C
refrigeratione secundum proportionem ad inferiora compulsa, verùm aëris subiecta crassitudine sublata. Omnibus enim creatis leuior est ignis natura, ideóque angeli etiam hanc sortiti sunt. Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos, ignis flammam, inquit in melodiis Dauides. In Epistolis autem Paulus: Aëra superant luminaria leuitate ignis. Penitus autem ad firmamentum appellere, aut eius aliquam partem inflammare non possunt, propter aspirans desuper frigus cœlestium aquarum. *A.* At quomodo ventorum violentia in astra non impingunt, aut impediuntur cursu? *B.* Spirant infernè flatus, & sub sole feruntur nubes, vt in alto meridie videre licet, quomodo nubibus agitatis superuolans inumbretur sol. Flatus autem violentia terræ contermina quum sit, meritò commouet abyssum, & in aëra spargit puluerem. Quomodo verò flatuum vis exiguam aliquam domum aut lapidem mo- D
uere quum non possit, mouebit aliquando vel transferet solem quauis ciuitate maiorem, aut ad astra collidet? *A.* Si nihil ad hominum natiuitatem conferunt stellæ, neque possunt inde indagari quæ nobis accidunt, quomodo in natiuitate Christi exorta est, quæ magis dux viæ fieret? Aut quomodo illi regalem agnoscentes stellam, ad iter suscipiendum moti sunt, ad adorandum puerum per stellam deducti? *B.* Quia Samaritani & Sadducæi angelos non recipiebant, meritò stellam angelum Diuus Euangelista vocat. Sed & cultum astris impensum ad Christum trahens, à multorum Deorum errore mortales reducendo, velut stellam ponit angelum viæ adorationis ducem. Non enim alia re Magi ad adorationem excitati sunt, quàm opinione sui cultus. Quum autem remissior & infirmior magia facta fuisset per deificati hominis natiuitatem, qui stellas fundauerat, & ordinem ipsis præ- E
scripserat: re intellecta errantes illi Chaldæi, confirmato ad supplicandum animo, expiato errore, sua eunt sponte, tanquam Euangelistæ & primi præcones Gentium de diuini hominis aduentu. Surgentes igitur prophetia eximii Esaiæ audita, clamant: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius Magni consilii nuntius, Deus fortis, Dominator, princeps pacis, pater futuri sæculi. Hoc autem quum ante quingentos annos ab illo viro sancto prædictum fuisset, licet illi non audiuissent: tamen reipsa demonstrarunt, legi & prophetis vacantes Iudæos intelligentiæ expertes esse, atque ita in fide pergunt. Quòd verò non stella, sed intellectilis quædam & rationalis potestas fuerit ille Magorum dux, ex ipsa discimus tum motione tum institutione. Nam stellarū illæ quidem quæ semper sunt mobiles,

A mobiles, nunquam à motu quiescunt: quæ verò fixæ sunt, non mouentur. Hæc autem vtrunque recipere videtur, nimirum quæ & mobilis esset, & fixa, atque etiam ab iis qui ducebantur, sese subduceret: ita vt interrogantibus ipsis, Vbi est natus ille rex Iudæorum? turbatus sit rex Herodes, & tota Hierosolyma, & diuulgatus diuinus partus, latéque sparsus à magis, propter ademptum viæ ducem. Rursus autem apparens, constitit supra antrum, vbi infans erat, inquit eximius Matthæus. Nam nisi per intermissionem apparuisset, non fuisset commota Hierosolyma interrogatione magorum, neque irritatus fuisset Herodes, de rege audiens. Nisi intellectilis aliqua & rationalis potentia illa stella fuisset, non vtique eius qui natus erat, ministram se declarasset. Nunc autem quod circa reges fieri solet, vocat quidem & præcedens diuinus hic cursor deducit ad regem aliquos: postquàm verò ad portam laB tioris plateæ venerint, vocatos ad limina stare iubet, vsque dum aduentum ipsorũ regi significauerit, sicq; deinceps ad ipsos reuersus, ad tectum aureum & ad regem intus sedentem deducit. Ita hic stella quidem conspicitur, angelus autem esse intelligitur, & gentium dux. Quænam cęteroqui vobis videtur esse maxima stella? Num sol? Omnino dices maximum esse sidus solem. Quis igitur quum est in medio cœlo constitutus, dicere queat, quámnam vrbium aut vicorum præcisè ostendat, aut quámnam domum quasi digito designet? Compara igitur stellam cum sole, velut . . . . ad elephantem, & astrum diuinum ad omnium maximam ciuitatem, veluti cum camelo culicem. Si igitur non scimus quam maximarum vrbium designet supernè imminens ille luminarium rex, quomodo stellam exiguam ostendere speluncam dicam, si non angelus fuit, propinquum terræ in sublimi iter faciens, & doC minũ indicans? Facessant igitur hinc cum sua dementia, qui stellam vnà cum vniuscuiusque nostrum natiuitate oriri putant, fabulosi nugatores, cum eodem moriente stellam quoque deficere delirantes. Quum enim duo tantùm homines essent in mundo, Adamus inquam & Eua, plenum erat astris cœlum. Rursúsque sublatis per aquas tempore Gigantum omnibus animatis naturis, præter eos octo qui cum diuino Noa seruati sunt: non simul ablata sunt astra cum illis, qui aqua deleti sunt, neque vel paululum à suo recesserunt ordine. *A.* Quomodo verò Scriptura astrologum dicit Abrahamum? aut quomodo & alios inuenimus plurimos, qui ex astris multa quæ fiunt apud nos prædicunt, veluti quòd hic infans adultus, in homicidam euasurus sit, aut adulterum: ille verò in sobrium, & modestiorem, & fortunatum, beneficio sideris? *B.* Patriarcham quidem Abrahamum historia astronomum vocans, nusquam ponit ipsum pro diis habuisse vel coluisse stellas. Verùm ad agriD culturam, & imbres, & siccitates, tempestatésque ipse obseruasse patriarcha creditur, vt qui patre genitus esset gentili Thare, & cum Chaldæis versatus, qui multitudinem Deorum credebant. Non enim iuxta leges siderum, sed iuxta pietatem in Deum primùm sibimetipsi, & deinceps Isaaco filio circumcisionis acutum cultrum adhibuit. Neque secundum astronomiam, sed diuinam promissionem ex sterili & decrepita consorte sobolem se procreaturum credidit, cum qua ab adolescentia & florenti ætate vsque ad ipsam caniciem, & extremam senectutem versatus erat. Nunquam certè astronomiæ paruit, ne tunc quidem, quum astrorum opifex per tentationem filium immolare præcepisset. Neque astra sequens, sed Deo obediens, Chaldæam cum Mesopotamia Syriæ permutat. Obsecro autem acumen illud tuum, præclarissime Constanti, vt in præsenti sacro cœtu paullulũ auscultandi
E gratia tacente, astronomicã genesim nostram, quam tu statuis, explices mihi, quænam siderum sit tam mistio, quàm coniunctio: donec diuina virtute ac sapientia subuersis quæ à te agitantur dogmata, rursus per sobrietatem & doctrinam melioribus in te excitatis, quemadmodum & ab excelso Apostolo dicitur, demolitis legalibus, & vicissim exaltatis Euangelicis, nequitia fracta, & in melius restituta, paceq; cum meis dogmatis reconciliata, & illis qui vnà ad audiendum hunc sermonem excitati sunt, illæsis abeuntibus nec improbitatis gentiliciæ quidquam secũ asportantibus, Dauides quidem auctor ille diuinorum carminum subiiciat, Hæc est mutatio dexteræ altissimi: eximius autem vates Esaias acclamet in persona Dei: Ego sum Deus ille, qui facit pacem, & mala in melius reuocat. *A.* Facta

mihi dicendi potestate à sanctitate vestra orationem auspicabor, non vt corrumpã A præsentes, sed vti rem perniciosam abiecturus. Quando igitur Mars centrum tenẽs in domo sua, quadrato aspectu cum Mercurio centrum Lunæ, quæ plena esse incipit, in generatione diurna intuetur: efficit homicidas & interfectores, iuramentorum vsurpatores & potores sanguinis, ebrios, effœminatos, dæmoniacas notitias absconditorum mysteriorum scrutantes, magos sacrificos, & quæ sunt istis similia: si præsertim nullius alterius beneficæ stellæ aspectus sit. Rursus idem Mars intuens Venerem aspectu quadrato, si non sit aspectus alicuius stellæ beneficæ in centro, adulteros efficit, rem cum sororibus & matribus habentes. Venus cum Luna in finibus & domibus Saturni, accedente Saturno, approbante Marte, efficit mulieres agrorum cultrices, & architecturæ omniúmque virilium operum gnaras, consuetudinem habentes & concumbentes cum quibus voluerint, nihil impedientibus B in hoc eas maritis. Viriles autem efficit mulieres in Capricorno, in Aquario, sed in re venerea infœlices. In viris autem efficitur contrarium, si cum Marte sit in Ariete. Quo fit, vt nequeant vel metu, vel alicuius minis, vel arte continere libidines, propter inclinationem astrorum. *A.* Admodum scitè gentilitii erroris enuntiasti fabulas. Vicissim igitur & ego audacter aggrediar ea quæ à te dicta sunt, & fundæ vel arcus vice sermone vtens refellere conabor, ne ad Martem & Venerem, nostras stellas, cædium causas referas. Prius autem obsecro, vt discere velis, posse hominem, qui quidem velit, libidines & actiones vel castigare, vel penitus excutere. Atque equidem excutere soleo per conscientiæ flagella, & per memoriam ineuitabilis iudicii, quod vitia prohibet. Sed & principum leges, ante tentata tormenta, & angustias, atque catapultarum supplicia solo auditu rerum terribilium, quæ sunt in C compensatione delictorum, modestum reddere possunt hominem intemperantẽ, & obtundere lasciuientem vigorem iuuẽtutis in qualibet regione, siue scriptæ sint, siue non scriptæ, tam apud nos, quàm gentes. Nam apud aliquos lex scripta, apud alios verò consuetudo valet. Legibus enim qui destituti sunt, patrios mores pro legibus ducunt. Quorum primi Seres sunt, qui terræ extrema habitantes, pro lege habent patriam consuetudinem, ne quis scortetur, néve prædetur, ne quis adulterium committat, ne statuas adoret, ne dæmones veneretur, ne prorsus apud ipsos imago sit, aut scortum, aut adultera, aut prædo, aut homicida, aut fur. Et tamẽ nullius horum liberam potestatem coëgit illa, de qua tu dicis, lucens igne Martis stella: neque vi compulit quemquam ipsorum interficere gladio proximum, aut lapide percutere. Non Venus cum Marte persuasit ipsi vt furiosè ruat in vxorem vicini. D Si vel toto die mediũ cœli Mars obtineat, nihilominus præualet apud Seres astrorum necessitati lex patria. Lex autem & Bactrianis est siue Bragmanis, à maioribus accepta disciplina: Ne quid mactent, neque inanima gustent, ne vino simpliciter, aut . . . . . utantur, Deum meum reuerentes, licet vicini sint ipsis Indi cædibus polluti & vino dediti, qui porcorum syluestrium aut suum instar cum insania fœminas deperire solent, & affectibus indulgere. In Hesperiis autem regionibus vltra Indos, habitant quidam qui hospites deuorant, & aduenas interficientes comedunt. Neque vlla stellarum beneficarum à cæde ipsos auertere potuit, vsque in hodiernum diem. Alia Chaldæis & Babyloniis consuetudo est, vt matres in vxores ducant, sorores violent, erga suos liberos insaniant, eósque polluant. Et si procul à patria sint, suis vtuntur legibus, apertè, & priuatim admoniti. Ex quibus aliqui etiãnum degunt inter Medos & Parthos, & Elamitas, & Ægyptios, inter Phryges & E Galatas, in quibusdam pagis impiè viuentes, etiamsi nunquam Venus cum Luna in finibus & mansionibus Saturni, adiuuante Marte, in omnium ipsorum natiuitatibus inueniri queat. Alia item apud Gelas lex, vt mulieres agros quidem colant & ædificent, & opera virilia faciant, sed consuetudinem habeant cum quibuscunque velint peregrinis, nulla increpatione virorum, qui ipsis præsunt, neque æmulatione impeditæ. Non vnguntur autem odoramentis, neque fuco in facie inficiuntur, vt genas pingant, quemadmodum apud nos vxores alienæ quæ faciei medicamenta quædam adhibent. Viri verò induuntur ad pedes demissa veste molli, & tincto amictu. Sunt autem inter ipsas etiam bellicosissimæ, & venantur feras, quibus vix

A aliæ ſunt fortiores. Quomodo igitur non omnes Gelarum mulieres ſortitæ ſunt
Capricornum aut Aquarium, infauſto loco poſita Venere? Aut vice verſa, cur non
ipſorum viri ſortiti ſunt in Ariete cum Marte Venerem, vbi viriles & molles aiunt
eſſe, qui cum Chaldæis ſentiunt? Babylonicis autem Suſis mulieres omnis generis
vnguento pretioſo, & ornatu vtuntur, miniſtris inſtructæ hilariter in publicum pro-
cedunt, cum immodeſtia vultus & hilaritate magna. Cum omnibus eædem adue-
nis abſque timore & pudore concumbunt. Neque tamen in omni natiuitate Suſi-
dum mulierum medium cœli cum Ioue & Marte in finibus Iouis Venus tenet. In
orientali autem plaga pædicones ſunt, qui apud Chriſtianos, ſi deprehendantur ab
ipſis conſanguineis, nullo parcente, ſupplicio afficiuntur. In Britannia plurimi viri
cum vnica concumbunt muliere. Similiter & multæ mulieres vni iunguntur viro.
B Vtuntur denique patriis moribus gentes, veluti lege, citra morſum animi & mole-
ſtiam. Amazones ne viros quidem habent, ſed animalium brutorum ritu ſemel in
anno circa vernum Æquinoctium ſuis finibus egreſſæ, & cum viris qui ſunt in vici-
nia coëuntes, quaſi conuentum aliquem publicum & feſtum tempus id coitus du-
cunt. Ex quibus poſtquam prægnãtes factæ ſunt, domum ſimul omnes remeant.
Tempore verò partuum edendorum, prolem quidem maſculam interimunt, fe-
mellam verò conſeruant, & lactant accuratè. Abſurdum autem eſt credere, in con-
ceptione quidem maſculini ſeminis Martem cum Saturno ea hora æqualiter ſorti-
ri, in fœminini autem nunquã. Quo cæteroqui pacto in eodem noctis dieíve mo-
mento ſeminibus in aluos excipientes iactis, rurſúſque ſimul quaſi ex eodem vtero
progredientibus, alii quidem fœtus interimuntur, ſimul atque vitam deguſtarunt,
C ab homicidis matribus leto dati, antequam lac traxerint, aut vocem ediderint: alii
verò in vita manent, & mala legibus præſcripta amplectuntur? Aut quomodo eo-
dem tempore mulieres apud nos & concipiunt, & pariunt plurimæ, gemellóque
partu edito, ambos infantes proculcant, nullo aſtro cogente vt interimant, aut ſolo
allidant, vt eos è vita tollant, velut Amazones miſeros fœtus ſuos necant: ſed ſuam
potius ceruicem pro illorum cæde obiiciant, lactentiúmque infantum vitam ma-
gis quàm ſeipſas ament? Quòd ſi Mercurius, vt dicitis, cum Venere in ſuis manſio-
nibus exiſtens efficit fictores, pictores, numularios: in manſionibus autem Veneris,
vnguentarios, cantores, mimos, poëtas: quî fit, vt apud Helios & Saracenos, & apud
eos qui ſunt in Libya ſuperiore, apud Mauros item, qui iuxta litora & ripas Oceani
habitant, & in vlteriore Germania, & in Sarmatia ſuperiore, & in Scythia, & apud
omnes nationes, quæ à Ponto procul diſſitæ ſunt, inueniri non poſſit numularius,
D aut fictor, aut pictor, non architectus, non cantor, non actor poëmatum, vt apud
nos? Quare Mercurius & Venus id non contulerunt etiam apud ipſos nato, vt aſſe-
quatur ea ſtudiorum & morum exercitia, quæ apud eos non ſunt? Medi data opera
omnes adhuc ſpirantes ægrotos canibus eſcam citra commiſerationem obiiciunt.
Atque hi Medi ánne cum Luna Martem (vt vos loqui ſoletis) in diurna natiuitate
in Cancro ſortiti ſunt? Indi cadauera mortuorum igni in cineres redigunt, & cum
cis quorumdam vxores comburũt. Atqui nequaquam omnes igni abſumptæ vxo-
res Indorum, aut adhuc viuentes, ſortitæ ſunt tempore nocturni parentum ſuorum
coitus, cum Marte Solem, in partibus Martis noctu non lucentem. Germanorum
complures ſtrangulatione ſe vita ſpoliant, non tamen omnino maior pars Germa-
norum Lunam, & horam interceptam à Saturno & Marte habent. Verùm in omni
E gente ſi interdiu homines nati fuerint, non meliores peioréſve erunt, ſecundum
aſtrorum coniunctionem, vti vos dicitis, ſed in vnaquaque regione leges quædam
& patriæ conſuetudines præualent, ex quibus proprium ius, & quid nobis omni-
bus faciendum ſit omnes diſcimus. Non enim poteſt de veſtra ſententia, geneſis
cogere Seres vt interficiant, aut Brachmanes ad vorandum carnes, ſiceràmve po-
tandum, aut Perſas ne cum matribus matrimonia iungant & ſorores violent: aut
Indos ne igni mortuos tradant: aut Medos, ne canibus obiiciant morituros: aut
Parthos, ne multa coniugia contrahant, aut Meſopotamios vt ſint valde tempe-
rantes: aut Græcos ne corporibus exercendis occupati ſint: aut barbaras gentes,
vt cum illis quæ à Græcis prædicantur, commercium habere velint. Verum vt dixi

iam antè, quiuis hominum suæ legis libertate vtitur, & quæ ex astris secundum Grę- A
cos fabulosè ficta sunt, propter legum metum omittit, aut propter consuetudinem patriam gentis à vitiis abstinet. Nam virtutum aliæ sunt ex liberæ voluntatis electione, aliæ verò ex circunstantiis eius, qui necessitate coactus accedit ad melius, vtpote legibus ita poscentibus. *A.* Atqui quum sint septem vniuscuiusq; nostrum natiuitati deputatæ stellæ in septem plagas terram diuisam esse dicimus, atq; quamlibet plagam gubernari ab vna stellarum illarum & secundum illarum coniunctionem duci & perfici subiectos, quam efficacitatem stellæ aliqui legem vocant. *B.* Si in septem plagas diuiditur orbis, quomodo in vna parte multas atque diuersas leges inuenimus? Neque septem modò, secundum numerum stellarum, neque duodecim, secundum Zodiaci signa, neque item triginta sex secundum decanos: sed innumeræ commemorãtur leges, quæ olim mutatæ sunt, & nunc vigent. Quo- B
modo verò in eadem sectione anthropophagos Indos, & ab animatis omníq; mactatione abstinentes Brachmanes habitare cernimus? Quomodo Babylonij misti pollutis nuptiis consanguineorum delirant? Aut quomodo in sectione alia eiusdem tractus Sclaueni & Phisonitæ, qui & Danubiani appellantur, alij quidem vbera mulierum libenter comedunt, quòd plena lacte fuerint, instar murium infantes saxis allidentes: alij verò etiam à legitimo & irreprehensibili carniũ esu abstinent? Quî eorum alij præfracti sunt, suo iure viuentes absque cuiusquam imperio, ac nonnunquam comedentem secum vel iter facientem principem suum interficientes, vulpes & siluestres feles porcósque comedentes, & luporum vlulatu se prouocantes: alij verò & à voracitate abstinent, & cuiuis principi se subiicientes obediunt? Multa certè commemorantur de Longubardis, & Noris, & Gallis occiden- C
talibus, tanquam ignaris Mercurialis & Saturninæ de astris scientiæ. Quot reges & principes sustulerunt malè latas leges, ipsi sua placita sancientes? aut è diuerso, meliores repudiarunt ab his diuersi, à nullo astro in decretis sibi placitis impediti? Vnum autem proferam, quod incredulorum omnium ora quasi alapa cædet. Iudæi omnes lege quam Moses tulit recepta, omnem fœtum marem participem rationis ipsis natum, octauo die circumcidentes, sanguine perfundunt. A sæculo autem nullus Græcorum aut Christianorum circumcisionem recepit, licet plurimi Iudæi, & Græci, & Christiani iisdem mensibus, & hebdomadibus, & diebus, & horis nati sint. Nihil ergo Mars facit aut Mercurius, aut Venus, aut reliqua Græcorum fabula, vno circulo complectente omnia: nullúsque ab astris vi cogitur. Annon enim Græci, aut Iudæi, aut Christiani eadem die vel hora, in maternum iacti sunt D
vterum, & simul in lucem editi? Quomodo igitur plurimis ipsorum Christo adiunctis, patrio abnegato errore, non potuit ei terrenæ parti dominans stella ipsos arcere ab vera in Deum pietate? *A.* At nobis dum de astris loquimur, non est sermo de fide: sed de moribus, & ratione viuendi, & inde pendente actione. Præterea de constitutione corporis. Nam quorum sub Ariete natiuitas est, crispis sunt crinibus, gratiosi & magnanimi, quia principis officio fungitur Aries: etiam liberæ voluntatis electionem habent, siquidem & Aries deposito absque dolore vellere, rursus à natura vestitur. Subiectus autem Tauro, ærumnosus est, & seruilis. Taurus enim sub iugo est. Qui verò est sub Scorpione, percussor est, propter eam quæ ab illis bestiis sumitur, similitudinem. Nam & Libræ subiectus, est iustus: propter nostrarum librarum æqualitatem. *B.* O gentilitiam dementiam. Quid enim istis fuerit magis ridiculum? Nam Aries, vnde deliri natiuitatem hominis repetũt, cœli duodecima pars E
est, in quo Sol means, verna signa ingreditur. Sed & Libra, & Taurus, & Scorpius, & similiter horum quoduis duodecima portio est, & pars cœli in Zodiaco (quem vocant) circulo. Quomodo igitur inde mortalibus præcedentes causas existere dicunt, dum ex iis quæ apud nos balant, mores ipsis designantur? Animal enim ad impartiendũ facile, Aries est. Non quòd Arietis sonum edat ea pars cœli, sed quòd ouis à creatore talem naturam accepit. Atque ex astris quidem satagis ostendere genesim nostram, id verò per balatus persuadere conaris. Siquidem à talibus animalibus cœlum gestatum tales habet morum causas: omnino & ipsum subiectum est alienis potestatibus, nimirum potestatibus astrorum, astra verò animalium penden-

Valachorũ gẽs semper in principes suos perfida.

A pendentes ab ipsis causas habentia. Si verò ridiculum hoc est, magis ridiculũ illud erit, ex iis quæ nihil inter se commune habent, inducere velle probabilitatem eorum, quæ de natiuitate dicuntur. Quomodo enim quotidie innumerabiliter mutantur stellarum aspectus? Nam planetæ, vt sunt, semper mobiles appellantur. Atq; alii quidem citius assequuntur se inuicem, alii verò periodos eadem hora faciunt tardiores. Aliquoties etiam se inuicem aspicientes, mox occultantur. Quòd si ex natura ipsis bonum & malum adest, omnino ad opificem causa mali à nobis refertur. Quod si liberæ voluntatis electione mouentur, primùm quidem erunt animalia prædita libera voluntate, solutis & liberæ potestatis motibus vtentia: id quod extremæ insaniæ atque dementiæ fuerit, & cum blasphemia coniunctum opificis, & cum mendacio de inanimatis. Quomodo autem, qui ad Arietem suam natiuitatem referunt, crispi & gratiosi, & liberæ voluntatis, & diuites sunt? Videmus multos quidem crinibus crispis, qui tamen cæci sunt & minimè diuites, neque libera præditi voluntatis electione, sed improbi, ad quæstum faciundum inepti, & sordidi, & pannosi, & circumforanei, qui ianuam cum ianua mutant quotidiani victus adipiscendi gratia. Quomodo autem qui calui sunt, vel etiam crine simplici, aut hebete visu, diuersum habent, diuitias nimirum & abundantiam, atque quietẽ, rarò cum amicis consanguineis congredientes? Quoties autem die vel nocte regiarum natiuitatum perficiuntur figurationes, quare non qualibet vice reges nascuntur? Aut quomodo patri & ipsis intercedunt regni successiones? Nimirum non quiuis rex regiam astrorum figurationem per coitum cum consorte tori filio applicãdam obseruare potuit. Neque enim quisquam eam rem habet in potestate sua. Quomodo igitur Ozias rex genuit Ioathamum regem, Ioathamus verò Achazum, Achazus autem Ezechiam? Hic verò Manassem, & is Amosum, ille verò Iosiam, hic autem Ioachazum, vnusquisque rex regem? & quidem nullus eorum in seruilem natiuitatis horam incidit. Deinde si & vitiosarum & virtuti consentanearum actionum non ex nobis principia pendent, sed ex necessitatibus natiuitatis: superflui sunt legumlatores qui sectanda fugiendáq; nobis definiunt, superflui iudices, qui virtutẽ quidem honorant, improbitatẽ verò puniunt. Neque enim furis, aut homicidæ ea iniuria est, qui ne quidem, si velint, manum cohibere possunt, propter vrgentẽ ipsos ad ea facta, astrorum legem, & propter impositam sibi ex fato necessitatem. Refutabo autem ipsos etiam ex vniuersalium rerum mutatione. Nam quum ante aduentum diuini illius hominis omnes gentes cultui astrorum deditæ essent, & in omni incederent impietate, post accessum diuini hominis, per euangelicam prædicationem, ad pietatem facta transitio est, amolito quidem errore, virtute autem in pretio habita, eodem astrorũ manente cum aspectu tum constitutione: ex Græcis, & Iudæis, & Gentibus quamplurimis conuersis, & Christo adiunctis. Vbi igitur priores stellæ, quæ cogebant ante idola suppliciter procumbere? Vbi latitare videbantur, quæ nunc ad pietatem ipsos pertrahunt? Si verò neque ademptio, neq; additio regioni astrorum contigit, vel inuiti fatebuntur, non ex aliquo fato vel necessitate, virtutem improbitatémve viuentibus inseri, aut decerni: sed ex vniuscuiusq; libera potestatis electione vnumquemq; se ad ea quæ elegit conferre. Id quod manifestè eximius ostendens Esaias, luculenter clamat in persona Dei, Si volueritis & auscultaueritis mihi, bona terræ comedetis. Si verò nolueritis, neque auscultaueritis mihi, gladius vos deuorabit. Nam os Domini loquutũ est ista. Ipse verò in Euangelio concionans Dominus inquit: Hierosolyma, Hierosolyma, quæ occidis vates, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare vos sub alas meas, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluistis? Ad voluntatem vniuscuiusque referens sequenda aut vitanda, & non ad necessitatem fati aut legis astrorum. Non enim peccatores nos esse duceret, si illorum insidiis essemus expositi. *A.* Quòd si nullo vel beneficio vel iniuria ex astris afficiuntur homines, quomodo Euangelium Lunaticos vocat epilepticos, spumantes & sese lacerantes? *B.* Lunaticos vocat secundum vulgarem multorum sententiam, qui id quod altius est audire non possunt. Quandoquidem enim Lunæ & Soli & astris venerationis cultum exhibebant homines vani, volens ipsos à sua tanquam perniciosa opinione

reuocare, etiam dæmoniacorum causam ostendit Lunam, vt illi supplicantes languidiores facti, ab eius veneratione resilirent. Non enim in perniciem mortalium Luminaria vniuersitatis architectus exstruxit Christus, sed immundus spiritus obseruans in ipsis talem speciem, ad seducendum aliquos subduxit, vt inconstantes & parum frugi mortales ad præstigiatores & ad eos abeant sponte, qui à Ioue nutriti videntur, nimirum per incantationum occasionem, & spem leuandi malum. Sæpenumero autem videmus & canes latenter in nos irruere, neque tamen dicimus Lunam causam esse morsus, aut motus animalis. Et serui sæpenumerò quum toto Luna lumine splendet, ad capiendum fugam surgunt, & eius auxilio ad celeritatem vtuntur. Num igitur causam temeritatis fugitiui dicemus Lunam? Sæpenumero item & effœminatus homo nocturnas tenebras veritus domi dormire cogitur: Luna verò per noctem lucente, citius ad prostibulum instar equi lasciuè prosiliens, hinniens, & currens, ad scortum lætus venit. Num igitur itineris scelerati causa est Luna, quæ diuino præcepto terras cœlo subiectas illustrat? Cohibe quæso temetipsum à lunatica dementia. dæmones enim iis, qui faciles captu sunt, tacitè in animos inserere consueuerunt, vt non solùm luminaria malorum causas esse asserant, sed ipsum etiam opificem velut malorum & exitiosorum factorem calumnientur. Qui verò fidem illis adhibent, non Deum sed cinerem adorant, nimirum parricidam, qui liberorum suorum nuptias violauit, & quidem in sepulchro .... violauit: id quod Dei nequit esse. Nec hoc contenti, etiam ex illo natos liberos inter Deos retulerunt impij & vani: Hermupoli quidem Mercurium, cuius exponi oratione facinora nequeunt, in puluerem nunc redactum: in Cypro verò Venerem & stercore veluti sepulchro sitam: in Thracia Martem, ab exsecratione cognominatum, ex qua nobis, velut ex immorigero Esauo, Dionysius Areopagita ortus est, Diuorum Apostolorum discipulus. Apud Caucasios autem montes Saturnus, immo verò Asinus, ab asinis adoratus, rudens & clamans aduersus ipsos ethnicos. Thebis Bacchus, colentibus se tam animæ quàm corporis morbus insanabilis & fœtens. In Tyro Hercules, potius abominabilis, qui igni consumptus propter improbitatem, ab impiis inter Deos refertur. In Epidauro Æsculapius mente puer, ab insipientioribus & imperitis Deus appellatur. Et Syri, qui nomine conuenientе fæces potius sunt, orci cognominem Adonim malè inter Deos retulerunt. Ægyptij repentem humi & terræ adfixum Osirin, Elienses miseri Nestorem, ne quidem gallum gallinaceum bonum. Qui in insula Leuca sunt, Icachum Achillem, Pontij paricidam Patroclum inter Deos retulerunt. Rhodij Icemachum Macedonem, & alij alios, puluerem scilicet in sepulchro iacentem, colunt, prorsus impiè agentes. Nullus enim ipsorum in Deo vitam finiit. Quorum vesaniã enumerare, non est præsentis temporis. Si verò quis illorum nugas audire cupit, quærat Orphea & Hesiodum de illorum fabulis: mihi verò reliqua tacendi facultatem concedat.

κύπρις Venus, κόπρος stercus.
ἄρης Mars ἀρᾶ exsecratio.
κρόνος καὶ ὄνος.
ἡρακλῆς vel & ἠράκλης.
σύρθι, συρφετοί.
Αδώνις, & ἅδης.
νέστωρ, & ἀλέκτωρ.

A. Non pro Græcis depugnans aduersus te contendo, mi pater, sed armis aduersus illos per tuam multiplicem doctrinam indui volo. Quomodo igitur inquis, nihil fortuitò fieri, neque extra diuinam potestatem? Ecce cœlesti arcu apparente, absolutam habet is circumferentiam, & vndique æqualem, cuiusmodi reuera ne quidem mens describere queat: & tamen videmus ipsum à nullo condi, sed fortuitò existere. *B.* Non potest casum fortuitum inducere Iridis constitutio. Nam in figura firmamenti veluti coccineus funis in orbẽ extenditur. Quippe si est fictrix mens, sua quædam effingens: vtique qui fictricem hanc fecit, etiam intellectilem fabricauit, in eo diffusurus aut subacturus, quæ ipsi placent. Neque enim igne liquefactum plumbum, aut cera, aut calx, si alicuius rei formæ infundatur, & fiat id quod artifici visum fuerit, idcirco fortuito casu existere videbitur, quando manu artificis per formam id quod placuerat effectum est. Ad hunc sanè modum intelligatur & Iridis ortus in vehementioribus tempestatibus quasi signum securitatis mundo exhibitæ, quòd non amplius sint submergenda aquisq; tollenda quę sub cœlo sunt. Ponam enim, inquit Deus, in nube mea arcum meum vobis in signum. Sol quidem instar cucurbitulæ sanguisugæ radiorum eiaculationibus humidũ ex nubibus, velut ex aliquo corpore ad se trahit, & sursum vehit pluuiã veluti fluxũ quendã, qui supra bases

A bases fertur. Est autem Iris triformis. Nam partim quidem rubra, partim cærulea,
partim instar herbæ viridis est, & Pacem, & sapientiam & potentiam, & Sermo-
nem, & Deum vniuersitatis rerum omnium, in sanguine, & aqua, & spiritu in mun-
dum venire significans: Baptismi quidem aqua omnem creaturam per Iordanis flu-
xus à turpitudine abluentem: spiritu autem sancto eos qui mente intelliguntur sub-
mergentem gigantes. Ceterùm post terrestrem idolorum & dæmonum suffocatio-
nem & diluuium, Sanguinis signum salutaris nobis datum est, veræ illius concilia-
tionis & pacis Dei ac Sermonis, velut antè in figura, sic nunc carne extenti, vt qui sit
euidens signum propitiationis & securitatis à dæmonum diluuio nobis factus, ex
illorum procella nos ad se trahens, quum inquit: Postquam exaltatus fuero à terra,
in cruce videlicet, omnes traham ad meipsum. Et iterum inquit: Ecce dedi vobis
B potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem
Inimici. Tres item huius testes esse inquit eximius ille Ioannes, sanguinē, & aquam,
& spiritum, & hos tres vnum esse. Circiter horam enim nonam emisso clamore Ie-
sus emisit spiritum animæ. Nam diuinus ille spiritus inanimo corpori vnitus erat, &
similiter animæ inhabitanti contemperatus. Nam si aërius spiritus vtrisque adest,
multo magis diuinus vtrique parti aderat, quum sit inseparabilis & expers quanti-
tatis. Lancea verò percusso ipsius latere, exiuit sanguis & aqua, & qui vidit, testi-
monium perhibuit, & verum est testimonium eius, inquit eximius ille Ioannes. San-
guis autem & aqua de hoc diuino & perenni fonte scaturit, propter iudicantem Pi-
latum & alios acclamātes: Tolle, tolle, crucifige ipsum. Nam Pilatus quidem amo-
uebat à se mortis Domini sanguinem, Iudæi verò damnationem ex ea sequuturam
C in se transferentes clamabant: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Quod
& nos peramantes dicimus non eodem cum ipsis affectu. Nam illi velut hominem
intuebantur, qui à nobis Deus vniuersi huius adoratur: prorsus vt periti medici non
recidunt à vertice delatum ad oculos fluxum, ita per Iridem aquarum infusionem
velut in forma quadam extentam in subiecto. Sole instar cucurbitulæ per radios
nubes congregante, ac veluti calido cauterio aquam fundentes venas exsiccante.
A. Tenebras quidem primigenias dixisti per separationem cœlestis corporis esse
factas, quod quidem rectè dicitur. Quomodo verò noctem videmus sponte fieri,
nulla forma expressam? *B*. Suprà quidem de nocte rationem reddidi, & nunc ob-
scura similitudine vtens demonstrabo non fortuitò ipsam exstitisse, neque extra di-
uinam manum. Quemadmodum turres ab ædificantibus exstruuntur, & sculpta
D vel conflata per artificis manum perpoliuntur, ab ipsis autem vmbræ redditæ non
ab artifice fieri solent, sed per ea quæ ab illis facta sunt efficiuntur. Proinde si alia
quædam cum aliis existere solent, forma alicuius expressa: vtique & formæ ab ini-
tio manu opificis factæ sunt. Ideóque nox quoque non per se exstitit, sed vmbra ter-
ræ est, quemadmodum paulo pòst demonstrabo: quando nos modò ratio tempo-
ris ad peragenda sacra mysteria, Sancto cœtu nos expectante, compellit.

CÆSARII V. C.

DIALOGVS TERTIVS.

A.

E VIA tempus heri plus æquo nos vrgebat, hodie nobis illius men-
sæ reliquias exponito, quæque de nocte tractanda veniunt, latius
nobis edissere: & quare dies illa primigenia non sit prima sacris in
literis dicta, sed vna. Id quod mihi minus cōuenire videtur ad eas,
quæ pòst ortæ sunt. Nam si secunda & tertia fuere, quæ post istam
nominantur: conuenientius erat, eam quæ harum erat exordium,
primam non vnam dici. *B*. Diem cum nocte coniunctam, diem
vocat auctor historiæ, potiorique parti totius interualli vigintiquatuor horarū, pri-
mas partes tribuit. Sic enim multis in locis diuina pagina loqui consueuit, in sup-
putatione temporis dies numerans, non noctes. Audis quid dicat diuinorum ille

carminum auctor: Dies annorum nostrorum annos septuaginta continent. Ante hunc autem Iacobus ille patriarcha inquit: Dies vitæ meæ pauci & mali. Rursus idem auctor diuinorum carminum inquit: Vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quin & Diuus inquit Euangelista, Ante sex dies paschæ venit Iesus in Bethaniam. Et Dominus ipse diuinitus suos alloquens ait: Scitis post biduum actum iri pascha. Quapropter quæ nunc in specie narrationis tradita sunt, pro lege in sequentibus habeantur. Et fuit (inquit) vesper, & fuit mane, dies vnus: quum dies iam antè præcessisset, exstitit vesper, ex vespere verò nox, ex nocte autem mane, vbi iam vnius diei finis est, quæ per vigintiquatuor horas diei potiorem partem sibi vindicat, subaudita videlicet nocte sub appellatione diei, per viginti quatuor horas. Quo fit, vt etiam tempore conuersionum solis æstiuarum, quæ solstitia vocant, noctem dies interuallis excedat. At tempore, quod æquinoctio destinatum est, prorsus oportet vtrasque æquales esse, vicissim à se inuicem auferentes id, quod deest. Sed & cœli facies, rursus ad eandem reuersa constitutionem, vna dies meritò appellatur: quemadmodum in terra fieri solet, vt interiectum ab vno florum prouentu ad alium tempus, annus vocetur. Quamobrem quoties vesper & mane secundum Solis circuitum mundum occupat, non in tempore maiore, quàm vnius diei spatio, significetur dies vnà cum nocte coniunctus, & Luminarium ad priorem constitutionem reuersio. Vel potius tribui plus debere mihi videtur illi rationi, quæ secreto traditur. Quòd nimirum qui temporis naturam fecit Deus, in mensuras eius & signa, dierum interuallo ordinauerit, ipsumque per hebdomadem dimetiens, semper hebdomadem in semetipsam reuolui iubet, temporis hoc modo dinumerans motum, sicut hebdomadem rursus explet dies, septies in semetipsam reuoluta. Id autem circularis est figura, à semetipso incipere, & in semetipsum reuerti, nusquam terminatum. Propterea caput temporis non primam dierum, sed vnam nominauit, vt ipsa appellatione cognationem cum æuo haberet. Quandoquidem enim vnitatis, & eius, quod communionis ad aliud expers est, notam nobis ostendit, propriè & conuenienter appellata est vna, quum ipsa in seipsa per omne sæculum in semetipsam reuoluatur. *A.* Et quónam pacto literæ sacræ multa esse sæcula demonstrantes, sæcula vocant sæculorum? Et Dauides in fine psalmi dicit: Confitemini Domino cœli, quoniam in omnia sæcula misericordia eius. Et rursus idem, Exaltabo te Deus meus, rex meus, & benedicam nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. Ecce tria sæcula in centesimo quadragesimoquarto psalmo. Sed & in iis, quæ dicuntur à sacrorum ministris, Deo gratiarum actionem offerentibus, & imperium in omnia tribuentibus, hæc proferri audimus: Imperium & regnum, & potestas, & gloria patris, & filij, & spiritus sancti, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen. *B.* At ex istis non docemur multa numerare sæcula, sed & mutationes rerum & statuum, non circumscriptiones & terminos, aut successiones sæculorum. Dies enim Domini magnus & illustris, inquit vates. Et iterum: At quid vobis prodest quærere diem Domini? etiam ipsa erit caligo, non lux. Caligo scilicet iis, qui sic merentur. Siquidem absque vespere ac successione diem illam fore scimus, quam & octauam diuinorum carminũ auctor appellauit, Pro octaua psalmos suos inscribens. Alium item psalmum inscribit, Pro ea quæ hæreditatem accipit: quasi hæc sola reliquarum dierum sit hæres, per infinita & expertia sectionum vllarum spatia cunctarum rerum imperio redimita: propterea quòd superior sit, & extra septenarium hunc circulum posita. Quamobrem siue diem appellauero, siue sæculum & æuum: eodem vtrumque proferetur intellectu. Siue enim dies fuerit, vna erit, & non multæ: siue sæculum appelletur, vnicum quid fuerit, & absque termino. Ad futuram igitur vitam subducens nostrum intellectum, vnam diem dixit interpres ille rerum sacrarum Moses, vt quæ sit imago totius æternitatis, primitiæ dierum, coæua lucis, diuina denique ac veneranda illa dominica, quæ etiam ex Domini resurrectione honorem peculiarem est consecuta. *A.* Quomodo dicunt aliqui, incantamentis & præstigiis Lunam cœlo detrahi? maxima certè generis humani pars huius rei fama persuasi & occupati, ferrum & æs pulsando, tanquam è potestate egressam per strepitum ab errore liberari putant. *B.* Fabulæ quædam

A quædam ridiculæ ab aniculis somniantibus vbique disseminatæ sunt, quarum delirium est, imposturis quibusdam propria sede lunam moueri, & ad ipsam terram referri, & contrectari. Id quod omnis absurditatis & extremæ dementiæ plenum reputare mihi, diuinorum ille carminum auctor videtur, quum canit: Lunam & stellas tu fundasti. Qualis autem locus quæso detractam ipsam vnquam excepit? cuius exili quadam imagine magnitudinem vanis illis hominibus demonstrabo. Quæ per orbem terrarum sunt vrbes, plurimum à se inuicem secundum orientalem, & occidentalem plagam dissitæ sunt, ac diuersis viarum sectionibus editísque locis seiunctæ. Nihilominus æqualiter omnes lunare lumen suscipiunt. Id quod cordatis sufficit, omnibus ipsam vrbibus obuersam, & eximiæ magnitudinis esse. Nisi enim sic comparata res foret, omnino eos illustraret solos, qui rectà ipsi opponerentur:
B qui verò ad latus siti essent, eos inclinatis depresśisque radiis obliquè prætercurrens tantum attingeret. Non minus etiam alia ratione eadem de hac declarabuntur. Si quando igitur ab excelso montis vertice campum conspiceres ingentem & planum, quantæ obsecro magnitudinis esse tibi viderentur boum iuga? quantæ aratores? quantæ bubulcus aliquis cum mille boum armento, aut innumerus agnorum grex ad paludem balans? quantæ ferociens equorum armentum, & in pratis exultans? Annon tibi formicis exiliores viderentur? Quòd si etiam è specula vel aliquo colle ad amplissimum pelagus conuersus, defixos in mare oculos coniiceres, quantæ tibi magnitudinis esse viderētur insulæ vel maximæ? quantæ onerata quæpiam infinitis mercibus nauis cum albis velis cæruleo inuecta mari? Annon quauis columba exiliorem tibi speciem aspectúmque exhiberet, visu in aëre absumpto,
C & euanescente ob interuallum, quominus accuratè ipsam oculis comprehendat? Itidem nonnullis in locis montes sunt maximi, qui in profunditatibus ambiuntur per conualles, & torrentium alueis cinguntur, ad quorum eminentias leuis fluxúsq; visus fertur, & solam attingit superficiem: quum interiacentes concauitates penetrare & inspicere propter imbecillitatem nequeat. Annō etiam quadratæ, & ad nubes altitudine pertingentes turres, humiles & rotundæ multis videntur ratione interualli? Proinde nisi eximiè magnum sit lunare corpus, non sanè similiter omnibus vbique simili luce conspiceretur amplitudine sua vniuersæ terræ non cedens, simúlque manifestam & his, qui procul à terra in mari nauigant, magnitudinis speciem præbens & radiis suis lucens. *A.* Quid igitur sibi vult, quòd sanguinea sit aliquoties, & variatur atque dissipatur? *B.* Equidem hoc aspectu puto bellicas effusiones sanguinis significari: aut per subuectionem obfuscati à terra aëris turbidam
D reddi eius lucem & splendorem, variarique per puluerem hunc speciem ipsius, donec prouecta puluerulentum fuliginosúmque locum euaserit. partim enim pinguis & densa, partim adusta & cinerea est terra: nonnullis in locis, deniq; crassior & grauior est. Vnde mihi videtur, puluere circundatam Lunam mutari. Sæpe quidem fieri videmus, vt fumi exhalatio, vel puluis nimius aliquid apud nos obscuret, & procella vel nebula solares radios hebetet. Vel potius causa omnium est euidentissima, quòd quum soror sit Solis, & eiusdem matris Sapientiæ filiæ, nempe Christi, non ferat quæ inferuntur ipsi ab impiis contumeliæ. quemadmodum & sol idem in suo diurno cursu demonstrauit caligine puniens vesanam Iudæorum & Deum necandem phalangem, contractionéq; radiorum fugiens, ne aspiceret creatorem suum ligno clauis affixum ratione assumpti, & hasta vulneratum. Idem ergo mihi videtur
E agi à Luna fratrem imitante, dum tēpore nocturni cursus eius ad sepulchra & aras eunt præstigiatores, & illic perpetrantur cædes ac puerorum mactationes, & viscerum propriorum dissectiones, quorum sanguine palpitantibus adhuc iecinoribus impij paricidæ polluuntur. Quorum impietatem non abs re tragicè velut exponēs Dauides ille diuinus, inquit: Et mactauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innoxium. Sanguinem filiorum suorum & filiarum, quem immolauerunt sculptilibus Chananæorum. Et post alia, messem eius sementis ipsis indicans, ait: Et iratus est furore Dominus super populum suum, & abominatus est hæreditatem suam. Quandoquidem igitur nunc quoque plurimi gentilicia caligine inuoluti, clanculum maiorum suorum errori se submittunt, priscam cogi-

tationum cædem in collibus, aut sepulchris, aut monumētis noctu exercent, nidoribus & sanguine dæmonas venerantur, quos ipsos etiam domi supplices adorant: idcirco Luna, quanquam se non demittat, præ dolore tamē æstuat, exhorret, abdit, sese nubem induens, fratris exemplo splendorem suum indignis largiri dedignatur, cœlitus velut ex aliqua specula vel sublimi loco, per ipsam immutationem sui clamans, & caligine puniens atque coërcens homicidas ab impio facinore. *A.* Si non est inæqualis Dei filius Deo & patri, sed par in omnibus, & eiusdem honoris, eiusdémque naturæ, quomodo inquit ipse, Ego sum vitis, & pater meus agricola? Non enim eadem natura est vitis & agricolæ, quum hæc quidem sit rationalis & animata, illa verò rationis expers & inanima. *B.* Non laudo tuam inconstantem sagacitatem, quæ multum & extra propositum exorbitat, & aliena quæstione me distrahit. Et siquidem volens id facis, agnoscito me hoc animaduertere. Sin verò simpliciter in mente genita profers, veniam tibi dari scito, quam & mihi vicissim benignè largieris. Christianorum quidem certè dogmata fide continentur & fulciuntur, non ratiocinationibus, per quas plurimi prorsus mentem amiserunt. Num enim diuersæ Paulus & Apollos erant, respectu ecclesiæ, naturæ? Scribit enim sacro cœtui ecclesiæ mentis intelligentia sublimi præditus ille apostolus: Ego plantaui, Apollos rigauit, Deus incrementum dedit. Num igitur inanima & rationis expers erat ecclesia à Paulo plantata, & ab Apollo rigata, per irrigationem & insitionem præceptorum? *A.* Quare Deus diabolo Iobum tradidit, quum tamen ipse testimonium illius iustitiæ perhibeat, & veræ atque irreprehensibili viuendi rationi? Simul da veniam nō cohærenti cum superioribus interrogationi. Non enim tentandi gratia hoc facio. *B.* Non ipsum, sed quæ ipsius erant: non tradidit, sed concessit: exercens Iobum ipsum ad fortitudinem, & abducens per res luteas carnis expertem aduersarium à tentatione hominis iusti. *A.* Rectè dixisti, non ipsum, sed quæ ipsius erant, tradita fuisse. Quid igitur? annon ipse erat qui vermibus perfodiebatur, & ab eis comedebatur, & saniem testa radebat? *B.* Minimè per corporea vulnera lædebatur animus: nec vermes, licet vtrem perforarent, intus repositum thesaurum adoriri poterant. Non enim corpus Iobus erat, sed Iobus erat ipsa vis animi rationis particeps: Iobi verò, corpus: corporis, res aliæ terrestres cognatæ. Nam in anima rationali mens est scientiæ rationalis capax. Quod autem rationis est expers, sensu caret & luteum est. Nihilominus propter commistionem eorum, quæ diuersi sunt generis, & vnionem animalium rationalium, meritò appellatur homo. Concedit igitur Deus hosti externa, vt innotescant omnibus interiora regis sceptra, suis fulgoribus obscurantia purpuram adspectabilem & diadema. Præerat enim solus regioni Vsitarum cum imperio, priusquam à vermibus perforaretur carnis ipsius domicilium, & illustraretur orbis per declaratam in ipso patientiam. Denudatur ergo strenua viri virtus, quum existimaret hostis, eum copia facultatum mirificè delectari, ac illarum cura velut adsentando corruptum, Deo dicturum conuicium. Quapropter exposcit ipsius facultates, quibus postquam spoliasset ipsum, & à scopo aberrasset, concutit carissimis liberis vnà cum ipso conuiuium celebrantibus totam domum, ac repente mensam in sepulchrum tumultuarium commutat. Infecta autem re cum turpitudine sic etiam repulsus, alias admouet diuinæ ciuitati machinas, cuius ciues cogitationes erant, iterum aduersus hostem in aciem progredientes. Nam postquàm omnibus spoliasset hominem iustum diabolus, neque flexisset ad blasphemiam: (hoc enim erat, quod summo studio quærebat) ipsummet deinceps exposcit, & ad Deum inquit: Mitte manū tuam, & tange carnes eius, & ossa eius, ac vide num in faciem tibi non tam benedicturus sit, quàm maledicturus. Confidens autem viro iusto, qui corda scrutatur Deus, & omnem affectum misericordiæve prætextum deponit, ne putaretur à diabolo parcè tangendus iustus. Simulque fretus pugile suo, & illius aduersarium vituperans, quasi carne & sanguine inferior ille foret, qui carnis erat expers, & gloriabatur atque dicebat: Robore meo faciam, & manu mea destruam terminos gentium, & orbem terrarum totum capiam, & tollam veluti derelicta oua. Ascendam supra sidera, ponam supra nubes solium meum, & ero similis altissimo. Quasi ergo ridens ipsius arrogantiam Deus, inquit:

A inquit: Quid ô miser diabole gloriaris? Ecce vnus est hic seruorum meorum, ísque luteus, puluereus, vilis à natura mortalísque homo, non angelus. Turpe nimirum fuerit, cum angelo te certare, qui ne quidem luto superior eris. Ecce, inquit, trado ipsum in manum tuam, quasi vinctum & prostratum. Vide num excelsum illius animum superare possis, expugnans ipsum, & in corpore iaculis configens. Quid secundum hæc fit? veluti iaculum validius inuectus, repulsus est infecta re superbus & arrogans ille, quíque se Deum esse putabat, à carne superatus est & sanguine. Non enim potuit oppugnando sagittísque feriendo diuinam corporis illius ciuitatem, aut aliquem ciuium, nempe cogitationum, capere: neque quemquam in portis oris occidere. In omnibus enim illis quæ acciderunt ei, non admisit vllum peccatum Iobus labiis suis aduersus Dominum, sed hoste impellente, vt Deo conuicium faceret, diuerso se modo gerebat, dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, vt Do-
B mino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum in sæcula. Non proditur igitur, sed proponitur vt pugil & magister fortitudinis, & gratiarum actionis in aduersitatibus huius vitæ. Quatuor igitur modos castigationis scimus. Nam alia quidem propter peccata nobis ad correctionem adhibetur. Multa enim flagella sunt peccatoris, inquit Dauides. Alia verò superbiam & fastum deiicit, hoc est, elationem ac tumorem animi comprimit. Superbis enim Dominus resistit. Alij autem latentem virtutem & fortitudinem ostendunt, vt eam spectatores imitētur. Nullus enim accendit lucernam, & ponit eam subter modium aut lectum, sed super candelabrum: vt luceat omnibus, qui sunt in domo, inquit Dominus. quasi dicat, Propter hoc instar facis accendi Iobum, & extra ciuitatem super candelabrum stercoreum
C posui, vt luceat omnibus in orbe terrarum. Alia denique castigatio est, in vniuersum à Deo deseri propter extremam nequitiam & improbitatem, cui nihil omnino admistum est boni: quod & Pharaoni, & Nabuchodonosori, & Iudæ contigit, vt in exitium traderentur propter inemendabilem malitiam. Auertam enim ab ipsis faciem meam, & ostendam quid cum ipsis futurum sit in nouissimis, inquit Deus per linguam Mosis. Verumtamen Nabuchodonosorem per disciplinam cautiorem redditum, & ex temulentia sobrium factum non reiicit qui reiectus ab ipso erat, Deus: sed rursus illi regnum restituit, purpura exhilarans ipsum & diademate. *A.* Quot dies in paradiso exegit Adamus? Siquidē multi, qui eius gesta memoriæ produnt, partim quidem tradunt dies sex, ideóque (vt aiunt) sexto die venit Seruator. Alij verò sex tantùm dicunt horas, ideóque sexta hora crucifixus Seruator. Alij quadraginta dies asserunt, quos in paradiso habitauerit, & in deliciis egerit, vnde
D propter transgressionem expulsus sit: quos aiunt retulisse Christum & compensasse, quo tempore per quadraginta dies neq; comedit neque bibit, in deserto à diabolo velut homo tentatus. *B.* Quod quadraginta dierū tēpus attinet, id verò & ipse iam antea tradidi: ac videtur mihi haud absimile vero esse. Nam hoc imitās sacer ecclesiæ nostræ cœtus, semel per totum anni ambitum, cum abstinentia seuerissima tam ciborum quàm rerum ieiunat, pristinam paradisi patriam, & desiderabilem illius victum desiderio maximo expetens. Nimirum vicissim cunctis primi parētis nostri debitis Christus se subiecit. Quum ille dicto non fuerit obediens, vicissim hic obediit vsque ad crucem & mortem. Ille tentatus per Euam, quum illa iam à tentatore superata esset, gustauit de vetitis: hic tentatus ieiunat, compensans quadraginta exactos in paradiso dies à primo parente nostro Adamo, & pro deliciis ad inopiam
E nos excitans. Ille Deus fieri volens, frustratus spe sua, etiam id mutatus amisit, quod prius erat, ex immortali mortalis factus, & ex beato damnatus: hic pro illo mortalis fit, manens Deus, ratione naturæ non mutatus, neque factus alius ratione diuinitatis. Ille ex paradiso in hunc ærumnosum laboriosúmque locum expulsus est: hic eius causa de cœlis aduenienis, illius assumit vitam, pro luce inaccessa tenebrosam hanc & obscuram speluncam habitans, vice intellectilium & ratione præditorum animalium, animalibus ratione carentibus circundatus: loco potestatum omnium, à quibus gestabatur in vlnis sanctæ quidem mulieris, & cuius intacta perpetuáque virginitas esset, communis tamen nobiscum naturæ portatus: pro angelicis hymnis & canticis petitus calumniis, quasi dæmonium haberet, & per dæmoniorum

principem dæmonia eiiceret,& populum seduceret,cæteroquin à pueris Hebræorum celebratus,clamantibus : Benedictus qui venit in nomine Domini. Pro loco A virginis,nimirum Euæ, perpetuam virginem sanctam matrem suam suscitauit : pro illius pœna,huic salutem per proprium seruum Gabrielum misit,in hac sanans,quæ illa deliquerat. Pro ligno transgressionis lignum resurrectionis in medio terræ , salutarem crucem suam fixit. Quemadmodum inquit ille carminum diuinorum auctor Dauides: Deus noster,qui est ante sæcula,salutem operatus est in medio terræ. Pro non illo quidem naturaliter,sed per transgressionem letifero cibo, naturā suam diuinam nostræ vniens,cibus viuificus medio in aëre pendens omnibus propositus est,& ab omnibus percipitur,ipse nihilominus æternus manens. Pro damnatis damnatus est sua sponte,tanquam Deus & idem homo. Quemadmodum igitur felle pastus aceto rigatur,eius cibi causa,quem Adamus sumpserat,dum homo in diuina B natura illius debita dependit: ita mihi videntur & hi quadraginta dies pro totidem diebus repēdi.Sed tamen pro illorum numero senario, & meo quadragenario profectam ad nos à quibusdam haud obscuris senibus de hoc rationem , cuius fundamentū eximii Apostoli verbis nititur,recipere malo, quòd nimirum longiore temporis spatio in paradiso beatè primus ille parens noster vixerit. Nam in eius persona diuus Apostolus apertè clamat: Ego verò viuebam absque lege aliquando. Non fuit vtique Paulus ante legem, qui fuit omnium discipulorū legis postremus. Neq; item aliquando absque hac erat aut fuit. Nam & Euangelium prædicans legalia testimonia vbique adducit. Nimirum in Adami persona meritò conqueritur,dicens: Ego verò viuebam absque lege aliquando. Manifestius autem declarat hæc in persona se Adami proferre,quum ad illustrandum horum verborum intellectum, non C amplius inde legem,sed præceptum vocat, quod Adamo datum erat, hæc nempe subiiciens: Veniente verò mandato,(quasi dicat,dato,) peccatum reuixit,ego mortuus sum : videlicet per inobedientiam excidendo beata vita. De quo iam perspicuum est, non mox atque factus erat Adamus, præceptū datum fuisse:sed post aliquod tempus,quod tamen minimè definitum habemus.

Quæ sequuntur,vsque ad interrogantis personæ verba , non Cæsarij sunt , sed Gregorij Nysseni , amici & coætanei eius : inserta huic libro per aliquem , qui suæ memoriæ consulere vellet, & vno loco duorum scriptorum explicationes habere . Deprehendimus consimilia deinceps quoque occurrere,vbi nos suis locis,quæ inserta sint , indicabimus. Sunt autem hæc descripta ad verbum è libro Nysseni , qui est de hominis opificio.

D

Porrò datum illud Adamo præceptum in paradiso diuinitus , spectabat fruitionem omnis ligni,& abstinentiam à ligno vetito. Hoc illud est lignum , quod complectitur omne bonum,cui nomen est Omne. Hoc nimirum illud verè bonum est, de quo Dauides inquit: Oblectare in Domino.Et Solomo sapientiam,quæ est Dominus,lignum vitæ nominat. Proinde idem est cum ligno vitæ illud Omne lignū, ad cuius fruitionem Deus exhortatur. Ex opposito verò discernit ab hoc aliud lignum,cuius fruitio non est propriè boni vel mali,sed cōmista : quam prohibet quidem princeps vitæ , suadet verò serpens, vt morti aditum paret. Mistus est autem per contraria fructus ligni vetiti,hac ratione:quòd non nudè nobis propositum est malum secundum propriam naturam apparens. nam irrita foret malitia , nullo colorata bono,quod hominem deceptum ad concupiscentiam sui pelliceret. Nunc E autē mista est , in fundo habens absconditam perniciem , in apparente verò parte speciem quandam boni ostentans. Ita peccata occultum interitum intra se habentia,incautis accepta fiunt,studiosè vsurpata pro bono ex deceptione: & inter bona multi quæ sensus exhilarant,referunt : propter communionem nominis tum eius, quod reuera bonum est , tum quod bonum esse putatur. Quapropter tam ad malum quàm ad bonum facta concupiscentia, boni & mali cognitio nominata est. Neque absolutè malum dicitur , eò quòd bono ornatum sit, neque purè bonum, eò quòd subtus malum sit absconditū. Nam quod verè bonum est, simplex est : malum autem, varium, dum aliud atq; aliud putatur, & per experientiā deprehenditur. Propterea ostendit serpens prauū peccati fructū , non monstrato manifestè malo, sicut

A sicut à natura habebat. Aliàs enim homo euidenti malo deceptus non fuisset. Itaq; quum per quandam speciem id quod apparebat, splendidè exornasset, apud quam fidem mereri posset mulieri se conspiciendum præbet. Et vidit, inquit Moses, mulier quòd bonũ esset lignum in cibum. Quum verò manducatio illa mortis sit mater facta, sic est cognitio boni & mali lignum illud nominatum, quod per malam letiferorum compositionem adiunctum mel habuit, quia quatenus quidem suauiter afficit sensum, bonum esse videtur: at quatenus perdit attingẽtem ac fruentem, prorsus postremo fit malum.

A. Peccatum inobedientia omnísque vitiositas nominatur. Ante Adamum autem nullus hominum peccauit. Neque enim erat. A quónam igitur perpetratum, prius erat mortuum, & reuixit veniente mandato? Nam duorum illorum necessarium erit sequatur alterum, aut statuere te peccati naturam quandam esse: aut perpetratum B ipsum fuisse ab aliquo ante Adamum. *B.* Apage cum dictione naturæ malorum. Peccatum mihi videtur esse omnis aduersus virtutem resistendi conatus & repugnantia. Id autem dico diabolum esse, non natura, sed voluntate ad deterius conuersum. Nam ab eo quòd calumniatur apud Deum angelorum choros, conuenienti nomine vocatus est diabolus, quum prius esset angelus princeps. Ex vltramundanis autem locis præcipitatus, reipsa Dei fuit inimicus, nondum adhuc facto hoc aspectabili mundo, qúmque nondum esset homo, qui postea ab ipso seductus est. Postquàm autem homo conditus est, mox Deum apud Adamum calumniari cœpit, inuidiæ crimen ipsi impingens, Adamóque relicto, primùm tanquam infirmiorem, Euam aggreditur, & inquit: Quid est quod dixit Deus, ne comederitis de C omni ligno paradisi? Simulatas affert quæstiones ille pestifer, vt ex illa disceret, qualis ea foret arbor, cuius cibum prohibuisset Dominus. Neque enim sciebat, de quánam arborum, aut cuius gratia præceptum datum esset. Illa verò simplicissima, & antehac natura minimè vel vitiata vel adulterata, quídnam ille spectaret ignorans, lætalem sibi plagam infert. Inquit enim: De omnis quidem ligni in paradiso fructu comedimus, de ligno autem in medio paradisi non comedimus. Tum ille Deũ incusans, ait: Nouit Deus, quòd quocunque die de eo comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis tanquam dii, scientes bonum & malũ, ideóque prohibuit. Hoc modo persuadet miseræ, vt quod vetitum erat comederet, & per illam capit virum: appetentem vtrunque diuinitatem. Postquam igitur spoliauit ipsos etiam iis quæ habebant, nimirum immortalitate, incorruptibilitate & beatitudine: reipsa reuiuiscit hostis ille Dei & homicida, móxque apud Deum hominem qui transgressus erat, D accusat. Exponit autẽ Moses ille Dei spectator, & legislator diuinus, ipsa calumniæ diaboli verba, fraudulentum illũ tragicè describens. His enim diabolus apud ipsum verbis Adamum coram Deo incusans vtitur. Et comedit Iacobus, & saturatus est, & recalcitrauit dilectus. Impinguatus enim est, inquit, & incrassatus est, dilatatus est, & dereliquit Deum conditorem suum, & recessit à Deo seruatore suo. Hoc enim & Iacobi posteris fecit, quum eos ad saturitatem carnis & vinolentiam flexisset, ac deinde ad idololatriam præcipitasset, de quibus Moses, quũ armasset Leuitas, viginti tria millia Iacobidarum vno die in deserto graminis instar demessuit. Nihilominus humani generis amator Deus, erga eum qui accusatus erat, haudquaquam mutatus, ad nos venit vt hostem caperet in eius forma, qui deceptus erat, verè natus. Atque ne hosti occasionem daret dicendi, Mortales oppugnans à Deo E superatus sum: ipse mortalis fit, manens Deus, & venit vt pro mortalibus hominibus pugnet. Id quod iam ante quingentos annos prædixerat vates ille diuinorúmque carminum auctor Dauides: Benedictus enim, inquit, qui venit in nomine Domini. Quísnam est ille, vates diuine? Dominus Deus, & apparuit nobis. At cuius gratia Deus mortalis fit, mi Dauides? Ad destruendum, inquit, inimicum & exactorem diabolum. Criminatur enim apud Deum omnia, & apud alios illum, & vtrisque vltionem suggerit. Id quod & erga Iobum, & erga Deum vtrinque malitiosè facit. Ad Deum quidem dicens, Num gratis colit Iobus Deum? aut in multa facultatum possessione fouetur atque deliciatur? Ad Iobum autem inquit: Ignis de cœlo decidit, & absumpsit omnes facultates tuas. Iterúmque inquit ad Deum: Nõ

tantum hoc, sed mitte manum tuam, & tange ossa eius, & carnes eius. Et iterum ad Deum per vitæ consortem: Quamdiu perseuerabis sub dio in stercore? quin dic verbum aliquod ad Dominum, & morere, vt libereris à malis, quæ te detinent. Hunc igitur inimicum & exactorem tollens Dominus per diuinitatis in carnem aduentum, inquit: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici. *A.* Quòd si sustulit inimicum Dominus, quis nostrûm quemlibet oppugnat, & tentationibus improuisis atque peccatis inuoluit? *B.* Atqui licet Deus omnimodam eius extinctionem atque sublationẽ facere posset, noluit hoc tamen, ne nos inhonorati relinqueremur in futura sempiterna vita, si non esset aliquis nobis hic aduersarius, aduersus quem decertantes velut in stadio præsentis vitæ, remunerationis tempore coronas adsequeremur. Percusso autem capite draconis, totum qui post ipsum trahitur comitatum leto dedit, saltem exiguo quodam in ipso motu relicto, ad exercitium nostrum, & virtutis declarationem. Aliquoties enim & nos percusso serpentis capite, arrepentem tractum corporis pueris feriendum relinquimus, simul ipsos vt audaces & aduersus feras alacres sint, condocefacimus. Neque enim vel aduersus porcos potestatem dæmones habent, quemadmodum sacra Euangelij scriptura docet. Nam ante diuinam Christi permissionem, non sunt ausi tangere gregem porcorum Gergesinorum. Permittit autem ipsis Dominus non vt vnà cum subulcis submergerent gregem, sed vt iis omissis, quò capessere fugam possent, in bruta ingrederentur, euidenter nos docẽs, quòd nisi per ipsius diuinam & omnia complectentem potestatem custodiremur, vel consimiliter, vel etiam peius, quàm erga porcos, erga nos adfecti dæmones forent, qui in huius vitæ mari periculosè nauigamus. *A.* Quum nosset Deus, quòd Adamus præceptum transgressurus esset, cur illud ei dedit? vel denique quare trãsgressorem damnauit morte? *B.* Atqui nisi præceptum, velut præmium certaminis & luctæ statuisset, ac permisisset in arbitrij sui potestate aduersarium, non coronaretur, neque deprædicaretur victor. Quòd si non mandasset præcepti obseruationem, & mortem transgressionis pœnam non minatus fuisset: meritò in eum, qui legem posuit, culpam retulisses. Si verò post mandatum lapsus est, & cecidit factus inobediens: superatum accusa, non eum qui certamen proposuit. Item secundum aliam rationem, Quemadmodum Adamum præcognoscebat transgressurum, similiter præsciebat posteros eius præstatione præceptorum ab ipso velut victores deprædicatum & coronatum iri: alios quidem tempore pacis per declarationem probatæ cum virtute vitæ, alios autem tempore persecutionum per perseuerantiam pro ipso vsque ad mortem. Præcognoscebat enim Abelum iustum fore, similiter & Sethum: Enochum transferendum, ne videret mortem: Noam iustum futurum: Abrahamum radicem fidei fore, ac patrem multarum gentium. Præterea quòd Isaacus seruus suus strenuus declarãdus esset, præsciebat: quòd Iacobus ipsum velut hominẽ in lucta superaturus esset, & quòd torpore soluturus esset latum neruum tacto eius femore. Quòd propter temperantiam in custodia carceréque Iosephus habitaturus esset: quòd factis suis regnum obtenturus. Quòd ad ducendum exercitum & ferendam legem Moses idoneus futurus esset. Quòd Iesus Nauæ F. hostium trophæa capturus, & in seruitutem redacturus esset Gabaonitas. Quòd Dauides propugnatorem alienigenarum armatum, tibialibus & galea gigantea circumdatum, scutum & hastam habentem, totum vndique ferreum, iactu lapidis vnico ex funda, in terram prostraturus, & paullo pòst regnaturus, & multa de se vaticinaturus esset. Præcognoscebat Apostolorum, vatum, martyrum, doctorum, cæterorúmque ad ecclesiam pertinentium ex illo germinaturum sacrum cœtum. Et vt breuiter omnia dicam, non oportebat propter vnius ignauiam & defectionem omnibus claudi stadium, & aboleri certamina, fortitudinémque occultari, & victoriæ cessare præmia. *A.* Quî fit, vt quum dicat Seruator, quòd quemadmodum pater excitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat, ad Lazarum veniens, non excitet ipsum potestate propria, sed inuocet Patrem, dicens: Pater glorifica filium tuum, sicque reuocet ex mortuis Lazarum? *B.* Nihil horum ipsi quidquam potestatis vel auctoritatis adimit. Inquit enim, Propter adstan-

A adstantem turbam dixi, vt credant. Quid verò rursus subiungit? Vt & filius te glorificet. Nunquid igitur indiget gloria, quam consequatur à filio, pater? Nequaquam. Sed glorificauit pater filium, & filius patrem, manifestantes nobis suum consensum & æqualitatem gloriæ. Quomodo verò in maioribus prorsus auctoritate sua faciens omnia filius, in minoribus paterna indiget, vt ais, permissione vel auxilio? Puniens enim & benefaciens nusquam patrem inuocat. Nam, Venite (inquit) benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum inde vsque à iactis fundamẽtis mundi. Ad alteram autem partem, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Ad paralyticum inquit, Surge, tolle tuum grabbatum, & abi in domum tuam. Alibi rursus, Tibi dico adolescens, surge ex mortuis. Similiter & filiæ principis synagogæ defunctæ inquit, Puella surge. Leproso autem à vertice ad pedes vsque vlceribus pleno, extenta manu: Volo, inquit, mundus esto. Vbi recedit morbus, diuina B voluntate fugatus. Cum increpatione item inquit, Tibi dico, malo dæmoni, exi ab eo. Cohibet etiam increpatione tumidam abyssum. Et cum viris vrbes condemnans cum potestate inquit, Væ tibi Chorazin, Væ tibi Bethsaida: & tu Capernaum quæ es in cœlum vsque exaltata, vsque ad inferos descendes. Et veterem tollens Hierosolymam, inquit: Non manebit in ea lapis super lapidem. Id quod factum cernimus. Quomodo igitur in maioribus istis nusquam inuocato patre, aut indigens ab ipso collatis viribus, in minoribus à patre beneficia quasi mutuò sumens, medetur laborantibus? Absit igitur procul à te, ô præclarissime, talis de Christo cogitatio. Non enim secundum defectum auctoritatis aut roboris in quibusdam locis patrem alloquitur, sed vbique is ei propositus scopus est, vt ad humilitatem nos instruat, & superbiæ fastum nobis adimat. Vtque nobis nullo mo- C do permittamus, vt quæ agẽda sunt, ante ipsius ductum inchoëmus: sed omnis tam sermonis quàm actionis ab ipso primordia capiamus. *A.* Quomodo verò dicit Apostolus, ipsum patri subiiciendum, vt maiori videlicet? Nam qui omnia, inquit, subiecit ei, tunc & ipse subiicietur illi, qui ipsi omnia subiecit. Quomodo igitur potest æqualis esse patri, quum constet minorem subiici maiori? *B* Ille ipse nobis eximius & diuinus præco inspiciendus est, qui hoc loco magis carnaliter differit ad rudiores, nec adhuc animæ sensibus exercitatos ad diiudicationem sublimiorum doctrinarum. Quicunque in Christum baptizati estis, inquit, Christum induistis. Quibus in verbis ecclesiasticum intelligit cœtum, qui Christum gestat. Quum autem modò subiiciantur ei per fidem gentes, nondum integram esse subiectionem ecclesiæ gentium admittit. Necdum enim plenitudo gentium ingressa est, vt ipse D ait Apostolus: sed cottidie sanctus ille cœtus accessione credentium subiectionem recipit, non aliter ac si Christus ipse recipiat. Quando autem plenitudo gentium ingressa fuerit, & absolutam integrámque subiectionem habuerit ecclesia, quæ est Christus secundum carnem, tunc & ipse totus exercitus subiicietur ei, qui subiecit ipsi, (nimirum Christo secundum carnem) omnia. Itaque per dictum hoc, quod scripsit ad rudiores, non omnem reuelat ipsius Christi propriæ potestatis auctoritatem & diuinitatem, quæ nihil agit contra patrem. Quando verò apud eos differit, qui perfectiores sunt intelligentia, quasi solidiorem quendam præter lacteũ & puerilem cibum, quo lactentes infantes cibantur, apponit: & à rebus diuinioribus institutionem cõtexens, paulatim adimit auctoritatis potestatísque Christi velamenta, & æqualem gloria, æqualem potentia, liberúmq; prorsus ex se Deum esse ipsum de- E monstrat, luculenter clamans: Exspectamus filium eius è cœlis, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, vt fiat conforme corpori gloriæ suæ, per efficaciam potestatis eius, vt possit & ipse subiicere sibi omnia. Et alibi inquit: Quoniã Deus erat in Christo, mundum sibiipsi reconcilians. Ecce ambobus istis in locis, quòd sibiipsi subiiciat, indicatur. Segregato igitur temetipsum à tali dementia, quum semet declaret Apostolus, nec omnia tradat eodem scripto, sed pro ratione vniuscuiusque scribat, & quasi manu ad perfectionem ducat. *A.* Quum igitur Deus sit Christus & æqualis patri, cur hic ipse Apostolus patrem quidem scribit esse Deum, filium autem Dominum? Nec parum huc mihi facere videtur, quod inquit: Quoniam Deus erat in Christo, mundũ reconcilians sibi. Non faciebat hoc Christus, sed inhabitãs

in ipso Deus. *B*. Equidem aio Christum esse Deum supra omnes potestates & dominatus, æqualem gloria Deo & patri. Neque enim propterea quòd Dominus à sublimi dictus sit Apostolo, diuinitas ipsi adimitur. Neque item alterum illud à Deo fuisse ipsum inhabitatum indicat: quemadmodum per hunc ipsum Apostolum. Prout ex hoc ipso, & ætate priorẽ ipso sublimẽ Esaiam docemur. Nam hic olim de Christo vaticinans, inquit, Et viri Seboim eximij ad te transibunt, & erunt serui tui, & post te sequentur vincti manicis, quoniam in te Deus est. Tollénsque eam de qua tu dicis inhabitationem, rursus subiungit, Et non est Deus præter te: tu enim es Deus noster, & alium ignoramus, extra Deum Israëlis, Seruatorem. Et rursus idem vates ante ...... annos inquit: Puer natus est nobis & filius, & vocabitur nomen eius Deus fortis, dominator. Sublimi autem mente præditus Paulus inquit, Christus qui est super omnia Deus, benedictus in sæcula, Amen. Illud autem quod Dominus dicitur, Psaltes diuinus Dauides ostendit, non extra diuinitatem esse. Nam cõiuncti cum Deo hominis, Dei & verbi in carne aduentum in suis prædicens carminibus, inquit: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & apparuit nobis. Vbique autem in Scriptura veteri patrem Dominum prophetæ diuini vocant. Esaias quidem ille eximius quum ait: Hæc dicit Dominus Sabaoth. Hieremias verò multa perpessus, Hæc dicit Dominus omnipotẽs. Ezechielus autem enarrator ille Cheruborum: Hæc dicit Dominus Adonai. Similiter & Danielus, & cæteri vates. Neque enim Paulus quum inquit, Vnus est Deus pater, ipsum extra dominationẽ ponit, vel vice versa, quum inquit, Vnus Dominus Iesus Christus, ipsum extra diuinitatem esse significat. Neque item quum ipse filius concionatur, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, expertem ecclesiæ patrem ostendit. Omnia enim mea, inquit, tua sunt pater, & tua mea sunt. Nimirum vbique sacris in literis hæc duo vocabula, nempe Deus & Dominus, iuncta sunt. Eiusdem verò nominis eiusdémque gloriæ & diuinum atque sacrosanctum spiritum esse ex diuo discimus Apostolo, scribente in hæc verba: Dominus spiritus est. Illis igitur qui diuinis in literis perspicaces sunt, nunquam eæ videbũtur à se dissentire, vel sibi repugnare, quum nunc quidem diuiniora, nunc autem humiliora prædicantes, auditoris intellectui sese accommodant, veluti liberorum facit amans mater, conueniente quadam ratione liberos educans, quæ alios quidem adhuc teneros, velut infantes lacte potat, eos verò qui infantiæ statum egressi sunt, oleribus nutrit, perfectioribúsque panem porrigit. Nam ad vtrosque inquit eximius ille Apostolus: Lacte potaui vos, non cibo. Nondum enim hoc vesci poteratis, imò ne nunc quidem potestis. Ad alios autem sermonem dirigens: Qui infirmus est, oleribus vescitur, inquit, quæ veluti media quadam quod attinet cogitationes, ratione affecta sunt, quum talis pane vesci nequeat, quemadmodum ij qui iam perfecti sunt institutione, propter tenerum & infirmum adhuc intellectum. *A*. Quomodo verò terminis subiiciens Apostolus regnum Christi, scribit: Oportet ipsum regnare vsque dum posuerit inimicos eius sub pedes eius? Quod quidem aliqui interpretati tradiderunt, quòd post huius mundi finem, prætereunte regno Christi, ipsóque in patrem redeunte, futurus sit omnia in omnibus Deus, sicut inquit Apostolus. *B*. Illos mihi videtur deplorare Hieremias, dicens: Quis dabit aquam capiti meo, & oculis meis fontem lachrymarum? & lugebo nocte & die vulneratos populi mei, qui clauserunt aures, nullam diuini sermonis rationem habentes, qui apertè clamat: Filius manet in æternum. Aduersabitur eis acerbus dementiæ refutator Danielus, vir exoptatissimus, dicens: Contemplabar in visione nocturna, & ecce in nubibus cœli velut filius hominis veniebat. Et paulo pòst inquit: Potestas eius potestas æterna est, quæ non præteribit, & regnum eius non interibit. Similiter & Dauides diuinorum auctor ille carminum: Thronus tuus ô Deus in sæculum sæculi. Virga rectitudinis virga regni tui. Et post alia: Ab initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi interibunt, tu autem permanes, & es idem, & anni tui non deficient. Quæ de Domino exponens sublimis ille intelligentia Paulus, ipsum vbique scribit opificem, & regem, & Deum ante sæcula & in sæcula. Præterea Moses Dei spectator & legislator diuinus in fine Cantici Mariæ scribit:

A ſcribit: Dominus regnans in ſæculum & ſæculum. Chriſtum denique iam Dominum eſſe profitemur. Ne igitur ex eo quod hic dicitur, Vſque dum, & Vſque quo, aliquando finem habiturum regnum Chriſti nugentur, malè intelligentes quæ bene ſunt dicta. Nam ex ipſa Apoſtoli voce redarguitur ipſarum vanitas. Regnauit enim mors ab Adamo ad Moſem vſque, inquit. Num igitur ad illum vſque tantum regnauit, aut etiam vltrà? Nimirum in multas illa generationes imperium ſuum extendit. quam denique omnem rationalem ætatem peruadentem, Chriſtus euertit, aduerſus illam robore mortales circundans, ipſe morti mors factus. Et quia de Moſe magnificè ſentiebant Iudæi, præ illo cæteros contemnentes, ipſúmque Deum eſſe putantes, quòd ne quidem ſepulchrum eius inueniatur vſq; in hodiernũ diem, quódque vnà cum Helia propheta in cacumine montis adſtiterit Chriſto transfor-B mato, ita vt ipſi putent eum adhuc viuere, & in carne, quemadmodum & Eliam, tranſlatum: horum inflationem contrahens tumorémque vanæ de hoc viro opinionis, mortalem oſtendit ipſum & eiuſdem nobiſcum naturæ, quaſi digito demõſtrans eum, & dicẽs: Mortuus eſt Moſes, qui mortalis erat, quid gloriamini ô Iudæi? Rurſúſque idem inquit redarguens ipſos: In hodiernum vſque diem quando legitur Moſes, velum ipſorum cordi impoſitum eſt. Num igitur vſque ad tempora Pauli tantum, an ad ipſam conſummationem vſque Iudæi cæcutiunt? Rurſus idem ad Corinthios ſcribens, inquit: Etiam vſque ad vos peruenimus cũ Euangelio Chriſti. Num igitur tantum Corinthum vſque, an ab Orientalibus ad Occidentales vſque peruenit, velocíque curſu circumiens Illyricum, Romam vſque delatus prædicauit? Et iterum idem inquit: Exhortãtes vos inuicem cottidie quoad hodiernus dies C vocatur. Id quod antea quoque vates diuinus Dauides protulerat: Hodie ſi vocem eius audieritis, nempe Dei, ne induretis corda veſtra ſicut in exacerbatione, in die tentationis in deſerto. Num igitur illis tantum, qui fuerunt ad tempora Dauidis, neceſſaria fuit diuinæ vocis obedientia? O dementiam vanorum ſapientum. Nos quidem qui ipſius Chriſti ſumus opificia poſt præſens ſæculum incorruptibiles & immortales reſurgentes, ſemper manemus: ipſe autem totius vniuerſitatis architectus & gubernator, in patrem reuerſus, non amplius erit? Quomodo verò regnum ipſi æternum & immortale inter homines promittitur, ſiquidem hoc ſpoliatur, ac poſt certos quoſdam temporis terminos id deponet, quemadmodum homines illi vana mẽte præditi volunt? Sed à te procul obſecro abſit talis abſurditas. Redarguet enim ipſos in veteri quidem Teſtamento Dauides de Chriſti regno canens: Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. Opus autem Chriſti ſunt in vniuerſum omnia, D quemadmodum inquit ſublimis ille Ioannes: In principio erat ille Sermo, & Sermo ille erat apud Deum, & Sermo ille erat Deus. qui quidem caro factus eſt, & habitauit in nobis. Item, Omnia per ipſum facta ſunt. Et rurſus Dauides inquit, Regnum tuum regnum omnium ſæculorum, & dominium tuum durat in omnem generationem & generationem. Cum hoc autem conſentiens Gabrielus, illius nunquam finiendi regni Chriſti miniſter diſertè clamat: Et regnabit ſuper Iacobidas in ſæcula, & regni eius nõ erit finis. Non igitur temporum determinatorum eſt, quod conſueto more multis in locis ſacræ ſcripturæ dictum eſt, vſque, donec, & hodie. Apud Deum enim veſpere carens, & vnicus dies eſt tota æternitas. Similiter & omnibus intellectilibus ac rationalibus illis poteſtatibus, quoniam à nulla ſequente nocte vltramundana lux excipitur. *A.* Atqui ſi patri æqualis eſt, quomodo in-E quit ipſe, Nihil poteſt filius facere à ſemetipſo, niſi viderit facientem patrem? *B.* Eiuſdem dementiæ eſt, ad hunc modum erga Dei filium vnigenitum affectum eſſe. Sequetur enim omnino, duplicem ſtatuendam eſſe creationem. Aliam quidem patris iam perfectam, aliam verò filij, quæ adhuc perficiatur, & paulatim progrediatur, ac ad imitationem creationis paternæ condat. Oſtendant igitur nobis Arianæ inſaniæ ſectatores, duos ſoles & duas faces lunares, & diſcernant nobis quínam ſol patris ſit aut qui ſit filij: quæ ſit luna patris, quæ filij. Similiter autem & de terra, & mari meritò quæſiero. Quomodo item vera dicet filius ille tonitrui Ioannes, qui doctrinam de Sermone incarnato ex ipſius ſinu per deriuationẽ hauſit, & quaſi diuinus calix impletus ex perenni fonte, verbum illud, Omnia per ipſum facta ſunt,

in omnem ſoli ſubiectam terram pluit, quaſi dicere vellet, ad nullum exemplar aut ſimulacrum reſpicientem filium omnia facere. At quem obſecro filium? Qui noſtræ naturæ vnitus eſt in vtero perpetuæ virginis Mariæ, adeóque vnigenitus ille Dei filius miſſus à patre, qui naſceretur è muliere, quemadmodum diuinus ille docet Apoſtolus. Vbi igitur, aut quando cōſpexerat patrem incarnatum, & natum, & crucifixum, & ſepultum, & ex morte reſuſcitatum, vt hæc ipſius exemplo ageret? Vbi verò patrē audiens, conſimiliter inquit, Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & rurſus ſumendi eam? Item, Quia nullus adimit eam mihi, ſed ego pono eam ex meipſo? Vbi verò patrem conſpexit iumento vectum, & ad illius imitationem Hieroſolymam aſino inſidens venit? Vt ſummatim dicam, ad nihil reſpiciens filius, ea quæ dicta ſunt facere ſolitus fuit. Neque enim Adamum formans, & ex illo Euam faciens, alium quempiam rationis participem, maſculum aut fœminam, à patre cōdi viderat, ad quem ſuum fabricaret: ſed quum eſſet opifex per ſe, adeóque liberrimus vniuerſitatis huius Deus, ante incarnationem & poſt illam idem, qui & velle facere omnia poterat, ne ipſum Dei aduerſarium, patríſve oppreſſorem arbitrarentur, qui erga ipſum cæcutiunt, inquit: Nihil poteſt facere filius à ſeipſo, niſi quod videt patrem facientem. Simul & de amore parentibus debito nos commonefacit. *A*. Quomodo autem Iacobo & Ioanni, Zebedæi FF. conſeſſum cū ipſo petentibus, inquit: Sedere à dextra & à ſiniſtra non eſt meum dare, ſed quibus paratum eſt à patre meo? Quare non tanquam propria præditus auctoritate, dixit, Quibus paraui, aut, quibus voluero: ſed ad patrem ipſos relegat? Id autem non eſt alicuius liberè agentis. *B*. Non quaſi præſtando non eſſet denegauit, ſed prudenti quodam prætextu ad modeſtiam reuocat ipſorum faſtum, & aduerſus condiſcipulos elationem, per illos etiam reliquos caſtigans, & accenſum in ipſis abſurdum amorem primatus extinguens terrore denegationis. Non enim dicit, Omnino largitur id vobis pater: ſed quibus paratum eſt laborantibus, exſtimulans ipſos ad virtutem & fortitudinem, vt primùm beneuolentiam demonſtrarent, ad certamina ſemet accingerent, pro ipſo ad mortem vſque conſtanter perſeuerarent. Nondum enim inquit, Aliis mea prædicaſtis, & quo tandem pacto voces annuntiare deſideratis, nondum pro me colaphis cæſi? Proinde expedimini ad certamina in ſtadio, deſcendite in theatri caueam, alacres incedite, inuicti manete, & quamprimùm præſentis ſæculi theatrum ſolutum fuerit, ego mox vobis illa ſolia tanquam præmia certaminis largiar. Nunc autem vos meritò reiicio. Dabuntur iis, quibus pater iuſſerit. Neque enim alio modo veſtra mater & vos cum hac veſtra moleſtia repelli poteſtis. Aut agit eo modo, quo ſolent qui aliquid ante tempus præſtare nolunt, ſed alij alicui poteſtatis auctoritatem eſſe ſimulant, ne quando receperint, ſegniores ad alacritatem & fortitudinem fiant, contenti eo quod datum eſt, non amplius laborare volentes. Sic enim & qui in terris regnant, facere conſueuêre, quando ab ipſis aliqui dignitates præſidum & officia, vel imperia rei militaris efflagitant, licet penes ipſos ſit, ante tempus tamen dare nolentes, alius ad alium id poteſtatis referunt, exſpectatione dignitatis miniſtros pro regno excitantes, vtque inter ſe certent, & enitantur acriores aduerſus hoſtes fieri, eos præparantes. Vel etiam alia ratione, quia putabant ipſum temporale regnum in terra adminiſtraturum, ait illis: Neſcitis quid petitis. quaſi dicat, Euigilate quæſo diſcipuli mei, aſcendite mente in meum regnum: non ex iis, quæ inſtar nocturni ſpectri circumuolitant, neque de ſordibus humi iacentibus voluptatem capite, ne quando à patre quoque meo audiatis: Non eſt meum ſimpliciter dare, ſed à vobis viciſſim exigere certaminum & ſudorum compenſationem. Malo enim vobis debere propter beneuolam alacritatem, quàm accuſare ſocordiam. Non eſt meum dare, at neque patris mei ſimpliciter petentibus: ſiquidem obſcuri, & adulteri, & quiuis flagitioſus & intemperans, ſi petant, mecum ſeſſuri eſſent. Non eſt noſtrûm, dare temerè, & deprauare quod iuſtum eſt. Iuſti enim iudicis eſt, vnicuique pro dignitate meriti tribuere, non negligere laborātes, ac ignauis aliquid largiri. Proinde ſi thronos amatis, nolite ignorare certamina, ad quæ capeſſenda debetis expediri. Neque pallio tātum, & barba, baculóq; cōuenit vos delicatè gloriari: ſed laboribus thronos redimite, iudiciúmq; placate.

A placate. *A.* Quòd si perinde ac pater, potens & sui iuris est filius: quomodo terretur cruce, patrémque rogat, dicens: Pater, si fieri potest, transeat à me poculum hoc? Nimirum non eius est, qui suo agat iure, neque spontaneæ voluntatis, ad alium confugere in necessitatibus, ac velut indigum, illius auxilium implorare. *B.* Letale vulnus & hinc infligi diuina manu illis vana mente præditis puto, quum eiusdem potestatis etiam nunc cum patre filium esse demonstratum sit, nec quicquam prorsus eius auctoritati adimi per eas voces, quæ ab ipso per simulationẽ editæ sunt. Quandoquidem enim ægrè recipiebatur vnitæ cum Deo humanitatis ipsius aduentus, propter nimiam humilitatem & erga homines beneuolentiam fidem superãs, propositum illi fuit non diuinitatis potentia propulsare malignum dæmonem, neque principali potestate euertere ipsius aciem: sed mansuetudine potius & diuturna patientia condemnare aduersarium reluctantem. Nam si venisset vsurus potestate B naturali, nihil admiratione dignum facere visus fuisset, si aduersus angelum defectorem decertasset Deus: immò diuersum potius accidisset, & in arrogantiam extulisset diabolum, quasi Deo par fuisset aduersarius. Meritò igitur humana vtẽs humilitate, deprimit ipsius elationem, & victoriæ tropæum nobis asserit. Nam si, quũ ab initio seductus fuerit homo, non per aliquem, qui homo esse videretur, tametsi reipsa Deus foret, captus esset ipse vicissim prædo: præclarum hoc facinus humano generi tributum non fuisset. Nunc quum in natura tam diuina quàm humana sanctus ille Sermo ad nos venerit, & in forma capti hostem ipsum cœperit: tanquam Deus imperium nobis in ipsum dedit, diuinitus illa verba pronuntians: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici. *A.* Quis est igitur, qui crucifixus est, immò qui deprecatur, & C inquit: Pater, si fieri potest, transeat à me poculum hoc? *B.* Nec Deus, nec homo seorsum. Nudus enim homo nos seruare non potuisset, Deus verò nudus pati nequit. Quamobrem fecit hoc vnus ex ambobus, per concursum & vnionem naturarum ex perpetua virgine natus ille Homodeus, qui nihilominus quod erat seruauit. Idem Deus, idem homo, neutra separata natura, crucem conscendit. Ideóq; aliàs quidem diuino, aliàs verò humano more loquens, conuenienter se tempori accommodat. Num quidem hoste se extollente per verba & signa Deum se subiectis declarat: rursus vero ipso accedente & attentius inspiciente, num verè Deus esset, qui aliquatenus esse apparebat, & . . . . ad certamina & luctam, rursus mortalia præ se fert, ne fortè expauescens aduersarius refugeret vsque ad crucem & mortem ipsum oppugnare: in quo vno tota Homodei victoria sita erat. *A.* Et D quare veniens non manifestè crucifixus est, confisus sua ipsius fortitudine, sed aliquando quidem inops, aliquando verò splendidus est? Quare item formidinem præ se fert, quum Deus esset? *B.* Quoniam neque ipse inimicus manifestè primos parentes nostros in paradiso aggressus est, qui cæteroquin à deprauatione ac lapsu sibi cauissent: sed occultabat in serpentis specie suam naturam, illi vnitus: & dicebat ad miseram: Quocunque die comederitis de arbore vetita, eritis tanquam dii. Et vt breuiter omnia proferam, quæ ibi sequuntur: dolosè ipsos ab illa beata vita seduxit. Proinde qui verbis dolosis decepit, verbis diuinis deceptus est infœlix hostis. Non igitur illic nudus erat serpens, neque diabolus nudus: neque hic homo nudus, nec Deus nudus. Nec item formidolosus est, sed apertè stulti dolum inutilem reddit. Vide mihi libertatem & robur timoris quem præ se ferebat, quũ ipsum inua E derent eum comprehensuri Iudæi. Nam cæcitate percussos interrogat: Quẽ quæritis? Illi verò postquam dixissent se Deum quærere, rursus ostendit ipsis spontaneam voluntatem, & ait: Ecce ego sum. Atq; cõfestim sequitur se quærentes. Quis impedire potuisset, quo minus celeritate auolandi superaret vultures? quis prohibuisset, quo minus eludendo excæcatos euaderet, qui de se aiebat: Potestatem habeo ponendi animã meam, & rursus sumendi eam? Quomodo verò & Petro se obiurganti ad animum reuocat crucem à se expeti? Inquit enim ad eum cæteroqui dilectum: Abi post me Satana: quoniam non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Quasi dicat, Sequere me, & noli resilire, ignorans dispensationẽ, specie carnis deceptus. Quomodo enim formidabo mortẽ, qui sum aliud nihil, quã vita immortalis?

Quomodo passionem deprecabor, qui à passionibus libero? qui tactu manus sanaui A ancæcos, qui nudo verbo firmaui paralyticos, & feci vt ferrent grabbata, quibus antea gestabantur? Qui fontes sanguinum fimbriis siccaui, & à leprosis maculam abstersi? Qui legiones dæmonũ mandato fugaui: abyssum instar terræ calcaui, ipsámq; tumidam & elatam silere ac obmutescere feci: qui ad ventos manum pro tranquillitate extendi, per quas etiam tumebant & æstuabant: qui quinque panibus quinq; millia ad satietatem cibaui, & inde reliquiis sublatis duodecim cophinos impleui: qui Lazarum diebus quatuor fœtentem, ad reuiuiscendum ex monumento vocaui illæsum: qui omnium opifex & Deus, vita & resurrectio sum? Præ me fero metum & humilitatem, per assimilationem carnis captare volens draconem, & à me quidem illusum, mortalibus autem illudentem diabolum. Piscator enim cum sim, etiã hamũ, nempe meipsum demisi in profundum huius vitæ, circumdatus veluti verme assumpta mortalium carne, ipse per meipsum consimilis ipsis, citra mutationẽ tamen factus Adamus. Et velut piscator, nunc quidem blandè demitto, & subtraho in profundo datum hamum, nunc verò quietum teneo, appropinquante pisce homicida quem obseruo, ne quà territus resiliat. Quapropter & per seruum meum Dauidem inquam, Ego verò sum vermis & non homo. Quemadmodum enim ille ex terra absque aliqua coniunctione carnem accipit & in vitam producitur: consimiliter & ego ex ea quæ semper est virgo absq; aliqua cõmistione & coniunctione viri incarnatus, naturaliter factus sum homo, manens Deus. Quapropter ait multa pericula perpessus ille vates Hieremias, videns prophetica visione decipiendũ deceptorem, & quasi deridens ipsius fremitum & arrogantiam ante annos quingentos, & lõgius etiam, de me: Homo est, & quis cognoscet eum? quasi dicat, quòd qui Deus est, per dispensationẽ propter nos homo factus sit, sapienter deludere in malitia sapientem volens, implens prophetiam generosi Iobi dicentis: Duces draconem hamo. Idem rursus ait: Semitas abyssi perambulasti, subterranea percurrens, & illic captos liberans. Et iterum idem inquit: Aperientur tibi terrore portæ mortis: portæ inferni te videntes inhorruerunt. *A.* Num igitur illusorem dicis Christum, & quòd dolo superauerit diabolum? *B.* Nihil id præter decorum. Si quidem & ipse antequam vnitus homini Deus esset, conspectus ab interprete rerũ diuinarum Mose, inquit: Vides in quàm multis illuserim Ægyptiis? Similiter illudit incarnatus intellectili Pharaoni cum toto exercitu suo Ægyptiacorum dæmonum, inuisibiliter flagellato & submerso ipso, per id quod inquit: Pater, si fieri potest, transeat à me poculum hoc. O poculum diabolos vulnerans, dæmonas fugans, peccata ventilans, peccatores expians, æternam vitam operans! Homo igitur reipsa Deus Sermo factus, immutabiliter omnia cum veritate prosequutus est humana, excepto peccato. Sic tẽpore passionis deprecatur poculũ, non metuens id quod iam antea voluerat, sed nos instruens, in pericula non insiliendũ esse, sed aduentantia fortiter ac viriliter esse excipiẽda. Ideo crucẽ per meditationem æstimatã certo consilio deprecabatur quidem, exhibitã verò super humeros tanquam victor tollens, ibat sponte, in ea clauis affigendus. Simul autem omnibus acclamare conuenit, quæ à Dauide diuino decantata sunt: Quàm valde magnifica sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti. Similiter magniloquus & eximius ille Apostolus disertè clamat: O profunditatem diuitiarũ, & sapientiæ, & cognitionis Dei! Quàm inscrutabilia iudicia sunt eius, & imperuestigabiles eius viæ! Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis fuit ei cõsiliarius? ô dementiã! Sancti hæsitant, vulgares mouẽt quæstiones. Proinde conticescat omnis cõtentio, & motus cogitationũ. Gaudet enim diuinum illud numen, se simplici fide honorari. *A.* Quandoquidem hæc omnia præclarè ac dilucidè nobis explicuisti, quod reliquum est, cupimus ea quæ ad nostram naturam pertinent, discere. Ac Dauides quidem extenuat ac vilipendit hominem, dicens in octauo Psalmo: Domine, quid est homo quòd memor es eius? Psalmo verò 38: Verumtamen vanitas est omnis homo. Et psalmo 143. Domine quid est homo, quòd ei notus factus es, aut filius hominis quòd reputas eũ? Homo vanitati similis factus est, inquit. Filius autẽ eius Solomo, magnificè deprædicat & cohonestat hominẽ, dicẽs: Magnum quiddã & pretiosum est homo. Si igitur à patre dissentit, quomodo consen-

A consentient vates reliqui? *B.* Nihil horum probare potest, inter se dissonare hominum fatidicorum verba, siquidem studiosè examinata, & minus pingui iudicio sobriè considerata fuerint. Actio enim ad contemplationem quidam velut ascensus est. Proinde alius quidem naturam nostrã, alius verò dignitatem demonstrat, quam à Deo vniuersorum creatore accepimus præ omni creatura, diuinis manibus facti. Reuoluto primo volumine Mosis, vtrumque disces, quòd acceperit puluerem de terra Deus, & formauerit hominẽ, & inspirauerit in faciem eius flatum vitæ. Ex eo, quod dicitur, Accepit & Formauit, quæ ad dignitatem pertinent cognoscuntur, quum hoc de nulla creaturarum dictum sit, nisi de solo homine. Ex eo autem, quòd acceptus est puluis de terra, vilitatem nostræ naturæ discimus, quòd terra & puluis simus, quæ nullius momẽti sunt, & facilè intereunt. *A.* Quomodo igitur magnum

B & pretiosum quiddã est homo, si vilis est & facilè dissoluitur, infinitis perturbationibus & necessitatibus obnoxius? B. Quum ad naturam respicis solã, coniunge cum hac & dignitatem. Nam vilitatem & breue fatum naturæ illa tribuerunt, quæ post degenerationem à pristina beatáque in paradiso conuersatione nos inuaserunt per transgressionem. Nam post illam perniciosam manducationem, hanc vocem miser ille audiuit: Terra es, & in terram redibis, obedientia inimico potius quàm Deo præstita. *A.* Quid innuit Dauides, dicens ad Deum: Manus tuæ fecerunt me, ac formauerunt me? Num aliud significat per formationem, & aliud per faciendi verbum? Ex eo autem duplicis esse naturæ nos intelligeremus. Quales item manus dicendæ sunt in Deo? *B.* Faciendi verbum de anima mihi videtur intelligẽdum. Formationis autem de multiplici fictione corporis. Manus verò Dei & Patris, Filium & Spiritum dico, ad quos etiam inquit: Faciamus hominem secundum imaginem &

C similitudinem nostram. Quantumuis verò dicat historia, quòd acceperit Deus puluerem de terra, formaueritque hominem: tamen ex adspectu & ipsarum rerum cõsuetudine denotatur & illud, quod sub oculos non cadit. Nam voluntatis hæc operatio prorsus est, non manuum formatio. Veruntamen manuum figmentum ad dignitatem naturæ dictum est. Quandoquidem & id, quod factus ad imaginem Dei dicitur, non ad imitationem naturæ: (neque enim quisquam eloqui queat, quantũ sit discrepãtiæ) sed ad notas principatus & libertatis referri debet. *A.* Quid igitur? num membra attribuis Numini secundum nostram imaginem & similitudinem, aures & brachia & crura ipsum habere significans? *B.* Paululum in his cõsequenter & ordine exponendis est immorandum, nę confusione quęstionis à sententia aberremus. Ad verticem verò nostri ortus, per orationis scalam rectà conscendamus.

D Magnum & preciosum quiddam est homo, qui & olim & nunc ex rebus vilibus habet ortum. Quum enim posset Deus ex ære, vel ferro, vel adamante, vel lapide facere hominem, ex puluere potius ipsum fabricauit olim, hodie verò ex tenui ac fluxo excremento. De his manifesta est incomprehensibilis & intellectum superans efficacitas sapiẽtiæ ipsius. Neque subsannet aut derideat me vestræ charitatis acumen, si exactioris cognitionis gratia summam oratione attigero superficiem naturalium mysteriorum nostri ortus. Neque enim diuina dedignatur scriptura horum meminisse, quum loquitur de filio Iudæ cum Thamare dormiẽte. Præterea de mulierum purgationibus, de seminis fluxum patiente, ... sedentem, de nouam coniugem purgante. Sed & eximius Apostolus masculos corrumpentium virorum, & masculorum more sese depereũtium mulierum meminit ad Romanos scribens. Deiicitur

E itaque in fœminam à mari frigida quædã humoris ebullitio, eáque commista cum obiecto humore sanguineo à muliere reddito, coagulatur à frigidiore viri excremẽto, quemadmodum inquit vituperationis expers & verax Dei testimonio perhibitus ille Iobus, qui in sui corporis læsione ad Deũ loquitur: Nónne sicut lac me multisti, & velut caseũ coagulasti? Pelle & carnibus induisti me, ossibus & neruis cõpegisti, vitam & misericordiã apposuisti mihi. Naturã simul & proprias vires eius propriámq; potestatem demonstrans. Vitã autem & misericordiã apposuisti mihi, inquit: quasi dicat, In me posuisti vt viuerem, & vt misererer mei ipsius per obedientiam & obseruationem tuorũ mandatorum: aut vt perimerem meipsum per inobedientiam, neque misericordiam consequerer meritò pœnas dependens, inimico potius quàm opifici adhærens. Id quod primus noster parens fecit, qui nõ misertus

suiipsius, veluti gladium ipsam perditionem consultricem aduersus semetipsum suscepit, illóque interfectus est, & ex immortali mortalis factus periit. Quum igitur clausis omnibus sensuum sedibus & ipsis ambarum personarum sensibus, quasique contemperatis atque permistis inter se corporibus in coitu, ineffabile fit initium, videlicet faciei expressio, de excreto primum potioréque semine, vnde ad delineationem & similitudinem figura vel feminæ vel viri exprimitur. Atque hoc modo quum viri excrementum frigidum quodammodo sit & osseum, in ossium & neruorum commutatur robur, pro ratione illius, qui excreuit, soliditatem habens. Quod autem à muliere in cōcubitu vicissim redditum est, quum calidus sit natura sanguis, à frigido condensatum, in sanguinem conuertitur. Caro autem per vitalem quandam vim diuinitus inspiratam, viuificatur. Ego enim sum qui feci terram, & hominem ex ea, quíque dat statum vitæ omnibus, qui ambulant in ea, inquit Deus. A B

Alter hic locus est ex ijs, quorum paulo antè mentionem feci. Nam adiecta fuisse arbitror hæc ab aliquo, qui cum Cæsarij sententia coniunctam eodem loco philosophorum etiam exterorum opinionem de formatione hominis habere vellet.

VERBA DE LIBRIS EXTERORVM DESCRIPTA.

Natura inest semini. Nam quæ est in eo vis, quando moueri ceperit, natura nominatur, propterea quòd nascendo producit & generat. Nutritur autem alimento quod est in corpore, quemadmodum neque nutrimentum absque materia est. Mouetur autem in semetipsam, cibos concoquens: & per semetipsam perficiens digestiones. Facultates verò naturæ tres sunt, Generans, de qua iam antea dictū in mentione seminis: Augescens, quæ habet motum secundum tempus: & Nutriens, ad quam cibi confectio pertinet. C Per vniuersum autem corpus nutriens & augescens facultates sese didunt: generans verò tātum sita est in geminis testibus semen continentibus. Occupata autem est natura primum circa cibum & spiritum, qui spiritus interna vi calidus, vt qui per se mouetur, secundum id quod dictum est de semine, gignit & absoluit hominem temporibus & magnitudinibus definitis. *A.* Simul existere nos animam dicimus cum eo quod à viro excernitur, & viuum animatúmque quiddam est, quandoquidem & à viuēte & animato corpore causa ac origo nostri ortus est. Quemadmodum & ab arboribus auulsi rami, qui vniuscuiusque semē habent, vitalem facultatem earum, à quibus sumpti sunt, continent. Nam si calidus est sanguis, etiam viuum illud semen viri calidum est, ac licet sanguine nō omnes similiter dispositi sint, tamen vitalem quandam caussam habent, quę est anima. Propter D tenuitatem autem & exiguitatem constitutionis primi diei, quum non possit suas operationes perfectè declarare propter subtilitatem eius quod est deiectum, ... quo deinceps augescente in aluo materna, & in carnē verso, & inde verso in fœtum, vnà augetur, sicque demum perfectè anima suas declarare effectiones, & apparere cum perfecto iam corpore potest. *B.* Absit vt existere animam cum semine cogitemus. Nam quo pacto simul exstitisse cum Adamo putabimus animam, qui absque coniunctione aliqua vel procreatione factus fuit? Nam si ex viro animam simul excerni concesserimus, sequetur omnino, etiam Dei Sermonis incarnati animam ex semine vnitā corpori: id quod fuerit extremæ dementiæ ac blasphemiæ, ingentem merentis pœnam. Eadem ex vesania sequetur, pœnas daturos potius, quàm præmia certaminum coronásque reportaturos, qui scortationem fugiunt, & fortiter aduersus ipsam decertantes, ac propter regnum cælorum semetipsos continētia castrantes, quemadmodum inquit Dominus, animas intra semetipsos suffocāt, & vnà cum terrenis interimūt membris, sua sobrietate deteriores euadentes quàm sint effeminati & voluptati dediti. E Num igitur & Paulus ille sublimi præditus intellectu manebit inhonoratus, pœnásque pendet quasi qui supplicia nobis animarúmque neces conciliauerit, tam reipsa quàm verbis docens, & scribens vniuerso orbi, fugiendam esse scortationem, & mulierem non tangendam, si fieri queat? Quare igitur & scortatorem Corinthium puniuit, in se suffocatam animam ad vitam emittētem? Quare item seminis fluxu laborantem lex purificari & aqua submergi præcepit, si videlicet arctata nimis anima de eius lumbo progressa est? Qualiúmnam verò plantarum fructuúmve

A ctuúmve ramos, aut semen accepit Deus, quibus ab initio terram exornauit? Quomodo Sara cum Abrahamo ad centesimum ab adolescentia cubans annum, idémque semen excipiens, nunquam inuenit animatum esse illud excrementum, nisi diuino præcepto, vt nasceretur Isaacus vnigenitus filius centum natis annos? Et quomodo Anna cum Helcana lecti consuetudinem habens pluribus annis, nunquàm in vtero animatum excrementum suscepit, priusquàm in sacrariũ veniret, numénq; pro fœcunditate exorasset? Cuius supplici precatione Deus suscepta, quæ multis quidem temporibus de se iudicauerat se vitalem fœtum nunquam parituram, velut inanimam materiam sequenti concubitu consueto more deiectam animauit, & eximium illum diuinúmque Samuelum formauit, quem post pueritiæ infantiæq; lactentis statum, sancto illi Deo, qui sanctum puerum præbuerat, tunica amictum

B mater obtulit, ab cunabulis Deo consecratum. Quomodo item anus egregia Elisabetha à tenera & florida ætate cum coætaneo Zacharia cubans ad ipsam vsq; caniciem, quum quidem matrimonialibus legibus non renuntiarent, nunquàm tamen sunt adsequuti cõmistionem viuam, prius quàm angeli voce animaretur in lumbo iacens materies, ab vtrisque secreta, & in carnem solidata, quasi cuiusdam lapicidæ manu à monte vel metallo reuulso lapide, & quotidiana cælatura exsculpto, vsque dum perfectã effigiẽ statuæ consequatur. Sic & ineffabili arte, materies, quæ quondam in senibus erat inanima & informis, in Ioãnem exsculpitur, & . . . . . Baptistã & præcursorẽ. Proinde cesset fabulosum illud cõmentum de existentia animarũ in semine, dum illud à mare excernitur. Quomodo enim res incorruptibilis & immortalis cum corruptibili & informi existeret? Quomodo item anima, quæ melioris &

C præstantioris est naturæ, ex deteriore ac viliore causam ortus in vitã haberet? Quomodo non absurdũ sit, putare animam in corruptione procreari, quum de corpore dicat Apostolus: Seritur in corruptione, suscitatur in incorruptibilitate? seritur item corpus animale, non autẽ anima. Nam animale dicitur, tanquam animæ proprium, quũ corpus animæ sit organum. Desinat etiã delirium de eo, quòd deinceps primũ existat. Nã simul atq; Deus cogitat, qualénam oporteat vnumquodlibet esse, mox etiã materies adest, & . . . . . vniuscuiusq; naturæ cum efficacitate diuinæ voluntatis concurrunt. Neque enim vel prius existere, vel existere posterius animas diuinæ litteræ docent, ne senex & iuuenis idem suiipsius respectu putaretur homo: sed similac dictum esset, Accepto Deus puluere de terra formauit hominem: confestim subiungitur, Et inspirauit in faciem eius flatum vitæ, & factus est homo in animã viuentẽ. Neq; igitur anima per se, neq; corpus est homo: quum vtriusq; copulatione

D ac vnione perfectum esse hominẽ diuinorum scriptorũ auctor ille Moses declarauerit. Sed ad ea, vnde digressi sumus reuertamur. Sanguis frigiditate solidatus in carnem transmutatur. Crescit autẽ pro ratione nutrientium qualitatum cum ipsa vnitarum ab eo, qui cibum dat omni carni, quemadmodum inquit Dauides, carminũ diuinorum auctor. Quemadmodum & carnes marinæ, velut in vtero, in ostrearum & pectinum marinorum testis nutritæ, vitalem diuinitus habẽt vim, salientes & vibrantes sese, quum oris, auditus, dentium atq; gustus organorũ sint expertes, & articulis careant, ac solo aquarum humore nutriantur. Sed tamen illa in eadem forma perpetuò manent, talem diuino iussu naturam sortita. Nostræ autem generationis causa, licet exigua quædam sit ad primam seminum cõmistionem, particularibus additamentis ingestarum nutrientium qualitatum quasi cõtexta & augescẽs ineffa-

E biliter formatur per intellectilem & inuisibilẽ Dei manum, qui ex puluere formauit primum nostrum parentem. Sicq; deinde mora temporis nouem mensium, perfectè absolutus diuina vi fœtus, per robur gestantis vteri nutritur. Non quasi non possit vniuersorum opifex exiguum illud in matrice deiectum nostri initium, vel etiam absque illo, quemadmodum omnia ex nulla subiecta materia produxit, nos mox perfectos & absolutos formare, velut Adamum, ideóq; indigeat mora temporis nouem mensium in imperfectis fœtibus: sed vt instar pellis aut membranæ per factam paulatim formationem intus iacentis maior fiat vterus, & intus saliẽte fœtu, femellæ organa extendantur. Non enim caperent infantem absolutum, si mox illis imponeretur. Habétque locum hic, quod ii faciunt, qui exiguo & quidem

ficco vtre multa complecti volentes, eum ſubigendo & extendendo firmiorem capacioremque reddunt. Sic igitur mihi videtur, quæcunque oſſea ſunt & neruoſa, ex maris excremento roborari: quæcunque verò ſanguinea & carnoſa, ex eo quod fœmina contribuit conſolidari, ac dicens mox ſequi diuinum illud verbum & opus: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſicut inquit ad primos parentes noſtros Deus, ſimul deinceps ipſe, & faciens nos creſcere quidem in definitam ab ipſo corporis magnitudinem: multiplicari autem poſteris, & implere terram. Ex illis autem ipſis protoplaſtis diſcimus, quæ ex vno quolibet ipſorum in procreatione liberorum concurrant, ex Adamo oſſe lateris ablato, & in fœminam facto diuina manu: ſimul copulatio & vnio naturæ declaratur. Secundum hæc ſcire debemus, ineſſe nobis ſecundum ordinem elementorum . . . . partem aliquam calidi & frigidi, & alterius quod reſtat paris, nimirum humidi atque ſicci. Nam terra, ex qua nos Opifex produxit, cum omnibus hiſce miſta eſſe mihi videtur: ipſa quidem arida appellata, humido autem innatans, ignem verò in ſaxis, & ferro, & lignis abditum habens, & aëra per ipſam vniuerſam diditum, eámque fouentem. Formato in vtero fœtu, & ad articulatam membrorum commiſſuram obſcura humidáque materia exſculpta: nutritur deinceps & creſcit vnumquodlibet membrorum pro qualitate illorum, quæ matris aluum intra recipiuntur: ſicut in agricultura fieri ſolet, ex nubibus imbre, aut elicum riuis arua ſubiecta rigantibus. Sit autem hortus aliquis de quo ſermo habeatur, infinitas plantarum ſpecies enutriens, diuerſæ tum ſpeciei tum formæ, in vno atque eodem ordine. Similiter irrigans illas vna quædam eſto aquæ natura. Nihilominus eorum quæ nutriuntur, proprietas in diuerſas humorem illum qualitates tranſmutat. Nam idem ille humor amareſcit in abſinthio, in liquorem verò lethalem in cicuta tranſit, & aliud alij fit vnus & idem, in croco, in balſamo, in papauere, quorum aliud quidem calfacit, aliud refrigerat, aliud verò mediam habet qualitatem. In lauro, in odorato iunco, & aliis ſimilibus aromata ferentibus in fragrantiã commutatur, in ficu & pyro dulceſcit, per vitem in vinum & botrum mutatur, in viola fit cæruleus. Tale quiddam & in animato corporis horto mirabiliter à natura efficitur, immò verò à naturæ domino. Oſſa ſunt hic, cartilagines, venæ, arteriæ, nerui, ligamina, carnes, cutis, aruina, pili, tonſillæ, vngues, oculi, nares, aures, & præter hæc infinita quædam alia, inter ſe diuerſa quum ſit vnica nutrimenti ſpecies, qua omnia conuenienter pro ſua natura nutriuntur, ita vt vnicuique ſubiectorum applicata alimenta, in eius naturam mutentur, ad quod deferuntur, ac propriam partis eius proprietatem induant. Nam ſi ad oculum alimonia peruenerit, parti cernenti miſta, membranam oculi rigat. Et auditus partibus inſidens, circumrotatur ad auditum. Et labra humectans, veluti pelliculas quaſdam, non ſinit ea ſiccari & exareſcere. In oſſe dureſcit, in medulla molleſcit. In neruo roboratur, in ſuperficie vnà extenditur, in vnguem deſinit, in capilli generatione per humores conuenientes attenuatur. Ac ſiquidem per tortuoſos meatus fiat euaporatio, criſpiores implicatóſque crines efficit: ſi verò per rectos & teneriores, ſimplices & extentos, inſtar fili per euaporationes in capillos commutato illo humore, qui ex cibis reſidet. Si verò per calidiores cordis & iecinoris partes euaporationes in caput exhalant, caluitium fieri ſolet, ob frigoris defectum. Superante namque calore, exſiccari conſtat, ac defluere crines. Enimuerò res opportuna & ſuauis, & admiratione digna, omníque prædicatione fuerit, noſtrũ hic nos Dominum & gubernatorem celebrare, ac vnà cum Dauide diuino vate canere: Quàm magnifica ſunt opera tua Domine! Cuncta ſapienter feciſti. Quis enim poſſit eloqui potentias Domini? aut quis enarrabit? Quis aſſequetur ſermo, vt hæc exprimat? Quomodo enim ex iis quæ diuerſæ ſubſtantiæ ſunt, & inter ſe differunt, vnam naturam noſtram condidit? neque refugit alterum ab alterius communione vel vnione, ante poſitos à te vnicuique vitæ terminos, ſed ad finem vſque natura immortalis cum mortali degit: ruſúſque longum valedicit cõiunctæ corpori, obediens imperio ſeparationis. Quis verò non obſtupeſcat, ex puluere facta videns tot membra partéſque corporis, conuenientia inter ſe oſſa, vertebris & iuncturarum tornis inter ſe commiſſa, quæ veluti carniũ adminicula fulcráq; ſunt, & ad omnem habilia

A habilia motum, quasique ad vnam sitã lineam, vt quæcunque parum sunt rationi consentanea remoueant. Sunt item membra cum membris velut in æquilibrio posita. dextera manus pari longitudine cum læua, digitus cum digito, planta cum planta, pes cum pede, itidémque comparata sunt alia singula. Sed est operæpretium vt ad verticem nostræ creationis oratione recurramus, inde ad pedes & talaria deuenientes. Quin ab ipsa iam, si fieri queat, anima ordiamur. Considera igitur obsecro teipsum, & neminis adhibens expositionem, qua de totius vniuersitatis opificio conditorem inuestiges, in temetipso, velut in paruo mundo, ineffabilem Dei sapientiam perspicies. Atque ante omnia incorporeum esse mihi consideraa Deum, ex tua ipsius incorporea anima: nullo circumscriptum loco, siquidem neque mens nostra prius habet localem circumscriptionem, sed per corporis coniunctionem in loco est. Eandem inaspectabilem esse fateberis ex eadem imagi-

B ne ratiocinatione ducta: sese non subiicientem carnis oculis, non colore, nõ forma, neque alia quadam corporali figura expressam, sed ex efficacitate sua, eáque sola cognitam. Quapropter ne in Deo quidem eam, quæ fit per oculos, considerationem ipsius naturæ quærito, nisi quatenus per obscuram quandam vlterius progrediare demissionem, & ita quidem, vt non fiat hoc extra velamentum aliquod. Neq; enim ab ipsis quidem Cherubis ratione naturæ cernitur, obiectione alarum obumbrantibus faciem propterea quòd eius ipsi non sint capaces. Proinde menti & fidei permissa consideratione, Dei contemplator eris, videns tantum, quantum recesseris ab hac crassa vitæ ratione, & ad spiritualem accesseris, admiratus ipsius sapientiã. Quomodo videlicet animã inserat corpori, vsque ad extremitates eius extendens ipsam, & plurimum inter se diffidentia membra ad vnam quasi conspirationem ac societa-

C tem ducens. Considera mihi, quódnam ab anima carni insit robur, & quænã à carne ad animam reflectatur affectio mutua. Quomodo quasi suum efficiat ex incorporea vita corpus, & particeps dolorum ex corpore fiat, ipsa corporis expers. Quomodo hoc læso, illa clamet. Quomodo illa feliciter agente, corpus vegetum sit, & pulcrius euadat. O præclaram coniunctionem, ô admirabilẽ vnionem, ô sapientiam eius qui vniuit! Quis enim eloqui queat, quales penus quasiq; conditoria disciplinarum ea fabricauerit, ne obscurentur vetera per cognitionem eorum, quæ præter illa reperiuntur: néve arceantur aliquo septo eorũ quæ quotidie audiuntur, quo minus exponat hodie quis ante quinquaginta annos auditũ sermonẽ: sed distinctas & incõfusas seruari recordationes institutionis, velut in saxo sculptas? Quomodo ad carnales recidens affectus, propriæ pulchritudinis florẽ amittat: & vice versa, profectã à

D vitiositate turpitudinẽ virtuti repurgans, recurrat ad similitudinẽ creatoris. Inquit enim ipse in Euangelio: Amen dico vobis si duo super terrã consenserint. Animam indicans & corpus, dominã & famulam, si consenserint in idem: caro quidem seruiens, anima autem in virtute progressus faciens, ne nimia austeritate depressa grauetur & laboribus renuntiet famula: neque vice versa ad vitiosas affectiones & voluptatem per hanc deiiciatur domina: sed vt cum consensu pari virtutis regula inter sese currant vnà, séque comitentur. Nam si consenserint ista duo: nempe anima & corpus, de quocunq; rogauerint, continget eis, inquit Dominus: siquidem ab ipso petierimus, bona videlicet, contingent. Si verò per negligentiorẽ & prauis affectibus obnoxiam vitam ad diabolum recesserimus: id quod mihi videtur esse petitio qua quis ei tributarius fiat: omnino perplexum habebunt & difficilem exitum insti-

E tuta nostra. Proinde attingamus, si ita videtur, etiam corporis opificium & articulatam commissuram, admirantes sapiẽtem architectum vniuersi Deum: quo pacto cõueniens & aptum hospitium animæ rationali optimus artifex ædificauerit, & solum inter ea, quæ cœlo subiecta sunt animalia erectum hominem produxerit, per ipsam docens formam, ex cognatione superna nos vitam habere. Nam expertia rationis omnia deorsum ventrem versus se inclinant, hominibus autem solis à natura data & expedita contigit ad cœlum suspectio, ne sit voluptati deditus, neque deorsum per vitia vergat, sed vt erectus sit, & ad superna spectanda moueatur. Deinde caput velut in colle corporis ponens, in eo pretiosas sensuum sedes collocauit. Cerebrum ne quidẽ implere calicem vacuũ posse plerique putant, cui tamen sapientia

& prudentia opificis est credita Dei, qui consilio & prudentia fabricauit vniuersa. Quòd autem maximum quiddam ad vitam emolumentum afferat cerebrum, euidenter si quid aduersum accidat ostendit. Nam si vulnere vel ruptura continens ipsum membrana lædatur, mox è vulnere sequitur præsens mors, ne quidem ad momentum temporis dolori resistente natura, quemadmodum in subterraneis structuris, aut in balneorum tectis, qui totum continet ædificij, vnus est summus lapis, infixus ipsi tholo, quem cuneum opifices ædium appellant, quo perfracto vel reuulso, illico concussum est totum. Laborant maxima luminaria Sol & Luna, cœlestes plagas intra diem & noctem percurrentia. Mens autem nostra in puncto, in momento oculi vnà cum inferis creatis ambit & vltramundana, cursu in ipsis indefesso discurrens, velutíque latens latenter latentia circumspectans. Parui & imbecilles videntur pili, verùm & ipsi ad venustatem cuti capitis innati sunt, arcentes lenioribus ventis animalia minutiora caluis infesta, qui propterea semper manus suas ad arcendum ea mouent. Quinetiam hiemis frigori & solis ardori pili resistunt, veluti nemus quoddam vel densa silua partem subiectam obumbrantes & imbrem excipientes. Oculi excelsissimam speculam sortiti sunt, qúmque duo tantum sint, nihilominus omnem cernunt mundi huius ornatum, ita vt ipsis nihil rerum corporearum officiat, sed sub paruo superciliorum propugnaculo constituti, ex eminentia superiore directò extenduntur, & velut acubus aut fibulis, nempe spinis minuta animalia excutiunt, & continuo palpebrarum motu pupillas conseruant, ardorem solis quasi ventilatione quadam mitigantes. Eædem quum sint tanquam à calentibus vsurpata, oculorum velamina deflectunt intemperantiæ lasciuiæque mortem, de qua Hieremias inter diuinos vates multa pericula perpessus contestans, ait: Ascendit per fenestras mors. Non enim modò corpus intactum, sed & oculorum radij seruandi sunt incorrupti, neque ipsis vllo modo permittendum, vt impudenter irruant, & in alienæ pulchritudinis formas inuolent, ne ab aspectu ad ipsum actum ruamus. Nam secundum Domini sermonem, Qui inspexerit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ipsa commisit in corde suo. Quapropter virgines esse debent oculorum pupulæ, quæ idem cum virginibus nominis ornamentum sortitæ sunt. Sæpenumero enim quæ intra palpebras virgo erat pupilla, per ipsarum diductionem vagúmque motum suum nutus & cogitatio scortationis facta est. Exiguum quiddam inter omnia membra nostra est auris. Sed & istas exornat vicinum cymbalum, eísque solis inter creata cætera Dei mysteria creduntur. Estque auris tota in rotundum sinuoséque tornata, ne citius ingrediatur sermo, sed spatio longioris temporis imminutus, per ipsam excauationem prohibeat, quominus ad imum materia mendacij penetret, sed vnà cum maledicentiæ stercoribus superioribus in partibus remaneat. Nam virtutis quidem est in eo qui loquitur non dicere falsa: in eo qui audit, probare quomodo quælibet dicta videantur, num quid affectus vel amici vel repugnantis admistum sit. Nam alter quidem non cernit acutum, alter autem prorsus non videt. Quòd si alterutro horum defectuum ratio corrupta est, iudicio mentis quod in nobis est puniri & à prauitate repurgari debet per veritatem, quæ tortoris officio fungatur. Hoc enim docens de diuino & fortissimo athleta Iobo historia inquit: Mens quidem & auris verba diiudicat, guttur autem escas gustat. Cum hoc autem consentiens diuinorum ille carminum auctor Dauides inquit: Eum qui clanculum mentiebatur de proximo suo, persequebar. Ipse autem vniuersitatis huiusce Deus, seruorum obsignans verba, in Euangelio inquit: Estote numularij probi, diiudicantes à bono quod adulterinum est. Non vt instar numulariorum sonum explorando excipiamus, sed vt ponderantes pronuntiata illorum, qui colloquuntur, & euentus factorum, ad iustam potius propendeamus trutinam. Aurium enim & linguarum magnum quoddam periculum est. Parum autem Christiani etiam plurimi fidelium mihi videntur esse, inter quos planè sit etiam Iudas Apostolus, qui & signa fecit, & infirmos sanauit, prius quàm aduersus Christum vniuersorum Deum furiosè debaccharetur. Sed & Simo ille, qui à Petro & Paulo pulsus fuit, & plurimi Galatarum, qui postquàm signa, & prodigia, & sanationes edidissent, ac vaticinādi dona

Κόραι virgines & pupulæ, sicut & pupā pro puella Latini dicunt.

A dona consequuti fuissent, rursus sub errorem sunt reuersi, pristinæ improbitati adhærentes, quibus scribens eximius ille terræ totius subiectæ Soli doctor inquit: O stulti Galatæ, quis vos fascinauit? Currebatis bene, quis vos impediuit, ne crederetis veritati? Tales, quemadmodum antea dixi, mihi videntur nihil ex baptismo vtilitatis habituri, etiamsi Christo iudici dicturi sint: Domine, non tuo nomine prodigia fecimus, & dæmonia eiecimus, & infirmos sanauimus? quibus lethale, & terribile, & luctus plenum responsum iam dedit Christus, à quo per misericordiam suam nos omnes vindicet, per inculpatos sanctos suos pro nobis exoratus. Impij enim in iudicio non resurgent, inquit Dauides, diuinorum carminum auctor. Cum hoc autem consentiens eximius inter vates Esaias inquit, Auferatur impius, ne videat gloriam Domini. Quæ confirmans Diuus Paulus, ait: Quicunque absque lege peccauerunt, etiam absque lege peribunt, videlicet penitus eos B deserente Deo & auersante ipsos, & supplicio nullis sæculorum terminis finiendo afficiente. Idem & prophetæ indicant, ad iudicium non sistendos resurgentes impios, sed ad condemnationem illico abducendos vnà cum principe suo Diabolo. Neque enim huius etiam vitæ leges manifestum homicidam vel adulterum, postquam ex carcere arcessitus est, longa oratione damnant in conspectu formidabilis cœtus, quem eius exemplo castigant. Quum enim vnum membrum resecatur aut vritur in corpore, totum cum parte concutitur & condolet. Et aliquoties vno cæso flagris famulo, tota famulorum cohors extimescens, emendationem sibi pollicetur in animo, & quod tangere nolit res interdictas propter quas ille tam tristibus flagris vndique conscissus sit, diuinitus immissa ira ad iudicium pertractus. Tale quid scias geri à Deo in populosa ciuitate, quum vna familia supC plicio afficitur, quæ delictorum pœnam luit, ad castigationem & correctionem cæterorum ciuium, & ciuitatum omnium. Impiis enim cadentibus, timor incutitur iustis, inquit diuinarum rerum peritus ille Salomo. Quod autem nihil in ineuitabili & incorrupto illo iudicio profuturum sit sacrum baptisma iis, qui hic per pessimam viuendi rationem contumelia affecerunt, & indignè cognomine Christi vixerunt, de eximio Apostolo dilucidius, quàm ex iis quæ dicta sunt hactenus, discimus, disertè clamante: Qui aspernatus fuerit legem Mosis, per duos trésve testes conuictus absque vlla misericordia moritur: multo magis peiore dignus habebitur supplicio, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti seu rem profanam habuerit. Conculcat autem Dei filium & Sermonem Dei, qui mystica eius pocula intrepidè manibus rapacibus & aduersus proximum eleuatis sumit, D veluti communem panem & vinum reputans, quæ in fidelibus mentis oculis sunt ipse Deus. Viuus enim est sermo Dei, & efficax, & penetrantior quouis gladio vtrinque incidente, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & corporis, compagúmque & medullarum, & discretor cogitationum & mentis conceptorum, quemadmodum ipse per Paulum inquit. Nam neutro modo perit, etiamsi partim clauis configatur, partim fluat. Nec item absumitur, quum perinde vt aër ab omnibus percipiatur, & nihilominus maneat Deus idem, haud imminutus. Verba autem Pauli Dominus obsignans, & pari cum incredulis supplicio afficiendos ostendens, qui nomine quidem Christiani, re verò mali sunt, & per temulentiam negligunt salutem suam, inquit in Euangelio: Si dixerit in corde suo seruus ille, Cunctatur Dominus meus venire, simúlque cœperit percutere conseruos, & ede-E re atque bibere cum conseruis ebriis: amen dico vobis, veniet Dominus serui illius die quo non expectat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, & ponet partem ipsius cum incredulis. Dissecari seruum non corporaliter intelligamus, (nam imperitum hoc foret, ac ridiculum) sed per spoliationem spiritualium donorum & baptismatis, & erga ipsum libertatis, dissecari à Domino damnandos intelligamus. Non enim fieri potest, vt qui Christo adhærent, ac veluti milites illius obsignati signaculo sunt, & zona militiæ ipsius cincti, puniantur: nisi prius illis spoliati sint. Quemadmodum & præsentes hodie leges docent, reos milites nō prius affici debere supplicio, quàm illis zona sit adépta, quo significatur symbolo militiæ ipsis ablato, more priuatorū à carnifice puniri posse. Euidentiore verò similitudine vtēs,

quid hæc diuina dissectio sit, ostendam. Nam qui sublime solium Christi administrant pontifices, si in aliquo lapsu sit consecratorum quispiam in ipsorum cœtu, non prius ipsum pœnis subiiciunt, quàm diuinis à sacris eum remouerint, & illorum priuatus sit symbolis. Eo pacto spoliatum pro vno ex laicis habent. Per quam ademptionem indicatur dissectio de qua dictum est, & per connumerationem eius cum gregariis & vilibus, portio cum incredulis declaratur. Id quod & Dauides carminum ille diuinorum auctor longè antè innuit, ita testificans: Vota facite, & reddite Domino Deo nostro: omnes in circuitu eius dona adferent terribili & auferent spiritus magnatum. Nolim verò quisquam arbitretur de animarum ablatione carmen illud accipiendum esse. Non enim gubernantium modò, sed & eorum qui gubernantur, & dominorum, & seruorum planè ipse indit & aufert animales spiritus. Nimirum dicitur de anima, immo de spiritualibus donis, & de baptismate. Magnates verò mihi videntur esse ac domini infidelium fideles, à Dei Sermone, qui erat in principio, id consequuti, vt dominentur etiam ipsis dæmonibus. Nihil enim isti ab illis habebunt discriminis, eodem consensu aduersantes Deo & Christianos oppugnantes. Quos vt imperio premant & proculcent, diuinus ille Dauides multo antè precibus à Deo verbis hisce contendit: Constitues ipsos principes super vniuersam terram. Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione. Exaudito autem vate Deus, Sermo deinceps homo factus vati similis in mundum venit, & sanctè prædicans in Euangelio inquit ad nos: Confidite, ego sum qui vici mundum. Item, Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici. Quæ quidem est omnis illa laus. In omni generatione & generatione memores sumus nominis Christi, principes aduersariorum & domini ab illo constituti per baptismum, & per spiritum sanctum in baptismo nobis datum, quæ quidem duo virtutis ex præscripto viuendo honorare studeamus, nulla labe vel macula per impuram viuendi rationem ipsa aspergentes, ne quando iudicans nos Iesus dissecet, & cum subiectis incredulis perdat æterno igni, ablato spirituali dono & baptismate. Non vt cuidam vano nugatori videtur, aures quidem mulcenti, sed non nutrienti animas, quòd finem sit habiturum peccatorum supplicium, propterea quòd simpliciter tantùm æternum dixerit Dominus ignem supplicij, non æternum in æternitates. Non enim propterea, quòd inquit vates, In æternum Domine Sermo tuus permanet in cœlo: ideo aliquo vsque Deum & Sermonem in cœlo esse intelligamus, post sæculum autem cœlis egredi. Et iterum inquit idem: Veritas Domini manet in æternum. Num igitur post aliquem temporis progressum non erit verax Dominus, secundum dementiam eius, qui ab ira cognominatus est? Etiam ipse in Euangelio inquit ad sanctos suos Apostolos: Equidem vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Num igitur ad tempus modò cùm suis sanctis ipsum fore suspicabimur? an potius æternum & absque fine? Quomodo verò non est extremæ insaniæ, terminum æternitatis constituere, & eò vsque pœnis excruciatum diabolum vnà cum adiunctis sibi flagitiosis hominibus dicere deinceps à cruciatibus liberandum, nec amplius puniendum? Contrarium enim prorsus eueniet iustis, postquam ad aliquod sæculum beatè vixerint, vt in securitate rursus moriantur, vel aliquid patiantur, nempe peracto suo sæculo. Nam hos quidem in vitam æternam, illos autem ad æternum supplicium abituros iudex pronunciat. Necesse igitur est, vt peracto illorum supplicio, terminetur & horum vita, quemadmodum volunt homines vera vita priuati, qui manus vinctorum soluunt, ac futurum supplicij finem prædicando animos eorum efferunt. Verùm ab iis, quæ orationi nostræ proposita erant, impetu quasi quodam sermonis nos abripiente digressi, ad eadem celeri cursu redeamus. Aurium videlicet linguarúmque magnum periculum est. Quapropter & linguam sub duobus labiis custodiri Deus sapienter instituit, intra dentium firmamentum ipsam constringens, vt tam accurata adhibita custodia à facili motu cohiberetur. Nam quum in humido sita sit, aliquando quidem maledicendo fœtorem mouet, aliquando verò benedicendo scaturit, hymnorum concentum offerens Deo. Cum Dauide igitur canere debo-

Marginal notes: Originem hoc loco intelligit. — Ὠριγένης & ὀργή.

A debemus: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium munitum circum labia mea. Quippe quum tenera sit & volubilis, faciles habet in voce deflexiones, ab omni voce ipsa differens. Garrula enim est hirundo, & perpetuum strepit. Dulce verò quiddam turtur sonat, & solitudinis est amans. Cicada sonum exilem, veluti per fistulam edit. Clangit voce grus, columba murmurat, vrsa suspirat & vocem mollem habet, mugiens taurus instar tubæ: Leo rugitu suo solitudinem concutit: allicit ad se vitulum mugiens iuuenca: crocitantes clamores corui populum perturbãtes emittunt: carmen luctuosum bubonis est, nuptiale verò tibia sonat, mortiferum tuba, saltatorium lyra, tripudiatorium tympanum. Omnia verò in vniuersum à dulcisona hominum voce superantur. Vbi enim in ipsis est nostræ linguæ significantia, vel perspicuitas, vel accuratus ille sonus, vel concinnitas, vel suauitas? Hirundines columbarum murmur gemebundum non intelligunt, neque grues anserum, neque noctua seleucidis, aut alcyonis, aut pauonis: neque reliqua animantia bruta voces alienigenas norunt, sed neque nos illas interpretari vel declarare possumus. Quis enim sciet quid leo significet rugiens, quid item taurus mugiens, quid verò balantes inter hœdos oues? Omnia verò hominum facundiæ cognoscunt significantiam. Vocantibus enim pastoribus, accedunt oues, minantibus autem rursus secedunt. Caprario clangente, hirci à frugibus resiliunt, & ex aruis declinant: similiter equus, & mulus, & asellus, quando ad dextram quidem, aut quando ad sinistram eundum est, humana lingua instruuntur. Canes autem ad latratum prosilientes, si inclamet herus, extimescunt, & illico ad quiescendum sedantur. Considera vero mihi & suem errantem, ac voce pastoris ab errore recurrentem. Aliquoties etiam canis capreæ insistens cursu, postquam longius à venatore recesserit, si fistulæ sibilum eminus audiuerit, latratu vicissim respondet, inuocans auxilium eius à quo fuit emissus. Aspice verò & columbarum conuolatus, quomodo fistulæ sibilo audito eius, qui eas possidet, instar nubis ad columbarias turres deuolent. Omne item instrumentum musicum ad linguæ nostræ sonos percussione manus aptatur. Estque verè admirabile, quomodo quum tam parua sit atque tenera, duplicem tamen facultatem habeat, gustandi nimirum habitu, & discernendi tum natura tum disciplina, idque per sapientiam eius, qui ipsam creauit, ad omnem sufficiens sermonis motum & gustum. Qui verò per eam non peccat, is vir magnus est, qui potest quasi freno cohibere etiam totum corpus, inquit scribens ad quoslibet sub Sole Diuus ille Iacobus. Dentes quidem vnà cum illa cooperantur ad sermonis scitam pronuntiationem, firmam D illi præbentes ad sermonem exprimendum repercussionem, veluti si plectrum chordis citharæ allidatur. Simul autem & cibi ministri sunt: alij quidem incidentes, alij verò attenuantes. Atque incisionis quidem priores sunt, molares autem interiores, sic appellati apto vocabulo, quòd extenuent & comminuant ingesta. Nasus autem inter genas medium tenens, attrahit & reddit aëra, deriuans ex capite liquorem, & bonum quidem odorem attrahens, contrarium autem reiiciens. Prima verò barba genas tegit, quando puerilem & infirmam ætatem cum robusta permutamus, ad ea quæ ad vitæ necessitatem pertinent animum adiicientes, innuente (vt arbitror) natura, eò tantum vsque hominem crescere, & inde labores capessere. Tempestiuum proinde, vt cum Dauide canamus: Quàm valde magnifica sunt opera tua! Omnia in sapientia fecisti, in capite vsque adeò paruo omnes E præstantiores sensus nostros collocans: visum, auditum, gustum, olfactum, propè inter se confines ædificans, vtque neuter illorum operatione sua vicino sibi officiat. Neque item præter hos alij nobis sunt, præter tactum manus. Agilis ceruix est, & proportione congruens, per quam & cœlum versus spectat homo, imago illa erectæ faciei veluti columnæ innitente capite, quod conueniente quadam ratione per cooperationem ceruicis sese vel demittit, vel sursum leuat. Quinque dexteræ manui, totidémque sinistræ digiti sunt, quibus & terram secamus, è montibus metalla effodimus, fontes haurimus, flumina dirigimus. Per ipsos funibus & lignis nauigamus abyssum, ex opposito flatus verba nauis subducimus, & gubernacula dirigimus. Indomitas feras capimus viuas & cicuramus, cetos ipsos capimus,

Dentes incisiui & molares.

colles & montes magnitudine æquantes, & aspectu terribiles. Aëra per eosdem A quasi vindemiamus, calamis visci viuentes in aëre volucres capientes. Ignem etiam adeò vehementem impetu, terribilem tactu, populabundum & violentum motu, nostro proposito seruire cogimus, & ad vniuscuiusque voluntatem se accommodare. Per hos & ciuitates exstruimus, & propugnaculis murísque communimus, fundis & arcubus, & aliis ad defendendũ idoneis armis instruimus. Paruum quidem, & rotundum articulóque carens cordis est organum, in ipso tamen & cerebro de Deo, angelis & archangelis, cœlo, terra, mari, & de omni in vniuersum creatura deliberamus, veluti promus aut custos vitalis in nobis causæ & roboris sit spiritus, qui circa cor est. Cor quidem certè fontem aliquem & principium nostræ vitæ post Deum esse putamus, à quo meatus fistulis consimiles multipliciter alius per alium ductus, vniuerso corpori calidum & igneum spiritum diffundũt. B Quia autem omnino & nutrimentum aliquod oportuit adesse calori à natura: (non enim per semetipsum manet ignis qui nobis inest, nisi vicissim nutriatur) ideo & sanguinis fistulæ, velut ex aliquo fonte ab hepate promanantes, calidum illum spiritum per totum corpus comitantur, ne alterum altero destitutum, naturam vitio accidente corrumpat. Quoniam verò solum omnis indigentiæ expers est diuinum illud Numen, egestas autem mortalis aliunde assumptis indiget ad sui constitutionem: idcirco quum sanguinis fons sit hepar, nutrimenti subsidium ei necessarium est. Quod enim per id nobis ingestum est, sanguinis ex hepate scaturiginem reddit. Quemadmodum in monte nix, proprio humore fontes ad montis radices auget, per profundum sensim proprium humorem ad inferiores venas deprimens. Spiritus autem cordi per proximum infertur viscus, quod pulmonis qui- C dem viscus appellatur, aëris autem receptaculum est, per insertam arteriam ad os pertingentem externum spiritum respirando attrahens. Atque huius in medio cor inuolutum, semper mouetur, consimiliter vt est ignis natura, qualè quid in officinis ærariis videas, ex adiacente pulmone spiritum ad se trahens, impletísque per diductionem sui cauitatibus, calorem suum arteriis vicinis præbens, perpetuo motu efflat, partim extrinsecus aliquid per sui diductionem in proprias concauitates attrahens, partim ex se per compressionem in arterias excernens, ac velut in fornace per calorem naturalem colliquationem quandam & coctionem efficiens, tanquam ex aliquo fusorio vase ad cæteros meatus materiem transfundit. Postquàm autem crassum à tenui discreuit, quidquid crassius est in intestina repellit, tenuia verò & à sordibus secreta ad portas hepatis defert. Ebulliens autem illud calore, humidum D intus deponit, & quod igni cognatum est, in sanguinẽ rubeo infectum colore mutat. Quæ autem vim mediam quandam habent, ea per quandam misturam temperatúramque vnita corpori, nutriunt atque cõseruant per euaporationes cerebrum, à quo rursum purius ac subtilius attenuata digestáque illa exhalatio, sublinit continentem cerebrum membranam, quæ supernè ad inferiora instar fistulæ sese spargens, per coniunctas ordine sibi spinæ vertebras, semetipsam & contentam in se medullam perducens in verenda desinit, estque omnibus ossium & compagum commissuris musculorúmque principiis, veluti gubernatrix quædam, indens singulis motum atque quietem. Sed ad propositum reuertamur. Quoniam quàm maximè præcipuum & necessarium vitæ nostræ membrum cor est, ideo præ omnibus nostris organis cum primis ipsum communiuit opifex, robustioribus circum- E quaque munitionibus ipso in tuto collocato, & septo circundato: retrò quidem dorso & humerorum scapulis, ab vtroque verò latere costarum situ & complexu, ne medium facilè aliquid patiatur, effecit. Ab anteriore autem parte pectus & clauis iuncturam præposuit, vndique adhibita custodia, qua ab externis perturbationibus tutum redderetur. Peculiariter autem & de pulmonis natura paucis disseramus. Est hic pectori aptè coniunctus, recuruus & mollis, & admodum rarus & specie parum elegans, omnésque circuitus suos veluti per ostia quædam exeuntes habens ad arteriæ fundum, cogens & constringens in finibus spiritum relictum, quem necessariò comprimens emittit. Quum rursus autem explicat semet, ac aperitur, violenter aëra attrahit ad id quod mouetur, & assiduo motu circum cor

A cor agitatus, inflammationem & feruorem eius ventilatione sua propellit. Quemadmodum enim flamma respiratione carens proprio fumo extinguitur, ita & animal non perflans pulmone ignem cordis emoritur. Igitur quum pulmo circum cor agitatur, & leuibus auris ipsum demulcet, vegetum & robustum animal efficit. In ipso enim, & quidem solo vitalis causa mihi videtur sita esse. Iecur autem & ipsum calidum, ad eorum quæ ingeruntur concoctionem & sanguinis effectionem, in dextra cordi adiunctum est parte. Quo nimium refrigerato, in facie fit illico quædam mutatio accedente paulatim spasmo & debilitate. Sinistræ verò parti splen inest, sanguinem subtrahens, & discernens id quod crassius est à sanguine: qui si dulcior fiat, inflatur & incenditur, terminos suos transgrediens, & obstruens meatus, carnosum quidem hominem apparere facit, pallorem tamen, & paulatim debilitatem secum adfert. Præterea intestinorum conuolutiones & nexus circa ventrem B sunt, vt tortuoso ductu, temporis aliquo spatio detineatur in visceribus cibus, ne propter meatus rectitudinem facilè & illico egestus, excitet animal ad appetitum, à tali occupatione nunquam abducendum secundum naturam brutorum. Domicilia item ex membranis facta ad humorum gestationem opifex condidit, quæ per subtilissimos & aspectum fugientes meatus paulatim attrahunt humorem, ne subita exundatione & exsiccatione sitis insidietur animali, sed paulatim certa dispensatione quod haustum est ad aliquod tempus retentum expellatur. Ad hæc crura nobis sunt articulis commissa, vertebris & iuncturarum cauitatibus cōiuncta, quasi columnæ ad ferenda onera, quibus toto corpore innitimur. Atque his columnis capituli loco est genu, basis vero talus: suntq; crura expedita & prompta ad omnem motum, adorationem & venerationem, cursum & saltus. Etiam pedes nobis callo-C siores omni alio superimposito corpore facti sunt, qui terrā semper pulsaturi essent, ad incessum à digitis velut vncis adiuti, quos frigore vel alia iactura amittentes, ad ingrediendum tardi efficimur. Quænam autem exprimet oratio declaratam in membris nostris interioribus opificis sapientiam & potestatem? meatus & membraneas cauernas, venarum complexiones, neruorum intentiones, ossium firmitatem, vias atque semitas quasdam latenter distribuentes quæ ingeruntur, idque per solam quasi conspirationem membrorum totius corporis, item attractiones spiritus, aquæductus sanguinis, domicilium caloris, sedem frigoris, alia denique de quibus medicina commentata est, quorum explicationem iis relinquam, qui medicinam studiosè didicerunt.

D SANCTI VIRI, GREGORII NYSSENI LOCVS EX EO *capite quo tradit, vnam & eandem existendi causam esse tam animæ quàm corporis.*

Hæc quoq; nō à Cæsario, sed alio quodā inserta sunt.

Quemadmodum de tritico dicimus, omnem potestate in spica formam eius esse, herbam, calamum, medias iuncturas, fructum, aristas, & nihil horum ratione naturæ vel prius esse, vel deinceps naturæ seminis accedere, sed ordine naturali ea quæ recensuimus, prodire sic & humanam sationem comparatam esse dicimus, ita vt in ortus eius principio simul ipsa naturæ vis seratur, quæ deinceps explicetur, & patefiat per naturalem seriem, primò quidem Dei voluntate fundamento quasi iacto, deinde generationis caussis accedentibus. Quemadmodum enim in eo, quod ad producendum hominem in officina naturæ deponitur, membra singula corporis cerni nequeunt ante factam formationem: ita neque animæ proprietates in eodem E animaduerti possunt, priusquam progrediantur in actum. Et quemadmodum impositum illud ex insita sibi vi facultatéque in articulos & viscera formatur, sic & de anima intelligitur. Nam si forma hominis, qui producendus est, in eo potestate est, latet autem propter obscuritatem, ita rerum serie poscente: etiam anima in eo est, licet nunc quidem non appareat, apparebit autem vnà cum corporali incremento promouens. Quandoquidem autem vis quædam ex animato & viuente ad conceptionem egeritur, non putabis inanimum esse quod in vitam prodit: & quemadmodum illud, quod in eo corporeum est, non carnem dicimus, nec ossa, nec pilos, & cætera, sed vi & potestate horū vnumquodque esse: ita & de eo, quod ad animam pertinet, nondum vim rationalem, non affectus mouentē, neque appetentē,

& cætera, quæ ad animam pertinent, in illo dicimus esse, sed cum corporis opificio A etiam animæ operationes augeri. Præcedit autem in hac prima eius structura augescens nutriénsq; facultas sola. Neq; enim plus capit suscipientis exiguitas. Deinde in eo, qui in lucem prodiit, sentiēdi beneficium viget, & in adultiore rationalis elucet facultas, non tota tamen confestim, sed cum organi perfectione crescit, quantum subiecti facultas eius est capax. Constat igitur anima non carere, quod à viuente auulsum corpore ad animalis naturam impositum est in officinam naturæ.

Ne hæc quidē Cæsarii sunt, vti nec Nysseni, sed alterius, ad sententiam Nysseni quædāadiicientis.

Sciendum autem, quòd si quidem hoc pacto se res habet, talem è viro fluxionem tum demum fieri, quum Deus hominem generari voluerit. Sin autem, inutiliter effluere, tametsi extraneorum quispiam hoc fortassis absurdum dicet. Volunt enim illi conferre aliquid fœminam ad vitalem procreationem ad id quod à viro excernitur, tanquam si causæ efficienti aliquam materiam præbeat, videlicet menstruorum aliquam humorum partem, veluti quoddam æs statuario. B Nullum enim semen emittit mulier, sed inutilem quendam humorem in locis muliebribus existentem. Est autem maris semen quasi opifex, & principium motus efficit, quemadmodum in coagulo videmus, quod lac cogit. Sic enim & semen in ventrem incidens, miscetur cum purissima fœminæ superfluitate. Quod autem in matrice existit, etiā dicunt animæ particeps esse, non illius quidem perfectæ, sed nutrientis. Quemadmodum enim plantas in terra, ita & fœtum viuere, radice vtentem vmbilico, per quem ex matrice attractio cibi fiat. In lucem autem egressus, etiam sentiētem animam consequitur, crescénsque cum corpore crescente augescit & rationalis ac intellectilis illa facultas animæ. Est enim in semine animæ particula quædam, quæ vitalis calor dicitur, conformis calori Solis: siquidem ille vitalem vim habet, & vitalem fœtum generat. C Formatur autem primum cor, quod & postremum interit. Similiter & reliqua interna ante externa disponuntur, & cum primis ea quæ sunt supra cincturam. Formatus autem in matrice homo, nasum quidem medium inter genua habet, oculos verò supra genua. Robustior autem fieri fœtus incipit, quando inhibita menstrua in vberibus in lac mutantur. Quo quidem tempore mox finem in mulieribus habent nauseæ, & vomitus. Generatur autem mas, si percoctum est maris semen, vnde iuuenes & senes plerunque femellas procreant. Abundantiam autem vel defectum fieri volunt in quibusdā partibus, propter materiæ defectum aut abundantiam. Seminis autem egestionem ex locis circa caput fieri manifestum ex eo est, quòd eorum oculi cauantur, qui multum coëunt. Mouetur etiam cum mente cogitationéque matrix, quemadmodum & veretrum viri. D Aliquando item sponte gemelli generantur, per diuisionem seminis in matrice: ac siquidem id percoctum fuerit, duo masculi: sin minus, diuersum. Præterea per superfœtationem generantur, vnde aliquoties & masculus & femella simul nascuntur. Plurimum verò nutrit lac spissum & fuluum, vt ex caseis constat. Mulier fœtum gestat ad menses septem aliquando, plerunque ad nouem, sæpenumero ad decem postquàm concepit, vix autem post vndecimum. Fœtus in lucem editus aut viuit, aut pariet mulier quod mola vocatur, quæ est caro dura, aut periclitabitur. Circa annum decimum quartum mutāt corporis habitus tam mares quàm femellæ, & ex bene affectis malè dispositi fiunt, vel è diuerso. Tunc & femellis menstrua incipiunt, maribus verò semen, & vox fit grauior. Vbera item, & verenda crescunt. Pallet denique mulier, quæ femellam paritura est. E

EX EODEM GREGORIO NYSSENO.

Mentis autem ad corpus communio ineffabilem & incomprehensibilem intellectu coniunctionem habet, quæ neque intus est: (neque enim miscetur corpori quod incorporeum est) neque extra circumfusa est: (non enim circunscribitur incorporeum à corporibus) sed modo quodam incredibili & intelligentiam nostram superante mens appropinquans & applicata naturæ, & in ipsa, & circa ipsam existit, sic tamen vt explicari vel cogitatione comprehendi modus nequeat, nisi quòd in statu suo rectè affecta natura, etiam mens efficax est: si verò vitium aliquod circa illam contingat, claudicat eatenus etiam motus intellectus.

Operæ-

A Operæpretium eſt ſcire, cuius rei gratia terra naſcentium germina in ortu rerum præcedant, poſt quæ producta ſunt animãtia bruta, & poſt illa demum homo. Non ſolùm quòd herba quidem animalibus eſt vtilis, & propter hominem exſtitit pecorum copia, tanquam illi miniſtratura: ſed quòd hic eã, quæ de anima eſt, philoſophiam nobis tradat Moſes. Explicari autem oratione talis rerũ diſtinctio poteſt. Res vniuerſæ partim intellectiles ſunt, partim corporeæ. Omittantur autẽ nunc intellectiles. Corporeæ partim efficacitatis vitalis participes ſunt, partim expertes omnino vitæ. Rurſus vitale corpus partim quidem ſenſile, partim verò ſenſus eſt expers. Rurſus ſenſile, aliud quidem rationale, aliud autem rationis eſt expers. A minoribus igitur ad id quod perfectũ eſt, natura progreditur. Ideóque poſt inanimã materiam, quaſi gradus quoſdam formæ animatorum, naturalem hanc vitam exſtitiſſe dicit B Legiſlator, in naturalium germinatione præexiſtentem, vtpote vim nutrientem & augeſcentem, ſicque deinde ſubiicit, & ſentiendi facultatem, quæ in animalibus eſt, etiam eius participem, quæ ante ipſam fuit. Siquidem quæ per carnem viuunt, etiam abſque intellectili natura eſſe poſſunt. Rationale autem exiſtere non poteſt, niſi cum ſentiente commiſtum ſit. Ideo poſtremus factus eſt homo. Ex omni enim ſpecie animarum temperatum eſt animal rationale. Nutritur enim ſecundum ſpeciem animæ quæ eſt in plantis, augeſcenti verò facultati ſentiens à natura adiuncta eſt, in ſentiente demum intellectilis naturæ efficacitas elucet. Vnde etiam propriè rationalis anima & intellectilis dicitur, quæ per omnia ſeſe didit. Nam in rationali etiam reliqua comprehendit, quum in ſentiente vegetatiua ſit, quæ vegetatiua tantùm in rebus craſſis exiſtit. Verùm & iſta propter vitalem efficaciam C abuſiuè animæ vocantur.

Sciendum, quòd quæ facta ſunt ad id ſimpliciter vt viuamus, ſunt cerebrum, cor & pulmo, hepar & venter. Horũ enim aliquo læſo, neceſſariò moritur animal. Oculi autem, manus & pedes, ad id vt bene viuamus facta ſunt. His enim læſis, viuit quidem animal, non autẽ bene. Alia denique ad propagationem poſteritatis pertinẽt.

Poſtremus poſt creationem à Deo productus eſt homo. Non quòd velut vilis inter poſtrema abiectus ſit: ſed par erat principem ante ſubditos prodire, neque antequam omnigenis refertum epulis conuiuium appararetur, introduci conuiuatorẽ.

Pretioſior autem eſt humana natura omni creatura quæ oculis cernitur. Nam cætera quidem creata à Deo quaſi ex tempore facta ſunt, ſimul cum mandato exhibita. In hominis autem ſtructura conſultatio præcedit, omniáque de eo prius conſiderat ratio. Dixit enim Deus, Faciamus hominem ſecundum imaginem: & quæ D de eo ſequuntur. Vt etiam ante ortum ſuum homo dignitatem ſuam obtineret. Ideo & materiem, de qua conderetur præparauit, & ad quale exemplar ſimilitudinem habiturus eſſet, perpendit. Humanam igitur naturam optimus artifex Deus velut organum ad regni adminiſtrationem idoneum fabricauit, & animæ priuilegiis & forma corporis donauit. Siquidem anima regalem maieſtatem oſtendit, nullius dominio ſubiecta, & propriæ poteſtatis tanquam imago Dei, cõmunia cum archetypo quædam habens, pro regalibus palliis induta ſplẽdore virtutum, & cum plebeia vilitate nihil participans.

Porrò vna perceptrix rerum facultas homini eſt inſita, nimirum mens, quæ per ſingulas ſenſuum ſedes diſcurrens, & res omnes apprehendens, ac velut exemplum & imago vnicæ ſubſtantiæ diuinæ, variarum operationum effectrix eſt. Sileant qui E dicunt inæqualem patri filium, vel ſpiritum ſanctum, ſecundum ſubſtantiam. Nam qui dixit, Faciamus, ídque plurali ſignificatione, ſanctam Trinitatem manifeſtè oſtendit: neque imaginis ſingulari numero mentionem feciſſet, ſi ad archetypum inæqualis fuiſſet. Nequit enim fieri, vt imago vna diuerſis formis reſpondeat. Nam ſi diuerſæ fuiſſent naturæ, diuerſas etiam imagines condidiſſent.

Nudus autem, & à naturæ armis ac munitionibus deſtitutus eſt homo, non cornibus armatus, non vnguium acie, non dentibus aut aculeo venenato, nullo pilorum operimento, non alatus, non pedibus celer, neque carnoſus. At verò illum qui imperaturus erat, propriis armis oportebat eſſe inſtructum. Verùm non abs re aliter res habet. Si enim ſic comparatus foret, ferinus aliquis & occurſu

terribilis esset, aliorúmque negligeret imperium, illorum adiutrice opera non indigens. Nunc autem id quod videtur deesse naturæ, occasio est ad capessendum in subiecta imperium. Ideo ab ipso bos iugo subactus est, equus domitus, ouium cura habita, propter prouentus, qui ex ipsis percipiuntur, animalia denique baiulandis oneribus idonea iugo subacta sunt. Canis ad quædam animalia dentium apprehensione obtinenda datus est. Cornibus & vnguibus fortius quiddam excogitatū est ferrum. Inseruiunt item aues & pennæ ipsarum, & ex animalium pellibus consuto calceo pedum nostrarum teneritati consulitur. A

Recta etiam hominis facies, & manus dignitatis præstantiam ostendunt præ cæteris animalibus deorsum spectātibus, quæ pedes habent etiam ad anteriora membra, propterea quòd fulcro illa indigerent. Cooperantur autem manus ad omnem necessitatem tam bello quàm pace, & in vsu sermonis, & in scribendis litteris. Adaptamus enim voces etiā per ipsarum figuram: ita vt proprium quiddā rationalis naturæ manus sint. Quòd si manibus homo careret, ad similitudinem quadrupedū, ad id vtiq; cōparata facies esset propter cibi necessitatē, vt ad cibū extēderetur. Simul exiles forēt nares, vnde necessariò cōsequeretur, vt peregrinā quoq; vocē haberet. B

Organicum autē ad rationis vsum paratū est corpus. Quandoquidē enim intellectilis quædā & incorporea res mens est, tali opus habuit opificio, vt per aliquā artificiosam rationē motum suum manifestaret, instar plectri vocales partes tangens. Duplex autem est huius organi effectus, alius quidem soni, alius verò auditus. Et ille quidem semper aliquid emittit, auditus autē perpetuò recipit. Estque dignum admiratione, quomodo confusio nulla fiat per eos qui per ipsum ingeruntur sermones & cogitationes. Id quod etiam in oculorum efficacitate locum habet. Nam per hos mens ea quæ sunt extra corpus apprehendit. Vnumquodlibet autem eorum, quæ intrò recipiuntur mens examinans, conuenientibus cognitionis locis reponit, aliquoties ex diuersis sensuum sedibus vnam cognitionem excitans, rursúsque ex vno aliquo sensu varia percipiens. Nam si quis audiuerit nomen mellis, ídque viderit, olfecerítque, & tetigerit atque gustauerit, rem vnam per vniuersas sensuum facultates cognouit. Varias verò voces per vnicum auditum percipit, & per visum diuersi generis res considerat, videlicet album & nigrum, & fuscum. C

Aliud verò quiddam quàm sensus mens est. Si enim idem esset, cum vno aliquo ipsorum haberet cognationem, quum simplex sit. Nunc autē in varios sensus sparsa est, & per vnum quemlibet efficaciter agit, in vnitate varium quiddam existens, & in varietate vnum. Ideo cognitionem effugit eius natura, & ea ipsa re, quòd cognosci nequeat, incomprehensibilem illam naturam eius repræsentat, qui eam secundum imaginem propriam fecit. D

Et quandoquidem velut instrumentum quoddam musicum corpus factum est, quemadmodum canendi peritus vitiato instrumento suam artem demōstrare nequit: ita & mens per vniuersum organum vagando, per cōsentaneas sibi efficacitates vnumquodlibet membrorum attingens, in iis quidem qui naturaliter affecti sunt, proprium effectum habet: in infirmis autem inefficax est. Non enim partem quidem attingit, partem verò deserit.

Quemadmodum item mens ornatur pulchritudine primi exemplaris diuini, veluti eius charactere exaltata: sic & natura à mente administrata ornatur, continetúrque rursus ab hac crassities nostræ substantiæ, circa quam cernitur natura. Vt autem mens vitiorum deformitate obscurata diuinam pulchritudinem non admittit, nisi repurgata fuerit: ita quoque natura alicui vitiositati obnoxia, mentis operationem suscipere non potest, nisi ad pristinam redierit sanitatem. E

Præterea ostenditur per hoc, quòd à natura pendet mens. Quum enim illa consistit & excitata est, etiam hæc efficax est & mouetur: composita autem somno, manet immobilis. Porrò res imaginarias quæ per somnum fiunt, simulacra quædā eius quæ est in mente operationis esse putamus. In locis enim insolitis & perplexis aliquoties aliquis sibi videtur esse, quod in vigilante neutiquam accideret. Accidunt autem hæc aliquibus & à morum constitutione, suntque alia fortis, alia meticulosi phantasmata, alia intemperantis, alia sobrii, præterea & liberalis, & eius qui insatia-

A insatiabilis est. Remanent enim in animæ reminiscente sede diurnorum exercitiorum quasi sonitus relicti. Aliquoties etiam secundum corporearum qualitatum dispositiones insomnia fiunt. Sic enim sitibundus ad fontes esse sibi videtur, & in conuiuiis, qui cibi indigus est. Denique multiplex somniorum species est, sed vana. Nam mens cessante sensuum actu per somnum contecta, neque per ipsos elucere potest, neque prorsus extinguitur. Quòd autem rex Ægypti Pharao, & Nabuchodonosor per insomnia ad eorum cognitionem ducuntur, quæ futura erant, id propter aliud à Deo dispensatum est, vt manifestaretur abscondita sanctorum sapientia.

Sciendum verò, eius quod est intellectile ad corpoream communionem, ineffabilem & intellectu incomprehensibilem coniunctionem habere. Atque hoc etiam B in præmissis scriptum est.. *A*. Quando percommodè nobis exposuisti ea, quę ad hominem pertinent: vbi tibi videtur esse paradisus, an in cælo, vel terra? Nam alij quidem ipsum dicunt esse cælestem & intellectilem, alij verò terrestrem ac sensilem. *B*. Mihi sensilis esse videtur, & in terra: luculentè ac manifestè disertéque id tradentibus litteris sacris. *A*. Quid igitur sibi vult Paulus, dicens: Noui hominem ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus nouit, & noui huiusmodi hominem raptum in paradisum, & audiuisse arcana verba, quæ fas non sit homini loqui. Quibus indicatur in cælis esse paradisum. Non enim dixit, se raptũ in tertium vsque cælum, & inde descendisse in paradisum: sed in raptu vtrorumque meminit. *B*. At non vno compẽdio cælum & paradisum simul definiuit. Noui enim, inquit, hominem raptum vsque in tertium cælum, & denuo, In paradisum. Necessa-C riò igitur vestra contra vos vsurpanda mihi vox est, sicq; deinde ad articuli quæstionem redeundum. Dicitis enim ipsum non dixisse, quòd descẽderit, sed quòd raptus fuerit in paradisum, & inde abstulerit (vt apparet) clarissimorum patrum doctrinas. Quandoquidem enim non dixit se adscendisse in paradisum, sed eò raptum esse, an non adscendit? Si verò adscendit quum raperetur, constat quòd & descenderit in paradiso raptus. Inquit enim, Et noui huiusmodi hominem raptum in paradisum. *A*. Sed quia supra nos cælum cernitur, constat ipsum adscensu vsum esse, vt supra ipsum esset, vbi & paradisum intelligimus. *B*. Cur igitur non vtrumque complexus inquit, Et noui huiusmodi hominem raptum in cælum & paradisum? sed interiecto articulo loca distinxit, dicens: Et noui huiusmodi hominem raptum in tertium vsque cælum, & rursus, raptum in paradisum. Illud autem, Et rursus, ad alium aliquem locum transfert. Ad similitudinem mõtis decliui campo circumdati, in quo si quis D esse velit, per ingressum in campum facilè in eum perueniet. Si verò primo conscendere montem voluerit, ex eo in campum venire: omnino necessarium est, vt ab excelso deueniat in planum. Consimiliter puto Diuum Apostolum primùm quidem cælos ingressum, inde in paradisum deuolasse. Fide dignus autem ante Paulum testis rerum diuinarum peritus ille Solomo, sensilem super terram paradisum indicãs: Descendit, inquit, frater meus in hortum suum, simul Domini significans diuinum in carnem aduentum, & Pauli in ipso præmonstrans descensum ex cælis, postquam supra ipsos à terra raptus esset. Frater autem Solomonis & Pauli secundum carnem est Christus, qui in hortum suum descendit. Et rursus alia ratione ipsorum frater, quòd ambo synagogæ alumni facti, circumcisionis cultrum sub iugo legis tolerarunt. *A*. Quid igitur? num Seruatorem Christum nõ in cælis, sed in terra putas ani-E mam, dum crucifigeretur, apud Deum deponere dicentem, Pater in manum tuam commendo spiritum meum? Et ad latronem, Hodie mecum eris in paradiso? Si igitur in cælo est Deus & Pater Christi, omnino illic & paradisus erit, in quem Christus se promisit introducturum latronem secum crucifixum. *B*. Blasphemum & extremæ dementiæ mihi videtur esse, in cælo vel paradiso tantum, & non vbique diuinum numen esse arbitrari. In omnibus enim existens, omnia quoque complectitur, cælestia, terrestria, subterranea. Proinde & in Orcum ingrediẽtem Dei & Sermonis incarnati carnẽ in paternis manibus esse dicimus. In paradiso autem fuisse Christũ diuinitate, & vnà latronis animã adduxisse, sicque in genitoris manibus ipsum fuisse cõfitemur. Deus enim noster in cælo, & in terra, & in mari, & in oĩbus abyssis, inquit

Dauides diuinorum ille carminum auctor. Et rursus, Quoniam in manu eius sunt A fines terræ. Et iterum inquit idem, Si in cœlum ascendero, tu illic es, si descendero in orcum, tu ades. Quòd si cœlum omnium est summum, orcus autem omnium infimus, & in iis Numen est, simúlque ipsum omnia continere clamant viri diuini: constat, quòd & Christus diuinitate vbique præsens patri, nihilominus in manibus eius deposuerit animam. Si enim animæ iustorum in manu Domini, quemadmodum inquit propheta, multo magis Dei & Sermonis: de quo terrestrem & sensilem esse paradisum docemur. Non enim inquit ad latronem in ligno secum suspensum, Hodie mecum eris in paradiso? Reducit igitur in paradisum, qui latronem Adamũ in exilium egerat, inimicum latronẽ, cuius misertus erat. *A.* Quid igitur sibi vult Esaias in persona Dei dicens, In manibus meis depinxi muros tuos? Id quod de paradiso dici intelligimus. Sed & Apostolus idem his verbis indicat, Quæ sursum est B Hierosolyma, libera est, quæ est mater nostra. Eam verò nullam putamus aliã, quàm paradisum. *B.* Patrocinari potius, quàm aduersari mihi videmini pro paradiso arboribus consito & poma custodiente ciuitatem & muros mihi adducentes. Est autem etiam æquiuocatio paradisi & Hierosolymæ, vel cœli & Edem, vbi paradisum à Deo factum Moses indicat, dicens: Et plantauit Deus paradisum in Edem, ad orientem: Non autem in cœlo ad orientem. Et fons, inquit, ascendit ex Edem ad irrigandum paradisum: Non autem, descendit ex cœlo. Et fluuius egreditur ex Edem: Non autem, descendit ex cœlis. Hic, inquit, diuiditur in quatuor principia: Non autem, deorsum fluit in quatuor capita. Vbi autem in cœlo sunt fici, palmæ, mala punica, cætera quæ paradisus plurima continet, & quibus floret naturaliter? Vbi verò in cœlo fons & flumina, & arbor transgressionis? Audi igitur histo- C riæ auctorem ex vno fonte quatuor flumina effluentia pronuntiantem, & ea quasi digito demonstrantem per ipsam appellationem. Et vni nomen Phison. Hic verò Æthiopiam, inquit, & Indiam præterlabens, Ganges ab ipsis appellatur. Apud Græcos autem Ister & Indus fluuius dicitur. Apud Illyrios autem, & Ripianos accolas fluminis, Danubis: apud Gothos verò Dunautis. Omnem verò terram Euilat circumiens, secundam videlicet Æthiopiam, & partes Elymæorum, percurrénsque primam Æthiopiam, sic deinde rursus effusus ad Austrum & occidentem intra Gadira in celebrem illum effunditur oceanum. *A.* Ne sermoni finem hic imponas, benigne pater, sed secundi fluminis impetum sermone describens, perfectè nos exhilara. *B.* Secundus Geon est, qui apud Ægyptios Nilus appellatur, totam inundans leniter & irrigans quotannis Ægyptum. Nauibus autem transitum per vela D præbens, arationis opera fieri permittit, & aquatilia se terrestribus aggregare, quorum alia quidem herbis vescuntur, alia verò vescuntur carnibus. Maximam autem præterlabens Æthiopiam, per minorem fluit, pérque Anumetam, & Blemmyam, & Auxumetam, & partes Thebaidis & Ægypti, sic deinde in mare effunditur. Hieremias inter alios vates multa expertus certamina à reditu in Ægyptum inhibens furiosum Israëlem, disertè clamat: Quid tibi cum Ægypto, vt turbatam bibas aquam? Hoc est, aquam Nili turbulentam. *A.* Quæsumus ne graueris propter temporis breuitatem etiam ea paucis edisserere, quæ ad tertium fluuium pertinent, vnde oriatur, & vbi desinat. *B.* Qui post secundum ex eadem scaturigine procedit, Tigris à diuina appellatur Scriptura, manans quidem rectà versus Syros, pertransiénsque partes Orientis, ad immensum spatium terram subit, rur- E súsque emergit in Armenia, diuiditúrque in regione Assyriorum. *A.* Vt solidum hoc de oratione tua gaudium percipiamus, etiam quartum nobis flumen describere velis. *B.* Ex eodem vtero exundans quantus est Euphrates ille celebris, qui etiam Indicos quosdam paradisi fructus foliáque amne suo trahens, ad nos transuehit. Qui similiter, vt alter, ex eadem scaturigine fluens, subterraneus aliquousque labitur, & redundat iuxta Armeniam, vnde manat per Babylonem. A nauigantibus autem quilibet horum transitur immensa ferentibus onera nauibus, post subterraneam refusionem ad vlteriora, tanquam ad paradisum per occultos illos meatus contendere volentibus. Verùm ad loca inaccessa peruenire frustra conati, per aduersi fluminis nauigationem, vel litora legendo itinere terrestri saltem indagare

A gare aditum ad ipsum tentarunt. Ex quibus Ægyptij quidam aquæ potores & seminibus vescentes, crasso victu nostro ab incunabulis vtentes, diuersorum seminũ commeatu comparato, & multis impletis nauibus, expeditum potum ex eo, quod ipsos portabat, flumine habentes, eodémque & legumina madefacientes, & sibi ad cibum emollientes, per prætercurrentem Geonem, apud ipsos autem Nilum appellatum, nauigantes, tentarunt fluminis ductu inuenire post Adamum nemini visum paradisum. Postquam autem tempore longissimo nauigarunt, & extra habitabilem orbem delati sunt, in difficilibus locis igne Solis adurebantur, fluminéque illic toto feruente, quum ne quidem summis digitis aut labiis illud amplius attingere possent, ad eam vnde nauigio venerant terram gubernacula dirigentes, in patriam delati sunt, non reportantes quidquam commeatus, omnibus longo temporis spatio absumptis, vt aliqui Ægyptiorum tradiderunt. Cæterum hi nautæ, qui à B beato illo spectaculo aberrarunt, clarissimè sapientis illius Salomonis verba didicerunt: Profundiora te ne scruteris, & sublimiora te ne inquiras: quæ tibi mandata sunt, illa cogita. Quòd si secundum Origenem illum impium non est in terra paradisus, quamobrem suos homines, ad illum inspiciendũ Ægyptus ablegauit? Quomodo item Moses primus ille Scriptor rerum diuinarum inquit, Et descendit Dominus in paradisum: non autem, ascendit? Et introduxit Dominus Adamum in paradisum: non autem, subuexit? Præterea si non est in terra paradisus, vt vaniloquus ille nugatur, neque fons ille quadripartitò diuisus, vnde diffunditur Geon, Phison, Tigris, Euphrates? Vbi autem in cœlis ficus, aut vua, quorum consutis foliis homines illi primi post lapsum sese tegebant? Iam si neque sensilis est, neque apud nos ea regio: ne quidem omnino in ea ficus erat. Si non erat arbor in ea, non C etiam comederunt primi parentes: quòd si non comederunt, neque transgressi sunt: nec exstitit Adamus, neque ex illo Eua, neque ex ambobus nos, neque alius post nos. *A*. Quid igitur? an diabolum non putas excidisse cœlo? Quemadmodum enim de illo, sic & de homine dicimus, lapsum videlicet ex cœlis. *B*. Proculdubio dicimus ex vltramundanis præcipitatum auctorem illum mali dæmonem spectatore Cheruborum Ezechielo ipsum deplorante, atque dicente: Quomodo excidit cœlo Lucifer? Consentiens autem cum seruo in Euãgelio Dominus inquit, Videbam Satanam veluti fulgur de cœlo cadentem. De Adamo autem hoc nusquam in diuinis litteris positum inuenietur. Quanquam enim consuetudo verbum excidendi vsurpet de homine, itémque vocabulum lapsus de Adamo: non tamen præpositum est cœli nomen ante casum, quemadmodum de Belialo. Et verbo Ex- D cidere vtimur etiam, quum ex diuitiis & splẽdore ad paupertatem quis deuenit, vel à virtute ad vitia redit, vel ex virginitate ad scortationem ruit, vel quum corpus interit. Num igitur ex cœlis exciderunt illi? Nequaquam enimuerò vtendum existimo diuinarum litterarum subsidio, & ex sacro Scriptore Mosé demonstrationes proferendas. Inquit autem is: Et posuit Deus hominem, vt coleret & custodiret paradisum. A quónam quæso ipsum custodire debet, siquidẽ in cœlis angeli ignorant furari? Vrsus verò poma deuorans, aut sus, aut singularis in cœlis non sunt, nec erinaceus ille, qui gramine vescitur. Nec itẽ vulpes apum alueare perfodiens, ipsarúmque sonos perturbans, aut fauos deuorans. Non leo crudiuorus, non rapax lupus, non aquila vel gryphus, non aliud quid eorum, quæ sunt apud nos, in cœlis est, quæ vel solam increpationẽ Adami extimescentia, tangere vel accedere paradisum E verebantur. Omnia enim ad ipsius intremiscebant vocem ante transgressionem: De transgresso autem inquit: Et eiecit ipsos ex paradiso, non autem deiecit. Et collocauit ipsos inquit, non infrà, sed è regione paradisi. Et posuit Cherubos, & flammeum gladium versatilem ad custodiendum, non ascensum, sed ingressum ad lignum vitæ. Versatilem autem ipsum inquit, ad feriendum eminus ad id accedentia, siue animantia bruta, siue dæmonia, quemadmodum facere solent agrorum custodes, clamore tam volatiles quàm quadrupedes bestias arcentes à vineis & ficetis, agitatione autem gladij qui in manibus est illiúsque fulgore homines eminus venientes ad direptionem frugum, perterrent. Aliquoties item fundæ agitatione iacto lapide, eminus aduenientem prædicatorem metu percellunt. *A*. Quid

tibi videtur esse pelliceæ tunicæ, quibus post lapsum, Adamum & Euam Dominus A
induit? Audiuimus enim quendam præclarè dicentem, quòd homo mens rationa-
lis fuerit, & animal incorporeum. Postquàm autem peccauit, per inobedientiam
erga Deum exhibitam, separatam esse mortuámque mentem, & animam ideo vo-
catam esse, quòd frigefactus calor mentis amplius remanere non potuerit, & mini-
strare supernis, sed hoc corpus induisse, quod pelliceam tunicam vocat scriptura, ad
supplicium circundatam ei qui peccauerat, vt ei veluti carcer & pœna sit. Ideo &
Deum rogarunt sancti, vt morerentur & liberarentur ab hoc supplicio. Dauides
quidem dicit, Educ ex carcere animam meam. Paulus autem, Miser ego homo, quis
me eripiet ex hoc corpore mortis huius? Iobus denique incessanter mortem opta-
bat, non amplius ferens in corpore pelliceæ tunicæ supplicium. *B.* Illud iam antè
suspicans in præcedentibus dixi, vos idem sentire cum venenatis pestiferísque Ori- B
genis dogmatibus, quæ simpliciores decipiunt. Neque enim in cœlo peccantes
animæ condemnatæ sunt, vt in corpore punirentur, non amplius valentes obire
vltramundani ministerij sacrum officium. Nam si ad correctionem & castigatio-
nem istis corporibus inclusæ sunt, quomodo in hoc grauius peccant? Qui verò in
custodia punitur, constat quòd etiamsi velit peccare, non possit. Cur autem non &
dæmonas vnà cum diabolo, quum sint mentes & incorporei, postquàm peccaue-
runt, & ex cœlis præcipitati sunt, non in corpore, quemadmodum nos, etiam ipsos
ad sobrietatem & correctionem confirmauit? Num verò etiam Moses populo su-
perueniens, vt essent infiniti & innumerabiles, velut arena maris, volebat tot intel-
lectiles potestates in cœlo peccantes ad corpora deiici, in augmentum eorum qui
erant in terris? Et Anna religiosa fœmina pro fœcunditate Numen exorans, num C
rogabat vt intellectilis & incorporea potestas ex cœlis caderet, quò ipsa hominē ge-
neraret? Aut Dauides diuinorum ille carminum auctor, pro piis illud votū faciens,
Vt videas filios filiorum tuorum, num cupiebat per lapsum vltramundanarum po-
testatum iusti genus multiplicari? Quòd si animas, quæ in cœlo peccauerūt, ad sup-
plicium nostris colligauit corporibus, cur etiam eas quæ non peccauerunt, consi-
militer cum illis condemnauit, in corporibus ipsas puniēs quemadmodum & illas?
Ecce enim quomodo ipse testatur de magno Iobo, ante ostensam aduersus diabo-
lum fortitudinem, Non est in terra quisquam homo similis seruo meo Iobo, qui iu-
stus est & verax, inculpatus, pius, abstinens ab omni re mala. *A.* Sed vide quid di-
xeris, dixisse Deum, quòd non sit homo in terra, quod est eius qui innuit, alios esse
homines intellectiles in cœlo, ex quorum numero Iobus postquàm peccauit, cor- D
pori ad supplicium colligatus est, & per virtutem repurgatus, ante plagam testimo-
nium accepit à Deo, quòd iustior sit illis hominibus qui sunt in terra, non tamen il-
lis qui sunt in cœlis. *B.* Visus & tactus mihi videntur auditu magis fide digna esse.
Proinde relinquamus, quæ frustra & absque demonstratione audiuntur, & potius
contrectemus quæ videntur. Neque enim demonstrare potes ex diuina voce de
Iobo, alios præter eos qui sunt in terra, in cœlis esse homines intellectiles. Aspice
igitur & palpa quæ tibi à me euidenter de diuina voce ex voce diuina traduntur.
Quandoquidem enim præteritis temporibus primus iustorum fuit Abelus, post il-
lum Sethus, deinde Enochus, Noa, Abrahamus, Isaacus, Iacobus, quum illi omnes
obdormiissent & sub terra essent, solus illis temporibus, inter eos homines qui in
terris erant, iustus erat Iobus, sicut & Lothus in quinque ciuitatibus Sodomorum
solus integrè viuens, meritò illorum mortem effugiebat. Illi igitur iusti qui iam an- E
tè obdormierant, quum sub terra essent, solus inter eos qui super terram erant iustus
fuit Iobus. Quòd autem non in cœlis peccando condemnatus, corpori copulatus,
iustitiam assequutus sit: ex his, qui post illum fuerunt, docemur. Quali enim virtu-
te demonstrata Hieremias ille diuinus, antequam ex vtero egrederetur, sanctus
testimonio Dei perhibetur? Quánam re præstita Ioannes in vtero adhuc gestatus
apud eum, qui adhuc similiter gestabatur, filium & Sermonem in aluo perpetuæ
virginis, eam libertatem adeptus est, quam & exiliens indicauit? Quod si item vt
dicitis, absque peccatis in cœlis fuerunt, cuius gratia quemadmodum & con-
demnati corpore circundati sunt? Procul abigat Christus eos, qui animas prius
existere

Vocabulū ψυχὴ à ψύχος deductum.

A existere nugantur: ne & ipsius animam ratione mentis frigefactam dicere audeant. *A.* Quid igitur? si non prius existens in cælis anima, postquàm peccauit in præsentem est expulsa vitam per copulationem cum corpore generationémque, quomodo Dauides id deplorans inquit: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea? B. Nihil hoc Origenis nugas confirmare potest. Nam quod Dauides ait, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, denotat ipsum captũ & infectum concupiscentia cecidisse in flagitium, & adulterij tristitia perpetrata, illico cædem coniunxisse. Indicat ergo se lugere quod à concupiscẽtia superatus, captus iniquitate sit, lege præcipiente, Non occides, Non concupisces vxorem proximi tui. Illud autem. In peccatis concepit me mater mea, etiam hodie contingere solet. Matres enim quamplurimæ nõ ex dilectione, sicut Sara, vel Rebecca, vel Anna, vel Elisabetha cum coniugibus cubant: sed ob iurgia, pugnas, æmulationes corpo-
B re quidem se summittentes, sed immorigeræ voluntate manentes, aliquando fœtus concipiunt. Id quod & Dauides suspicatur, se ab initio ex eiusmodi cõtentione conceptum. Ab omni autem peccato liberam, & vituperio superiorem eam, quæ legi consentanea est, copulationem & procreationem liberorũ ostendit Dominus dum ex Adamo quidem mulierem fecit, quo docet per ipsam coniunctorum vnionem, & procreationem liberorum ex illis se amplecti, ideoque de ea quæ per ipsum est copulatione inquit, Crescite & multiplicamini, & implete terram, & dominamini ei. Eandem autem denuo viuendi vnà rationem honorans, in Cana Galilææ suo accessu & conuiuij societaté ornat, ídque magis etiam vt demonstraret, honorarium munus donat, vinum ex aqua factum. Et in Euangelio diuinitus hæc proferens in-
C quit: Propter hoc deseret homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam. Et per Paulum inquit, Honorabile coniugium, & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus, nimirum hic ipse Christus. Nam pater iudicat neminem, sed omne iudicium filio dedit. Non in iniquitatibus igitur, ad exemplum Christi, sit conceptio nostra. Nam in vtero Hieremias sanctificatus est. Ioannes cum gaudio singulari exsiliit. Sermo ille denique, qui etiam Deus est, homo factus est per ineffabilem conceptionem. Proinde non sunt corpora propter animas, neque alterum altero generatione prius est, sed vtraque ineffabiliter propter bonitatem Deus in momento fabricauit. Abalienatum autem à bono, diuinitatéque nudatũ rursus propter bonitatem contexit solida pelle ornans, quum teneritas corporis iam extra paradisi voluptatem diuinámque munitionem esset, & iam labores capesseret, laboriosámque vitam atque sudorem experiretur. Proinde
D neque prius existentem, neque coexistentem animam pietas docet, ne partim delabi ex cælis animas & inseri corporibus falsò existimemus, partim seruantes castitatem, & temperantes, aut seminis fluxum patiẽtes velut animarum occisores calumniemur, in lumbo & semine animas suffocantes. Longè etiam mihi velim ab ea resilias opinione, quòd corpore posterior sit anima. Non enim seipso vel maior vel minor ætate est homo.

EX SANCTO MAXIMO.

QVandoquidem principalis Dei scopus erat, non per coniugium & corruptionem nos generari, transgressio autem coniugium introduxit: ideo omnes qui
E ex Adamo subiecti sunt primi parentis nostri condemnationi, in iniquitatibus concipiuntur. Illud autẽ, In peccatis concepit me mater, docet quòd prima parens Eua prima concupiuerit voluptatem. Propterea & nos dicimur in peccatis concipi, tanquam illius condemnationi subiecti.

Hæc etiam ab alio sunt adiecta. Nã Maximus philosoph⁹ christianus post Cæsarium vixit.

A. Num igitur vel lanionem vel coriarium debemus existimare Deũ, vt Adamum indueret pelliceis tunicis? B. Meritò & ego ex te quæsierim contentiosissime, quid leuius & facilius, cælum ex aquis firmasse, terrã super abyssum fundasse, & infinitam aquam in vnam congregationem coëgisse, ratione conueniente vnum quodlibet exornasse, astris quidem illustrasse cælum, plantis autem variegasse terram, aquatilibus scaturire fecisse mare: an pellem connectere & contegere nudum? fingere

animal aut veſtire? mare inſtar terræ permeabile feciſſe præcepto, & ſexcenta virorum millia cum mulieribus & liberis ſiccis pedibus traduxiſſe? aut tunicis præcepto contexiſſe indigos? rupiſſe ſaxum, & aquæ fontem produxiſſe? reſecaſſe Iordanis amnem, populúmque perduxiſſe, aut nudos operuiſſe? puluerem neruis firmaſſe & animaſſe, an ex puluere factum rationis particeps animal veſtiuiſſe? *A.* Oſtende igitur nobis quæſo, quis fuerit ille qui mactauit, & quodnam mactatum animal, vnde pelles fuerunt, & quis ille qui eas conſuit. Nam ſi de his rationem reddideris, neceſſarium erit nos non amplius de tuis dictis ambigere. *B.* Oſtendite igitur & vos conuiuij ſtructorem, & animalia mactata, & quis eorum numerus quibus celebris ille rubefactus eſt Nilus, & confeſtim tantum flumen in ſanguinem mutatũ, per Deum Moſi obediens: vbi præterea carnes tam immenſæ mactationis pecorum, per quæ in ſanguinem nauigabilis transformatus eſt amnis? Quomodo item ſanctus & per ſe ſubſiſtens viuus Deus, ac Sermo carnem geſtans, & pro nobis ex monumento reſurgens, in ipſo relictis indumentis, non eſt nudus conſpectus? Quis eſt qui præbeat, qui conſuat, quis eſt qui cooperiat cooperiẽtem vniuerſa? Quòd ſi illa per diuinam eius affuerunt voluntatem, credamus etiam primos parentes noſtros per hanc amictos eſſe pellibus. Non enim ſecundum illius vaniloqui opinionem, corpora noſtra eæ pelles ſunt, quibus poſtquam de vetitis comederant animæ circumdatæ ſunt. Nam ante eſum & tranſgreſſionem formatio corporum deſcripta eſt, ſed & coſta in mulierem Adamo facta ante tranſgreſſionem ablata eſt: quum in experte corporis coſtam ſtatuere abſurdum ſit. Quæ item neceſſitas ipſos coëgit foliis fici contegi, ſi erant incorporei? *A.* Ex magno Dauide diſcimus, animas ante corpora eſſe. Inquit enim ad Deum, Manus tuæ fecerunt me, animam intelligens: & formauerunt me, corpus videlicet. *B.* Non minor erat Dauide magnus ille Iobus in iuſtitia neque minore ſeptus potentia, celebris enim & hic rex fuit, & par ei cum Deo iuſtitiæ veritatíſque teſtimonium à Deo perhibitum eſt. At hic ait ad Deum, Manus tuæ fecerunt me. Et rurſus. Memento quòd lutum me formaſti. Num igitur propterea quod priore loco ponitur formatio, dicemus ante animam corpus eſſe? Aut formationis ab ipſo mentione facta, & factura non addita, ideo ipſum inanimum dicemus? vel aliter, Quandoquidem inquit Moſes diuinus ille creationis deſcriptor, quòd accepto Deus puluere terræ formauerit hominem, & non addidit quòd eadem hora & momento ipſum perfecerit: num idcirco prius quidem exſtitiſſe verticem, loco ſecundo autem oculos, tertio collum, & poſtremo tandem talos & pedes putabimus? Apageſis cum eiuſmodi delirio. Vnde enim ſciemus, quod non à plantis aut lingua orſus ſit noſtram creationem Optimus & ſapientiſſimus artifex Deus? *A.* Qua in re tibi videtur homo eſſe factus ad imaginem Dei? Num in anima, tanquam ſpiritu & re inadſpectabili, an in corpore multiplex eſt? *B.* In neutro, præterquam in animæ immortalitate. Et in eo, quòd omnibus dominatur. Neque tamen in his etiam ſeruat exactam ad Deum æqualitatem & ſimilitudinem: vtraque enim creata ſunt, tam anima quàm corpus, & compoſita mutua copulatione & communione. Compoſitionem autem prorſus ſequitur ſeparatio atque diuiſio. Deus autem incompoſitus eſt & indiuiſibilis, & nulla expreſſus forma, ipſe per ſeipſum manens, & ſemper eodem modo adfectus. Neque item in dominatu ſeruat ad Archetypum imaginis ſimilitudinem. Non enim eiuſdem honoris eſt cum datore is, qui accipit. Nam qui præbet, omnino non indigus eſt eius, quod dedit. Qui autem recepit indigus eius eſt quod datum eſt. Et hic quidem à Deo conſeruis dominari iuſſus eſt. Deus autem à nemine, quum ipſe per ſe ſit propriæ poteſtatis Dominus, & omnipotens. *A.* At vnumquodlibet per ſe conſidera, ſeorſum animam & ex altera parte corpus, & expone nobis in quo putes eſſe id, quod eſt ſecundum imaginem Dei. *B.* Neutrum ab altero ſeparatum eſt homo. Nam aliud quidem ſpiritus, non homo: aliud verò lutum rationis & ſenſus expers. Ex vtriſque autem vnus perficitur homo. Atque illa quidem alterationi & mutationibus obnoxia eſt, alia quidem obliuiſcens, alia verò in memoria retinens, & in multitudine rerum læta & truculenta in alios, demiſſa autem & tetrica quum indiget. Aliàs quidẽ honeſta & grauis, aliàs vero laſciua cogitãs: nunc

A nunc quidem iusta, nunc autem iniusta eligens: nunc quidem benigna, nunc verò inhumana: in temporis momēto irascens, & in puncto placata, diuisionibus & mutationibus obnoxia, quemadmodum inquit eximius ille Apostolus, disertè clamās: Viuus est sermo Dei & efficax, ac penetrantior quouis gladio vtrinque incidente, & pertingens vsque ad diuisionem spiritus & animæ, & discretor cogitationum & intentionum. Quomodo igitur potest imago esse immutabilis Dei diuisionibus obnoxia, & cuius diiudicantur cogitationes & intentiones, non solum à Deo, sed etiam ab eius vatibus, aliquoties etiam de reconditis conuicta? consilium autem cogitationémve Dei quis deprehendet, Diuo Apostolo clamāte: Quis cognouit mentem Domini, aut quis ei fuit à cōsiliis? Si igitur quod magis est proprium humanæ compositionis, ipsa nempe anima distat ab imagine similitudinéque diuina: quanto magis ab illa longè distare apparebit comparatio corporis? Nam horum alterum incorruptibile est, alterum autem corruptibile: & illud quidem magnitudinis & quantitatis expers est, hoc autem exiguum & comprehēsile. Illud quidem incomprehensile tactu, hoc autem tangi potest ac fluxum est: illud incorporeum & expers materiei crassæ, omni altitudine sublimius & supereminentius, hoc autem exiguum & certæ quantitatis, in terra repens & humile, circa hæc inferiora versans. Illud denique non crescit, non desinit, non subsidet, non minuitur. Proinde tu quidem inferioribus his acquiescas, neque Numen membris circumscribas, audiens Deum dicētem: Tollam in cœlum manum meam, & iurabo, atque dicam. Et rursus, Cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorū. Iterúmque prophetam dicentem: Qui mensus est cœlum palmo, & terram pugno. Et alibi, quòd digito exsculpserit tabulas lapideas, quas Dei spectatori Mosi tradidit. Neque quod inquit

C Dauides ille diuinorum carminum auctor: Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, & ad me respice, & miserere mei: idcirco formam assignes Numini, membris ipsum & organo describens. Si enim ventus spirans vbique præsens est, & aër in se complectitur vniuersa, quanto magis ille, qui ipsum spirare iussit, & ventos flantes congregauit? Solium complectitur sedentem, at Deus incōprehensibilis est. Quòd si & terram scabellum habet, quomodo dum incedimus, aut aramus, aut ab Oriēte ad Occidentem currimus, imperatorum iussu equos agentes & compellentes, non allidimur ad ipsius pedes? Quomodo verò quum cælos palmo mensus est, & supernè insidet, rursus in cœlum, inquit, aufert manum? Quomodo verò tantis digitis absque ascia tabulas poliuit, absque stylo sculpsit, & in eis legem perscriptam legislatori tradidit? Mentem igitur vel serò tandem recipe, & oculis mentis adspice ista

D cogitationes tantum & figuras esse, ídque considera ex vili & exigua ad Numen comparatione. Mare omnia magnitudine superans elementa, velut ex cado gutta est, & vniuersa veluti stilla sunt, si ad diuinum illud pelagus cōferantur, quemadmodum inquit propheta. Verūtamen quum simplex quiddam sit, nulláque forma præditum clamat absque ore, currit absque pedibus: insilit, & ad festinandum absque tibiis insurgit: detinet nauigantes, non habens manus: in sublime eleuatur absque alis: suffocat multos absque vola vel digitis, aut nexibus: insonat & exspuit labiis carens: rupibus allidit absque brachiis, eleuans immensa ferentes onera naues: absque dentibus deuorat, & vicinam terram excauat. Si verò quum simplex quiddam natura sit & fluxum, ista facere solet: quanto magis præstare potest hæc is, qui huius intolerabilem violentiam atque tyrannidem paucissima arena refrenauit, & quasi

E ferreo muro circa ipsum posuit terminum? Per fluctus enim ad exteriorē regionem impetum faciens, arena quasi freno inhibetur, & in spumam impetu resoluto, ad seipsum reuertitur. Similiter & spiritus venti, licet simplex sit, flans fistulat absque labiis tecta deiicit absque brachiis: vindemiat fructus, arbores quatiēdo absq; manibus, deiiciēs: excutit & feruefacit veluti fornax abyssum, & quæ sunt in fundo in superficiem transponit, non ventilabro, non sarculo vtens: nititur ex aduerso, & resistens inhibet à cursu ingentes naues pectoribus & humeris carens. Alias autem albatas instar ouium impellit in pelago velut in prato vel campo, non hastili vel baculo feriens rubefacit valde pallentia hominibus transportandis parata nauigia, nullo ipsa fuco varians. Si igitur mare & ventus, conseruis quidem omnibus magnitudine

præstantia, culicis autem vel mulionis, vel grani sinapis, aut alicuius rei minoris locum obtinentia, si cum Deo conferantur, clamant, velocia sunt, insectantur, fortiter vincunt, progressum impediunt, manibus & formis carentia, benefaciunt, puniunt, diuitias conferunt, submergunt ponto, ducunt, abducunt: cur tu, vir praeclarissime ac nobis care, formam tribuis & adscribis membra Numini simplici & incomposito, & nulla forma expresso, dum audis, Inclina Domine aurem tuam & exaudi me? Item, Et respice ad me. Et, Mitte manum tuam ex alto, & eripe atque libera me. Et quæ sunt eiusmodi alia. Proinde absit vt secundum animam aut corpus definias homines esse factos ad imaginem Dei. Quomodo enim comprehensu facilia & mutabilia conueniet ei assimilare, qui clamat per prophetam: Ego sum, & non mutor? A

ῥαψῳδία ab aliis temerè adiecta ad finē verborum Cæsarij. Sunt autem hæc Nysseni.

Neque verò diuinus sermo falsus est, dicens secūdum imaginem Dei factum esse hominem, neque miserabilis humanæ naturæ infelicitas beatitati adfectionum expertis diuinitatis est similis. In horum namque collatione necessum est, aut passibilem esse diuinitatem, aut humanitatem impassibilem. Proinde disquirendum est, quomodo humanitas diuinitati similis dicta sit. Scriptura inquit: Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum. Deinde subiicit: Marem & feminam fecit ipsos. Id quod à Deo alienum est. Proinde huius respectu imago non habet primi exemplaris similitudinem. Huius autem solutio talis quædam est. Duplex quædam est naturæ nostræ structura. Alia quidem intellectilis, quæ quum in omnium bonorum participatione sit, secundum imaginem Dei dicitur esse facta. Alia autem in maris & feminæ differentiam diuisa. Quandoquidem autem sola diuinitas immutabilis est, nostra verò natura mutabilis (cepit enim esse de nihilo) qui ante generationem omnium præscius erat, præcognito ad quid declinatura esset propria potestate præditus humanæ voluntatis motus: adhibet opificio imaginis eam, quæ est in mare & femina, differentiam. Quum dicitur autem, quòd fecerit Deus hominem vniuersali & indeterminato nomine significationis, vniuersam complexus est humanitatem. Non enim vnà cum creato nunc mentio fit Adami, quemadmodum in sequentibus, sed homo nominatur vniuersæ. Ideo neque in solo Adamo structuram quæ secūdum imaginem Dei est, videre licet, sed in quouis homine. Similiter enim adfectus est qui primus est factus, & qui postremus omnium futurus est. Qui igitur omnem humanitatem per præcognoscentem vim facultatémque suam considerauerat, & pari cum angelis sorte honorauerat, quandoquidem præuidebat non rectè ingressuram in bono humanam voluntatem, ne deminueretur humanarum animarum multitudo, declinans ab illo modo quo angeli creuerunt in multitudinem, in peccata prolapsis conuenientem præparat incrementi rationem, pro angelica conuersatione, brutum ac rationis expertem propagationis modum humanæ naturæ tribuens, quemadmodum inquit Dauides: Homo cùm esset in honore, non intellexit. Vnde cum iumentis & pecoribus adfinitas illa nostra, sæpenumero melius contegit deteriore, si quis animum ad vitia detraxerit. Nam ad vitiositatem accedens mentis efficacia, multiplicem rerum absurdarum procreationem instituit. Si verò à ratione nihil opis & auxilij vitiositas habuerit, statim dissoluitur. In beata igitur illa natura maris & feminæ discrimen nullum est. Quapropter quum hominem ad imaginem sui conderet, non augescendi seque amplificandi vim homini addidit: sed quum in marem ac feminam eum distingueret, inquit: Crescite & multiplicamini, & implete terram, & quæ sequuntur: qua quidem voce prius etiam ad animalia bruta Deus vsus fuerat. Si enim istiusmodi vox dicta fuisset, quando id quod secundum imaginem est, fecit: non vtique pecuniæ generationis indiguissemus. Sciendum quòd imago quidem Dei est quæ in tota humanitate perfectionem habuit. Inquit enim, quòd fecerit Deus hominem, non Adamum. Postquam autem addidisset humanæ naturæ proprietates, videlicet marem & feminam: tunc & nomen Adami adiecit, quod terrestre figmentum significat, in lingua Hebræa, sicut Paulus Græca voce puluereum ipsum nominat.

A. Idem nobis videtur esse mens & anima. Quod enim est oculus in corpore, id omnino mēs in anima inadspectabili est, & ipsa inadspectabilis inuisibilis existēs.

Itaque

A Itaque scire cupimus, an mens sit secundum imaginem Dei? *B*. Ne mens quidem & anima secundum meam determinationē idem sunt. Quòd si ipsam etiam aliud quiddam ab anima diuersum ratio demonstrauerit, neque sic erit imago Dei, quæ corruptioni & mutabilitati subest, quemadmodum inquit sublimi mente præditus Apostolus, Cantabo spiritu, cantabo & mente. Spiritum animā esse definiens, mentem autem eius principalem & gubernatricē vim, cui obediens & velut regi in capite præsidenti sublimi duci interna cordis consilia deferens, multis captu difficilis est, repugnans cogitationi cogitatione superueniente, & per considerationem dementiæ. Ex corde enim egrediuntur cogitationes malæ, inquit Dominus. Si igitur impugnante nos cogitatione ex corde, opposuerimus superuenientem cogitationem ex mente, tanquam à lege emissam legem, citius quiescit affectus: & si demen-
B tiæ considerationem superinduxerimus, illico desinet inflatio arrogantiæ, & efferuescentia iræ consopitur circa corpus infœlix vbique feruens. Dementia enim absentia mentis est, anima repellente eius disciplinam in rebus agendis, & accedente ad alium magistrum. Consideratio autem est accessus & mansuefactio, & admonitio est quasi mentis positio, quam indunt præceptores discipulis, dum ipsos admonent. *A*. Num igitur qui nihil didicerunt, mentem non habent? *B*. Habent qui- νουθετεῖν, νοῦν ἐντιθέναι.
dem, sed squalloribus aut indumento lacero vestitis similes, qui veste quidē amicti sunt, sed corrupta & ignominiosa. Porrò quòd aliud quiddā, quàm anima, sit mens, fide digno vsus teste Apostolo, suprà demonstraui. Quòd si euidentiorem exspectatis demonstrationem, considerate mihi insanos & mente captos, qui animas quidē habent, mentem non habent, id quod est dementia, quādo in ipsis aberrauit mens,
C aut aliqua perturbatione excussa est. Adspice item lactētes infantes, animatos quidem, sed mentem non habentes, nondum admonitionē diuinitus consequuti, propter imperfectionem, & quòd eius nondum est capax natura, qui & propter absentiam mentis aliquoties gladio aut vitro inhiant, aut aliquid mali velut bonum exhaurientes, mox luctuosissimam reportarunt mortem, vita violenter ablata per dementiam. *A*. Si igitur animæ gubernatrix vis est mens, & præsentia quidem huius seruamur, absentia verò nequaquā: omnino nobis in ea est id quod secundum imaginem Dei est, tanquam in eo quod salutem præstat. *B*. Licet animæ gubernatricem vim dixerim mentem, itidē tamen alibi dixi, neque hanc esse secundum imaginem Dei. Quomodo enim erit imago incorruptibilis ea, quæ corruptibilis est & captu facilis? captiua robusti, & semper similiter immutabilis manentis? Nam quæ
D per aliud excutitur aut degrauatur, aut eius quod voluit potestatē non sola habens, sed quæ declinat, aut succumbit deteriori, non erit imago eius qui non flectitur & incomprehensilis est. Istis autem mens in paradiso succubuit, aut post ista deflexit consilio serpentis, aut repulsa ab anima, aut cum ipsa concidens, id quod sublimi mente præditus Apostolus significans, inquit: Metuo ne rursus veniens serpens deceperit aliquos vestrûm, & corruperit sensus vestros. Et rursus inquit idem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati. Quomodo igitur erit imago Dei immutabilis, carentis omni defectu & incomprehensilis, quæ è diuerso superata, aut succubuit, aut vnà cum anima cecidit, & in transgressionem prolapsa est? *A*. Quid igitur tibi videtur? imaginem Dei nos habere, an omnino nos ei dissimiles ostendis? *B*. Id quidē, quod secundum similitudinem dicitur, paulo pôst demonstrabo pro virili diuinam se-
E quens scripturam. Quod autem secundum imaginē dicitur, quemadmodum prædixi, in immortalitate positum, & in dominatione animæ mihi videtur, non aliter quàm vt prædictum est. Aiunt enim litteræ diuinæ, Et factus est homo in animam viuentem, hoc est immortalem. Id quod in præcedentibus clarius inquit: Et dixit Deus, Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram, & dominetur piscibus maris & volucribus cœli, & pecoribus, & bestiis, & reptilibus terræ. In eo igitur quòd dominamur omni creaturæ, quæ sub cœlo est, & in immortalitate animæ id quod secundùm imaginem Dei est habemus. Super quibus velut obstupescens de ineffabili bonitate Dei Dauides carminum diuinorum auctor inquit: Domine quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quòd inuisis

eum? Consentiens autem cum patre peritus ille rerum diuinarum Solomo inquit: A Domine, quid est homo quòd magnificasti eũ, aut quòd visitas mentẽ quæ in ipso est? Et iterum inquit Dauides: Omnia subiecisti pedibus eius, oues & boues omnes, insuper & pecora campi, volatilia cœli, & pisces maris, per marinas semitas ingredientes.

Hæc etiam aliunde descripta sunt, & Cæsarianis inserta.

Secundum imaginem intelligitur secundum rationem & intellectum & propriã potestatem, secundum id, quòd mens gignit Sermonem, & spiritum producit, secundum dominandi potestatem. In his & angeli secundum imaginem sunt, abundantius autem homines, secundum id quòd ingenitus est Adamus, genitus Sethus, procedens Eua, secundum id quòd naturaliter dominatur, naturaliter enim imperat corpori anima. Et secundum id quod coniungit vniuersam creaturam. In Deo enim vnitur omnis creatura, & in homine. Vinculum enim est intellectilis & sensilis creaturæ. Et quòd secundum imaginem nasciturus erat filius Dei. Non enim angelus, sed homo factus est. B

Quemadmodum rex aliquis, qui magnam ædificauit ciuitatem, in eius medium imaginem suam statuit, vt honoretur in honorem sui: ita & Deus postquàm mundũ fecisset, secundum imaginem suam hominem fecit. Secundum imaginem autem, quòd capax esset virtutis & bonitatis. Inquit enim, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Et Apostolus, Quemadmodum gestauimus imaginem terreni, gestemus & imaginem cœlestis. Non videtur autem mihi secundum dominium, siquidem & angeli Principatus & Potestates dicuntur, & Sol & Luna dominari diei & nocti, neque tamen ideo secundum imaginem Dei facta dicuntur. Rursus inquit Apostolus, Vir est secũdum imaginem Dei, mulier autem gloria viri est: quòd eiusdem honoris cum viro femina fuerit, amiserit autem honorem post transgressionem, significans. Secundum similitudinem autem fortè pro eodem dicitur, vt hoc: Dormiui & sopitus sum: & vt illud, Beatus qui intellectum habet super pauperem & egenum. C

A. Quare verò primùm piscibus dominari præceptum est, & volucribus, ac deinceps iumentis, bestiis, & reptilibus? *B.* Primùm in infirmiora dedit audaciam, vt sic deinceps confidentior factus etiam fortioribus bestiis dominaretur. Aut quòd primum ex aquis natatile volatiléque genus prodiit, deinceps ex terra productæ sunt bestiæ, & iumenta & reptilia. Primùm igitur nata meritò quoque primùm sunt hominum seruituti subiecta. *A.* Et quomodo sumus Domini, quum ex iumentis, & bestiis, & reptilibus quandoq; leo, vrsus, lupus, serpens, scorpius, omnia deniq; aduersus nos insurgũt, partim quidẽ discerpere, partim verò percutere, ac veneno nos necare volentia? *B.* In superioribus alicubi, quantum meæ facultatis est, id declaraui: superuacaneúmq; mihi videtur iisdem implicari, quum tempus nõ suppetat. *A.* In superioribus dixisti, quòd omnes bestiæ & reptilia ante peccatum se nobis submiserint, & nos reuerita sint: post transgressionẽ autẽ, postquàm nos ex dominandi potestate excidimus, omnia aduersus nos insurgant, sicq; rem habere demonstrasti. Nunc autẽ audire quærimus, cur non & cœlo, & terræ, & mari, & fluminibus, soli & lunæ, & nubibus dominemur, si secundum imaginẽ Dei sumus. Deus enim omnibus imperat. *B.* Quod dictum de bestiis est, etiã istis cõuenit. Nam qui mox deprauarunt imaginẽ per subiectionem deterioris, nisi imperio excidissent, etiã istorum domini fuissent. *A.* Num igitur si cœlo præcepisset vt plueret, aut terræ vt aliquid produceret, obediuissent? Aut Soli vt exoriretur, num exortus fuisset? aut mari vt siccaretur, aut fluuio vt interrumperetur & non flueret, num obedissent? *B.* De hoc cape euidentes demõstrationes. Moses diuinus ille legislator percussione virgæ rubro interrupto mari, & per medium sectis aquæ partibus instar murorum firmatis, sexcenta millia virorũ in abyssi sicco fundo siccis pedibus traduxit. Et haud ita diu pòst exercitu aquã quærente in solitudine aquarum experte, baculo percussa rupe, e vestigio fluuium effudit inundantẽ desertum. Similiter Iesus Naue filius, illius successor, celebri amne Iordanis diuiso, eundem traiicit populum, duodecim lapides ex ripa fluminis populo præcipiens vt tolleret, quos cernimus in hodiernum vsque diem, eò locorum profecti. Idem quum præcepisset Soli cœlum præcurrenti, desixit ipsum in eo loco vsq; ad sequentem diem, & eandem horã, quum tantummodo dixisset: D E

A dixisset: Consistat sol iuxta Gabaonem, & luna iuxta vallem Elonem: loca quædam significans, vsq; dum hostes sternerent, & victoriæ tropæum erigerent. Considera verò & Heliam illum diuinum, solo verbo ex cœlis ignem deducentẽ super missum ad se à rege quinquagenarium, cui inquit, Si ego sum homo Dei, descendat ignis ex cœlo, & absumat te & quinquaginta milites tuos. Mox autem & e uestigio superueniens flamma, eam cohortẽ militum in cineres redegit. Rursus idem zelo Dei correptus, castigare volens deastrorum cultui deditum populum, tres & dimidium annum imbriferis nubibus verbo firmatis, perseuerauit morte punire Deo repugnantem populum, pluuiis interceptis. Inquit enim, Viuit Dominus, si erit pluuia super terram, nisi per os meum: quasi dicat, quãdo mihi visum fuerit. Quum autẽ in cœlum equitaturus, & igneis quadrigis assumendus esset, quum ad Iordanem peruenisset, quum ipsum pallio percussisset, flumẽ diuisit, sicco pede vnà cum Elisæo per-
B transiit, ascendit solus igneum currum, & inde per aëra vadens, tunicam ad discipulum abiecit, abiitq; viuus vsq; in hodiernum diem. Considera item in Testamento nouo mundi dominos & principes, quomodo Petrus quidẽ ex nubibus deiicit Simonem: Paulus autẽ tertio cœlo calcato, & inde paradiso, iudicat angelos qui defecerunt. Et vt omnia summatim dicam, qui imaginem malis actionibus non macularunt, neq; imperio exciderunt, omnibus imperant & dominantur cœlestibus. *A*. Bene nobis expositis iis, quæ dicenda de imagine sunt: rogamus vt adiicias etiã id, quod est secundum similitudinem. Quare quum dixisset Deus, Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram, id quidem quod secundum imaginem est repetiit, id autem quod secundum similitudinem est, tacuit? Inquit
C enim Scriptura, Et fecit Deus hominẽ, secundum imaginẽ Dei: fecit ipsum marem & fœminam fecit eos, & non est additum, quod secundum similitudinem. *B*. Quia noluit Deus nos desides & socordes vitam agere, instar suum aut porcorum siluestrium, aut ouium & cæterorum ratione carentium animalium, neque item nullam mercedem meritos indignè honorare: in nostra potestate reliquit, vt adsimilemur ipsi per imitationem erga illum, & per virtutum correctionẽ & demonstrationẽ, vt erga proximum sedulitate adsimilemur ipsi, quantum ab humana natura, contendente ad Deum præstari potest. Nam, esto pupillis vt pater, & ipsorũ matri pro viro, inquit rerum diuinarũ peritus ille Solomo. Ipse autem in Euangelio Dominus inquit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et iterum: Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Item, Discite à me quòd mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Simus ergo benefici &
D misericordes, ipsi misericordiæ indigi misereamur eius, qui beneficio affici rogat. Hoc enim beneficio Deus rogantes afficit, si fecerimus quod nobis fieri volumus. Facit enim nobis Deus, quodcũque nos aliis fecerimus. *A*. Atqui non dixit Deus, Faciamus hominem nobis per virtutem assimilandum, sed statim perfectum & absolutum dixit se ipsum facere. Num igitur aliter quidem dixit, aliter autem fecit? *B*. Nihil horum arguit in Deo mutationem sententiæ, sed in nobis scintillam amoris erga se reliquit, vt per imitationẽ ad illius faciem contendamus. Alius enim nondum erat, qui ab eo qui producebatur, mox esset oblectandus. Futurum autem meritò illis, qui ex illo progressuri erant, tribuit. Consideremus autem etiam alio modo, nihil eorũ quæ de imagine & similitudine dicta sunt, deprauantes, sed ex abundanti demonstrationes quasdam petentes. Inquit enim Deus, Faciamus hominem
E secundum imaginem & similitudinem nostram. Futurum velut iam præsens sciebat, & antequam faceret omnia, præcognoscens vniuscuiusque exitum. Quemadmodum de Esauo & Iacobo, antequam conciperentur in vtero materno, aut antequam excernerentur è lumbo paterno, dicens per Malachiam: Iacobum dilexi, Esauum verò odio habui. Sicut & de Hieremia dicit, Antequã te formarem in vtero noui te, & antequam è matrice egredereris sanctificaui te. Sicut & de Iuda præmonstrans ipsius proditionẽ, quum adhuc ne quidem parentes ipsius essent, inquit per Dauidẽ illum diuinum vatem: Qui mecum edit panes, magnũ instituit aduersus me dolum. Sicut & de principe apostolorum Petro per eundem diuinum vatẽ Dauidem ait: Qui me laudabant, iurabant aduersus me. Simúlque prædicit omniũ

fugam, Amici mei & proximi mei aduersus me appropinquauerunt, & steterunt, & A
proximi mei steterunt eminus: qui nondum è lumbo fuerant eiecti, neque in carnem coagulati, immò nondum parentes aut proauos habebant. Sed & salutarem suam crucem velut iam erectam, & super eam clauis affixum longè antè demonstrans, inquit: Perfoderunt manus meas & pedes meos, enumerauerunt omnia ossa mea, vbi clauos in me transfigant. Et vt summatim omnia dicam, multis in locis diuinæ Scripturæ audimus loqui Deum de futuris velut iam præsentibus, aut præteritis & peractis, quæ secundum prædestinationem certò euentura sunt, quemadmodum inquit eximius ille Apostolus: Quoniam quos præsciuerat, eosdem & præfiniuit, cōformes imaginis filii sui, vt ipse sit primogenitus inter multos fratres. Quū igitur certò sciret primorum parentum nostrorum seductionem, & lapsum in inobedientiam, & quòd in postremo sæculorum tempore vnigenitus Dei filius homo B
nasciturus esset, propter homines ob suam separationē periclitantes, id quod præfiniuit, declarari mihi videtur per id, quod inquit: Faciamus hominē secundum imaginem nostram & similitudinem. quasi dicat, Licet serò, tamen propter ipsum nascar secundum ipsum, de experte nuptialis consuetudinis & semper virgine absque semine corpus adsumens, in præsepi rationis expertium animalium reponendus, ab experte rationis conditione ipsum reuocans. Oportet enim me fieri quod est, & ipsum facere quod sum, inhabitare tenebrosum & luce carens antrum huius vitæ, vt ipse cœlum inhabitet: fasciis ligari, vt ille soluatur à vinculis mortis: crescere corpore, vt crescat diuinitate: me baptizari oportet, & abluere squalloribus obsitum: tentari, & vincere aduersarium, & subiicere superato. Esuriam pro eo, qui malè comedit, ego nutriens vniuersa. Sitiam pro condemnato, qui pluuiam præbeo, & in C
carne inambulo abyssum. Volens vinculis constringar, & soluam propter animi voluntatem ligatum. Illudar, & conuiciis exponar, vt ab opprobrio virorum liberetur qui transgressus est sexus muliebris. Creator ipse conspuar in carnis faciem, vt creati abstergant faciem. Colaphis cædar à seruo ego angelorum dominus, vt in libertatem asseram sub seruitutem peccati redactum. Nam colapho manumittunt seruos domini, simul atque percusserint à seruitute eximentes. Spinis coronabor qui paradisum plantaui, vt eradicentur mortalium spinæ. Felle cibabor, & aceto rigabor, ratione carnis adsumptæ, omnem abstergens humanæ naturæ amaritudinem. Qui Israëli manna præbui, aram & crucem conscendam, vt corpore transfigar incorporeus, at propter homines eo circundatus. Idem faciam à Iudæis comprehensus incomprehensilis, idem mortuus immortalis, morti mors: idcirco sepeliar propter D
eos, qui in orco sunt: idcirco veluti saxum aliquod percutiam illius portas, educens vinctos in fortitudine, quemadmodum inquit Dauides seruus meus. Idcirco cœlos ascendam, non indigens ascensione tanquam implens vniuersa. Idcirco à dextris sedebo nulla forma expressi patris, & ipse ad illius similitudinem nulla forma expressus. Hoc secundum imaginem & similitudinem eius, qui à me factus est, postremis temporibus fieri placet, qui cōstitui mihiipsi quod in opificio futurum erit. Quòd si tibi videtur certa hæc de imagine & similitudine oratio, desine deinceps amplius de ea percunctari. *A*. Quid igitur? Num Trinitas incarnata & homo facta est? Non enim dixit Deus, Faciamus hominem secundum imaginem: sed, Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem non meam, sed nostram. *B*. Si in iis, quæ ordine in eo sermone sequuntur ingredi voluerimus, semetipsum E
planè diuinus sermo declarabit, dicens: Et fecit, non, fecerunt: Deus, non dii, hominem secundum imaginem Dei, non deorum. Per id igitur quod inquit, Faciamus, tres indicantur personæ diuinitatis. Per id autem quod inquit Fecit, vnitas naturæ, & consilii, & operis, quemadmodum & ex nostra creatione cognouimus. Nā quod inquit, Et fecit Deus hominem, vnitatem naturæ omnium hominum demonstrat. Masculum & fœminam fecit eos, personas indicat. Et alibi inquit: Delebo hominem de terra quem feci. Atqui plurimæ myriades hominum erant, qui temporibus Noë diluuio mersi sunt, licet singulare verbum sit. Alibi item totius Pharaonici exercitus submersionem canens sacrum illud Mariæ carmen: Cantemus Domino, inquit, gloriosè enim glorificatus est. Equum & ascensorem deiecit in mare.

A Multitudinem equitatus singulariter,itidémq; exercitus similiter decantans,omnibus in rubro mari submersis vnà cum infelici rege suo. Ad Mosem autẽ inquit, Ego Deus Abrahami,& Deus Isaaci, & Deus Iacobi. Per illud quidem, Ego, vnitatem & identitatem suam significãs sacra Trinitas:per id verò quod ter DEVS dixit, tres suas hypostases & personas demonstrans, semel quidem ego, ter autem Deus dicens. Sed & ea,quæ omnibus est ineffabilis & abscondita ex Maria semper virgine vniti cum Deo hominis in carne sancta apparitio Patris quidem qui voluit,Filii verò qui incarnatus est,Spiritus sancti autem qui cooperatus est fuisse dici queat. Nõ propter inefficacitatem vnius ad perficiendum id opus, sed propter integrum consensum,& vnitatem,& identitatem vnius consilii,& auctoritatis,& regni in trinitate,solet Scriptura tripartitò multa diuinæ operationis diuidere, Veteris quidem testamenti opera ad Patrem referens,Noui verò ad Dei filium Christum, & quæ nũc
B in præsenti diuinitus fiunt,ad Spiritum sanctum. *A.* At non dixit Deus, Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem, in qua aliquando futurus sum, sed iam constantem & perfectam indicat,dicens: Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit ipsum: quæ quidem Mosis verba sunt. *B.* Nisi data opera contendere volentes perturbarentur in iis, quæ dicta sunt, non abs re viderentur mihi ea,quæ hanc imaginem concernunt, aptè respondere ad sanctam apparitionem Sermonis apud nos factam,testimonium perhibente mihi multis in locis ante multorum temporum annos prophetico cœtu, qui post se futurã Sermonis in carne vitam velut iam præsentem prædicat. Esaias quidem vatum excellentissimus disertè clamat, Puer natus est nobis, & datus est, & vocabitur nomen eius Deus fortis. Neque item eam quæ secundum carnem est, matrem eius & semper virginem
C tacet,quæ postmodum erat nascitura. Alius etiam quingentos & amplius annos antè vniti cum Deo hominis & Sermonis exaltationem, velut qui iam crucifixus esset,& è monumento resurrexisset, adstantem rogabat: Quídnam illa vulnera per medias manus tuas? Cui Deus nondum incarnatus, vatẽ nihilominus confirmans, velut ista iam facta essent, inquit: Hæc sunt vulnera, quibus affectus sum in domo dilecti mei. Dauides autem carminum ille diuinorum auctor ante mille iam annos veluti præsentem, aut præteritam ipsius in corpore ad cœlos ascensionem cecinit, Ascendit Deus in iubilo,Dominus in voce tubæ. *A.* At quomodo in superioribus reiecisti eos, qui membra Deo adscribunt, & humana forma præditum dicunt, & rursus idem asseris ipsum esse sicut nos? *B.* Non esse, sed nasci dixi, vnitum & anima & corpore nostris. Siquidem ipse sanctus Sermo nostri similis factus est, & vi-
D tam inter nos agens, quum esset quod erat,& cerneretur quod non erat, inquit ad sacrum Apostolorum cœtum panem distribuens: Accipite,comedite de hoc omnes,hoc est corpus meum,nondum immolatus carne. Et, Accipite, bibite, hic est sanguis meus,nondum vulneratus in cruce per lanceam in latere. Et videmus sanctum illum panem hodie in ara incruenta tempore diuini & mystici officii, in impolluta propositum mensa, non tamen similem imagini salutiferi corporis Dei & Sermonis. Neque item immisto ipsius sanguini, vnà cum pane propositum poculum vini. Non membrorum articulatæ distinctioni,non carnali & sanguineæ qualitati,non inuisibili & absconditè vnitæ cum ipso formæ experti diuinitati. Illud enim sanguinem continet,animatum, rubrum, & articulatum est, & variis arteriis atque venis distinctum, quibus & opifex ille Sermo variegatus erat vsque ad pilos
E & vngues. Comam enim Dei voco Christi comam, similiter & pedes, & vngues, & sanguinem,& aquam. Propter me enim meis vnitus est Sermo. Estque hoc quidem artubus compositum, incedendi vim habens & agendi: illud autem rotundum, nõ articulatum,inanimatum, sanguine carens, immobile,& neutro simile: non ei qui cernitur,& inuisibilis est diuinitate. Credimus nihilominus secundum sermonem diuinum, etiamsi non sit simile vel æquale, propriè tamen & conuenienter id esse corpus diuinum, quod in diuina mensa sanctè consecratur, & vniuerso cœtui sacro absque sectione diuiditur,& absque defectu participatur. Neque enim sol desicit indignis lucẽ præbere,neq; mare per salem participatum,vsq; ad fundũ exhauritur,neq; ignis infinitas succendens faces languescit aut minuitur, non deficiente

ἀνθρωπομορφία.

Hoc est corpus meum: &, Hic est sanguis meus.

eo quod subest, & flammam excitat. Neque item aër omnium animatorum respiratione imminuitur. Rursus ait, Qui non credit in me, iam condemnatus est: quum nondum iudicasset quenquam. Qui verò credit in me, habet vitam æternã, ea nondum recepta ab iis qui credunt, donec hac affectibus obnoxia & crassa vita liberati fuerint. Ex hac enim ad illam transimus. Sed sermoni diuino credentes, futurúmq; certò tenentes, veluti si iam in ea constituti simus, ita sumus affecti. Similiter intelligamus & eum, qui de hac imagine est, sermonem, per prædictionem quandã Dei Sermonis formationem, & natiuitatem, vitam denique nostræ similem aptè declarare, sic tamen vt omnis vitiositas excludatur. *A.* Ergo si sibi præfiniuit humanæ naturæ assumptionẽ Deus, culpa carent Iudæi qui ipsum crucifixerunt. *B.* Caruissent culpa, si non prædictum ipsis fuisset per legẽ & prophetas, non alienigenas, sed cognatos & consanguineos, & in eodẽ exercitio legalis disciplinæ constitutos, quo abstinerent à Dei in Christo nece, & ne cõtra legem agerent, absq; ratione Sermonem per carnem occidentes. Ideo nihil ex vanis illis garritibus vtilitatis perceperunt, lege illegitimè vsi. Non enim legi adhærẽtes, & à puero in ea instituti, in inscitia, immò perditione senescentes illum reiecissent. At gentes, quibus lex lata non fuit, & quæ in lege educatæ nõ erant, neq; in ea institutæ, bene & legitimè vixerũt, sibimetipsis lex factæ, suúmque conditorem amplexæ, ex iis solis quæ ab ipso facta sunt, Deum ipsum esse crediderunt. *A.* Quandoquidem in præcedentibus dixisti, in virtutum perfectione nos assimilari Deo, téq; dicturum recepisti, quónam id per virtutes pacto fiat: à te petimus, primùm dici nobis, quæ sit perfecta virtus. *B.* Admirabiliter ô carum caput, & præcisè quærens, quis perfectus virtutis finis sit, demonstras te vigilanter ad illum respicere, & quasi (siquidem inuentum sit, quod desideratur) eum tuæ ipsius vitæ proprium facere velis. At ego in vtroq; pariter hæsito. Id enim vel oratione complecti vel demonstrare, quod ratio cognouerit: etiam meum intellectum superare dico. Fortassis autem & omnes, qui virtute claruerunt, eius perfectionem se assequi non posse fatebuntur. Perfectio enim in aliis quidem omnibus quæcunq; sensu metimur, terminis quibusdam finitis percipitur, velut in quantitate continua & discreta. Omnis enim in quantitate mensura, propriis quibusdam terminis continetur. Vbi qui ad cubitum respicit, aut ad numeri decadem, cognoscit & id vnde cœpit, & in quo desiit, in quo scilicet existere perfectio solet. In virtute autem vnicum ab Apostolo perfectionis terminum didicimus, quòd ipsa infinita sit, & omni carens termino. Nam magnus ille ac sublimi præditus mente per hanc perpetuò currẽs, nunquam ad vlteriora se peruenisse dixit. Neq; enim satis tutam putabat esse à cursu institionem. Nullum enim bonũ propria natura terminatur, sed per comparationẽ contrarii omnino finitur: quemadmodũ vita morte, lux tenebris, & robur infirmitate. Quemadmodum igitur finis vitæ principium mortis est, & solis occasus principium caliginis, & bonæ valetudinis amissio principium infirmitatis: sic cursus à cursu virtutis institio principiũ fit cursus vitiosi. Ideo rectè dixi, nullis terminis propriis subiectã esse virtutem. Nam quod terminis comprehenditur, non est virtus. Virtutem verò perfectam, & indeterminatam, & infinitam, magnitudinis & quantitatis expertem, & omni comprehensione superiorẽ, Deum dico, qui propriè & principaliter est bonus, cuius natura bonitas est & immensissima virtus. Quandoquidem igitur nullus alius est virtutis terminus, quàm vitiositatis oppositio, Numen autem diuinum cõtrarii non capax est, & infinitum: etiam is, qui virtutem obit idem omnino & Dei particeps est, qui absoluta est virtus: adeóq; terminum non habet. Necessariò denique etiam eius, qui participat, cupiditas cum infinito concurrens, & vnà sese extendens, institionem à cursu nusquã habebit. Infinita igitur & immensissima absoluta virtus intelligatur, quæ quidem ipse Deus est. *A.* Et quomodo quis viam aut opus aggredietur, quorum finem & perfectionem expectare sibíque polliceri non potest? Quomodo verò virtutem capesset aliquis de eius perfectione desperans? *B.* Ne, quandoquidem id quod in quæstione propositum est incomprehensum, oratio nostra demonstrauit, virtutem quæ perfici potest negligamus, quæ planè sanctè concionatur: Estote perfecti quemadmodum pater vester cœlestis perfectus est. Quibus verbis non cũ omnino incom-

A incomparabili,& rationem intellectúmque superante diuina natura nosmet vt extendamus iubet:(id enim fieri nequit) sed vt illius imitemur benignitatem, & facilitatem,omnimodámque bonitatē, & omnem erga proximum intimæ miserationis affectum ostendamus,etiamsi sit inimicus & insidiator. Omnia enim omnibus suppeditat Deus,& affatim quasi de fonte quodam manare facit. Præueniamus donis vtilium rerum petitiones,à nemine secundum dignitatē honorati. Capessamus igitur pro viribus virtutem,leuibus & crebris ad ipsam saltibus assiliētes, etiamsi ad summum pertingere nequaquã possimus. Nam in iis quæ præ cæteris pulcra sunt, ipsum totum licet consequi nequeant, vel partem assequi lucrum haud vulgare est. Etenim si maximè fontem aut vas aquarium ebibere non possumus, num propterea debemus concessa fruitione mederi ardori sitis? Aut quia vt vniuersum aërem attrahamus fieri non potest,ideo neque respirare debemus? Aut quia totam disse-

B rendi artem nō scimus,ne prorsus quidem fari debemus? Omne igitur studium adhibendum,ne excidamus ea perfectione, quæ contingere potest. Quin ipsam tanto magis amplecti debemus,quanto viribus nostris superior est. laudabilis enim est eius copiosior possessio.Ideo mihi videtur perfectio virtutis,si quis semper festinet, vt in bono plus habeat,& iustitia iniustitiam deprimat. Ineffabiliter enim per iudicium diuinum ad trutinam appensis ponderatísque momento temporis iis,quæ ab vno quolibet in hac vita facta sunt, prout vel virtus vel vitiositas superauerit remunerationem reportantes, ad nostri similes aggregabimur, vnà cum aliis aut honorandi præmio,aut afficiendi supplicio. *A.* Quæ sunt species virtutis, & quot? aut num fieri potest,vt ipsam rectè per vnam aliquam perficiamus? Non enim quilibet

C possunt quaslibet præstare. Fortassis enim fit, vt quis aliquos propter paupertatem hospitio excipere nequeat,qui tamen temperans & sobrius esse potest, aut sustinere tentationes,aut docere pietatem. Alius item largitur pauperibus ad vitam necessaria:alius gratis ministrat. Quid igitur,num per istarum vnam aliquam æterno supplicio liberari potest? *B.* Omnis quidem virtus excolenda est iis, quibus rationalis vis à crassis rebus obscurata est, & apud eos qui verè sunt sanæ mentis. Omnis autem vitiositas abominanda, vtpote quæ virtutis aduersaria est, nostræ repugnans naturæ. Porrò virtutis aliqui species quatuor esse dixerunt, Fortitudinem, prudentiam,temperantiam & iustitiam:quæ pulchra quidem sunt, sed humi repunt, & innatant terræ,suntque demissiora quàm cœlestis illa sublimitas. Fortitudinem enim dixerunt,quæ vitiis resistat: temperantiam aduersus affectus robur & victoriā:prudentiam, in ciuitatibus optimam Rerumpublicarum constitutionē:iustitiam, quæ

D laudabiliter curat vitæ cuiusque sortem. Ideo putarunt ordinem quendam se sancire,si cohibuissent modi excessum in eo quod in vtranque partem nimium est: sublimius autem aliquid neque cogitare neque eloqui potuerunt, & quantum in ipsis fuit,virtutem in iis tantum quæ cernuntur incluserunt, nihil arbitrantes ipsam habere vel sublime,vel quod cœlorum decori simile sit. Nos autem præceptorem eximium illum Apostolum habemus, multas quidem virtutis species recensentem, tres autem præ cæteris omnibus insignes,fidem,spem,charitatem. Quarum fides quidem dat hominibus ea,quæ supra naturam sunt, intellectilibus adscribēs eum, qui adhuc circundatus est indumento crassæ materiei multis affectionibus obnoxio. Nam quæ angelorum & reliquorum carne carentium ordines ignorarunt, horum humi affixis & in terra versantibus hominibus scientiam largitur fides, & in-

E struit eos, adducens mentem ad regalem & nulla forma expressum thronum, & per exquisitum refulgentémque splendorem principii expertis & incorruptæ naturæ caliginem sensuum depellens, & si quid crassum & nubilosum ex illis est, à mente postquam abstersit, facit vt adiuncti socii nihil absurdi credant commissum, priorum obliuione per ablutionem & lauacrum facta, quasi semper virgo & incontaminata apparens. *A.* Quid sibi vult Dominus, quum ait: A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? Scimus autem quòd omnis (violentia) condemnatione & maledictione digna sit. quomodo igitur intelligemus hoc Domini dictum? *B.* Quia Ioannes primus eius temporis regni cœlorum aduentum hominibus annuntiauit, & Seruator deinceps adue-

nit: qui firmiter & sincerè credunt, per summum exercitium & sortitionem terminos naturæ transcendentes, & ad affectuum mortificationem translati in corpore, & ex eo obstacula superuolantes, mortificantes concupiscentias corporis, per angustam & laboriosiorem viam in virtutibus ingredientes, se violenter cogunt, ad præmium supernæ vocationis compellentes, vt inquit diuus Apostolus. *A.* Quid significat Dominus, de eodem Ioanne dicens, Et si vultis recipere, hic est Helias qui venturus est? Scimus autem, quòd Ioannem Herodes decollauit, & quomodo rursus Helias hic idem erit? *B.* In spiritu & virtute Heliæ ante se missum in suo vniti cum Deo hominis aduentu Heliam meritò appellat. Item propter gratiæ æqualitatem, & administrationis similitudinem. Principium enim, & finis duorum Testamentorum fuit Ioannes. Finis quidem Legis, principium verò Euangelij. Hoc est, alterius quàm legalis institutionis & vitæ magister. Similiter & Heliam expectamus in secundo vniti cum Deo hominis Christi aduentu, paululum præcedentem, qui ostendat finem quidem esse præsentis institutionis & vitæ, principium autem futuræ. Quemadmodum autẽ necatus est Ioannes, ita & ipsum ab intellectili Herode propter veritatem interficiendum credimus. *A.* Quomodo maior inter natos ex mulieribus Ioannes Baptista est? Et si propheta fuit, quid amplius habuit quàm propheta? Sic enim dicit Dominus in Euangelio. Quare autem maior omnium testimonio Seruatoris perhibitus est, qui suo ipsius patri os obthurauit? *B.* Varia mihi de hoc videtur esse declaratio. Et quidem ante omnia vobismetipsis fatentibus, quòd maior omnibus mortalibus, & excelsior prophetis testimonio Domini perhibeatur Ioannes, non habemus verbum viuente verbo præcellentius, quod testimonio est voci in deserto clamanti, Parate vias Domini, & rectas facite semitas eius. Sed occasionibus de voce à verbo sumptis, rationem ex neutrius quidem dignitate, pro mea tamen virili de singulis reddam. Maior ergo omnibus inter natos mulierum Ioannes, quòd quum adhuc in vtero materno esset, nostrámque vitam nondum attigisset, vaticinatus sit, instrumento materna lingua vsus. Et in tenebris latens, lumen in aluo semper virginis Mariæ incarnatum non ignorauit, fulgore veluti per foramen aliquod, per os eius quæ gestabat, amplexu & osculo Deum gestantis puellæ hausto, eleuatus materna lingua exclamauit: Vnde mihi hoc vt mater Domini mei veniat ad me? Gratus seruus dominum cognouit, & gestiens exultare in ventre ad ministerium verbi impellitur, ad præueniendum ad Iordanem, & parandum ipsi secundum carnem quod pro nobis erat lauacrum. Maior autem prophetis est, quòd ipsum de quo illi vaticinabantur, vidit in carne, illiúsque verticem tetigit, quo contremiscunt vniuersa, quem omnes patriarchæ & prophetæ per somnia aut ænigmata tantùm imaginati sunt, ante vniti cum Deo hominis Verbi diuinam apparitionem vita defuncti. Quòd autem mutus factus est Zacharias, postquàm illi filii procreatio annuntiata fuisset, id non ex consternatione conspecti à se angeli profectum dico: (consueta enim erat illorum visio ei, qui purè legi in officio sancto seruiebat) sed per typum illius silentii sequitur silentium legis. Nato verò puero lingua patris rursus restituta est, significans è silentio & sterilitate atque senio vocem generari: hoc est, ex antiquata, & ad senium redacta sterilíque facta lege, ac infœcunditate Iudæorum, qui eam acceperant, neque quicquam ex prophetarum vaticiniis vtilitatis perceperant, neque intellexerant Iudaïcam Dei & verbi secundum naturam nostram, natiuitatem reipsa euenire, & illius matrem secundũ carnem ex ipsis progredi. *A.* Et quomodo quum Christus ipsum omnibus maiorem testetur, rursus idem dicit, Qui autem minor est in regno cœlorum, maior ipso est? *B.* Ne hoc quidem citra duplicem & varium intellectum est accipiendum. triplicem enim nobis hæc verba sensum referunt. Vnum quidem, quòd minor ipso secundum carnem ipse Dominus esset, quum semestri tempore post illius conceptionem inhabitauerit perpetuæ virginitatis matrem, ex illa corpore circundatus, secundum vnionem indiuulsus & à commistione liber, quemadmodum ex magno illo Gabrielo discimus, qui Deiparæ id annuntiat. Inquit enim, Ecce Elizabetha cognata tua etiam ipsa concepit filium in senectute sua, & hic ei sextus mensis est. Minor item est Ioanne quum homo cernitur, maior autem

Helias ante secundum aduentum Christi.

quum

A quum Deus esse intelligitur Christus. His autem cedit angelorum Ioannis respectu excellentia. Nam qui omnibus angelis putatur ordine & natura minor in regno cælorum, maior ipso est secundum naturam & generationem. Ioannem enim ille vilis Herodes decollauit, vnus autem angelus qui illis omnibus minor est, infinitos Herodes in temporis momento percussisset & perdidisset. Vnus enim angelus egressus ex castris, Esaiæ & Ezechiæ tempore, centum octoginta quinque millia alienigenarum hostium in temporis puncto prostrauit perimens. Quem verò nobis alium tertius exhibet sensus? quis minor quidem in regno cælorum, maior autem Ioãne? omnino eum, qui à Domino filius tonitrui cognominatus est, Ioannem Theologum. Ille enim cum multo timore etiam iussus tangere Verbi verticem carnem gestantis non audebat, hic autem plus omnibus libertatis habens, in diuina cœna in sinu Do-
B mini recumbẽs, paulo post super ipsum sanctum vniti cum Deo hominis pectus sese reclinat, vt Euangelium docet, de eo qui ipsum proditurus erat querens. Innuerat enim ei Petrus, qui disceret quisnam esset qui ipsum proderet. Non mater quæ pepererat, non Iosephus qui nominabatur, attamen pater eius non erat, non Ioannes Baptista, non angelus, non archangelus, neque alius quisquam incarnati Dei & verbi ausus fuit attingere illud formidabile pectus, super quo hic Ioannes velut pater super filium diffusus recubuit, inde de Verbo verbum hausit, atque omnibus sub cælo intonuit illud: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ille diuinum & sacrosanctum spiritum in specie columbæ vidit tantum super Verbum in carne baptizatum ex cælis volantem: hic autem in specie linguæ ignis super suum ipsius proprium accepit caput vnà cum condiscipulis
C in die Pentecostes, quemadmodum magnus ille Lucas Acta scribens de Apostolis memoriæ prodidit. Ille capite truncatur propter lasciuum scortum, quod cum fratribus rem habebat, Herodis vxorem, quæ fuerat antea fratris eius: hic condemnatus qui pro Domino ad sepulchrum migraret, deinceps moritur. Ille baptizabat tantum ad se accedentes, spiritum autem sanctum nemini præstare poterant, qui ab ipso baptizati erant: hic vnà cum reliquis Apostolis rebaptizabat, & ad perfectionem manus imponentes, spiritum sanctum largiti sunt fidelibus ad signorum & prodigiorum editionem. Ille maior omnibus inter natos mulierum esse testimonio maioris perhibitus est: hic lumen mundi vocatus à vera, & ingenita, & semper existente magna illa luce. Ille è vita excessit nullo facto signo, neque prorsus vllo edito miraculo, quemadmodum de ipso perhibet Euangelium, neque quidquam audito eorum, quæ sibi illic futura erant: hic vnà cum Christo sede-
D re, & suo nutu iudicare tribus Israëlis à Christo prædicante promissionem accepit vnà cum duodecim. Ille nusquam beatus pronuntiatur, licet magnus esset inter homines: hic demonstrationem accipit eius, quòd maior sit, à beato Deo & Seruatore nostro Iesu Christo, qui inquit ipsis: Amen dico vobis, multi prophetæ & iusti desiderauerunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Vestri autem beati sunt oculi quia videtis, & aures quia auditis. Quòd Ioannes propheta sit omnes credimus. Ille appropinquante matri suæ ea, quæ gestabat filium sine patre, matrem reueritus, gestiit exsiliendo, ac velut imminente sibi à prægnante periculo, non ferebat eam quæ facem gestabat propius accedere. Hunc autem in eodem loco statuit, & commẽdat matri propriæ qui secũdum substantiam matrem non habebat, & secundum dispensatio-
E nem erat absque patre tẽpore salutiferæ passionis cruci astantibus, intentis in Ioannem oculis, inquit ei quæ sola absque nuptiali consuetudine mater est, Ecce filius tuus: idémque rursus ad illum, Ecce mater tua: alterum alteri pro semetipso cõmendans, vtriusque incontaminatã & intactam virginitatem perhibente etiam illo cœtu, qui Deo repugnat. Et vt summatim dicã, Christus est regnum cælorũ. Qui igitur secundum legem perfectus & absolutus erat Ioannes, minor mihi videtur iis, qui in mortẽ Domini baptizati sunt. Nihil enim perfecit lex, vt inquit magnus in Lege & eximius in Euãgelio Apostolus, in omniũ experiẽtia cõstitutus. Ergo in generatione sua, & suis temporibus maior erat omnibus Ioãnes. Siquidem repugnaret sibiipsi Deus ad Solomonem quidem dicens, Sicut non fuit ante te, & post te non surget

qui sit similis tibi. De Ioanne autem, quòd non surrexerit inter natos ex mulieribus maior eo. Secundum legem maior erat & absolutior omnibus. Præstantiores autem sunt Apostoli. Non enim, inquit Dominus, quòd non surrecturus sit maior eo: sed quòd non surrexit, tanquam suis temporibus. Ante vtrosque autem illos inquit ad diabolum Deus, Num obseruasti mēte tua seruum meum Iobum, quoniam non est super terram homo sicut ipse? Et ad Mosem inquit, Noui te præ cunctis hominibus, & inuenisti gratiam coram me. Sicut igitur magnus quum esset suis temporibus Enochus trāslatus est, & sicut Noa iustus erat suis temporibus, in arca cum octo seruatus, mundo per diluuium submerso: quemadmodum item magnus erat Lothus, qui solus conseruatus est incensa Sodomorum pentapoli: ita & Ioannes maior omnibus fuit secundum legem suis temporibus. A. De quibúsnam dicit Dominus, Amen dico vobis, sunt quidam hic stantium, qui non gustabunt mortem, donec viderint filium hominis venientem in gloria sua? Quidam enim dicunt de Ioanne Theologo ipsum loquutum fuisse, quòd non moriatur vsque ad secundum aduentum Christi. B. Quum iam instituisset se comitantes discipulos, vt mortem contemnerent, & fortiter se expedirent ad subeunda pro ipso pericula: ipsorum abscondita ingreditur, & inueniens ipsos adhuc claudicantes, efficere conatur, vt tandem abiicerent, quæ ab ipsis anxiè expectabantur, excitans & vngendo quasi parās ipsos promissione beatæ vitæ ad magnanimam cum ipso vsque ad mortem vnionem. Cernebat enim ipsos inconstantes, velut arundines vento quassatas, id quod etiam Iudas ille ante necessitatem, aut persequutionem aliquam flagellationēque, veritus futura, & auaritiam sequutus, & impetu spiritus semetipsum amantis captus declarauit, qui Dominum vendidit. Eodem item passionis tempore, qui Ballilam extimescebat, summus ille Apostolus ter cum iureiurando Dominum abnegauit, licet mox lachrymarum medicinam adhibuerit. Vtque summatim omnia dicam, ad palum crucis ipso eunte, spiritus timiditatis in ipsis confractus, omnes vsu fugæ sibi consulere fecit, permisitque prius ipsum interfici, quàm prædicarent ea, quæ ipsum concernebant. Ideo & his qui comprehendebant ipsum, inquit: Si me quæritis, sinite hos abire. Proinde quum præsciret ipsorum perturbationem fluctuationémque obfirmat ipsos promissione, eámque ex parte denudat, de tota perobscurè fidem faciens, cuius in præsentia quum non essent capaces, in terram propemodum semet abdebant. Assumptis enim post sex dies Petro, & Iacobo, & Ioanne in altum montis verticem, transformatus est coram ipsis, splenduítque facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius erant sicut lux, inquit diuus ille Matthæus. Hic igitur antequam gustaret mortem, conspexerunt filium hominis in gloria sua, sicut ipsis antea promiserat. Ac tametsi non apparuerit nuda diuinitas, sed vnita membris nostris: in terram tamen ipsos deiecit intolerabili vultus splendore, docens ipsos, quòd si voluisset Christus apparere sicut est, omnia prorsus colliquefacta fuissent ad comprehendendum intolerabili adspectu, instar ceræ propinquitate solis liquescentia. Exhibuit autem eis Mosem & Heliam, duos illos eximios iustorum proceres secū colloquentes, ostendens se non modò super terram, sed & iam sub terra constitutis dominari: & non tantùm quatriduo, vt Lazarum, aut eodem die mortuos, vt filium viduæ: sed etiam ante mille annos extinctos, & eos qui à sæculo interierunt, & in puluerem soluti sunt, mandato suo coram se sistere viuos & valentes posse. Facit autem ista ante passionem & resurrectionem, demonstrans non illud se per patientiam & fortitudinem tanquam testimonio probatum à patre habere in omnia imperium, sed propriæ potestatis esse. Ideo diuersis modis, & aliter atque aliter vita defunctos sibi sistit, ostendens ante sepulturam & resurrectionem se viuis & mortuis imperare, qui Mosem quidem communi omnibus morte de vita sustulisset, Heliam autem igneis quadrigis velut in cælos ad inuisibilem terræ locum transtulisset: illum quidem ab inferis reductum, hunc autem ex viuentium regione, quæ illis suscipiendis deputata est, vocatum, in oculi momēto ad se statuit. Adhuc autem ipso colloquente cum eis, inquit magnus ille Matthæus, ecce nubes lucida obumbrauit ipsos, & è nube vox audita est, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Porrò patre per nubem ita mandante, mox illi viri sancti discesserunt: qui verò sub intolerabili

nube

A nube sese occultauerant, fecerunt, vt qui stabat transformatus, solus appareret filius ille germanus, dilectus, consubstantialis, cum fiducia cum patre colloquens. Nam ad diuinum & regale silentium conueniebat alios quidem famulorum (secedere) adductos autem præterire, & tacere atque venerari silentium. Non gustauerunt ergo mortem, donec viderunt filium hominis in gloria sua. Non vt erat, sed vt cernebant, idque tres tantùm ex cœtu sacro perspicaciores & præstantiores. Inquit enim Dominus. Sunt quidam hic stantium, non omnes, qui non gustabunt mortem, donec viderint regnum Dei, quo obscurè tantum viso propemodum vitam amiserũt. Ioannes igitur & omnes Apostoli, & prophetæ è vita excesserunt præter Enochum & Heliam, qui soli adhuc in carne esse perhibentur, paulo pòst etiam ipsi interficiendi. *A.* Et quomodo Petro de Ioanne Euangelista dicit Dominus, Quòd si voluero

B ipsum manere donec venio, quid ad te? Id quod indicat ipsum viuere vsque ad consummationem. *B.* Ipse Ioannes in Euangelio suo id circa finem declarauit, dicens: Et quum hoc dixisset, dicit ei, hoc est Petro, Sequere me. Conuersus autem Petrus videt discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui idem & in cœna recubuit super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui prodit te? Hunc videns Petrus, dicit ad Iesum: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus, Si ipsum voluero manere donec venio, quid ad te? Quandoquidem enim ipsos piscantes offenderat, Petrum admonuit, vt se sequeretur. Volebat autem ille & condiscipulum vnà cum ipsis proficisci, dicítque ad Iesum: Domine, hic autem quid? quem indicare volens Iesus, debere apud mare manere, inquit: Si voluero ipsum manere donec venio, quid ad te?

C

CÆSARII V. C.

DIALOGVS QVARTVS,

& idem vltimus.

A.

CVPIMVS ex te discere, quomodo intelligatur parabola fermenti. Non enim parua nobis heri de hac quæstio fuit. *B.* Dupliciter mihi videtur intelligẽda ea parabolica oratio. Verùm ipsa primùm recitata, deinde con-

D siderationem eius inferamus. Simile est regnum cælorũ fermento, quod acceptum mulier prudens abscondit in farinæ sata tria, donec fermentatum est totum. Fermento mihi videtur doctrinam & fidem in se comparare Dominus, mulieri autem Ecclesiam suam, quam & dilexit, quemadmodum inquit diuus Apostolus, Farinæ verò sata tria, tres Noæ filios, Semum, Chamum & Iaphetum, ex quibus solis post diluuium omnes prodierunt gentes, quæ nunc in Ecclesia congregantur, quibus doctrina prædicationis & fides veluti fermentum immista, totam gentium farinam, quæ constat ex tribus Noæ satis ratione præditis, fermentauit ad cultum Dei. Quòd si aliter dicta audire placet, fermentum intelligatur venerandum & diuinum corpus Dei, quod in vtero intactæ virginis sibi circumdandum formauit, absque semine contextus, & vnitus tam animæ quàm corpori. Præterea mulier pru-


E dens esse meritò ipse intelligatur, sanctus ille ac viuus, pérque se subsistens Deus Sermo, propter femininam appellationem. Christus enim Dei potentia, & Dei sapientia est, inquit diuus Apostolus. Farinæ autem sata tria, primùm quidem vniuersa mortalium natura, deinde mors, postea orcus: in quo absconditum per sepulturam diuinum corpus, fermentauit omnia in resurrectionem & vitam. Audi etiam alio modo, esse tria sata, baptismum, Euangelia, mysteria. Aliter item intelligantur Apostoli, vates & doctores. Et aliter, præterita, præsentia & futura. Non enim propter præsentes incarnatus (iis solis) profuit, sed & præcedentes à morte resuscitauit, & posteris spem resurrectionis vitámque donauit, propter quod à mortuis suscitatus, secum quosdam resuscitauit, & ipse quidem cælos est ingressus,

illos autem in regionem viuentium transtulit, vbi Enochus & Helias sunt, non amplius morituros. *A.* Quandoquidem nulla nobis interpretationum diuinæ scripturæ satietas est, sed semper eas audire desideramus: declara nobis parabolam sagenæ: multam & tibi mercedem contrahens, & nobis vtilitatem. Dicit enim Dominus, Beatus qui fecerit & docuerit vnum præceptorum istorum: rursúsque qui silentio defoderat acceptum ab ipso talentum sermonis, impunitum non reliquit. *B.* Germana mihi videntur prioribus etiam ea, quæ in hac parabola dicta sunt. Simile enim est regnum cælorum sagenæ in mare proiectæ, & ex omni genere contrahente. Quam quum impleta esset, retractam in litus, sedentes collegerunt bona in vasa, putrida autem foras eiecerunt. Euangelicum statum mihi videtur repręsentare sagena, quam acceperunt Apostoli diuini, postquam ipsis dixisset Dominus: Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum. Irrationalium enim piscium plerique ipsorum fuerant captatores. Hi nexas & contractas ex Veteri & Nouo testamento sagenas demiserunt, & velut in mari, in præsenti vita, rationales pro ratione carentibus in retia concludentes, hactenus ex omni genere contrahunt, tam malos quàm bonos, iustos & peccatores, concludentes eos diuina sagena prædicationis, & absque discrimine adhuc in mari laborant viri sancti, tam littera quàm spiritu. Nam corpore à plerisque absunt. Id autem eximius inter vates Esaias iam ante quingentos annos exclamauit: Vnà cum agno pascetur lupus, & cum hœdo conquiescet pardalis, & bos & asinus vnà paleas comedent, & vitulus & leo vnà pascentur, & puer paruus ducet ea: nullam separationem spiritualis cœtus fore significans. In eo enim simul rebus diuinis pascimur, tam raptores quàm homicidæ, mansueti & immites, à paruo puero ducti, de quo alibi idem inquit: Puer natus est nobis, & vocabitur nomen eius Deus fortis, dominator. Quando verò consummationis tempus aduenerit, retrahunt eam in litus, & secundum nutum Christi vnà cum angelis separationem eorum quæ insunt facientes, flagitiosos ex medio iustorum segregabunt. *A.* Quid significat Dominus, Petro mandans, vt abeat & hamum mittat, & aperto ore piscis primùm egressi, inuentum staterem det pro se & illo, iis qui exigunt censum & didrachma? *B.* Non extra duplicem sensum etiam ista mihi dicta videntur. Staterem enim, quem Petrus ex profundo in pisce accipere iussus est hamo, nostrã formam puto, quæ velut in profundo, vtpote in hac vita contecta affectibus, & submersa fluctibus peccati, fluctuat. Sin minus hoc, eam detentionem nostri, quæ in orco per mortem facta est, quam in semetipso ad primum exemplar Dominus reuocat, pro se & Petro dari staterem iubens, tanquam nostri similis homo factus, nostris affectibus obnoxius, & ad dandum tributum requisitus, excepto quòd vitiositati non cessit, nec obsequens factus est, vel declinans ad deterius. Pro se autem & Petro staterem præbens, pro Ecclesia voluntarius patitur. Dicit enim ei: Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo meam Ecclesiam. Per semetipsum autem docet ipsam. Ædificatio enim animarum, rerum diuinarum institutio est, lapidem habens in caput anguli primarium magistrum omnium, nempe Christum, de quo inquit carminum ille diuinorum auctor: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, per legem nimirum Iudæi, hic factus est in caput anguli. Et rursus idem in persona lapidis inquit: In capite libri scriptum est de me. Id quod Ioannes reuelauit, dum clamat, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, videlicet carni vnitum, & per semetipsum erudiens eum per illa, quæ de pisce dicta sunt & de statere, neque regi neque principi resistẽdum, citra noxam aliquid præcipienti, sed æquo animo se tributo summittendum. Simul & Deum se his ipsis demonstrauit. Vnde enim ipsi cognoscere licuisset, si homo erat, secundum temulentiam eorum, qui ipsius diuinitatem impugnant, quòd piscis in profundo staterem haberet in ore, & quòd non in carne, sed in ore teneretur? Deinde, quòd primus ille ad hamum esset adducendus? & num sua sponte piscis accedens ad hamum veniret, sicque Dei esset, vtpote qui prædixisset capturam animalis staterem in aperto ore tenẽtis? Si verò, quod verius est, inuisibili diuinitatis virtute duxit ipsum ad hamum, is verè fuit, qui ceto præcepit, vt susciperet quidem Ionam, illæsum autem custodiret in profundo, sicque saluum & incolumem in terram rursus eiiceret. Siquidem

A piscis ille statere (iacente) in profundo accepto, ad laqueum natabat, & primus ipse Deus est, qui eum præmonstrauit. Quid enim inquit? Piscis primus omnium sui generis capietur? Vel quod potius & magis est consentaneum, ipsius necessitatis tempore is qui omnia ex nihilo produxit, facto statere, ipsum in piscem natatilem imposuit, & ad piscatorē flexit, qui quidem manifestè ille est, qui Petro præcepit hamum in mare iacere, de quo rex ille simul, & diuinorum carminum auctor inquit: Deus noster in cælo, & in terra, & in marinis, & in omnibus abyssis, quæcunque voluit fecit. *A*. Quid Dominus volens, ficum arefecit, & exsecratus est eam, ne amplius fructum ferret in æternum? Non enim id præter aliquod consilium fecit. *B*. Ne simpliciter ipsum exsecratum esse & arefecisse arborem eam quisquam putet. Nam per id docere voluit, quòd Deo repugnantem synagogam Iudęorum etiam punire possit, sed tanquam bonus non velit. Nam quum ipsum à nemine pœnas exigere cer-
B nerent, existimabant ipsum tantummodo posse benefacere, non autem punire. Per inanimatam igitur naturam persuadet inimicæ Deo synagogæ, quòd & punire velit, sed adhuc dum toleret, ac arefaciat ficum inanimam, simúlque vt aridam faciat impiam synagogam, demonstrat ei sterilitatem, quò viderent (suam) sterilitatem & desolationem, quódque non mansurus esset lapis super lapidem. Vt autem ea ficus naturales (fructus non ferebat, ita) neque synagoga legales. Punitur itaque inanimata, vt proferat fidei fructum impia. Quis enim ignorat, etiamsi vel ab ineunte ætate ac teneris vnguiculis in aulis regum vixerit, & ignarus agriculturæ sit, ficum per hiemem fructum non habere? Verum vt dixi, vice imaginis ea arbore vsus est plurium gratia. Primùm quidem ostendit, quòd possit vel etiam in præsenti vita malos afficere supplicio, sed etiamnum cohibeat potentiam, concedēs vnicuique tempus
C ad resipiscentiam, quemadmodum inquit Tragicus ille diuinus: Deus iustus est iudex, fortis & longanimis, nec inducit iram cottidie. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: vltricem vim per hanc vocem indicans. Nam illud verè est Dei, arefacere verbo lignum viride, & ex arido rursus facere lignum viride, vt inquit Ezechielus ille spectator Cheruborum. Et qui arefecit ficum mādato, idem mille annis ante suam secundum nostram naturam natiuitatem, aridum & inanimatum Mosis baculum in manu detentum, confestim in colubrum animauit, ad cuius assilientis aspectum torpens ille vir diuinus, refugere tentabat, nisi mox qui viuificauerat ipsam, rursus virgam demonstrasset. Inquit enim ad ipsum is, qui de Lazari sepultura quærit: Quid hoc est, quod est in manu tua? Ille verò respondebat, Virga. Rursúsque vox Dei inquit, Proiice eam abs te super terram. Proiecta verò coluber fiebat,
D assistens ei qui proiecerat. Illo autem recedente, dicit ei Deus, Extende manū tuam, & apprehende caudam eius: quo facto, restituit animal in id, quod erat ante mutationem. Quemadmodum & iis, qui ad Lazarum vinctum pertinebant, inquit, Soluite ipsum, & finite abire. Quibus verbis illum valetudini restituit, postquam corruptus erat & fœtebat, vt esset id, quod antequam mortem gustasset erat. Similiter & aridum foliorúmque viriditate carentem Aaronis baculum sine labore & absque humore, terræve complexu, in vna nocte folia & baccas producere fecit, quo facto sacerdotij exhibuit illi demōstrationem. Idem verò qui eam virgam virore circumdedit absque plantatione, semetipsum incorporauit absque copulatione. Egreditur enim virga de radice Iessea. Iesses autem homo erat, pater magni Dauidis. Necesse igitur erat ex animata radice, etiam animatam intelligere virgam, de qua lo-
E quitur magnus ille Esaias. Quæ diuinus reuelauit Apostolus, disertè clamans: Habemus pontificem magnum, qui penetrauit cælos. Hic autem Hierosolymam veniēs, haud ita longo tempore post, pro nobis crucem sponte sua subit, simul nudo verbo confestim arborem arefacit: ostendens quòd ille ipse sit, qui eam & nasci iusserit, & quòd præcipere possit ligno crucis vt fulmine feriat se affigentes, quódque patiatur affixus vt Deus, qualia patitur homo in carne. Euntibus autem ipsis Hierosolymam esuriit in via Iesus, & videns ficum, venit ad eam, quærens fructum, & non inuenit, quemadmodum inquit diuus Euāgelista. Figuratè autem intelligatur per viam præsens vita, quam viuens & sanctus ille Sermo ad similitudinem nostri natus corporaliter ambulat, & loca mutat, vbique diuinitus præsens. Intellectiliter autem esurie-

bat nostram salutem, præcipuè verò Iudæorum. Venit ad ficum, vtpote ad synagogam, quærens ex ea non sensiles ficus, sed intellectilem ex lege ac prophetis, dulcémque fœcunditatem. Nam consimiliter vt in ficu grana insunt, ita in synagoga diuina præcepta, de quibus anima participans dulcescit. Sed non inuenit Iesus fructum in ea, nisi folia tantum legalium & propheticorum instrumentorum, eáque per transgressionem mandatorum diuinorum veluti folia ficus à Iudæis in irrationalem naturam conuersis conculcata. Iumentum enim libris onustum est interfectrix Domini synagoga. Quæ regem quidem sustulit, militem autem honorauit: à quo sæpius in captiuitatem est abducta, sæpe item serua & tributaria facta: quæ legit & non intelligit, quæ literam habet, & rem ignorat, quæ Testamentum habet, & à recta legis obedientia longè abest. Cuius solus Christus maritum se appellari volens, qui sciret ipsam aliis adhærentem, dicit per Oseam prophetam: Ipsa non vxor mea, & ego non eius maritus. Alius verò vatum caussam indicans, clamat: Isti non perstiterunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus omnipotens. Exheredata est igitur sterilis ficus, immò verò synagoga, quam propter adulterium sermo pietatis abnegat, & ab hereditate lex arcet. *A.* Quia tua eloquentia satiari non possumus, cupimus intelligere & molentium & molæ parabolam, & eam quæ de agro est, & de duobus, qui in eo sunt. Inquit enim in Euangelio Dominus: Tunc duo erunt in agro, vnus assumitur, & vnus relinquitur: duę molentes in mola, vna assumitur, & vna relinquitur. *B.* In vtrisque eadem euentura significantur tempore resurrectionis & secundi aduentus Christi. Agro quidem mundum comparat, quemadmodum ipse alibi inquit, quòd ager sit mundus, messores autem angeli. Molæ autem similem facit instabilem huius vitæ rotationem, & volubilitatem eorum quæ in eo fiunt, quæ velut molæ perpetuo motu, sempérque instabiliter circumcurrentia, & antequam molita sint, in nobis aliud ex alio (inuicem) alternant. In ea verò alternatim variatos, vel potius ab ipsa molitos, alios quidem assumendos, alios verò relinquendos, nos significat, quotquot ab Adamo in hodiernum vsque diem molunt. Atque horum alios quidem morte ablatos, alios autem adhuc relictos, in momento, in temporis puncto ad incorruptibilitatem esse transferendos, quemadmodum inquit eximius ille præco Apostolus: Ecce nobis mysterium: omnes quidem non obdormiemus, omnes autem immutabimur, in puncto, in momento oculi ad extremam tubam. Itaque qui mortui sunt, instar molæ accipiuntur: qui verò sunt residui, relinquuntur. Simul vocem edente & excitante tuba diuina eos, qui à sæculo obdormierunt, mox ille qui neque flectitur, neque muneribus corrumpitur, pręsidet iudex, vnicuique secundum dignitatem eorum, quæ in vita gesta sunt, retribuens: quemadmodum inquit diuus ille Apostolus, alios quidem secundum tolerantiam operis boni, & quæ sequuntur. *A.* De quibus inquit Dauides, Carbones accensi sunt in eo? *B.* Multis in locis sacræ scripturæ Deus ignis expers materiei cognominatur. Angelorum igitur chori & animæ iustorum propinquitate ad Deum per puritatem inflammati, carbones meritò appellantur, instar luminarium in mundo lucentes, verbum vitæ continentes. Duplicem enim scimus ignis vim & effectum, adurentem & illuminantem: verè quidem attingentibus illuminantem: contemptim autem & intrepidè adurentem. Nam immoderata eius propinquitas vrit, mediocris verò distantia illuminat. Plurimos enim incurabiles morbos cauterio reprimere solent periti medici. Licet Deus non perdat, sed aliter conflet & repurget à turpitudine in gestis vitæ contracta: siquidem per pœnitentiam ad curationem propensus est is, qui morbo tenetur. Sin autem infirmus ex hac lamentabili vita excesserit, vritur quidem, at non comburitur, sempiternè igne diuino cruciatus, in immortali deinceps & in incorruptibili corpore. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, & hoc mortale induere immortalitatem, vt reportet vnusquisque quod gessit per corpus, inquit eximius ille Apostolus. Itaque hic est tempus medicinæ, illic reddendæ rationis: hic sanitatis, illic supplicii: hic diuinæ longanimitatis tempus est, illic ineuitabilis & iusti iudicij. *A.* Quomodo intelligitur, cuius meminit Euangelium, securis infrugiferas arbores exscindens? *B.* Infru-

A *B*. Infrugiferum Iudæorum cernens voluntatis propositum Ioannes, infrugiferis arboribus ipsos assimilauit, ad radicem illorum positam securim denuntians, breuem & acutam viuentis verbi discretionem, qua omnis arbor non faciens fructum bonum, exscinditur, & in ignem proiicitur. Huc item tendit diuus Apostolus, qui inquit: Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio vtrinque incidente: dissectricem prædicationis virtutem significans. *A*. Quid Dominus significat, quum inquit: Cuius ventilabrum in manu eius, & repurgabit aream suam, & triticum quidem congregabit in horreum, paleam autem comburet igni inextinguibili? *B*. Ventilabrum mihi videtur incorruptum Dei iudicium, vnumquemlibet quasi per legem Dei ad congruentem sibi secundum gesta vitæ locum secernens. Aream autem intelligo vniuersorum populorum in terrarum orbe Ecclesiam, & ex mortuis vniuersorum hominum resurrectionem, in qua eos quidem, qui sunt instar
B paleæ, & instabiles, quouis vento peccati iactati, & leues & infrugiferi fuerunt, instar ventilabri decretum diuinum in ignem eleuat ad æternum incendium. Qui verò velut triticum nutritores proximorum fuerunt, & rectè virtutem perfecerunt, illos in horreum comportat conueniens, quod & mansionem salutarem appellat. Illic enim verè est mansio nostra. Nam præsens vita, non mansio nostra, sed tabernaculum esse mihi videtur, quod vnà cum fixione etiam destructionem habet. *A*. Per occasionem separationis te quæsumus vt dicas, quare Ecclesiarum sæpenumero & piorum hominum videmus casum & interitum per terræmotum, aut fulmen, aut per aliam indignationem accidere peccatoribus? *B*. Ex diuina Scriptura de istis docemur. Nam si diuinæ Arcæ non pepercit Deus, sed ipsam alienigenis tradidit cum sacerdotibus eius, qui iniquè egerant: & ciuitatem sanctam Hierosolymam solo æquauit: & Cherubos gloriæ propitiatorij sustulit, & stolam sanctam
C disrupit, diuináque charismata, & prophetiam & declarationem, & ephod & rationale, & ex auro puro laminam, arcanos habentem characteres, & reliqua sancti ministerij, gentibus tradidit in conculcationem & direptionem, tunc præualentibus impiis: ne nunc quidem suis templis parcit, neque in iis contentis ineffabilibus & incontaminatis mysteriis, timorem iniiciens offendentibus, vt seuerius exspectent supplicium, si in malitia perseuerauerint. Nam vlulet pinus, quoniam cecidit cedrus, inquit Hieremias. Hoc est, fortibus & sanctis sublatis, quæ in terra infirmiora sunt erudiantur. Quod itidem tradit hisce verbis peritus ille rerum diuinarum Solomo, Impiis cadentibus, iusti timidi fiunt. Non enim armorum cuspides, & galea, & thorax aut tibialia securam flagitiosis vitam præstabunt, prædatoribus & publi-
D cas vias obsidentibus. Multi enim captu difficiles putati, miserabiliter vita priuati sunt, apud nos quidem literis proditi, Orebus, & Zebus, & Zebeas, & Salmana, & Abimelechus & Goliathus, & Absalon, & quicunque similes illis fuere. Apud exteros autem, Hectores, & Aiaces, & ipsi qui propter fortitudinem inflati erant Lacedæmonij, quoniam non habebant cum robore coniunctam iustitiam. Itaque priusquam nos Deus hostibus tradat, aut Ecclesias concutiat, cum peccantibus propter suam iniustitiam certemus, & populum pro peccato, vallo pietatis armemus. *A*. Quid sibi vult Dominus dicens, vt beneuolentiam habeamus cum aduersario dum sumus in via cum ipso? Non enim semper nobiscum iter facientes habemus. *B*. Bona quidem & simplex & prompta est beneuolentia, ne succenseat, ne festinet ad vlciscendum eum qui læsit. Inquit enim ipse, Diligite inimicos vestros, benefa-
E cite iis qui vos odio prosequuntur, & orate pro deuouentibus vos, & nemini malum pro malo reddite, & quæcunque sunt huiusmodi. Habet autem hoc dictum duplicem quendam sensum, latentem eos, qui crassiore sunt intellectu. Potest enim & domi desidens, & procul ab vrbanis tumultibus remotus in extremis secessibus agens habere aduersarium. Itaque beneuolentiam cum aduersario habens, melius & acutius illum intelligere iubet, aduersarium quidem corporis appetitum aduersus spiritum diuinæ decentérque definiens, viam autem ipsam vitam innuens, à genere nostro inordinatè recedentem. Beneuolentiam verò velocem sensum corporeæ insurrectionis dicit, qui simul vt appetitus motus fuerit illico intelligere debet, & quasi freno diuino timore refrenare, ne quando si iisdem mandatis nos submisse-





bat nostram salutem, præcipuè verò Iudæorum. Venit ad ficum, vtpote ad synagogam, quærens ex ea non sensiles ficus, sed intellectilem ex lege ac prophetis, dulcémque fœcunditatem. Nam consimiliter vt in ficu grana insunt, ita in synagoga diuina præcepta, de quibus anima participans dulcescit. Sed non inuenit Iesus fructum in ea, nisi folia tantum legalium & propheticorum instrumentorum, eáque per transgressionem mandatorum diuinorum veluti folia ficus à Iudæis in irrationalem naturam conuersis conculcata. Iumentum enim libris onustum est interfectrix Domini synagoga. Quæ regem quidem sustulit, militem autem honorauit: à quo sæpius in captiuitatem est abducta, sæpe item serua & tributaria facta: quæ legit & non intelligit, quæ literam habet, & rem ignorat, quæ Testamentum habet, & à recta legis obedientia longè abest. Cuius solus Christus maritum se appellari volens, qui sciret ipsam aliis adhærentem, dicit per Oseam prophetam: Ipsa non vxor mea, & ego non eius maritus. Alius verò vatum caussam indicans, clamat: Isti non perstiterunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus omnipotens. Exheredata est igitur sterilis ficus, immò verò synagoga, quam propter adulterium sermo pietatis abnegat, & ab hereditate lex arcet. *A.* Quia tua eloquentia satiari non possumus, cupimus intelligere & molentium & molæ parabolam, & eam quæ de agro est, & de duobus, qui in eo sunt. Inquit enim in Euangelio Dominus: Tunc duo erunt in agro, vnus assumitur, & vnus relinquitur: duę molentes in mola, vna assumitur, & vna relinquitur. *B.* In vtrisque eadem euentura significantur tempore resurrectionis & secundi aduentus Christi. Agro quidem mundum comparat, quemadmodum ipse alibi inquit, quòd ager sit mundus, messores autem angeli. Molæ autem similem facit instabilem huius vitæ rotationem, & volubilitatem eorum quæ in eo fiunt, quæ velut molæ perpetuo motu, sempérque instabiliter circumcurrentia, & antequam molita sint, in nobis aliud ex alio (inuicem) alternant. In ea verò alternatim variatos, vel potius ab ipsa molitos, alios quidem assumendos, alios verò relinquendos, nos significat, quotquot ab Adamo in hodiernum vsque diem molunt. Atque horum alios quidem morte ablatos, alios autem adhuc relictos, in momento, in temporis puncto ad incorruptibilitatem esse transferendos, quemadmodum inquit eximius ille præco Apostolus: Ecce nobis mysterium: omnes quidem non obdormiemus, omnes autem immutabimur, in puncto, in momento oculi ad extremam tubam. Itaque qui mortui sunt, instar molæ accipiuntur: qui verò sunt residui, relinquuntur. Simul vocem edente & excitante tuba diuina eos, qui à sæculo obdormierunt, mox ille qui neque flectitur, neque muneribus corrumpitur, pręsidet iudex, vnicuique secundum dignitatem eorum, quæ in vita gesta sunt, retribuens: quemadmodum inquit diuus ille Apostolus, alios quidem secundum tolerantiam operis boni, & quæ sequuntur. *A.* De quibus inquit Dauides, Carbones accensi sunt in eo? B. Multis in locis sacræ scripturæ Deus ignis expers materiei cognominatur. Angelorum igitur chori & animæ iustorum propinquitate ad Deum per puritatem inflammati, carbones meritò appellantur, instar luminarium in mundo lucentes, verbum vitæ continentes. Duplicem enim scimus ignis vim & effectum, adurentem & illuminantem: verè quidem attingentibus illuminantem: contemptim autem & intrepidè adurentem. Nam immoderata eius propinquitas vrit, mediocris verò distantia illuminat. Plurimos enim incurabiles morbos cauterio reprimere solent periti medici. Licet Deus non perdat, sed aliter conflet & repurget à turpitudine in gestis vitæ contracta: siquidem per pœnitentiam ad curationem propensus est is, qui morbo tenetur. Sin autem infirmus ex hac lamentabili vita excesserit, vritur quidem, at non comburitur, sempiternè igne diuino cruciatus, in immortali deinceps & in incorruptibili corpore. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, & hoc mortale induere immortalitatem, vt reportet vnusquisque quod gessit per corpus, inquit eximius ille Apostolus. Itaque hic est tempus medicinæ, illic reddendæ rationis: hic sanitatis, illic supplicii: hic diuinæ longanimitatis tempus est, illic ineuitabilis & iusti iudicij. *A.* Quomodo intelligitur, cuius meminit Euangelium, securis infrugiferas arbores exscindens? B. Infru-

A *B*. Infrugiferum Iudæorum cernens voluntatis propositum Ioannes, infrugiferis arboribus ipsos assimilauit, ad radicem illorum positam securim denuntians, breuem & acutam viuentis verbi discretionem, qua omnis arbor non faciens fructum bonum, exscinditur, & in ignem proiicitur. Huc item tendit diuus Apostolus, qui inquit: Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio vtrinque incidente: dissectricem prædicationis virtutem significans. *A*. Quid Dominus significat, quum inquit: Cuius ventilabrum in manu eius, & repurgabit aream suam, & triticum quidem congregabit in horreum, paleam autem comburet igni inextinguibili? *B*. Ventilabrum mihi videtur incorruptum Dei iudicium, vnumquemlibet quasi per legem Dei ad congruentem sibi secundum gesta vitæ locum secernens. Aream autem intelligo vniuersorum populorum in terrarum orbe Ecclesiam, & ex mortuis vniuersorum hominum resurrectionem, in qua eos quidem, qui sunt instar B paleæ, & instabiles, quouis vento peccati iactati, & leues & infrugiferi fuerunt, instar ventilabri decretum diuinum in ignem eleuat ad æternum incendium. Qui verò velut triticum nutritores proximorum fuerunt, & rectè virtutem perfecerunt, illos in horreum comportat conueniens, quod & mansionem salutarem appellat. Illic enim verè est mansio nostra. Nam præsens vita, non mansio nostra, sed tabernaculum esse mihi videtur, quod vnà cum fixione etiam destructionem habet. *A*. Per occasionem separationis te quæsumus vt dicas, quare Ecclesiarum sæpenumero & piorum hominum videmus casum & interitum per terræmotum, aut fulmen, aut per aliam indignationem accidere peccatoribus? *B*. Ex diuina Scriptura de istis docemur. Nam si diuinæ Arcæ non pepercit Deus, sed ipsam alienigenis C tradidit cum sacerdotibus eius, qui iniquè egerant: & ciuitatem sanctam Hierosolymam solo æquauit: & Cherubos gloriæ propitiatorij sustulit, & stolam sanctam disrupit, diuináque charismata, & prophetiam & declarationem, & ephod & rationale, & ex auro puro laminam, arcanos habentem characteres, & reliqua sancti ministerij, gentibus tradidit in conculcationem & direptionem, tunc præualentibus impiis: ne nunc quidem suis templis parcit, neque in iis contentis ineffabilibus & incontaminatis mysteriis, timorem iniiciens offendentibus, vt seuerius exspectent supplicium, si in malitia perseuerauerint. Nam vlulet pinus, quoniam cecidit cedrus, inquit Hieremias. Hoc est, fortibus & sanctis sublatis, quæ in terra infirmiora sunt erudiantur. Quod itidem tradit hisce verbis peritus ille rerum diuinarum Solomo, Impiis cadentibus, iusti timidi fiunt. Non enim armorum cuspides, & galea, & thorax aut tibialia securam flagitiosis vitam præstabunt, prædatoribus & publi-D cas vias obsidentibus. Multi enim captu difficiles putati, miserabiliter vita priuati sunt, apud nos quidem literis proditi, Orebus, & Zebus, & Zebeas, & Salmana, & Abimelechus & Goliathus, & Absalon, & quicunque similes illis fuere. Apud exteros autem, Hectores, & Aiaces, & ipsi qui propter fortitudinem inflati erant Lacedæmonij, quoniam non habebant cum robore coniunctam iustitiam. Itaque priusquam nos Deus hostibus tradat, aut Ecclesias concutiat, cum peccantibus propter suam iniustitiam certemus, & populum pro peccato, vallo pietatis armemus. *A*. Quid sibi vult Dominus dicens, vt beneuolentiam habeamus cum aduersario dum sumus in via cum ipso? Non enim semper nobiscum iter facientes habemus. *B*. Bona quidem & simplex & prompta est beneuolentia, ne succenseat, ne festinet ad vlciscendum eum qui læsit. Inquit enim ipse, Diligite inimicos vestros, benefa-E cite iis qui vos odio prosequuntur, & orate pro deuouentibus vos, & nemini malum pro malo reddite, & quæcunque sunt huiusmodi. Habet autem hoc dictum duplicem quendam sensum, latentem eos, qui crassiore sunt intellectu. Potest enim & domi desidens, & procul ab vrbanis tumultibus remotus in extremis secessibus agens habere aduersarium. Itaque beneuolentiam cum aduersario habens, melius & acutius illum intelligere iubet, aduersarium quidem corporis appetitum aduersus spiritum diuinæ decentérque definiens, viam autem ipsam vitam innuens, à genere nostro inordinatè recedentem. Beneuolentiam verò velocem sensum corporeæ insurrectionis dicit, qui simul vt appetitus motus fuerit illico intelligere debet, & quasi freno diuino timore refrenare, ne quando si iisdem mandatis nos submisse-

rimus, & indigna fecerimus superna vocatione, tradamur ab illis iudici, quando venerit ad retribuendum vnicuique secundum dignitatem eorum, quæ in vita gessit. A Ne igitur promissionem litteræ sufficere putemus ad salutem neglecto opere, neque per tactum incontaminati sacrificij appropinquare Deo nos imaginemur. Nam facere quàm loqui Deo conuenientius esse, Deus demonstrat. *A.* Quid est, quod dicit Dominus, Quòd si dexter oculus tuus offendit te, erue ipsum, & proiice abs te, & si dextra tua manus offendit te, amputa eam, & proiice abs te? *B.* Oculo & manui dexteræ, Christus oculus nulli somno succumbens, & dextera Dei & patris, propinquitatem consanguineorum, vel etiam amicos accommodos meritò assimilauit, per quos quæ mandata sunt facimus non aliter quàm corporis membris, ad omnem ipsis cooperationem vtentes, & vnà cum ipsis nos mouentes. Quando itaque aliquis eorum nobis auctor scandali sit, peccato inuoluens & nobis quidem conuicium, sibi autem ignominiam adfert & opprobrium, mox illum exscindere & domo pellere procúlque à nobis abiicere diuinus homo præcipit, ne quando instar pestis depascatur corporis erectum robur bene habētibus & sanis suam ipsius odoratus maleuolentiam. Ne igitur prætextu philosophiæ veram philosophiam quæ Christus est despiciamus, qui immobilem & nullam adulationem admittentem requirit animum. Inquit enim Paulus vera sapientia plenus: Christus Dei sapiētia est, non sermonem tantum, sed & vitam ornans. *A.* Quid significat Dominus, quū nos similiter vt maledictus serpens sapere iubet, dicens: Estote prudentes vt serpentes, & simplices sicut columbæ? *B.* Prudētes nos esse vult Dominus vt serpentes, in omni periculo aut tentatione caput conseruantes, quod est Christus, quemadmodum inquit Apostolus. Serpens enim difficulter comprehensus totum quidē percutienti corpus exhibet, caput autem illæsum custodire conatur. Et quieti se tradens & dormiens, semetipsum rotans, mediū intra totum corpus caput communit veluti muro consequenti tractu circumuallans ipsum. Sed & vetustatem sapienter exuit, ac in angusto aliquo ingressu compressus, senium deponit. Vult igitur & nos per angustam & laboriosam viam pressos veteri homine exui, & nouo vestiri, qui sit secundū ipsius imaginem renouatus. Adhæc etiam illius versutiam in meliori imitari, & quemadmodum ille adulando nos in lapsum & transgressionem seduxit, ita & nos astutè proximis accedentibus suggeramus quæ sunt fidei, reducamúsque rursus & coniungamus Deo. Totum itaque corpus iis, qui propter Christum flagellant, ad dilacerandum exhibentes, caput illæsum omni robore seruemus, quod est fides nostra in Christum. Neque item cœtu sacro bene habente & tranquillè agente illam negligamus virtutum intentam operationem, pallium & barbam & baculum sufficere nobis ad perfectionem angelicæ conuersationis arbitrantes, instrumentis vitæ nos instituentis instantes, luctam autem & pugnam deserentes, ex qua prouenit victoria ei qui obsequitur, qui armatus est thorace, sermone fidei. *A.* Postquam nobis bene, quæ serpentem concernunt, recensuisti, cupimus & de columba audire, cur ipsam serpenti coniunxerit, simplicem & absque malitia ipsam esse significans? B. Quandoquidem prudens quidem fuit serpens, at non in bonum, coniungit Dominus prudentiæ innocentiam & simplicitatem columbæ, sic prudentiam commendans, vt prudentes quidem simus, sed simpliciter & innocenter, non serpendo & humi reptando instar serpentis, sed in cælestibus ad Deum subuolantes. Este prudentes inquit Dominus, vt serpens aduersus vos, ita & vos aduersus ipsum prudenter agite. Sicut ille vos è beata vita, ita & vos ipsum è vestro consortio eiicite. Et simplices & innocentes erga proximos sicut columba, nulli mortalium retribuentes mala. Tradunt enim præ cunctis auibus cæterísque degentibus in aëre innocentem columbam esse, neque folliculum habere, qui est bilis organum. Præterea virtutis & malitiæ in duobus animalibus istis principia inuenimus, quum conueniens singula instrumentum habeant. Malitiam quidem velut grauem & humi reptantem serpentémque in simili esse: virtutem autem velut diuinam atque cælestem in aue cælum permeante apparentem, Dei in humanum genus benignitatem prædicantem. Constat enim, quod per diuinum spiritum virtutes in mortalibus efficaces sunt.

B C D E

A sunt. Id quidem olim in ea quæ ex arca diuina à Noa emissa columba factum, quæ ad diuinum illum virum reuersa est, ramum oliuæ cum foliis ferens. Per ramum quidem lignosam legem, per pingue folium autem semper virentem Euangelii doctrinam ferens. Nam omnes gentes complexæ ecclesiæ nostræ imago fuit omnigena Noæ Arca, innatantis pelago, fluentis, & instabilis huius vitæ: vndique procella tentationum circunfusa nostra ecclesia. Per serpentem paradiso excidimus, per columbam spiritus, in cœlos subducti sumus. In huius quippe forma Spiritus sanctus omnium virtutum apex in Iordane super Iesum deuolauit. Illum quidem filium naturalem & non adoptiuum demonstrans, nobis autem simplicitatem & innocentiam afferens. Ne ergo simpliciter vt serpens ad seducendum homines prudentes simus, sed ad benefaciendum rectè sapiamus. Inquit enim be-
B neuolus ille præstantique mente præditus Apostolus: Non ad sapiendum modò, sed ad rectè sapiendum. Et rursus idem, Volo autem vos sapientes quidem esse ad bonum, simplices autem ad malum, neque laudibus elati sitis & inflati, neque vituperiis deiecti & animo concidentes. Non enim potest verbis læsus & obtrestans, & in iram intolerabilem erumpens operarius fieri Dominicæ vineæ. Eum namque qui in vnam percussus maxillam, etiam alteram præbet, definit qui pondus diei præsentis sæculi & æstum in eo tentationum fortiter ferat Dominus, tanquam omne opus laboriosum sui mandati promptè impleuerit. Nec enim ipse tempore spontaneæ passionis à famulo percussus vindicauit, cui ab innumeris angelis ministrabatur. Ad quem contendens à Iudæis quinquies quadragenis vna minus plagis affectus, mansuetè suscepit, longanimitatem docens similem Deo
C virtutem verè nominatam, cuius qui particeps est, ab iracundia procul abest. Quandoquidem igitur omnimoda virtus Deus est, meritò longanimis appellatur, tanquam ab animositate longè distans. Quam etiam externæ disciplinæ sectatores honorarunt. Socrates quidem Atticorum dogmatum legislator, percussus non vindicauit. Antisthenes autem à quodam conuiciatore in faciem percussus, quum nihil dixisset abiit, solo percussoris nomine fronti inscripto, ne insanum vel ebrium suspicarentur ipsum ii, qui viderant. Epicteti verò crure à moroso domino conuulso, multis philosophis silentii & in periculis occasio doctrinæ fuit. Is enim, qui philosophiæ operam dederat, dominus heri sui demonstratus est. Ne igitur deficiamus contumeliis affecti, sed nostri omniúmque opificis vestigiis ingredientes, etiamsi seruus alienus fuerit, qui alapam impegerit in diuinum verbum, etiam nos dicamus ei: Siquidem malè loquutus sum, testare de ma-
D lo, sin bene, cur me cædis? Sic enim magnanimitate veluti sagitta aduersarius vulnerabitur, & mutata præpropera linguæ sententiæque temeritate, gratiam tibi habebit tanquam auctori traditæ in melius mutationis. Non queruli simus aut deficiamus ad minores labores, siquidem magna præmia appetimus, sed & maiores amemus, tanquam aliàs denarium non reportaturi, nisi perfectionis laborum testimonium habentes. Non sunt autem pares passiones præsentis temporis ad gloriam quæ reuelabitur, inquit qui plurima propter Christum passus est, omniáque propter ipsum præsentia pro quisquiliis habuit eximius ille Apostolus. *A.* Quid est quod dicit Dominus, Exiuit qui seminabat ad seminandum, & alia quidem ceciderunt iuxta viam, alia verò in loca petrosa, alia autem in spinas? Et quæ iuxta viam quidem, venerunt volucres cœli, & deuorarunt. Quæ autem in petro-
E sa, propterea quòd terræ profunditatem non habebant, neque radicem, postquam exorta sunt, exaruerunt. Quæ verò in spinas, vnà suffocata sunt: & quæcunq; de his sermo prosequitur. *B.* Exiuit qui seminabat ad seminandum. Exiuit à patre Christus, ante sæcula Deus. Hic enim est sator salutis nostræ. Semen autem ipsius, diuinus & viuificus sermo. Aruum vniuersa humanitas. Boues Apostoli, aratrum, crux: iugum, concordia: iugatio dulcis dilectio, colligans & subdens sanctorum ceruices. Exiuit qui seminabat ad seminandum, non triticum, aut hordeum, non aliud aliquid terrenorum, vel si qua insuper alia: sed fidem in patrem, & filium & sanctum spiritum, spem resurrectionis, & dilectionem in Deum & proximum non simulatam. Exiuit sator Christus, habẽs iuga Apostolos, vt inquit Esaias, Non enim

per decem iuga boum fecerunt amphoram vnam. Decem autem iuga boum rationalia, A
sacrum cœtum Apostolorum significant, duodecim quidem ante passionem: septem
item cum Stephano post diuinam resurrectionem à duodecim electorum. Vigesimum
autem eum qui ex cœlis audiuit, Saule Saule, quid me persequeris? qui rursus pro eo
quem persequutus fuerat aduersus contribulem Israëlem in aliam aciem transcribitur,
& ad bellum vicissim armatur. Illi itaq; rationales satoris illius viginti boues, mor-
talium effoderunt animale aruum, per Christum disseminauerunt vnicuiq; sub Sole
eam quæ est in ipsum fidem, facta tota terrena massa nostra amphora vna, capace di-
uinarum misturarum & sanguinis & aquæ, effusorum in cruce per apertionem lanceæ
ex vase fictili diuini corporis. Ipse enim sator, ipse figulus nostræ massæ Christus:
qui ante incarnationem quidem nos ex nihilo creauit, contaminatos autem & inde
deterioris capaces factos, per mortem contritos refingit, & per perseuerantiam in poste- B
rum efficit nullius malitiæ capaces. Ipse siquidem absq; mistione & absq; confusione
contemperatur cum figmento, & immortales facit nos apparitione nostrorum, &
aspectu secundum naturam nostram. Atq; ipse fictile vas est quod ex nostra testa secun-
dum carnem factum est, habens viuentem & salientem aquam suæ diuinitatis, quod ve-
luti ferens Ioannes per prædicationem baptismatis, clamabat, conspecto Iesu: Ecce
agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi, cruce & profusione sanguinis & aquæ.
De quo item ipse Iesus interrogatus à discipulis, vbi ipsi pascha legale pararent, in-
quit: Abite in ciuitatem, & occurret vobis homo fictile vas aquæ gestans, ei dicite, Ma-
gister dixit, Apud te facio pascha cum discipulis meis. Et ostendet vobis cœnaculum
stratum magnum, & illic parate. Atq; facta quidem sunt hæc sensiliter. Intelligantur
autem figuratè, homo quidem gestans fictile vas aquæ, Ioannes Baptista, prædicans C
pœnitentiæ baptismum & baptizans. Ciuitas autem superna Hierusalem, cuius ciues
Ioannes & cætera iustorum & sanctorum turba. Cœnaculum verò stratum splendi-
do lapide cœlum, animalibus quibusdam & formis varietate astrorum figuratum, ad
cuius similitudinem regale apud nos pauimentum lapidum varietate stratum. Quòd
autem bobus Apostolos comparauit propheta, manifestè demonstrat Paulus diuini vi-
cenarii præcipuus, dicens: Scriptum est, Non obligabis os boui trituranti. Rursusq;
infert, Num boum cura est Deo? omnino de nobis dicit, propter nos enim scriptum
est. Sed ad sublimem Esaiam redeamus, prophetiam apud ipsum exstantem sequu-
ti: Non operantia decem iuga boum factura esse amphoram vnam: rursusque sub-
iungit: Et qui seminat artabas sex, metet tres modios. Num igitur tantam frustratio-
nem aliquando fore censebimus, vt qui seminauerit artabas sex, tantummodo tres D
recipiat modios? Non enim inquit, tres artabas faciet, sed tres modios, exiguum quid
habentes. Verùm in interius litteræ velamentum ingredientes, inueniemus omni-
no id secundum ista futurum. Sex igitur artabas quibus ecclesiæ conseritur aruum
rationale mortalium, esse quatuor quidem diuini sermonis libros, quintam autem
sanctorum Acta, sextam verò vnico volumine contentas eximii Apostoli Pauli qua-
tuordecim Epistolas: ex quibus & per quas fructum fert sacer cœtus institutione
antistitum in diuinis consitus, tres modios, fidem in Patrem & Filium & Spiritum
sanctum. Exiuit enim qui seminabat ad seminandum, non triticum ex quo panis fit,
sed fidem viuificam, at non in omnibus. (Quædam enim iuxta viam cadunt, quæ
via est Christus.) Nam inquit ipse: Ego sum via vitæ. Non ergo procul à via sunt
Ariani: quemadmodum & Græci & Iudæi, neque item in via sunt, sed iuxta viam,
id est prope Christum. Quippe quòd Christum confitentur, facit vt prope viam sint: E
quòd verò minorem & inæqualem blasphemant, id ex viuente via ipsos eiicit. Qua-
propter & volatilia cœli, diabolici exercitus aduolantes, colligunt semina diuina ex
corde reproborum. Ipse etenim Dominus quod præcepit, id omnino & facere solet,
dicens: Nolite proiicere sanctum meum canibus, neque proiicite margaritas meas
coram porcis. Et rursus, Tollite, inquit, ab ipso talentum, & date ei qui habet talen-
ta decem. Omni enim habenti fidem rectam, dabitur & adiicietur: ab eo autem qui non
habet fidem, spem, & charitatem in Deum, etiam id quod videtur habere, auferetur,
inquit Dominus. Hoc est quòd ipso frui non possint, nisi omni virtute sint perfecti,
qui recta fide Deum non colunt. Sicut inquit ipse: Qui crediderit & baptizatus fuerit,
saluus

A saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Vocat autē nomine, vt puto, incredulorum etiā malè credentes, & impios sectatores hæresum. Porrò qui in spinosis sunt, Eunomiani mihi videntur, quos propter blasphemiā Anomœos plurimi appellant. Nam quòd debacchantes creaturā & cogitationē audent nugari Christū esse, id velut spinæ suffocat eos, & non permittit germinare & perfici fide. Competit etiā idem sermo quibusdā ecclesiæ nostræ, qui curis vitæ, & spinis negociorū se suffocant, neq; concedunt in se vigere, aut perfectā producere rerum diuinarum naturā. Alia autem ceciderunt non super petrā, sed super petrosa. Petra enim Christus est, quemadmodum inquit Diuus Paulus. Petrosi verò mihi esse videntur obtusum habentes & obedire nescium cor, quod tenerius quidem est quàm lapis, durius autē quàm propria natura. Talis enim naturæ semen est, tenerius quidem lapide, durius autem terra. Cui cōparat Dominus Deo inimicos Macedonios, & Marathonæos, qui spiritum blasphemant, & ipsum creatum esse falsò asserunt, implacabilem sibi contrahentes Domini denuntiationē. Inquit enim, Qui dixerit verbum aduersus filium hominis, remittetur illi: qui verò dixerit aduersus spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; hic neq; in sæculo futuro. Neq; igitur terra sunt bona & frugifera, tenens semen sicut Christiani, neq; item solida petra sunt, qui exculpentur à doctoribus in structurā sacri cœtus. Quod enim cōfitentur Dei filium Iesum Christum similem secundum substantiā patri, ostendit ipsos molliores esse: quòd autem negant Deum esse Spiritum sanctum, ipsos ambigere, & ex parte validos circa totū cæcutire, creatorem cum creatura connumerantes, & de Domino pariter & seruo perperā sentientes. Quos à Christianismo secludens Apostolus inquit: Si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. Et alia, inquit Dominus, ceciderunt in terrā bonam, & dabant fructum, alia quidē trigecuplum, alia verò sexagecuplum, alia verò centuplum. Terræ bonæ rectissimum & bene sentiens cor, & voluntatis propositum comparans, repurgatum ab hæreticis spinis, & germinans. Primum quidē herbam fidei, deinde spicam spei crescentem, tum maturum fructum dilectionis perfectæ exhibens. Hæc enim & Diuus Apostolus præcipua esse ostendit, Fidem, spem, charitatem. Qui igitur credit, facit triginta: qui verò sperat, facit sexaginta: qui verò in dilectione perfecta est, centupla per perfectionem facit opera, quæ sunt acceptissima Deo. Qui ex vno semine tertium reddidit fructum, Deum honorans, ecclesiā exaltans, semetipsum deificans, cum spiritu se cōponens, animæ prouidens, corpori imperans, in terra glorificatus, ex mortuis resurgens, in cœlis requiescit. Qui perfectus in Trinitate, fidelis est, mansuetus, facilis erga omnes & modestus, misericors, benignus, iustus: corpus cōtemnens, diuina exercens, cœlestia esuriens, in imagine cum mortalibus degens, & figura super terrā apparens. Ideo trigecupla fructificat, tanquā inter homines agens: sexagecupla autē, veluti cum angelis ministrans: centupla verò, tāquam cum Deo conuersans. Per vnctionem olei sancti dans fructum in trigecuplis: per baptismum autem in sexagecuplis: per vnguenti sacrum ministerium in centuplis. Qui credit in patrem, profert triginta, qui in filium, sexaginta, qui in spiritum, centum .... Quo enim putant imminuere spiritum diuinum, hoc magis ipsum extollunt & ornant, numero præponentes ipsum Patri & Filio, malè & imprudenter. Qui enim credit, non in spiritum, sed in patrem credit primùm, deinde in filiū, atq; tum in consummatorē Trinitatis Spiritum sanctū. Quemadmodum & diuinorum ille carminū auctor, opificium Trinitatis significans esse vniuersa, inquit: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ipsius, omnis virtus eorum. Dominum patrem, Verbum filium, Spiritum autem sanctum illum & consummatorem sacræ Trinitatis appellans. Cuius propriam potestatis auctoritatem significans Dominus, postquam à mortuis resurrexisset, inquit discipulis suis: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, auctoritate videlicet spiritus quem accipitis, diuinitus vobis dantis potestatem remittendi peccata. Ne igitur cum hæreticis corruamus, qui à Regina Austri condemnabuntur, per ignauiam in exercenda virtute. Hæc enim fama sapientiæ à finibus terræ ad Solomonem peruenire properauit, istis autem Christus hodierno tēpore clamans, euigilare & aspicere id quod è re ipsorum est, persuasit. Et illam quidem verba

& rumores ad salutẽ velocem reddiderũt, hos autẽ aspectus & operatio Dei, & verbi incarnati, nequaquã meliores reddiderunt. *A.* Secundum litteram intelligitur tantum, aut num aliã aliquam considerationẽ habet interrogatio Petri & respõsum Domini: illo quidẽ interrogante, Quoties si peccauerit in me frater meus, remittã ei, num septies? Hoc autem abundanter respondente, Amen dico tibi, non tantum septies, sed septuagies septies? *B.* Pulchra quidẽ & facilis responsio, cõferens vtriq; remissionẽ, cum ei qui peccauit, tum ei contra quem cõmissum est aliquid. Illi quidem in quibus deliquit veniam petenti, huic autẽ in gratiã recipienti, tanquã iisdẽ obnoxio. Nihil enim est quod cadere & capi nequeat, præter solã primæ & incompositæ sacræ Trinitatis in vnitate naturã. Inquit enim diuinũ oraculum: Quis gloriabitur castã se habere animam? aut quis liberè dicet, se purum esse à peccato? Ante hos autẽ Iobus ille diuinus, turris incõcussa, qui percutiẽti diabolo & affectibus nõ cessit, adamantinum laquear, disertè clamat: Nullus à peccato purus est, si vel vno tantummodo die super terrã durauerit vita eius. Vita autem hominis non fuerit ex vtero in vitã progressus, sed post corporis incrementum intellectus perfectio, principium est consultationis circa vitã. Quandoquidem igitur futurum erat, vt Petro crederentur claues regni cœlorũ, & ecclesiasticus cœtus: (claudere autem intellige potestatem remittendi peccata: nam pro claue linguam habuit aperientem cœlum claudentémque, id quod & nobis est lingua, aperire nobis ipsis aut claudere cœlũ, illud quidem iis qui digna, hoc verò illis qui indigna Deo loquuti sunt cõtingente:) potestatem igitur remittendi peccata quum se accepturum speraret, Dominum interrogat, Quoties si peccauerit in me frater meus, remittam illi? Num septies? Cuius autẽ gratia non quater, aut decies, aut vlterius quærit, sed vsq; septies? Videtur mihi ipsum de homicida latenter instrui velle: num venia per baptismum & pœnitentiam dignus habeatur, qui septẽ peccata incurrit, qui primus in mundo homicidium patrauit Cainus, & totidem damnatus suppliciis se inuicem suscipientibus ex cæde peccatis. Primus enim inter homines Cainus dolosè egit: primus homicidiũ fecit: primus mentitus est Deo, quærenti de interfecto: primus parentibus luctum & lamentationem induxit, occiso fratre: primus inuidiam & liuorem peperit: primus fructuum primitias malitiosè obtulit: primus terra sanguine polluta, execrationis ei conciliator fuit. Porrò septem istis in homicidio facinoribus, par numero etiam supplicium per diuinam vocem imponitur. Sterilitas & infœcunditas terræ, quæ non amplius homicidam receptura sit: gemitus & quassatio totius corporis. Sedenim in enumeratione etiam ipsum supplicium examinandum esse arbitratus sum. Maledicta terra à te, vna pœna est. Operare terram, altera: nam arcana quadã necessitate ipsum constrinxit, cogente ad ærumnosam & molestam in terra vitam. Et non adiiciet vt det tibi robur suum, tertium supplicium, laborare & nullum ex laboribus fructum percipere. Gemens & tremens eris super terram. Tribus duo insuper addit supplicia diuinum decretum, gemitum assiduum & tremorem indesinentẽ, vt neque cibum ori vel potum admouere possit, tremente homicidæ dextera, quæ pristino robore malè aduersus fratrem vsa est, & per vim valentem infirmitatem sibi emit. Sextum supplicium, quòd exciderat ex ea, quæ erga Deum est, libertate. Vehemens enim & grauissimum est supplicium auersio Dei, in quo omnimoda protectio est, quam deplorans is, qui eam experiebatur, mortem expetit, eam sibi cõducibiliorem esse sciens, quàm viuere abiectum à Deo. Sic enim ait: Si eiicis me à terra, hoc est, si non amplius fructibus eius fruiturus sum: à facie tua abscõdar. Si ex terra mihi ad vitam necessariis priuatus sum, & temetipso indignante, apparere in oculis hominum non potero. Et fiet, inquit, vt omnis qui me inuenerit, occidat me. Melius enim mihi est, vt moriar, quàm vt viuam malè excruciatus. Ad quẽ Dominus inquit: Non ita fiet. Posui enim signum super te, ne te interficiat, quisquis inuenerit te. Septimum id supplicium est, indignum haberi morte, omnem turpitudinem & opinionis gloriam soluente, sed manere cruciatui obnoxium, & signo notatum illum, qui malorum inter homines auctor erat. Grauissimum enim suppliciorum ratione præditis est turpitudo, quam sontibus diuinum decretũ minatur, dicens: Resurgent alii quidem ad vitam æternam, alii autem in turpitudinẽ & oppro-

A & opprobrium æternū. Quandoquidem igitur septem inhæserant homicidæ mala, totidem etiam suppliciis damnatus est. Sciebat itaque Petrus quòd septimū diem honorandum Dominus destinauerat, in eo requiescens, & ab operibus suis cessans: & quòd non aliam, sed hanc honorasset, in ea legem dans, quódq; sabbatū propter cessationem ab operibus vocasset: & quòd venerandus sit, & peculiarem significationem ferat septenarius numerus, in quo scenopegiæ tubæ: in quo dies expiationis, septimus apud ipsos annus remissionis in pretio habitus, sex annis terram arantes, conserentes & metentes, septimo quiescere sinentes, integrámq; manere ex ea sponte nascentibus contentos. Septem annis seruitutem seruiens famulus, libertatem adipiscebatur. Præterito annuæ septimanæ tempore, Septuagenarii captiui ex Babylone liberati sunt. Peculiariter item à sacro cœtu Christigeræ ecclesiæ nostræ B vsurpatur septenaria beneficentia. Septies enim in die laudaui te, inquit Dauides, carminū diuinorū auctor. Diei quidem nomine præsens significans sæculū. Septies autem ipsum per hebdomadem reuolui. Esaias septem enumerat spiritualia dona, Et septem oculi Domini, inquit. Id quod & Solomon ait, Sapientia ædificauit sibi domū, & suffulsit columnas septem. Sapientiam autem Christum esse, Diuus Apostolus interpretatus est. Domus autem huius cœlū & ecclesia. In illo quidem septē columnæ Angelici ordines, in hac autem Stephani & Philippi collegæ, Apostolorū septem Diaconi. Et rursus alius sanctorū vatum inquit, Septies cadet iustus & resurget. Non aliter autem quàm per pœnitētiam. Septimus ab Adamo Enochus translatus, non vidit mortem, id docente transpositione, ex corruptibili & morti obnoxia vita in immortalem & omnibus ærumnis carentem locū transferri ecclesiam. C Ex diluuio item solum seruatur, intellectilem Noa Christum gubernatorem habēs. Septimus ab Abrahamo Moses Legislator diuinus exhibitus est, mutatio vitæ, iniquitatis sublatio, ad bonam constitutionem legum assensus. In septem hebdomadis annorum insignem Deus Iubilæum dedit, quo tanquam sabbato frueretur, & cessaret terra ab aratione, à debitis autem soluerentur debitores. Septuagesima & septima generatione ab Adamo Christus nascitur, quemadmodum per genealogiā Diuus Lucas demonstrat. Quandoquidem igitur scriptura numerum remissionis peccatorum in septenario definit, cum hebdomade autem præsens æuum extenditur, septem quidem diebus ab Opifice integrè perfectum, septenaria verò vicissitudine velut semper in se reuolutū: habet remissionem peccatorum per pœnitētiam, qui ad correctionem & sobrietatem inclinat, castigatam à Deo. Ideóq; putans Petrus, quòd difficilimè si Domini decretum sit in hoc hebdomadario sæculo remit- D tatur illud homicidæ septuplex flagitium & crimen: inquit ad Dominum, Quoties si peccauerit in me frater meus, remittam illi? num septies? Quasi dicat, Num etiāsi homicidium patrarit remittā ei pœnitenti? Dominus autem benignitatem ei commendans, inquit: Non modò septies, sed etiam septuagies septies. Illud vt arbitror docens, quòd non modò is qui semel homicidium fecit, & septem illis malis subiacet, recipi debeat si pœnitet: sed & is, qui iam semel quodammodo Deum abnegauit, quod grauius est cæde septuagies septies cōmissa, recipiendus sit, veniáq; danda pœnitenti & lugenti. Propter quæ ista menti adumbrātur, & vt diffidens his Petrus eiusmodi veniam consequatur, qui absq; venia fore putabat vtrumque, & nunquā per pœnitentiam dignos habendos benignitate: permittit ipsum cadere Dominus septies, propter percussum pontificis seruum, & amputatam eius aurem. Intētione E enim interfecit, nisi qui plātauit aurem audisset, & qui formauit oculū animaduertisset. Qui paulo antè cæci oculos aperuerat, & quidem eius qui nunquam aspexerat lucem, hic percussi aurem mox restituit tactu manus, vtrisq; miraculosè tanquā à Deo factis. Septuagies autem septies per quæstionem Ballilæ ter ipsum abnegasse dictum esse voce gallinacei. Remisit autem ista, & non amplius recordatus est, feruenter ipso & amarè super abnegatione lugente & lachrymas fundente, vt quorum ipse veniam consequutus esset in lapsu constitutus, etiam proximis resipiscentibus similiter præstaret. Communiamus igitur nos ipsos, ne pœnitentiam negligamus. Vix enim, quæ est ex hac, procedit consummatio. Quapropter melius mihi videtur, omnibus viribus à corruptibilibus abstinere: quàm letiferis impletos

dolere & tristari, & cōflictari, & medicum inuocare postquā aculeo peccati percussi sumus. E diuerso si cōtigerit, vt per abreptionem aliquam labamur, ne desperemus de expiatione, neque de remissione, neque quum reuocati sumus segniter agamus, sed quàm primum à deteriore resiliamus, & virtutum suggestionem apprehendamus, vestimentum & sensum lauemus, & res terrenas tamquam quæ suffocent, fugiamus: ad pristinā sublimem illam conuersationem veniamus: aures ad diuina dogmata inclinemus: eorum quæ humi repunt obliuiscamur, & arcem virtutum dilectionem possideamus, & tabulis cordis diuinam legem insculpamus, facti diuinitus sculpta tabula. A. Quamobrem ergo tam enormiter lapsus sanctus ille vir Petrus, & veniam consequutus ipse quoque veniam non dedit Ananiæ & Saphiræ: sed in vna hora vtrosque occidit verbo? licet nullus esset ipsorum lapsus respectu illius abnegationis. Aurū absconderant proprium, non alienum. Vel etiā si alienum fuisset, non est par peccatum priuatarum rerum paruum quiddam abscondisse, & abnegasse Iesum. *B.* Non dementiæ est, primarii illius aduersus sontes terror: sed præsciæ disciplinæ plurima mortaliū sanantis vitia. Quandoquidem igitur semel Deo dedicatum aurum sacrilegio vulneratus alienauerat, interrogatúsque negauerat: idcirco ille qui fuerat exorsus spargere Euangelica semina, móxque simul exortas malas herbas conspexerat, prudenter eas illico sustulit, ne fortè simul crescentes triticum vastarent. Nam in angustia amaritudinis ipsum esse, quemadmodum Simonem, & incorrigibilem in posterum ad meliora videbat. Neque enim facultas erat concedendi scelus, non consentiente cum labiis corde, sicut inquit de Israële carminum ille diuinorum auctor. Et dilexerunt ipsum ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem ipsorum non erat rectum cum eo, & in Testamento eius fideles non fuerunt. Sic enim & periti medici facere solent, quando extremo corpore tenetur aliquis incurabili morbo, mox resecant à manu vel pede digitum, antequā ad reliqua membra diffundatur labes. Similiter autem & Moses vir diuinus ad præcepta legis primitus facta consideratione excitans, ob leue delictum lapidibus obrui eum, qui ligna legerat in sabbato præcepit, ídq; Deum denunciasse scripsit. Nā in magno & mediocri transgressio iudicatur: quemadmodum inquit Dominus, Quòd si totam legem impleuerit aliquis, offenderit autem in vno, factus est omniū reus. Non quòd omnis eius virtus euanuerit: (iniustum enim id vel his, qui leuiter de diuino iustóq; iudicio sentiunt, meritò videatur) sed reus mihi videtur fieri omnium, qui recesserit ab vno, se pœnæ vnius sceleris & compensationi omnium obnoxium faciens: aut quòd ex illorum ipsorum corpore excidit, aut ab ipsorum numero recessit. Qui ergo non prorsus de semetipso desperauerit, & planè deteriori addictus fuerit, sed vel raro obtulerit Deo virtutem, & proximi misertus fuerit: debet quidem illi, in quibus offendit, debetur autem vicissim ipsi, in quibus benefecit. Subtracta igitur compēsatione, ad eius quod redundat, locum decernitur. Id quod etiam apud nos sæpenumero accidere cognouimus, si debeamus nos centum denaria, nobísque debeantur triginta. Quemadmodum igitur pecuniæ debitor de omnibus obligatus est creditori, vsque ad debiti persolutionem: ita cui debetur apud Deum pro mille rectè factis, ipse verò vnius delicti debitor est, reus est omnium, donec ratio subducitur vniuscuiusque dispensationis. Transgressio enim in paruo & maiori iudicatur, in comparatione differentiam habens. Enitamur igitur, qui plus habeamus in bono, iniustitiam iustitia deprimentes. *A.* Si ineuitabilis est consummatio mundi, & aduētus Christi, quomodo inquit ipse: Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, & qui in tecto est, non descendat ad tollendum aliquid ex domo sua, & qui in agro est, ne reuertatur ad tollendum vestimentum suum? Et iterum inquit, Sed orate ne fiat fuga vestra in sabbato, vel in hieme. Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Num quasi si cōtingat æstate, vel Dominica, vel alia die consummatio, possimus latere vel fugere? Cur autem cum tanta tunc sit futura turba, tantúsque populus, solas prægnantes, & lactantes ex omnibus miseras pronuntiauit, atque deplorauit, quasi propter partum? Num quòd ad partum peruenturæ non sint, vel quasi grauiori supplicio afficiendæ? *B.* Futuram Iudæorū fugam præmonstrans, ipsis ad montes fugere præcipit Dominus. Nam post Vespasia-

A Vespasianum Titus superueniens, prorsus æquauit solo desolauítque Hierosolymã, malè perditis Iudæis, viris quidem gladio prostratis, infantibus verò recens natis pauimento allisis, prægnãtibúsque dissectis, omni perditione & interitu inimicum Deo genus deleuit. Sabbato verò id accidit capta ciuitate, omnibúsq; domi vacantibus propter otium sabbati: hieme item, nullus ipsorum effugere captiuitatem interitúmque poterat. Qui verò in tecto erat, latitare tentabat, nihil eorum quæ infrà erant tollere volens, præstabilius esse viuere, quàm aliquid habere ducens. Qui autem in agro, non modò qui ad domum reuerteretur manebat, sed & vlterius abire cogebatur, incensam & captam ciuitatem cernens. Quòd si per sublimiorem intellectum ad nostra, vt par est, sermonem applicari vultis: Qui in Iudæa sunt, ad mõtes fugiant: qui in pietate firmi sunt, (id enim Iudæa ex interpretatione sonat) ad subli-
B me refugium, nempe Christum, respiciant, sub eius confessione custoditi. Qui verò in tecto est, ne descendat ad tollendum aliquid ex domo sua: qui præsenti contẽpta vmbratili vita, omníq; hic conculcato tabernaculo, superior euasit hac vita, relegatis internis affectibus, ne quid eorum secum trahat, non timorem, non animi angustiam, non vanam gloriam, non opum amorem: quæ sunt ab alto descensus. Qui in agro est, non reuertatur ad tollendum vestimentũ suum. Qui veterem exuit hominem, & carnalibus renuntiauit, nouum gestet, qui ipsum ad innouationem Dei renouauit, ac cœno repurgauit. In hoc enim habebit virtutem ad omne consilium inuictam. Nulla igitur perturbatio agnatorúmve mutuus doloris affectus à Christi nos dilectione abstrahat. Neq; enim Christus quum à matre & fratribus quæreretur, vocationem admisit, quum apud auditores salutiferam doctrinã exorsus esset,
C docens spiritualia carnalibus esse potiora. Ad eundem modum ipsius quoq; discipuli, relicta mensarum obseruatione pietatis sermonem potius capessere voluerũt, non verbis tantùm sapienter docentes, sed & factis instituentes. Nam bene loqui, lyræ vel cymbalo simile est: vtiliter autem agere, cum angelorum natura coniunctũ est. *A.* At erit ei reuersio ad consummationem Mundi, & quando qui sunt ex gentibus omnes crediderint, tunc & residuum ex Iudæis conuertetur. Dicit enim in Euangelio Dominus: Quoniã habeo & alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili: oportet me & illas adducere, vt fiat vnus grex, vnus pastor. Et Apostolus cum hoc consentiens inquit: Quando plenitudo gentium ingressa fuerit, tunc omnis Israël seruabitur. *B.* Nunquam persuadebor, Iudæos reuocandos. Neq; enim id docet Dominus, neq; eximius ille Apostolus, per ea, quæ rectè quidem ab ipsis dicta sunt, ma-
D lè autem à te tum intellecta, tum prolata. Nam quod dixit Dominus, Quoniam & alias oues habeo: constat nos dici, qui non sumus ex eo ouili, vtpote Iudaico, quorũ prima fuit manifestatio Domini: videlicet diuorum Apostolorũ, & cum ipsis, atq; per ipsos conuersorum fidelium Iudæorum. Nondum enim id, quod ex Gentibus constat, fuit ante salutarem passionem, eò quòd nondum esset prædicatum nobis, neque baptisati essemus, id quod post resurrectionem per Apostolos suos Christus effecit, nósq; ad fidele Iudæorum ouile simul induxit, sumúsque omnes fideles vnus grex sub vno pastore, summo pontifice, summóq; pastore Christo pasti & custoditi. Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma, inquit is, qui summi quidem pastoris discipulus, cuiusuis verò sub cœlo magister est, eximius Apostolus, qui idem inquit: Quando plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israël seruabitur. Non Iudæos circa consummationem seruandos & reuocandos significans: sed qui per
E puritatem mentis & per fidem vident Deum. Id enim esse Israëlem, ab omnibus, atq; etiam ab ipsis Iudæis exponitur, Mentem nimirũ cernentem Deũ. Non enim omnes, qui ex Israële, sunt Israël, neq; quòd sunt semen Abrahami, omnes filii sunt: sed in Isaaco vocabitur tibi semen. Hoc est, non ii, qui filii carnis sunt, iidem & filii Dei, inquit idem Apostolus. Iterúmq; Dominus inquit in Euãgelio, Multi sunt vocati: vtpote Israëlitæ & Christiani: pauci verò electi, vtpote illi qui seruantur. Quando igitur plenitudo gẽtium, hoc est, vniuersos populos complexa ecclesia intrauerit, in Iudicium videlicet: tunc omnis Israël, mens videlicet Deum cernens, hoc est, omnis homo, per fidem & pietatem cognitionem habens, saluus erit.



ELOGIVM

REVERENDI PATRIS

D. IACOBI BILLII PRVNÆI ABBATIS SANCTI MICHAELIS IN EREMO PIENTISS. ET ERVDITISS. CVM TVMVLO.

Ioanne Chatardo Priore Tosiniaco, Auctore.

Ad nobiles defuncti propinquos & amicos.

AD LECTOREM.

Peræpretium me facturum putaui, si hîc insereretur Elogium istud, quale editum est in ipsius Billij morte quam obiit dum hoc Gregorianum opus pro secunda editione typis mãdaret, exornaret & amplificaret, vt hinc paucis ac velut compendio quodam vitæ mortisque ipsius (nam ex eius variis doctiss. & piiss. scriptis plura nosse poteris) intelligeres, quis, qualisve & quantus fuerit fidus ille D. Gregorij interpres. Cuius non modò doctrinæ, sed & morum vitæque sanctissimæ verus discipulus ac imitator fuit. Haud dubium quin & qui similem vitam in terris egerunt, & totam per Dei Ecclesiam profuderunt, in cœlis quoque non simul fruantur eius gloria, quem ad extremum vitæ spiritum syncerè coluerunt, & cuius ampla talenta tam diligenter & alacriter, tam piè & sanctè atque feliciter impenderunt ac multiplicarunt. Vale, & fruere.

POSTERITATI.

IACOBO BILLIO PRVNÆO NOBILISSIMA ET CLARISSIMA BILLIORVM FAMILIA ORTO, ABBATI SANCTI MICHAELIS IN EREMO PIENTISS. SACRÆ ET POLITIORIS LITERATVRÆ CALLENTISS. LINGVARVM HEBRAICÆ, GRÆCÆ, ET LATINÆ PERITISS. SANCTORVM GRÆCORVM PATRVM INTERPRETI FIDISS. CATHOLICÆ FIDEI PROPVGNATORI ACERR. PAVPERVM PATRI CHARISS. IN CVNCTIS RELIGIONIS ET PIETATIS OPERIBVS EXERCITATISS. OMNI DENIQVE VIRTVTVM GENERE CVMVLATISS. MVLTIS LIBRIS GRÆCIS, LATINIS, ET GALLICIS SVMMA PIETATE ET DOCTRINA REFERTIS, PROSAQVE ET METRO EDITIS CELEBERR. IOANNES CHATARDVS MVLTAS OB CAVSAS MOERENS POSVIT.

Librorum quos scripsit Elenchus.



Ollectiones consolationum, & salutaria fidelis animæ documenta, ex volumine D. Augustini in Psalmos excerpta, Gallicè conscripta.

De secundo domini aduentu libri sex, Gallicis versibus editi, cum tractatu D. Basilij de Dei iudicio.

D. Gregorij Nazianzeni tetrasticha, cum breui & familiari expositione Gall.

Anthologiæ sacræ ex probatissimis vtriusq; linguæ patribus collectæ, atq; octastichis

A stichis comprehensæ,ac breui cõmentario illustratæ libri duo, adiectis ad calcem aliquot octastichis Græcis.

Quos duos libros aliis duobus odis Gallicis spiritualibus summa ingenii dexteritate reddidit:adiectis etiam Gallicis commentariis ex solis ferè antiquis Theologis collectis,cum aliquot aliis poëticis tractatibus eiusdem argumenti.

D. Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi opuscula quædam nunc primùm in lucem edita,aliáque item versibus reddita, magnáque ex parte Cypri Dadrybrensis commentariis illustrata.

Loquutionum Græcarum in communes locos per alphabeti ordinem digestarum volumen.

D.Ioannis Damasceni opera multò quàm antehac auctiora, magnáque ex parte B nunc de integro conuersa.

Ex D.Ioanne Chrysostomo translata multa,eiúsque variis scriptis inserta.vt, explanatio in Psal.50.desumpta ex bibliotheca illustriss.Catharinæ Mediceæ Reginæ Matris. De pœnitentia cõmentarius. Item, explicatio Psal.52. & enarratio in Psal. 100.& septem sequentes,& in Psal.118.procemium. Liber epistolarum è bibliotheca Cuiacii iurisconsulti. Noua denique interpretatio enarrationis ipsius Chrysostomi in 2. Pauli epistolam ad Corinthios.

D.Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi opera omnia, quæ quidem extant,noua translatione donata. Vnà cum doctissimis Nicetæ Serronii commentariis in sedecim panægyricas orationes. Eliæ Cretensis in aliquot alias. Pselli in secundam orationem de Paschate.Nonni de historiis & fabulis quæ in inuectiuis aduersus Iulianum Apostatam reperiuntur,adiectis etiam vbique breuibus scholiis. C

Multa alia reliquit opera eadem pietate & eruditione, quæ velut posthumi liberi Deo auspice magno Christianæ Reipub. commodo breui prodibunt. Ex his verò omnibus qualis, quantúsve fuerit, siue eximiam eius doctrinam, & multiplicem rerum & linguarum cognitionem, tullianámque eloquentiam, siue singularem eius pietatem,vitæq; & morum integritatem, siue quicquid aliud oratores,Poëtæ,historici, Philosophi, ac Theologi desiderare & commendare solent, spectemus, facilè perspici potest. Ipsi quippe muti magistri (qualis enim vir,talis oratio) quos condidit & ad posteros transmisit, de his loquuntur fusius & elegantius, veriúsque testificantur,quàm vllus quamlibet facundus orator possit : ita vt superuacaneũ putarim de his longiorẽ texere narrationẽ. Quis verò fuerit,& quis vitæ eius cursus,quósve D progressus fecerit,si quis scire desideret, ex hac narratiuncula paucis intelliget.

ANno 1535. nobilissimis & clarissimis parentibus Ludouico Billio, & Maria Brichantæa Guisiæ natus est,quo tempore generosissimus ipsius pater Ludouicus Billius Coruillæus (sic enim à paterno & insigni pago Coruillæo, vt postea à nobili sua Prunæa domo & vico ad Carnutum sito, Prunæus nuncupabatur) ibi proregis officio fungebatur. Admodum puer, vt à teneris annis bonis literis ac disciplinis informaretur, & velut cum lacte nutricis imbueretur, Lutetiam Parisiorũ venit. Vnde,iactis Latinarum literarum (nam Græcas tãtùm attigerat) fundamentis,à parentibus reuocatus, vix annos natus 18. Aureliam & Pictauum mittitur, vt iurisprudentiæ nauaret operam. Sed hanc lusisse,in illáque nihil,aut parum promouisse, siue reluctante & inuita eius minerua, siue obstante iuniore illa ætate ad iuue- E niles lusus propensiore, siue etiam Deo ad sublimiora eum studia destinante, ingenuè fateri solebat, eámque temporis (quo nihil tandem habuit charius) iacturam sæpiusculè lugebat. Postmodum parentibus orbatus Lugdunum & Auinionem (ea quærens loca in quibus à nemine agnosceretur,quò liberius & familiarius mansuetioribus musis frueretur) proficiscitur : vbi incredibili literarum Græcarum amore flagrare cœpit. In quibus nullo penè præceptore vsus, sua industria (vt sagacis erat ingenii,memoriæ tenacis, & peracris iudicii) indefessóque labore ita breui profecit, vt coæuos suos omnes anteuerterit, longóque post se interuallo reliquerit, immò & paucos suo sæculo pares habuerit : super senes nimirum (vt scripturæ verbis vtar) intellexisse videtur, maximè in sacris & antiquis intelligendis, enucleandis,

interpretandis, & traducendis Græcis authoribus. Inter quos summoperè delectatus est D. Gregorio Nazianzeno Theologo, cum propter summam eius eloquentiam, tum ob singularem eius pietatem & doctrinam. vnde tunc temporis incessit ei cupiditas latinitate hunc donandi, & ab innumeris, quibus scatebat, mendis & salebris repurgandi atque illustrandi. Quod nullus vnquam alius aggredi ausus est, vel ea sanè elegantia & nitore sermonis, eáque fœlicitate & fide, & oratoria & metrica qua ipse, præstare potuit. Ibi ergo dum delitescit, & mirabilem Græcarum literarum sitim die noctéque explet, & linguæ Hebraicæ sub Iudæo quodam rudimenta ponit, ecce, vix exacto Auinioni biennio à Reuerēdo & pientiss. fratre Ioanne Billio Abbate Sancti Michaëlis in Eremo, & diuæ Mariæ in Regiensi insula accersitur & reuocatur. Tum enim de Abbatiis illis, déque amplo & nobili patrimonio (quippe qui fratrum natu erat maximus) & de ipso relinquendo sæculo, déque nouo vitæ genere instituendo & deligendo, nempe Cartusiano (vt via arctiore quidem, sed etiam ad vitam cœlestem compendiosiore) meditabatur, ac vehementer cupiebat in suum locum Iacobum fratrem sufficere, ac sibi successorem relinquere, non tam ratione fraternæ necessitudinis, aut carnis & sanguinis (quæ iam illi viluerant) quàm illius singularis pietatis & eruditionis, quæ in ipso omnibus affulgebat, concepta de eo, velut de segete in herbis spe (haud sanè inani) eum tantum aliquando fore, qui Dei Ecclesiam magnoperè iuuaret & exornaret. Sed vix adduci potuit adolescens nondum annos natus quinque & viginti, vt hæc sacerdotia susciperet, sua contentus Ferrariensi abbatiuncula, suóque (quo me tandem magna sua erga me beneuolentia ornauit & locupletauit) Prioratu Tossiniaco, quòd existimaret his oneribus sustinendis impares se habere humeros, ipsósque amplos prouentus sæpius esse impedimēto literarum studiis (quorum solo desiderio tenebatur) quàm adiumento. Verùm precibus fratris & amicorū victus ea suscipit, non sine frequenti postea tædio ac mœrore. Ita autem in ipsis se gessit, atque in omni pietatis genere excelluit, vt non modò Cænobitis suis, sed & omnibus vicinis, illúcque aduentantibus velut iuuenis alter Daniel admirationi & exemplo esset. Sed hanc nobis & Dei Ecclesiæ inuidens fœlicitatem ille qui sua inuidia mortem inuexit in mundum, secundis bellis ciuilibus ad defectionem à Rege & Ecclesia Rupellanos (eos excipio quibus inerat scintilla quædam pietatis & amoris erga literatos) velut ex orco suo & tanquam alacres & peraccommodos nefarii sui instituti administros suscitat, quorum ministerio id erga nouum Abbatem effecit, quod olim erga Iobū seruum Dei eximium. Nam duo eius monasteria illi exusserunt, diruerunt, & solo adæquarunt. Arbores etiam (nam illic erat in littore maris lucus arboribus perpetuò virescentibus consitus, & peramœnus, musísque aptissimus) partim succiderūt, partim radicitus auulserunt: & quotquot in Sanmichaëlina arce & templo viros religiosos, milites ac subditos (quos ibi velut præsidiarios priuatis sumptibus alebat) admotis bellicis tormentis expugnato repererunt, crudeliter trucidarunt, alios gladiis conscindentes, alios laqueo præfocantes, alios præcipitio collidentes, alios semineces ac viuos in puteos proiicientes. Hanc enim suam primò rabiem in vicinos euomuerunt, eóque crudelius sæuierunt, quò sanctior erat locus & sanctiores ipsi incolæ (cibus enim ipsius Satanæ, vt ait Propheta, electus) inuisus nimirum illis erat tam pius Abbas, quippe qui splendore virtutis suæ noctuas istas perstringeret. Ipse tamen tunc aberat. Nam paulò antè (ægrè quidem, sed vtiliter, ac Cœnobitarum & amicorum suorum consilio & impulsu, vt sibi magis ad literarum studia & pacem, quàm ad arma nato consuleret, séque Dei Ecclesię ad meliora seruaret) Nanetas se receperat. Vbi aliquanto pòst tempore hac tam truculenta ac barbara strage ab illustriss. Martiguio Britanniæ prorege, qui tum ibi aderat, & cui in via fortè fortuna occurrerat, primùm audita, domum rediit, & in lachrymas prorupit. Ad quem dum accedo ei pro virili aliquid solatii impertiturus, voce faucibus præ angore hærente in lachrymas simul etiam erumpo, quibus vterque tam miserabilem cædem affatim prosequutus est, fuítque vtrique tum quædam flere voluptas. Sed tandem arescentibus illis, & penè exhaustis, collectísq; animis, Deus (inquiebat ille) venerunt Gentes in hæreditatem tuam, posuerunt templum sanctum tuum in pomorum

A morum custodiam, posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam, & non erat qui sepeliret. Altaria tua Domine suffoderunt, & seruos tuos occiderunt gladio, & ego ex Michaëlinis nostris relictus sum solus. Et quemadmodum Dauid audita tam misera clade Saülis iussu, & manu Doeg Idumæi perpetrata occisorum octoginta quinque virorum ephod lineo vestitorũ dicebat ad Abiathar filium Achimelis, qui solus ad ipsum ex ea effugerat: ego sum reus omniũ animarum domus patris tui: Ita & ipse, Ego, inquit, reus sum omnium animarum istorum. Sed luctuosis illis etiam verbis ego eum solabar, quòd ei idem quod Dauidi viro innocenti & secundum cor Domini contigisset, eodémque penè telo cum eo confixus fuisset. Post hanc ruinam & cædem Nanetibus menses aliquot commoratur, non procul (quia propius accedere non licebat) à Cœnobio suo, similis auibus illis quæ nidis etiam in terram excussis circumuolitare solent, nec longè abscedere. Nihil vnquam ei funestius ac tristius contigisse, nullóque grauiori casu & dolore in vita perculsum fuisse memini: quanquam multa ei tristia & luctuosa maximè sæuientibus bellis ciuilibus acciderint. Nam præter innumerorum consanguineorum & amicorum, quam in ipsis fecit, iacturam, amisit primis tumultibus in Drocensi pugna auunculos duos viros illustrissimos, Brichantæũ Bellouacum, & Giurium, fratres: qui in prima acie cum Magistro equitum fortiter pugnantes ceciderunt: hic quidem in ipso conflictu, ille ex vulnere ibi accepto aliquanto pòst tempore. Prunæum etiam fratrem Claudium Billium in prælio ad Iarnacum commisso dum fractos ac fugientes hostes longius & acrius persequitur. Ludouicum Billium Vertronæum alterum fratrem in obsidione Pictauensi vrbem regi & ciuibus protegentem. Alios etiam duos fratres in Drocensi prælio. Quorum tres priores fuere equites Torquati, & Cataphractorum equitum duces inclyti ac fortissimi. Alii strenui & generosi adolescentes peditibus imperabant. Horum, inquam, (quorum ipse etiam in Anthologia sua sacra meminit) & aliorum propinquorum & amicorum quamplurimorum interitus eum magno perculit dolore, summáque affecit tristitia: sed quæ mox in lætitiam vertebatur, dum cogitaret eos velut alios Machabæos pro aris & focis, pro Ecclesia, pro Rege, & Repub. fortiter dimicando occubuisse, & ex sua familia & cognatione velut ex equo Troiano tot viros fortes & de Republ. bene meritos exiliisse. Sed tristitia illa quam de crudeli & cruenta michaëlitana cæde & ruina (de qua ipse in nuncupatoria illa epistola ad Carolum Lotharingum Cardinalem amplifs. quam operi Nazianzeno præfixit, verba faciẽs: Quis, inquit, Michaëlini nostri Cœnobij cladem vlla quamlibet tragica oratione pro rei atrocitate deplorare queat?) vt maior erat, ita cordi eius & animo penitius ac diutius inhæsit. Postea Regione illa exturbatus, huc & illuc vagari cœpit, & peregrinorum more cupidius expectare & inquirere Ciuitatem illam futuram statam & nulli bellorum ac temporum vi & iniuriæ peruiam. Secessit primò Laodunum ad Charissimum fratrem & reuerendum Cœnobij S. Vincentij Abbatem, in quo, & Sandionysiaco, (vbi etiam summi prioris munere fungebatur) aliquot annos transegit propriis Cœnobiis pulsus, & reditibus spoliatus. Verùm semper cupidus reuisendi Michaëlini soli, inita pace & sedatis vtcunque tumultibus, modò Lutetiam, modò Oysonuillam, modò Nanetas, modò ad Turonicum Tossiniacum nostrum perrexit, spe vlterius progrediendi, & illuc perueniendi. Sed renascentibus ciuilibus bellis, vel potius illic perseuerantibus: vel morbis, quibus profligabatur, obstantibus, ac reflantibus procellosæ nostræ Reipub. ventis, illuc nunquam appellere potuit ante postremam æstatem aliquot antè mensibus quàm tributum naturæ penderet. Interea verò valetudinarius licet, & miserrimi nostri sæculi fluctibus huc & illuc iactatus, nusquam fuit otiosus (otium enim & desidiam tanquam lethale quoddã venenum, ipsósque desides, vt Reipub. inutiles ac perniciosos summopere oderat) quin plura, & doctiora, vtilioráque edidit opera, quàm vllus suæ fortasse ætatis alius: vt cum Paulo dicere potuerit, Tunc potens sum, cum infirmor: virtus enim in infirmitate perficitur. Nihil enim ei excidebat, ne momentum quidem temporis, nec diem vllam labi sinebat sine linea, immo nec sine exarata saltẽ pagina aliqua. Nam

morbo etiam laborans (vt frequentibus erat obnoxius, maximè articulari, & fluxionibus) relaxato vel intermisso dolore versus aliquos vel Græcos, vel Latinos, vel etiam Gallicos, aut aliud quippiam semper condebat. Etenim syluam etiam quandam sibi parauerat sententiarum & argumentorum, quæ in lecto, vbi non licebat multos libros voluere, versaret animo, & amanuensi dictaret. Quinetiã cum aliquando equitaret, à comitatu sæpe secedebat vt meditationi vacaret, & ea quæ in animo habebat, apud se agitaret, quorum capita pugillaribus inscribere solebat, idque raptim & furtim. A me namque potissimum sese subducebat, quòd ei sæpius obiicerem, ac velut bellum inferrem, quòd se non respiceret, & animum literarum studiis velut arcum semper intensum nunquam relaxaret. Non enim ob aliud inter nos obortum est dissidium, & quòd nimia inedia & crebrioribus ieiuniis (nullum enim, præter alia spontanea, ex his quæ indixit Ecclesia, intermittebat) tabescens corpus, tenue ac macilentum, atque σκελετῷ penè simile conficeret. In vase enim fictili & admodum fragili magnus erat repositus thesaurus, erátque eius animus velut pretiosus lapillus annulo vitreo inclusus, ac sub villosis Esaü integumentis verus latitabat Iacob. Enimuero vt pacis erat amantissimus, & ipsa literarum studia otia & secessum quærunt, magnopere cupiebat locum aliquem quietum & tranquillum nancisci, in quo bibliothecam statueret & instrueret, & mansuetiores musas liberius amplexaretur, fouerétque tutius. Quod plerique intelligentes & spe quæstus (nam de annuo suo reditu multùm ille remittere volebat) allecti ad eum aduentarunt, & crebrò cum eo sermonem instituerunt de permutandis illis suis abbatiis. Sed quia alij, vel suspecti erant hæreseos, vel arma profitebantur, vel non carebant suspicione Simoniæ (quam velut malorum nostrorum lernam in primis detestabatur) maluit cum periculo suæ valetudinis, & studiorum suorum dispendio huc & illuc perpetuò ferri, quàm nomini suo vel minimam maculam inurere, & quàm conscientiam (in qua pura seruanda erat vigilantissimus) vel tantillum lædere. Quin & sæpe illi fuit animus relinquendæ alterius suæ abbatiæ, quòd ei bigamia illa non placeret: sed id commodè fieri non potuit ob aduersa tempora & loca quæ nullum ibi abbatem vel monachum tolerare poterant. Ab episcopatu frequenter sibi oblato tanquam à lethali scopulo semper profugit, se tanto munere indignum ratus, multis fretus sanctorum & doctiss. antiquorum Patrum exemplis, & magno animæ imminente periculo deterritus. Animo autem sæpe angebatur, ferebátque indignissimè quòd Episcopi, abbates, Reges, ac Pontifices sacerdotia tam malè locarent, & Christi oues tanto pretio redemptas lupis sæpe ac leonibus (addo etiam) & lenonibus committerent. Ex cuius Christi schola vt omnis generis virtutes, maximè verò ipsius propriam perdidicerat, tantóque cupidius, quantò magis oderat vitium illi contrarium, quod angelos ipsos de cœlo deturbauit. Cum humilibus repebat humi, cum superbis & elatis malè cohærebat. Generis sui nobilitatem, quæ clarissima erat, nusquam ostentauit (quod vani passim solent, & ea intumescere) nullam veram aliam existimans quàm quæ virtute pararetur aut fulciretur. Doctrinam pariter suam & multiplicem rerum ac linguarum cognitionem, quæ multis cristas erigere, & supercilium attollere consueuit, nunquam extulit, quin eam depressit potius. Erat enim ei velut innata illa charitas, quæ non inflat, sed ædificat, vt ex eius scriptis, nihil certè aliud spirantibus, liquet: sicut & ex ipsius quotidianis sermonibus & colloquiis cuiuis etiam notum ac perspicuum erat. In quibus familiaris, comis, ac facetus, creber sententiis, & pietate & eruditione semper insignis fuit. De Repub. Christiana & Gallica vir publici amantior quàm sui, frequenter & ex animo verba faciebat, iuxta vulgatum prouerbium, vbi vulnus, ibi manus: vbi plaga, ibi lingua. Deplorabat enim quotidie miserrimum eius hodiernum statum, nec aliud sperandum dicebat, quàm breuem quandam ipsius euersionem, ac eam penè (quod Deus opt. max. auertat) quæ sub Phaëthonte accidit, cõflagrationem. Tanta autem erat prudentia, támque acri & perspicaci ingenio & iudicio, vt ex antegressis futura etiam coniectaret, ac sæpe diuinaret, éaque velut ex alta quadã specula præuideret. Vt literarum, ita & literatorum erat amantissimus: sed eorum præsertim qui Remp. literariam, & Dei Ecclesiam iuuarent. Nam eorum, qui ei infesti erant,

A erant, consortium diligenter vitabat, & ab eorum libris abstinebat. Oderat vir castissimus Poëtas & scriptores spurcos & obscœnos, eósque omnes, qui Dei talentis abuterentur, & ea impenderent in celebrandis potius Bacchi, & Veneris, vel etiam immeritorum hominum laudibus, quàm Christi. Lectissima eius domus velut sanctum quoddam cœnobium & xenodochium, scholáq; virtutis erat, quod ex bene moratis & pacificis eius domesticis innotescebat, adeo vt ex ipsis agnosceretur patrisf. prudentia: Qualis videlicet Rector ciuitatis, tales habitantes in ea. Viris piis, doctis, & religiosis (nempe sui similibus) patens & peruia, atque Christi pauperibus, quorum perpetuò fuit amantissimus, & pater locupletissimus. Ideo eum gregatim & passim sequebantur, iuxta illud Euangelicum: Vbicunque fuerit corpus, illuc cõgregabuntur & aquilæ. Dignus qui cum Ioanne Eleemosynario conferretur, & cũ B Iobo iure diceret: Oculus fui cæco, pes claudo, pater pauperum. Quos etiam moriens testamento hæredes suarum facultatũ reliquit, maximè earum quæ ex Christi patrimonio ei supererant, sacrilegium quoddam arbitratus si aliò transferretur. Eius mensa læta, & lauta: sed eò lætior ac lautior quò spiritalibus epulis, animum magis quàm corpus reficientibus ac saginantibus erat instructior. Symposia eius Platonicis tantò præstãtiora, quantò theologia, & Christiana philosophia (qua dapes suas condire & aspergere solebat) Platonicam antecellit. Quod si quid in eis à virtute auersum aliquibus, vt nobilibus & arma profitentibus (quibus sæpe minus est curæ pietas & Christiana religio, & à quibus, vt nobilissimis & clarissimis parentibus ortus, inuisebatur) excideret, mox eos ita amicè corripiebat, tantáque cum venustate & sale, vt ipsos statim dicti aut facti pœniteret. Norat enim ille alter Euãgelicus Samarites oleum lenitatis, & vinum austeritatis ita miscere & temperare, C ac vulneribus peccatorum infundere, vt illis facilè ac sine dolore mederetur. Quare ad eum postea meliores redibant, & ab eiusmodi abstinebant. Amicis fuit amicissimus & officiosissimus. Ad conciliandos inter se dissidentes paratissimus, nulli inimicus, pacem cum omnibus, quantùm fieri potuit, colens. Quòd si quid dissidii siue disputando, siue quid aliud faciendo, fortè suboriretur, mox illud componere studebat, ac diligenter cauebat, ne sol occideret super iracundiam. Longius excurreret narratio si singula (de quibus aliàs fortasse fusius, nam pro viri dignitate & merito nihil mihi hactenus dictum videtur satis. Tantò enim ampliora meretur laudũ suarum præconia vita functus, quantò magis ea superstes, ac modestus auersabatur) in quibus vir tantus excelluit, ac se laudabilem & admirabilem præbuit, commemorare vellem. Hoc vnum tantùm adiiciam, non sibi, sed Ecclesiæ natum fuisD se, totúmque ei addictum & consecratũ. Quare cum nihil ardentius cuperet, quàm quicquid haberet ingenii, doctrinæ, opum, & virium in eius vtilitatem & obsequiũ profundere, timerétque ne morte, quam illi frequentes morbi minitabantur, præreptus labores suos & studia posteritati relinquere non posset, è Turonensi Tossiniaco nostro nondum bene obfirmata valetudine, ex alui profluuio debilitata, mira animi alacritate in hanc vrbem se contulit. Vbi cum iterum omnia diui Gregorii Nazianzeni opera repurgata & multò auctiora facta (conquisitis nimirum vndecunque veteribus Græcis exemplaribus, multísq; ad eum Roma missis ab illustrissimis Cardinalibus Peluæo, Sirleto, Caraffa, Baro subdatario, Gerardo Vrsio, Morino, aliisque ei nomine pietatis & literarum coniunctissimis, quos & ipse scriptis suis celebrauit) typis mandat, & hoc opus ob grassantem pestem pridem intermisE sum vrget, renascitur alui profluuium, quod mox comitantur parotis, & catarrhus vbertim in pulmones defluens: phthisi quippe interiit. Sentiens autem ingrauescere morbum aliquot ante dies quàm extremum clauderet, quasi cum Ezechia audiisset ab Esaia, Dispone domui tuæ, cras enim morieris, sacris primò postulatis, & piè sumptis, atque postea repetitis, (nam dum bona valetudine frueretur in celebrandis tremendis mysteriis creberrimus & religiosissimus erat) de singulis siue quæ ad animam, siue quæ ad corpus, siue quæ ad rem domesticam & temporaria pertinerent, ita disposuit, vt nihil penè intactum reliquerit, eíque ferè omnia ad animi voluntatem fluxisse viderẽtur. Quanta verò fide, quàm ardenti charitate, quàm profunda & abiecta (sed spe meliorum erecta) humilitate hoc sacrum viaticum, in

quo summum semper præsidium collocauerat, & quo se in cœlestem montem inuitis omnibus hostibus ascensurum sperabat, sumpserit, vix sermone explicari potest. Duo autem, dum alia multa prætereo, tum maximè præstitit. Alterum, quòd viso Domino ei de tot, tantísq; ab eo acceptis beneficiis gratias ex animo, & quantas potuit, egerit, at potissimum quòd peropportunè & ad vitæ extremũ (quasi videret in se adimpletum, quod summis votis Dauid poscebat his verbis: Ne proiicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me) Dominus seruum, Deus creaturam, Rex subditum, summus medicus ægrotum, vita morientem inuisere, & sub tectum suum intrare dignatus sit, at cum eo velut in lecto decumbere, qui cum Iosepho fuerat in carcere, & cum Iona in piscis ventre: Amicus quippe certus in re incerta cernitur. Alterum, quòd commissa sua grauissimè detestatus, eorũ veniam summa cum pœnitudine & cordis contritione petierit. In quibus tam piis & elegantibus verbis, aut velut cygneo quodã cantu vsus est, vt astantes in sui admirationem raperet, ac eis lachrymas excuteret. Pridie verò quàm piam efflaret animam sacro etiam oleo inungi voluit strenuus Christi athleta, qui bonum certamen certauerat, cursum consummauerat, fidem seruauerat, ne qua parte comprehendi posset ab inimicis illis, qui toto quidem vitæ tempore, sed maximè calcaneo nostro insidiari solent. In qua sacra & extrema vnctione cum à Sanseueriano curione suo Iacobo Preuotio theologo eximio de more sanctissimæ Triadis misericordia, & cœlitum imploraretur patrocinium, in singulis ea spe & fiducia respõdebat, vt eorum paratam sibi opem, & cum Iacob castra Dei, vel, cum Elisæo igneos & auxiliares circa se equos & currus videre videretur: Angeli enim Domini in circuitu timentium eum. Vnde nullo vnquam metu mortis consternatus apparuit, quin eo vegetior & alacrior, quo se maiori & potentiori comitatu stipatum, & portui, post traiectum huius sæculi procellosum & periculis plenũ fretum, propinquiorem sentiebat. In hoc autẽ postremo suo morbo patientiss. vt aliis in omnibus semper fuit, nihilque aliud quàm de Deo, déque summa eius erga peccatores misericordia, velut vastum quoddam mare omnia peccata obruente, audire volebat. Cúmq; de ea sæpius verba facerem, & de sæculi huius miseriis, déque eis oppositis gaudiis cœlestibus quæ hinc emigraturos solari & exhilarare solent, iubebat vt de peccati etiam grauitate & fœtore dicerem, quò magis suorum (quæ certè vel nulla, vel paucissima, eáque quæ humanitus admitti solẽt, & à quibus vix optimus quisq; se vindicare potest, in eo vnquã animaduerti: sed iustus est prior accusator sui) eum tæderet, maioríq; dolore & horrore concuteretur. Gaudebat & Psalmographi hemistichiis ad excitandam suam & mentem, & memoriam eorum quæ ipse sanus ad mortis (quam lætus & peruigil expectabat: quippe cui viuere Christus, & mori lucrum esset) viaticum sibi parauerat. Nam paucis auditis (siquidem plura eius cerebrum ferre non poterat) ipse postea sublatis semper in altũ oculis hæc apud se meditans, & more mundorum animaliũ ruminans velut in cœlum rapiebatur. Cúmq; illi perpetuò assiderem, & quid ageret tacitus aliquando contemplarer, ipse meditando vel precando fessus, Age verò, inquiebat, dic aliquid. Tum ego de thesauro biblico proferebam modò noua quædam, modò vetera, eósque animi cibos, quibus eum libenter vesci, palatóque eius arridere ad Rebeccæ imitationem nouerã. Dicebam & de salutiferæ crucis mysterio, cuius imaginem, vt verum serpentem æneum ab omnibus venenatis antiqui serpẽtis morsibus curantem, fixis oculis intuebatur, osculabatur, amplexabatur: hácque, velut scala Iacob, ad Dominum ipsi innixum & suffixum, ac sibi quasi manum inde porrigentem rapi, & in cœlũ ascendere videbatur. Accersi & ipse iussit amicos aliquos theologos viros doctos & pios, quorum consolationes libentissimè excipiebat. Ita prorogata est illi vita (nam toto penè Aduentus tempore in lecto decumbens, eo, velut suggesto in prædicandis Dei laudibus vsus est) in sanctam natalem Domini diem. De cuius mysterio postquam multa me dicentem audiisset, & plura ipse meditatus fuisset (nam vox illi impediẽte fluxione libera non erat) hora nona serotina, pulsante Sorbonæ campana, velut se ad somnum compositurus, Subuehite me, ait astantibus. Mox ego, qui ex eius verbis aliquam dicendi occasionem semper captabam, & vultum eius

A iam immutari videbam, En, aio, subuectus es: sed altius, & in cœlum ipsum subuehendus. Ecce chorus angelorum, & ille cœlestis militiæ exercitus, qui hodie de cœlis in mundum descendit ad personandas Dei laudes, & ad pios omnes exhilarandos, ad te etiam accessit, téque circunstat, illi ad uncto fratre tùo à Gallione. (Erat enim ei frater ille Prior nouæ Chartusiæ Gallionensis charissimus & desideratissimus, cum propter naturæ & magnæ necessitudinis, quæ illis ab infantia intercesserat, vinculum, tum propter singularem animi eius candorem, & summam vitæ integritatem.) En, ecce, aio, hi te omnes aperto sinu & obuiis vlnis excepturi expectant, eo erga te, quo erga Lazarum, functuri officio, vtque hinc cum illis in cœlum migres. Tum, Amen inquiens (præsente & audiente communi amico Genebrardo) obdormiuit in Domino inter meos amplexus, postquam annos plus viginti continuos simul amicissimè & in vtraque fortuna versati sumus. Dicere enim aliquando solebat cùm de me aliis sermones sereret, nos dextras societatis (sic enim de alumno suo amicè loqui solebat) dedisse, nulla vi nisi mortis disiungendas. Quod summo Dei beneficio inter alia multa mihi contigit. Nec enim vllo alio vnquam diutius & familiarius vsus est, nec alteri cuiquam (ni fallor) sua libentius ac fidelius arcana commisit. Quas ob res, & in grati animi testificationem hoc eius elogium scripsi, eíque luctuosissimè parentaui. Obiit autem seruus domini, & literarum decus anno ætatis suæ quadragesimo septimo, Lutetiæ Parisiorum, in ædibus amici Gilberti Genebrardi Theologi Parisiensis, diuinarum Hebraïcarúmque literarum professoris. Anno salutis M. D. LXXXI. hora nona serotina diei illius quo Christus Dominus in mundum venit, vt eum, cæterósque pios eius similes in cœlum assumeret. Eius corpus multis studiis, vigiliis, ac laboribus pro Dei Ecclesia dum viueret protritum & exhaustum, in choro ædis Sancto Seuerino sacræ ad magni altaris dextram dormit in puluere, donec à Domino excitetur, ac beatæ animæ sanctorum laborum suorum sociæ & consorti iterum vniatur.

SACELLVM A

GREGORIANVM

LAVRENTII FRIZOLII.

GREGORIO XIII. PONT. MAX.

Da veniam tua sancte Pater tenuasse fatenti
Grandia. non studij hæc culpa, sed ingenij.
Qui poterant magni vates, cessere: relictum
Hoc subij sanæ vix ego mentis onus.
Sit voluisse aliquid. non laudem, aut munera posco.
Sat veniam leuibus me reperire modis. B

Extulerat lucem nitido sol aureus ortu,
Et iã tẽpus erat Petri sub principis ædem
Augustam translata, sacris de more peractis,
Condere Nazanzi monumento antistitis ossa:
Excelsúmque opibus tantis ditare sacellum,
Gregorij magnum quod habet de nomine nomẽ.
Concursus templum populi compleuerat ingens,
Pérque vias gentis celebres properantis eodem
Agmina perpetuo fluxu glomerata ruebant.
Quisque nouum miratur opus, fixísq; superbos
Luminibus fertur suspensa mente per orbes.
Sedibus huc effusa suis pulcherrima rerum
Pulchrius aspexisse nihil se Roma fatetur.
Hic placidi Laurẽs nõ infimus accola Aprusæ
Sæpe pererratis stupefacto lumine templis
Tyrrhenũ Antigenẽ, quocũ loca visere sancta,
Et studio externas pietatis quærere terras
Sueuerat, aggressus dictis compellat amicum.
Antigenes, tectis dudum vagor auius altis.
Ignota obiiciunt oculis se plurima, mentem
Diuerso quæ solicitam certamine pulsant.
Tu mihi, tu rerum prudens, dum sacra parãtur,
Induitur niuea summus dum veste sacerdos,
Succurre, & cupido monstrata edissere, sedes
Quæ liceat patrias repetenti audita referre.
Antigenes iussa antiqui facturus amici,
Iucundóque iterum visurus tecta labore
Aurea, Laurentem sic contra affarier orsus.
Tolle oculos, pictósque altæ testudinis arcus
Suspiciens, operis mecum spectacula tanti
Perlege, & impositas tectis hinc disce figuras.
Ordine percurrens breuiter tibi singula pandam,
Téque tuis oculis etiam manifesta docebo.
Aspice inaurato sublatam fornice molem,
Vt tollens æquis se partibus vndique surgit,
Leniter & curuans alti fastigia templi
Interius sinuat circo caua tecta rotundo.
Conuexi medium (cernis) sol influit orbem
Lucidus, & radiis lustrat splendentibus ædem,
Infundit vitreísque diem specularibus ortam.
Substructum longis illic candentia latè
Quàm bene metãtur quadris discrimina cœlum?
Limitibúsque secant variata cacumina certis?
Dimensis (tenues artis ne despice lusus)
In spatiis passim mollis se fundit acanthus,
Inque hederæ gracilis morem vestigia pandit,
Gramineísque tholo serpens amplexibus alto
Tollit brachia lenta, racemiferósque corymbos,
Desinit & tandem in facies hominísve, feræve.
Cancellis foliorum inter circundata flexus
Candelabra vomunt tremulas è vertice flãmas,
Fœdantes atro non vnquam culmina fumo.
Inferius cassas externa luce fenestras,
Et vacuo auratum cingentes ordine tectum
Apta Corinthiaci dirimit fultura laboris, C
Circuitúque nitens spectantum lumina pascit.
Glutine qui candent arcus, auróque renident,
Quorum humeris sublata polo fastigia surgunt,
Ipse vides quæ signa ferant. in stipite ahenum
Implicitis anguem pendentem flexibus alto:
Vipereis ægros recreantem morsibus anguem,
Obductásque alis facies, volucrúmque figuras.
Tutelam hic orbis non vna ex parte dracones
Desecto caudæ videas rutilare veneno,
Auxilio innocuas & pandere gentibus alas.
Excubat in vigili custodia lumine, monstris D
Barbaricis oritur cristato è vertice terror.
Aspice quà tectis Ephyreæ nititur aureis
Artis opus, gyro in sese vt redeunte corona
Prominet, & pictũ candens discriminat orbem.
Hãc subter liquido æternũ quæ gaudet Olympo
Cernere erit gentẽ, vultúsque, & discere nomen.
En dextra magnus sacrata volumina versat
Gregorius, cuius gemmis diadema coruscum,
Atque auro, sacrum triplici caput orbe coronat.
Huic sanctus formámq; gerẽs, speciémq; colũbæ
Spiritus aduolitat, mentemq; docentis, & ora E
Cœlesti sensu, & verbis cœlestibus implet.
Hinc nitidam puro concepit pectore lucem,
Quæ chartis illapsa sacris splendore refulsit,
Et liquidum densas purgauit in æthera nubes.
Hinc rectos animorũ habitus dimensus amoris
Limite diuini, sanctis virtutibus orbem
Instituit, fuditque nouos in pectora mores.
Quinetiam patrij flauas ad Tybridis vndas,
Qua Vaticanus nigrantem porrigit vmbram,
Pastorum princeps, ouium quæ cura magistros
Solicitet, qui sint morbi, quæ pabula lætas
Efficiant,

A *Efficiant, fontésque docet, tristísque luporum*
Queis rabies fugienda modis. In finibus idem
Terrarum extremis, Tamesis quos carmine dulci
Cycnorum resonans herboso interluit amne,
Dum mollit genus indomitũ, dum suaue colẽdi
Flectit in obsequium Christi fera pectora, gẽtis
Partibus adiectæ fidis cognomine gaudet.
Respondet læua linguarum doctus, & oræ
Illyricæ decus eximium, quem nomine sacro
Religio, meritóque ornat pietatis honore.
Hic pedibus calcans, quæ vulgus inania captat
B *Gaudia, contempto circundat corpus amictu,*
Longáque per multas ducens ieiunia luces
Mẽbra domat, siluísq; habitãs, specubúsq; ferarũ,
Mansuetũ & mulcens (cernis post terga) leonẽ,
In cruce non vno confixum vulnere Christum,
Et caput, & sanctos lacerum crudeliter artus
Saucius ingenti tantum sibi poscit amore.
Nigrantẽ oblitus calamũ, quẽ sumpsit, vt vnũ
Te fixus spectat? te vt Christe moratur in vno?
At Latios contra patres duo lumina Graiæ
Conuertens in tergum acies, huc respice gentis.
C *Ille (vides) mitra insignis, qui mente recedit*
In sese tota, aduersoque in codice figit
Obtutum, tollítque manu, exsinuátq; volumen,
Corpore procerus, macies cui pallida vultum
Demittit, Basili nomen cognomine magni
Illustrat: claris rediens qui doctus Athenis,
Cappadocum patriã decorauit laudibus vrbem.
Eloquio populísque graui, sanctísque beatas
Exemplis iter ad sedes monstrauit, & imis
Mortales terris erexit ad æthera curas.
Ille viros solis agitantes montibus vnà
Communẽ ad vitã, morésque, habitúmq; coëgit.
D *Sub sanctis hos suaue iugum tolerare magistris*
Edocuit, castáque inopes splendescere vita
Secretos populo, & fallacis imagine mundi:
Momento incautos rapiens quæ præterit horæ,
Et breuia æterno commutat gaudia luctu.
Felices, si certa sibi sententia constet,
Propositúmque petat finem, crebrísque procellis
Semoti, rapido ventorum à turbine tuta,
Aduersa & trucibus mõstris statione quiescãt.
Alter, deposito capitis qui tegmine calui
Verticis ostentat summum, quæ mente volutat
E *Argumenta? poli volitans dum culmina tentat.*
Nec secus atq; aquila, aërias quæ vecta per auras
Effugit humanos visus, fuluísque coactas
Condenso pennis diuerberat aëre nubes,
Aetherias superátque vias, solísque propinqui
Flammifero victrix defigit lumina curru:
Altiuolans penetrat cœlum, sanctísq; reportat
Magnarum in terras adytis mysteria rerum.
Vnius, triníque Dei secreta recludit:
Et patre qui procedit amor, natóque per orbem
Facundo latè magnum diffunditur ore.

Quo studio afflatos sensus diuinitus instat
Promere? & humano prudẽs substernere captu?
Queis calamum ingenij collectis viribus vrget
Arcana æternis mandans cœlestia chartis?
Quàm largos sophiæ spargit de fonte liquores?
Seu plantas Christi sitientes dulcibus vndis
Irrigat, & ductis reficit viridaria riuis:
Et præter Sasimos gradiens in saltibus oræ
Hellespontiacæ gregibus dat pocula lætis,
Et patriis liquidos armentis elicit amnes.
Seu magno obstãtes torquet cũ murmure siluas,
Stirpésque, hirsutósq; vepres sub gurgite voluit:
Eruit & celso tremefactas vertice quercus,
Imbribus ætheriis auctus, venáque perenni.
Audiit hunc magni tellus Byzantia, quondam
Imperij sedes, diri nunc sæua tyranni
Regia, sedantémque patrum, plebísq; tumultus
Sacrilegi captæ insidiis fallacibus Ari.
Audiuere vrbes, Asiæ caríque parentis
Defuncti vita, fratrísque, piæque sororis
Edentem in tristi moderatos funere fletus,
Atque alios, memori luctus quos donat honore.
Te quoque Cecropia secum iuuenilibus vrbe
Florentem studiis: mox & meliora secutum
Defleuit sacrum Basili caput, & tua facta,
Et merita egregios cumulauit laude labores.
Nunc puro æternæ radiantes lucis amictu
Ambo Cappadoces, celebres virtutibus ambo,
Vestra simul fixis expressa coloribus ora,
Et sacros habitus, & pastoralia Graio
Pallia, sacratæque crucis vestigia more
Hac iungi, hac nitida cerni gaudetis in æde.
Lætitiæ pater Illyricus, qui fontibus hausit
Alterius vestrum latices, sua gaudia miscet.
In varios an ducta modos, quæ condita sacro
Carmina sunt vati memorem? non illa profanis,
Qualia Graiorum prisci cecinere poëtæ,
Figmentis vacuas hominum tentantia mentes:
Sed pudor intactus canitur: sed carnis inultum
Seruitium vrgetur miseræ: quæ bella minatur,
Crudeles dominam contra quæ comparat hostes:
Aduersarius acer opes, luxúmque, merúmque,
Furtáque, sublimésq; gradus, fascésq; superbos
Obiicit, & blando sensus pertentat amore:
Pollicitísque animos tollens mendacibus inflat.
Hunc monitu sancti doctus tu carminis, atras
Pelle crucis signo in tenebras. crucis ille tremiscit
Aspectum, & tantis cõtendere viribus horret.
O placitis Christo dum moribus aspera format
Pectora, dúmq; breuis lacrymãs incõmoda vitæ
Mœret, quàm suaui distendit nectare dicta?
Miscet & Aonio stillantia mella lepore?
Nũc breuibus tacita expediã, quod mẽte requi-
Hic genus exigua Nazãzi duxit ab vrbe (ris.
Egregium; tanti radians quæ sidere alumni,
In boreæ pariter fines effulsit, & austri,

Vnde oritur, quà præcipitans cadit ætherius sol,
Oppositúmque nouis afflat splendoribus orbem.
Hic ille est, sacras hesterno lumine cuius
Relliquias celebri pompa comitante secuti
Ante gradus, molli ascensu quos marmora latè
In plateæ tollunt frontem, deuenimus imos:
Constitimúsque, patrum donec, sanctiq; senatus
Occurrit sacris fulgens in vestibus ordo.
Maximus ipse pater, caros vt vidit adesse
Thesauros, humilis solio descendit ab alto,
Obuius & pedibus graditur, scalísque frequẽti
Stipatis populi turba descendit, humíque.
Impressis genibus sanctis, & vertice nudo
Supplicis in morem: Nobis salucte beata
Ossa (inquit) celsa tandem veneranda sub æde.
Vos ò qui rexit iam spiritus æthere fœlix,
Illum deuoti colimus si pectore puro,
Et nos, & populũ huc spectãs, orbémq; redẽptũ
Conciliet, precibúsque Deo commendet amicis.
Sic fatur, lacrymísque pius rigat ora profusis,
Et tenet incumbens auidis complexibus vrnam.
Exemplo patres tantæ pietatis, & ipsi,
Et populus largis suffundunt lumina riuis;
Ossáque delubro interea pretiosa reponunt:
Sub nitida hac condi quæ mox spectabimus ara.
Ille suis plausus spectans, pompámq; frequẽtem
Relliquiis sedem augustam gratatur olympo,
Et sibi cum Petro consorti gaudet honore:
Pontificísque Deo voces, lacrymásque precantis
Virgine, cœlicolúmque choris lætantibus offert.
Inferius paulo sublimi à cardine mundi,
Vnde aquilo surgit, cernis genitricis vt almæ
Siderea aspectum missus veneratur ab arce
Nuntius? vt blanda trepidantem voce salutat?
Luminibus septum, & radentem proxima terris
Fulgentes nimbi cingunt, auræque serenæ
Aetherias agitant crepitanti flamine pennas,
Et roseos crispãt crines, chlamydémq; volantẽ.
Annuit ipsa Dei iussis castissima virgo.
At quæ ignota mihi sese simulachra duorum
Prisca virûm dextra ostẽdunt? caput ille sinistræ
Adnixus, similis versanti pectore magna,
Inuigilat libro, præ se quem conspicit, illum
Expansum genibus tollens: ast anxius alter
Antiqua euoluens oracula, lumine circum
Vestigat ducto veteres indagine chartas,
Respicit & tergo radiantem flaminis auram
Vos ò quos memorem? populi, patrésne? ducésne?
An vates? certè vates, nisi fallit imago,
Cõptúsque, & propiore Deo mens concita. verbi
Aeterni afflatósne animos arcana fatigant
Virgineo purum sumpturi è sanguine corpus?
Arcana ætheriis vel mentibus incomprensa.
Tantus amor cœlo humanam traducere gentem.
At multo quod tute magis mirabere, dicam.
Effigies non has liquidi fecere colores,
Templi nulla manus tectis diluta superbis A
Pigmenta illeuit: sed versicoloribus ante
Fucatas maculis, incocta & luce nitentes
Tesserulas, docta artificis, studiosáque cura
Componens, summis infixit glutine ducto
Parietibus: fucum trabeæ, lutúmque cothurnis
Tesserulis duxit, saturo diuersa colore
Vt quæq; effulsit, formans oculósque, genásque,
Mentáque promissis barbis, mollesque capillos:
Implicitæque sinus vestis, celsoque tiaræ,
Incuruóque pedo distinctas ordine gemmas:
Et vario pinxit viridantia gramina flore. B
Sic alas, sic pectus auis, quæ Phaside venit,
Quæque coloratis longè defertur ab Indis,
Phœnicísque caput totiens per sæcla renatæ,
Insignes vario intexunt discrimine plumæ,
Et picturatis decorant lita membra figuris.
Vt summa emineant planis, depressáque rursus
Corpora subsidant spatiis, capiántque tuentes:
En clara hinc apices radiauit luce coruscos.
Obscuro hinc tenues vmbras emblemate finxit.
Sol oriens qualis, vel cum declinat olympo
Nigrantem aduersa collustrat lampade nubem: C
Nec radiis totam vibratis permeat. illa
Parte nitet, nebulæ partem caligine opacant.
Frustra quà coëunt commissa latuscula, rimas
Intendens aciem quæris. non hiscere quidquam
Musiuo (sic artifices dixere priores)
Hoc opere, aut minimũ quauis exstare videbis.
Hos infra, ne longè oculos deflecte vagantes,
Proxima quà populo ingressũ dat porta frequẽti,
Ecce tibi Pario cælatus marmore patris
Filius æterni, patri simul æqua potestas.
Hic puri liquido descendens ætheris axe D
(Sic monumenta mihi nostræ memorare salutis,
Nota licet, mentémque piis submittere curis)
Sumpsit ab integra mortalem virgine carnem
Factus homo, & denos duxit ter, & ampliꝰ an-
Per Solymũ ingratas pauper vestigia terras. (nos
Ipse Dei verbum, per quod pater optimus astra
Fecerat, aërios tractus, circúmque loquentes
Vndantis pelagi campos, terrásque crearat,
Confectas morbis vires in pristina nutu
Restituit, sæuásque febres, maciémque fugauit: E
Cæcigenóque dedit solem, variósque colores
Cernere, & artificem visis ex noscere rebus.
Et stabili inualidos firmauit robore gressus.
Nec passus mutas hominum torpescere linguas;
Aut frustra surdas obtundi vocibus aures.
Ille etiam dulci defleta cadauera vitæ
Reddidit, atq; animas tepefacto sanguine rursus
Corporis in notas iussit remeare latebras,
Atque haurire simul vitalem longius auram.
Quid satanæ dicam furiatis mentibus acta
Mõstra trucis? sũmo peragratos quid pede fluctꝰ
Cõmemorem? boreã verbo, domitásq; procellas?
Quidve

A Quidve alia enumerem miranda è vertice cœli
In terras venisse Dei testantia natum?
Quantáve diuino sapientia fluxerit ore?
At gens inuidiæ stimulis agitata malignis
Insidiásque Deo tendit, vitæque parentem
Perdere morte furit. quorum non inscius, ante
Quàm diram subeat mortem (nã sponte subibat)
Mystica supremæ instruxit solemnia cœnæ.
Qua, simul accubuit, surgens, deponit amictus,
(Aspice) seruilique modo sibi lintea cinxit.
Mox vnda in peluim fusa, quã marmore fictam
B In duro fluitare vides, dominúsq; , magisterque,
Ad terram abiectus caris (mirabile visu)
Discipulis, sibi quos humiles delegerat vltro,
Abluit, extergitque pedes: neque parcit Iudæ
Ingrati tepida plantas perfundere lympha,
Leniter & fœdas manibus contingere sanctus:
Si molli at tactu valeant mitescere corda.
Tale ministerium domini sibi rore parantis
Largifluo purgare pedum vestigia Petrus
Abnuit ignarus rerum: sed voce magistri
Correptus, trepidas loturo non modo plantas,
C Sed caput atque manus dictis parentibus offert.
Aspectu pia turba nouo stupefacta tremiscit.
Inter se dubij nutant, & mente requirunt
Confusa taciti, quæ sint mysteria tanta.
Solicita stat fronte timor, sub pectore corda
Marmoreo, aut trepidant verè, aut trepidare videntur.
Iam tempus fessos oculos demittere poscit:
Et quæ circunstant acie spectare propinqua.
En Afro prima stantes in fronte columnæ
Marmore collucent, tereti molimine ad auras
D Séq; ferunt, gemmis similes splendẽtibus ambæ:
Quarum vtrumque caput, niueum trabe marmor Hymetti
Rupibus excisum premit, & fastigat acutum
Culmẽ, quod sacræ impẽdens superimminet aræ.
Amplexo in spatio (cernis) viridique colore,
Atque albo binas interlucere minores,
Virginis & propius genetricis ferre sacellum.
In medio extantem paulum circunspice crustis
Limite dissectis lato fulgere amethysti
Circuitũ. quantũ pretij, quantũ artis in illo est?
E Hoc redimita sedet miseris succurrere rebus
Sueta Dei mater: quam circum turba volucris
Cæruleo ludit campo, dominámque coronat.
Ipsa suum gremio complectitur inclyta natum,
Et reddi meritos illi lætatur honores,
Séque coli vera gaudet pietate potentis
Vrbis, & externæ magnis concursibus oræ.
Si nescis, hæc picta Dei genitricis imago
Parte alia veteris templi per sæcula multa
Illita concretis in calce coloribus hæsit.
Ast illam, simul antiqua statione relicta,
In magis augustam placitum conscendere sedẽ,
Cæmentis leuiter ferro circum vndique cæsis,
Parietis & iusta depicti parte resecta,
Nutantem mouere loco, iunctísq; coactam
Inter se trabibus, nequà labefacta fatiscat,
Huc sacra innocuam pompa vexere, nouíque
Tollentes frontem in mediam inseruere sacelli.
Votiuásq; aditu in dextro posuere tabellas:
Innumerãs viduus paries quas ante gerebat.
Languentes illinc morbis huc tendere vultum,
Et meritas pulsis videas persoluere grates:
Falsi quique graues tormentis sæpe subacti
Criminis irato vitarunt iudice pœnas.
Aut qui bacchantes flammas, celerésve ruinas
Euasere: altis aut qui spumantia ripis
Flumina tranarunt, patrium vel gurgite mersa
Tyrrheno incolumes littus tenuere carina.
Virginis effigiem contra sub fornice surgit
Marmorea hinc spatiis, atq; hinc æqualibus ara.
Hanc velamen obit, tenui quod vellere Seres
Contexunt: planum latis mantilibus æquor
Sternitur, ad terram villis quæ cãdida pendent.
Fulgorem dextráque sacri, læuáque tiaræ
Ordine gemmarum terno iaculantur, & auri.
Stare super duodena vides argentea signa
Bissenos Christi comitum referentia vultus:
Et tereti argento rutilas considere flammas.
Quas inter gentísq; decus, columénq; redemptæ
Crux rutilat, veræ inserto crucis aurea ligno,
Non secus atque adamas æstiui lumine solis
Percussus, tremulo circum fulgore coruscat.
Pulchrius at quanto fulgebis in æthere signum
Iudicis aduentu magni? cum quatuor orbis
Partibus horribilẽ intendet tuba nũtia cantum:
Terrificóque replens mortalia corda pauore
Excitos tumulis cineres animabit, & ossa.
Ante ducem, ceu vexillum, tu lucida cœlo
Descendes mille aligeris sublata ministris.
Omnipotens solẽ, & lunam, stellásque micãtes
Victurus fulgore nouo, splendescere longè
Te faciet, clara ferri candentis & instar,
Semina quod flammæ irradiant, sub luce videri.
Vt te qui talem Iudæus conspuit amens,
Quæque iocum quondã gentes habuere superbæ,
Nuper & infractam qui perdere fluctibus ausi,
Fragmina vel rapidis, scelus ah, cõsumere flãmis,
Aut ditem manibus prædam rapuere cruentis,
Ingentis spectent hunc maiestatis honorem:
Téque, tuumq; probris doleãt onerasse triumphũ:
Ictibus & crebri pertundant pectora feris.
Cætera diuerso splendent quæ secta colore,
Nostris posse putas comprendi marmora dictis?
Hæc puris certant niuibus candore: smaragdos
Hæc virides superant longè, flammásq; pyropi,
Chrysolithos giluo hæc referunt læuata nitore.

Nõ nigrũ hæc vincũt hebenũ?nõ succina nigra?
At maculis alia innatis, guttísve notantur
Aspersis,mira inter se iunguntur & arte,
Signorúmque nouis perstringunt lumina textis.
Quorum luce solum radiat,pariésque renidet,
Vt Cilicis Tmoli,Siculæ aut conuallibus Ennæ
Omnigenũ arua plagis rident distincta colorũ.
Vt calthæ areolis,violæve,albíve ligustri,
Narcißi,cyaníve nitent gemmantibus horti.
Vt vario signante vias subtegmine,lucent
Textilia Arabiis illusa tapeta figuris.
Hæc tu,quique altis flores laquearibus ardent,
Aspiciens mirare vltro,nec quære moneri.
Tertius hæc decimus miracula præbuit Vrbi
Gregorius, fœlix quo principe gaudet alumno
Felsina,Romuleis quondam celebrata colonis.
Nec tantũ fama Ausoniis sese vrbibus æquat:
Sed caput euexit nitidos super ætheris axes.
Gregorius,leni magnum qui temperat orbem
Imperio,durísque nefas compescit habenis,
Vimque domat,magnáq; premit ditione rebelles.
Hunc Petri innixum solio pietásque, fidésque,
Sublimem attollunt humeris,hunc robore firmo
Sustentat magnis constans prudentia rebus.
Instaurans priscos hic relligionis honores,
Impulsas furiis gentes,labefactáque regna
Erigere,aut firmare parans (vt cuique ruina est)
Germanos,qui sint veræ pietatis alumni,
Euocat huc fœtus,& qui vastata ruentis
Pannoniæ arua colunt:oris pubémque Britannã
Expulsam patriis:multa mercede doceri
Quos iubet,& quorũ vsus eget,victúsq;,iuuari.
Vt mox quisque suæ prætendat lumina genti,
Atque atauis trito palantes limite sistat.
Huc quoque telluris iußit plantaria Graiæ
Lecta vehi,oblitos repetant vt culta sapores,
Et silua antiqua,liquido gratißima cœlo
Quæ fuit,assuescant dignos producere fructus.
Iudaicæ Christi cultum venientia in agrum
Labruscæ virgulta colit, stirpísque propagat
Degeneris lætam,renouátque ab origine vitem.
Romanísque docens sæptis ramos oleastri
Immissos oleæ pingui ditescere bacca,
A glacie teneros fœtus defendit,& æstu.
Vbertas frugum largos effundit aceruos.
Dúmque aliis edunt stragem contagia terris,
Indomitíque furit non eluctabile leti
Imperium:miseri cumulat dum funera vulgi:
Hinc nebulis longè pulsis,caliginéque atra
Cœlestis puro diffunditur aëre tractus,
Almáque Romanũ ad Tyberim,vicináq; circũ
Arua Salus,roseo corpus perfusa decore,
Et gressu validas ostentans ardua vires,
Exultat,longæ & populis dat munera vitæ. A
Hæc tenerã nutrit sobolem,iuuenúmq; valẽtes
Mobilium vario exercet certamine turmas.
Diuinúmque senem florenti robore firmat:
Exuit & grandem rugis,maciéque senectam.
Pax euincta comas latiali incedit oliua,
Et tuta Ausonias traducit ad otia gentes.
Longinquas eadem terræ sublimibus alis
Aëra proscindens vacuum,penetrabit ad oras,
Principe te miseros cum Gallica terra tumultus
Sedabit,regníque sinu fera monstra vetusti
Eiiciet:notis cum secta Britannia terris, B
Et borea pulsata truci vicina Caledon,
Orcades & sparsæ Oceano tua iussa capessent:
Et Vaticani sacros è vertice ritus
Conuersis repetent animis,consultáque patrum.
O tunc quanta pias implebunt gaudia mentes?
Quàm longè,latéque ferent se commoda pacis,
Errans cum gelidos Rheni glacialis ad amnes,
Atque albis, grex innumerus,Dacíque ferocis
Flumina curua bibens,pastoris voce vocantis
Audita,tandem Romana in sæpta redibunt,
Procumbent pedibus sanctis,& Tybridis alto C
Antiquas puri mersabunt gurgite labes.
Sublimi externæ gentis quot sede locatus
Hac populos media excipies testudine,pacem
Aeternam,votísque piis,lachrymísq; precãtes?
Quos veterum firmans vera pietate parentum
Detrudes fœdas sectarum in tartara pestes.
Quíque salutarem reserasti gentibus annum
Sancte piis,veniæque dedisti munera largæ,
Pectora tergemino religans discordia nexu
Compones longa fœlicia sæcla quiete.
Talia narrabat rerum prudentior hospes:
Cum subitò augustis indicta silentia templis: D
Gregoriúsque micans nitido candore,ministris
Argento claris fultus, se sistit ad aram,
Facturúsque Deo solemnia sacra supremo,
Inque vocaturus sacris sanctámque parentem,
Et te Graie pater,quibus ipse sacrauerat ædem,
Arámq;,& lectos famulos,pia verba profatur.
Tum medium latè visum se scindere cœlum:
Et summo insolitum delubri culmine lumen
Sidere,& aligerum celeres requiesse choreæ.
Atria lata chorus permulcens dulce canentum
Cõpositas suaui ingeminant modulamine voces: E
Et quales niuei perrata recentia cycni
Inflectunt liquido sacratos gutture versus.
Implentur lætis auidæ concentibus aures.
Pulsa modis,lõgúmq; tremẽs sonat aura canoris.
Submissa repetunt albati exordia prima
Voce patres,terræ populus procumbit,& vnà
Gregorium votis omnes,precibúsque sequũtur.

F I N I S.

INDEX



INDEX RERVM INSIGNIORVM, QVÆ OMNIBVS D. GREGORII NAZIANZENI CONTINENTVR SCRIPTIS, LOCVPLETISSIMVS.

a

æmulatio

B

Baptizare

C

chri-

c

contentio

D

E

F

fœlici-

G

gregorius

H

hierusalem,

I

insidias

iulianus

L

Lapis

INDEX.

N

Noë

O

petulantiam

Q

R

Roma

ſapien-

APPENDIX AD PRIMVM TOMVM OPERVM SANCTI GREGORII NAZIANZENI,

QVA CONTINENTVR

Oratio in Sanctos Martyres & contra Arrianos. Græcè.

Epistolæ decem Græcè & Latinè, Fed. Morello P.R. Interprete.

Testamentum S. Gregorij, Iac. Sirmondo Soc. Iesv Presb. Interprete.

Notæ in LIII. orationes & Epistolas.



APPENDIX AD PRIMVM VOLVMEN OPERVM S. GREGORII NAZIANZENI.

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΜΑΡΤΥΡΑΣ, ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΑΡΕΙΑΝΩΝ.

Τί τοσοῦτόν ἐστιν εἰπεῖν, ὅσον τοῖς ὀφθαλμοῖς πάρεστι βλέπειν; τίς διάλογος τῶν φαινομένων ἀγαθῶν ἰσοστάσιος; ἰδοὺ πρόκειται τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν τὸ ἀπιστούμενον θέαμα, ὃ καὶ ἰδεῖν μὲν πολλάκις ηὐξάμεθα, κρεῖττον δὲ νῦν ἢ κατ' εὐχὴν τὸ ποθούμενον. πάλιν ἐνταῦθα μαρτύρων τιμαί, πολὺν ἤδη τὸν πρὸ τούτου χρόνον ἀμεληθεῖσαι· πάλιν ἱερέων Θεοῦ συνδρομαί· πάλιν χοροστασίαι καὶ πανηγύρεις πνευματικαί, ὁ σύλλογος πολυάνθρωπος ἑορτάζειν οὐχ ὁπλομαχεῖν προθυμούμενος. ὢ τοῦ θαύματος. ἔρριπται τῶν χειρῶν τὰ ὅπλα· λέλυται ἡ παράταξις· ἀμβλύνεται ὁ πόλεμος. οὐκ ἔτι αἱ φωναὶ τῶν ἀλαλαζόντων ἀκούονται· ἀντὶ δὲ τούτων ἑορταὶ καὶ εὐφροσύναι, καὶ εἰρηνικαὶ θυμηδίαι τὴν πόλιν πᾶσαν περιχορεύουσι, τὴν πάλαι μὲν οὖσαν τῶν μαρτύρων μητέρα, πολὺν δὲ, τὸν ἐν τῷ μέσῳ χρόνον, ἄμοιρον γενομένην τῆς ἐπὶ τοῖς τέκνοις τιμῆς. ἀλλὰ νῦν ἀπέχει πάντα καὶ περισσεύει, καθώς φησιν ὁ ἀπόστολος. εὖγε, ὦ μάρτυρες· ὑμέτερος καὶ ἐστὶν ὁ ἆθλος· ὑμεῖς νενικήκατε τὸν πολὺν πόλεμον εὖ οἶδα· μόνα καὶ ταῦτα τῶν ὑμετέρων ἱδρώτων τὰ κατορθώματα· ὑμεῖς ἠγείρατε τῇ εἰρήνῃ τὸ τρόπαιον· ὑμεῖς τοὺς ἱερέας τοῦ Θεοῦ ἐφ' ἑαυτοὺς ἐφειλκύσασθε· ὑμεῖς τοὺς χορευτὰς τοῦ ἁγίου πνεύματος τῷ συλλόγῳ τούτῳ παρεστήσασθε. ὢ πόσην πεπόνθασι τὴν ζημίαν οἷς ὁ χρόνος τῆς ζωῆς μέχρι τοῦ νῦν οὐ διήρκεσε θεάματος, ἵνα τῶν σκυθρωπῶν εἰς πέρας ἐλθόντες, τῶν ἀγαθῶν τῆς εἰρήνης ἀπέλαυσαν. οἴχεται μὲν καὶ ἠφάνισται ἡ τῆς αἱρέσεως ἀπάτη, οἷόν τις ὁμίχλη ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος σκεδασθεῖσα, καθαρὰ δὲ διέλαμψεν ἡ τῆς εἰρήνης αἰθρία, καὶ διαφαίνονται κατ' αὐτὴν οἱ τοῦ ἄστεος ἐν λαμπρότητι τῆς ἀληθείας φωτὶ μαρμαρύσσοντες ἀστέρες. οὐχὶ νυκτὶ ἀποκεκληρωμένοι καὶ σκότῳ, ἀλλ' ἡμεροφανεῖς οἱ πάντες, τῷ ἀληθινῷ φωτὶ τῆς δικαιοσύνης ἀναλάμψαντες· καὶ ἐπεί, καθά φησιν ὁ ἀπόστολος, ἡ νὺξ προέκοψε, μᾶλλον δὲ τὸ παράπαν ἠφάνισται, τῷ δὲ φωτὶ τῆς ἡμέρας ἅπαν καταφαιδρύνεται· φεύγει μὲν τὰ νυκτινόμα τῶν θηρίων, καὶ συνελαύνονται πρὸς τοὺς δρυμοὺς καὶ τὰς σπήλυγγας. φεύγουσι δὲ νυκτερίδες αἱρετικαί, τρίζουσαι καὶ πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας φῶς ἀμβλυώττουσαι, καὶ εἰς τὰς τρώγλας τῶν πετρῶν καταδύονται ἐπὶ κεφαλὴν ἀλλήλων ἐχόμεναι. πέπαυται διὰ τῆς ἡμέρας ταύτης τὰ τῶν κωμαστῶν καὶ τῶν μεθυόντων συντάγματα· λωποδύται, καὶ τοιχωρύχοι, καὶ κλέπται, καί, εἴ τι ἄλλο τῆς νυκτός ἔργον ἐστί, τοῦ φωτὸς τῆς εἰρήνης ἐπανατείλαντος, κεκρύπται. ἕως δὲ νῦν ἡ νὺξ ἐκείνη τῷ τῆς ἀπάτης γνόφῳ τὰ πάντα κατασκοτίζουσα, οἷα νῦν τὰ πραττόμενα; λήθης ἄξια καὶ βαθείας σιγῆς, ὡς ἂν μὴ μνήμῃ τῶν ἀηδεστέρων ἡ παροῦσα χάρις καταμολύνοιτο. πῶς γὰρ ἄν τις εἴποι τὰ κατ' αὐτῆς κακά; πῶς δ' ἄν τις καὶ σιωπήσειε; τί πάθος ἐκ τραγῳδίας τοιοῦτον; τίς μῦθος συμφορὰς ἀναπλάσσων; τίς ποιητὴς δραμάτων τοιοῦτον ἐπὶ σκηνῆς πάθος ἐβόησεν; ὑπὲρ λόγον ἡ συμφορά· ὑπὲρ τὴν δύναμιν τῶν

διηγουμένων τὰ πάθη· ὁρμητήριον γὰρ τοῦ διαβόλου ὁ χορός, ἐνταῦθα τὸ στρατόπεδον ἑαυτῷ κατεστήσατο, καὶ τοὺς ἰδίους ὑπασπιστὰς ἐν αὐτῷ καθιδρύσατο· ἐνταῦθα ὁ στρατὸς τοῦ ψεύδους, οἱ τῆς ἀπάτης πρόμαχοι, ἡ τῶν δαιμόνων ἐκστρατεία, αἱ λεγεῶνες τῶν ἀκαθάρτων πνευμάτων· εἰ δὲ χρὴ καὶ τῶν ἔξωθεν ὀνομάτων εἰπεῖν, ἐντεῦθεν ὁ πονηρὸς τῶν δαιμόνων ἐριννύων στρατὸς κατὰ τῆς ἐκκλησίας ἐκώμασεν· οὕτω γὰρ ὀνομάζειν τὰς γυναῖκας προάγομαι, αἳ ὑπὲρ τὴν φύσιν εἰς τὸ κακὸν ἐνυβρίζοντο. μία γὰρ ἐν ταῖς ἡμέραις Ηλιοὺ ἡ Ιεζάβελ κατὰ τῶν προφητῶν τοῦ Κυρίου φονῶσα, καὶ στηλιτεύει αὐτὴν ἡ θεόπνευστος ἱστορία· ὡς ἂν οἶμαι τῇ μνήμῃ τοῦ ἀκολάστου γυναίου, πᾶς ὁ μετὰ ταῦτα βίος παιδεύοιτο. τοσαῦται τοίνυν κατὰ τὴν Ιεζάβελ ἐκείνην, ὥσπερ τι κώνειον ἐκ τῆς χώρας ἀθρόως ἐβλάστησαν, νικῶσαι τὴν μνημονευθεῖσαν τῇ τῆς πικρίας ὑπερβολῇ. εἰ δὲ ἀπιστεῖς τῷ λόγῳ, τὴν ἱστορίαν ἐπίσκεψαι. ἐκείνη τὴν ἄμπελον τοῦ Ναβουθαὶ τῷ ἐκλύτῳ Αχαὰβ ἐχαρίζετο, ἵνα ποιήσῃ κῆπον τὴν ἄμπελον, τρυφῆς ἐγκαλλώπισμα, γυναικείαν χλιδήν· αὗται τὴν ζῶσαν Θεοῦ ἄμπελον, τὴν ἐκκλησίαν λέγω, εἰς παντελῆ ἀφανισμὸν μετενεγκεῖν ἐβιάσαντο, αὗται δι' ἑαυτῶν τὸ κακὸν ἐνεργοῦσαι. ποῖον εὕρω τοῦ λόγου παράδειγμα; τίνα τῆς κακίας ταύτης ἐπινοήσω εἰκόνα; εἶδον ἐπὶ κονιάματος τοίχου τοιαύτην γραφήν (καί μου βαστάσατε τὴν καρδίαν τῇ τῶν κακῶν μνήμῃ περιοιδαίνουσαν, μᾶλλον δὲ τῷ πόνῳ καὶ ὑμεῖς συναλγήσατε. ἡμέτερα γὰρ καὶ οὐκ ἀλλότρια διηγούμεθα πάθη) τίς τοίνυν ἡ γραφὴ ἣν προσεικάζω τοῖς πράγμασι; χορεία τις ἦν γυναικῶν ἀσχημονοῦσα, ἄλλης κατ' ἄλλο τι σχῆμα ὀρχηστικὸν ἑαυτὴν διαστρεβλούσης (μαινάδας οἱ μῦθοι τὰς τοιαύτας γυναῖκας καλοῦσι) κόμαι ταῖς αὔραις ἀνασοβούμεναι, βλέμμα μανίας πρόοδον, πυρσοὶ διὰ χειρῶν φερόμενοι, καὶ φλόγες ἐκ τούτων τῇ περιστροφῇ τῶν σωμάτων ἑλισσόμεναι· αὔρα ἐν κόλποις τῇ ἀσχημοσύνῃ τῶν πέπλων λυμαινομένη, πόδες ἀκροβατοῦντες καὶ ὑψαλλόμενοι, αἰδὼς εὐσχήμων οὐδενὸς τῶν γινομένων ἐφαπτομένη· διὰ μέσου δὲ τῆς τοιαύτης χορείας, ἀνδρὸς εἴδωλον τοιοῦτον· μιξόθηλύ τις καὶ τὴν φύσιν ἀμφίβολος, καὶ θηλυδρίας τὸ εἶδος, ἐν μεθορίῳ τῆς φύσεως κείμενος, λυγιζόμενος τοῖς σχήμασι δι' ἥν τινι κώμῳ καὶ μέθῃ παραφορᾶς· ἑστὼς ἐπί τινος ἀπήνης ἐξυπτιάζων, διὰ τοῦ χοροῦ τῶν μαινάδων ὑπὸ θυρεῶν ἐκομίζετο· πολὺς δὲ περὶ αὐτὸν ἐκ κρατῆρος ὁ ἄκρατος· καί τινες ἄλλοι, τὴν φύσιν ἀλλόκοτοι, περὶ τὸ εἴδωλον ἦσαν, τὰ πρόσωπα λάσιοι, ἐπὶ σκελῶν τραγείων περισκιρτῶντες τὸ εἴδωλον. τοιαῦτα τῆς νυκτὸς ἐκείνης τὰ διηγήματα. γυναῖκες ἐπ' ἀτιμίᾳ γνωρισθεῖσαι τοὺς τρόπους, κοινῇ κατηγορίᾳ τῆς φύσεως τὴν νενομισμένην ἐν γυναιξὶν εὐκοσμίαν ἐξορχησάμεναι, πομπὴν ἦγον διὰ μέσης τῆς πόλεως, θεατρίζουσαι δι' ἑαυτῶν ἀσχημονοῦσαν τὴν φύσιν, λίθοις τὰς χεῖρας ἀντὶ θυρεῶν ὁπλίσασαι, φόνιον βλέπουσαι, ἀναιδεῖ τῇ τῶν ὀμμάτων βολῇ, ἐντὸς τῶν θείων περιβόλων γενόμεναι, ἐπὶ τῆς ἱερᾶς καθέδρας ἀνέθηκαν ἑαυτῶν τὸν Κορύβαντα. εἶτα μέθη καὶ ἄκρατος· καὶ οἱ ἐκ τῶν ἀσκητηρίων Πᾶνες· καὶ νὺξ καὶ διαγωγὴ συμμιγής· καὶ πάντα ὅσα κωλύει ὁ ἀπόστολος λέγειν εἰπών, ὅτι τὰ κρυφῇ ὑπ' αὐτῶν γινόμενα αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν. τίς γὰρ ἂν μετὰ ἀκριβείας διεξέλθοι τῷ λόγῳ τὸ πῦρ, τοὺς λίθους, τὰς σφαγάς, τὰ τραύματα, ὅπως ἐκ βάθρων ἀνατρέψαι τοὺς τῶν ἱερῶν οἴκων θεράποντας ἐφιλονείκησαν; ὡς διὰ μέσης τῆς πόλεως ζηλωτήν τινα τῆς ἀληθείας ῥοπάλοις διεχειρίσαντο; καὶ τὸν ἀληθῆ φόνον ὁ ὑπονοηθεὶς φόνος ἐκώλυσεν. ἀλλὰ γάρ, οὐκ οἶδα πῶς τῆς πρεπούσης ἡδονῆς ἀπερρύη ὁ λόγος ἐμφιλοχωρήσας τοῖς γηΐνοις διηγήμασιν. οὐκοῦν ἐπανιτέον ὅθεν ἐξέβημεν, ὥστε γλυκεῖ καὶ ποτίμῳ τῷ λόγῳ τὴν ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύσασθαι. ἐν γὰρ ἡμέραις, φησίν, εὐφροσύνης ἀμνησία κακῶν· πάλιν τοίνυν ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἐπανέρχομαι λόγον· ὅτι ἡ νὺξ ἐκείνη καὶ ὁ γνόφος ἠφάνισται, αἱ δὲ τῆς εἰρήνης ἀκτῖνες διὰ καθαρᾶς τῆς αἰθρίας τῷ τῆς ἀληθείας φωτὶ περιλάμπουσι· διὰ τοῦτο ἐκβέβληται μὲν τῶν θείων περιβόλων πᾶν ὅ,τι δυσῶδες καὶ βέβηλον· ἀντεισῆκται δὲ πάσης εὐφροσύνης τῶν εὐσεβούντων οἱ οἶκοι, καὶ λείπει πρὸς εὐφροσύνην οὐδέν· οἱ δαιτυμόνες, οἱ ἑστιάτορες· ἡ τοῖς ἀγαθοῖς ἐδωδίμοις πλήθουσα τράπεζα.

Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν

ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ ΝΑΖΙΑΝΖΗΝΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ ΤΙΝΕΣ ΑΝΕΚΔΟΤΟΙ.

EIVSDEM GREGORII NAZIANZENI EPISTOLÆ DECEM, QVÆ NVNC PRIMVM GRÆCE ET Latine prodeunt; ex interpretatione Fed. Morelli Prof. Reg.

ΚΥΡΙΑΚΩι.



ΤΙΜΑΙΣ τοὺς εὐλαβεῖς εὖ οἶδα, καὶ πτωχοὺς εὖ ποιεῖς. τούτων ἀμφοτέρων σοι νῦν καιρός. ἔχει γὰρ οὕτως. ὁ τιμιώτατος καὶ θεοφιλέστατος υἱὸς ἡμῶν Σακερδὼς ὁ συμπρεσβύτερος, πτωχείου προέστηκε τῶν ἐπισήμων πολυανθρώπου, εὐσεβείας τε ἕνεκα καὶ τῆς εἰς τὸ πρᾶγμα σπουδῆς. ἔστι δὲ τῶν χορηγουμένων τῷ πτωχείῳ κτήματα Λιριάνδος· καὶ Καβερίνα ὁμοροῦντα τόποις τοῖς τῆς οἰκίας, ἐξ ἐπιδόσεως τοῦ τιμιωτάτου Κάστορος, τῷ πτωχείῳ τι συνεισφέροντα. ταῦτα πάσης ἐπηρείας ἐλευθερώσας, μέρος οὐκ ἐλάχιστον συνεισοίσεις, καὶ τοῖς πτωχοῖς τῆς θεραπείας, καὶ σεαυτῷ τῆς ἀντιδόσεως ἣν οἶδας ὀφειλομένην τοῖς εὐσεβέσι. δῆλον δὲ ὅτι ἅπαξ ὁρμήσας εἰς τὴν εὐεργεσίαν, καὶ τῆς εἰς τὸ μέλλον ἀσφαλείας ποιήσεις πρόνοιαν, ὡς μηδὲ βουλομένῳ τινὶ ἐξεῖναι κακὸν γενέσθαι περὶ τοὺς τόπους, τρόπον ὃν ἐπινοήσειεν ἡ σὴ σύνεσις.

CYRIACO. *Epist. 233.*



RELIGIOSOS honoras, probè noui, & pauperibus benignè facis. vtriusque virtutis tibi nunc se offert occasio. sic enim res habet. Charissimus & Deo acceptissimus filius noster Sacerdos compresbyter, præfectus est Ptochio seu hospitali pauperum mendicorúmve domui, insigni & hominibus refertæ, ob pietatem & diligentiam quæ eiusmodi negotio adhibetur. Est autem Liriandus ex iis qui suppeditant Ptochio possessiones: & Caberina finitima locis domus concessu & largitione maximè honorati Castoris, quæ Ptochio aliquid conferunt. hæc si omni iniuria & insultu liberaueris, non minimam conferes partem, & pauperibus curationis, ac tibiipsi remunerationis, quam piis deberi nosti. Perspicuum autem est cum semel incitatus ad beneficium fueris, etiam te securitati in posterum prouisurum: vt ne volenti quidem vlli integrum sit maligno esse circa hæc loca, eo modo quem sagacitas tua excogitauerit.

Pro loci in quo degunt & aluntur mendici cõseruatione.

Ἑλλαδίῳ.

ΗΔΗ μὲν καὶ ἄλλοις τὸ προσαγορεύειν τὴν σὴν εὐλάβειαν· ἐμοὶ δὲ ἥδιον οὕτω διακειμένῳ. τὸ γὰρ καθ' ἑκάστην σχεδὸν τὴν ἡμέραν ἀπογινώσκεσθαι, πλέον ἔχεσθαί σου ποιεῖ, ὡς δὴ τὰ τελευταῖα προσκερδαίνοντα.

Helladio. Epist. 234.

IVCVNDVM vtique etiam aliis reuerentiam tuam salutare: sed mihi ita affecto iucundius est. nam quòd singulis fermè diebus animum despondeo, facit vt tibi arctius adhæream quasi nouissima obiter lucrifaciens.

cùm autem lucrum fatear remunerationem debeo reuerendo maximè Nicobulo, à quo quæstus accessit. quod porro faciunt pauperes in opulentos intuentes, vt ab illis beneficium accipiant, idem ipse facio, dum per te viro debitum exsoluo. eget autem otio & quiete cui perpetuò assuetus est. Hanc ipsi conferre digneris.

ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ κέρδος ὁμολογῶ, χρεωστῶ τὴν ἀντίδοσιν τῷ αἰδεσιμωτάτῳ υἱῷ Νικοβούλῳ, παρ' οὗ τὸ κέρδος· ὅπερ δὲ ποιοῦσιν οἱ πένητες, πρὸς τοὺς εὐπόρους βλέποντες, ἵνα παρ' ἐκείνων εὖ πάθωσι, τοῦτο καὶ αὐτὸς ποιῶ, διὰ σοῦ τῷ ἀνδρὶ διαλύων τὸ χρέος. χρήζει δὲ ἀπραγμοσύνης πάντα τὸν χρόνον ταύτῃ συνειθισμένος, πρὸς αὐτὴν αὐτῷ συναίρεσθαι καταξίωσον.

Eudocio. *Epist.* 235.

QVI concors est, idem condolet: & quod cōdolet, germanum est: quod germanum est dignū est cui fides in consilio adhibeatur. Cùm igitur nos antiquiores pietate simus, & multorum virorum & morum experimentum fecerimus (experientia autem mater prudentiæ) vos verò tanquam equulei nuper iugo subditi, & recens certamina à Deo proposita subeuntes (omne autem quod incipit feruidius est & feruore spiritus multa potest emendare eorum quæ dirigenda sunt, sed & in multis deerrare ignorantia) velis nos conuenire, & vt senes honorare, & vt patres reuereri, & tamquam mediatoribus litis & dissidij cum venerando fratre & collega nostro Sacerdote exorti, nobis vti. nam ipsemet adest: vt bene affecti & animati inuicem, & Episcopum curetis, & multorum offendicicum tollatis: & quod maximum est Deum propitium reddatis, ne tantum negotium, & tam gloriosum (concordiam vestram dico, & vitæ pacta ex Dei præscripto) sic paruo momento diruatis.

Εὐδοκίῳ.

Ὁ Σύμπνους, καὶ συμπαθής. τὸ δὲ συμπαθὲς, καὶ γνήσιον. τὸ δὲ γνήσιον, καὶ εἰς συμβουλὴν ἀξιόπιστον. ἐπειδὴ τοίνυν ἡμεῖς μὲν ἀρχαιότεροι τὴν εὐσέβειαν, καὶ πολλῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ ἠθῶν ἐν πείρᾳ γεγόναμεν (πεῖρα δὲ μήτηρ συνέσεως·) ὑμεῖς δὲ οἱ πῶλοι νεοζυγεῖς, καὶ ἄρτι τῶν κατὰ Θεὸν ἀγώνων ἀρχόμενοι (τὸ δὲ ἀρχόμενον ἅπαν θερμότερον, καὶ δυνάμενον τῇ ζέσει τοῦ πνεύματος πολλὰ μὲν κατορθῶσαι τῶν δεόντων, πολλὰ δὲ διαμαρτεῖν ἐξ ἀγνοίας) θέλησον, γενόμενος μέχρις ἡμῶν, καὶ ὡς γέροντας τιμῆσαι, καὶ ὡς πατέρας αἰδεσθῆναι, καὶ ὡς μεσίταις χρήσασθαι τῆς πρὸς τὸν αἰδεσιμώτατον ἀδελφὸν καὶ συμπρεσβύτερον ἡμῶν Σακερδῶτα διαφορᾶς· πάρεστι γὰρ καὶ αὐτός. ἵνα τὰ πρὸς ἀλλήλους εὖ θέμενοι, καὶ τὸν ἐπίσκοπον θεραπεύσητε, καὶ τὸ σκάνδαλον τῶν πολλῶν λύσητε, καὶ, τὸ μέγιστον ἁπάντων, τὸν Θεὸν ἱλεώσησθε, μὴ πρᾶγμα τοσοῦτον καὶ οὕτως ἔνδοξον (λέγω δὲ τὴν σύμπνοιαν ὑμῶν, καὶ τὰς κατὰ Θεὸν τοῦ βίου συνθήκας) οὕτως ἐν βραχεῖ καταλύσητε.

Eidem. *Epist.* 236.

AMICVS certè mihi est, fateor, & sit vtinam, honestus & probus Sacerdos compresbyter, & eatenus potius, quâ te complectitur. nec enim in iis quæ expostulabat, vim charitatis deseruit, verùm fraternam magis reprehēsionem instituebat, quàm accusationem odij cupidam. Non adeò tamen inscitus ac remerarius sum, vt litem disceptare ac iudicare velim priusquā vtrumq. audierim

Τῷ αὐτῷ.

ΕΜΟΙ φίλος μέν ἐστιν, ὁμολογῶ, καὶ εἴη, ὁ καλός τε καὶ ἀγαθὸς Σακερδὼς ὁ συμπρεσβύτερος, καὶ ταύτῃ μᾶλλον ὅτι σοῦ περιέχεται. οὐδὲ γὰρ ἐν οἷς ᾐτιᾶτο τὸ φίλτρον ἀπέλιπεν, ἀλλ' ἀδελφικὴν μᾶλλον ἐποιεῖτο μέμψιν ἢ κατηγορίαν φιλαπεχθήμονα. οὐ μέν τοι τοσοῦτον ἀμαθῶς ἔχω καὶ προπετῶς, ὥστε δίκην δικάζειν πρὶν ἀμφοτέρων ἀκοῦσαι

(μὴ τοῦθ' ὑπολάβοις) ὅς γε καὶ δι' αὐτῆς τῆς ἐπιστολῆς, ἧς κατέγνωκας ὡς θρασείας (εἰ μὴ παρέργως ταύτην ἀνέγνως) οὐ τοσοῦτόν σου καθηψάμην ὅσον τῶν ἀναπλούντων ὑμᾶς, καὶ παρακερδαινόντων παρὰ τῆς ἡμετέρας μικροψυχίας ἰδίαν ἀπόλαυσιν. τί οὖν ἐστιν ὃ πέπονθα; γνοίης ἂν οὕτως. οἱ πωλοδάμναι τοὺς πώλους γυμνάζουσι πρὸς τὰ χρώματα, καὶ τοὺς φόβους, καὶ τῶν χωρίων τὰ πρανῆ τε καὶ ὕπτια, οὐχ ἵνα πτοήσωσιν, ἀλλ' ἵνα μὴ πτοεῖσθαι διδάξωσι· τοῦτο κἀγὼ διανοηθεὶς, τραχυτέραν πως καὶ τὴν ἐπιστολὴν ἐποιησάμην. πολλὰ γὰρ τὰ φιλοσοφίας γυμνάσματα· καὶ τῷ Θεῷ χάρις ὅτι σε μὴ ἀφιλόσοφον εὗρον, μηδὲ τῆς ὕλης, ἀλλ' ἥμερον ἱκανῶς, καὶ τῆς ἡμετέρας αὐλῆς, ὑφ' ἧς καὶ γράφεις ἐπιεικῶς, καὶ τὴν συντυχίαν ποθεῖς. εἰ μὲν οὖν καὶ ταύτην ἡμῖν χαρίζοιο, κρεῖττον ποιεῖς, καί σε δεξόμεθα, εὖ ἴσθι, πατρικοῖς ὄμμασιν. εἰ δ' ἄρα τί σε ὁ χειμὼν ἐμποδίζει, τῇ παραινέσει τέως δεξιούμεθα. μηδὲν προτιμήσῃς, ἔτι καὶ νῦν, τῆς πρὸς τὸν ἀδελφὸν Σακερδῶτα φιλίας καὶ ὁμονοίας (ἐμοὶ πείσθητι) μηδ' ἄλλό τι νομίσῃς, ἢ πεῖραν εἶναι τοῦ πονηροῦ τὸ γινόμενον, τῇ σῇ φιλοσοφίᾳ βασκαίνοντος. ἀλλὰ πρὸς τὴν προτέραν πεῖραν ἀγώνισαι γενναίως καὶ ἀνδρικῶς, ἵνα μὴ τὴν δευτέραν ποιήσηται, καὶ τρίτην πάλιν, καὶ ἄλλας ἑξῆς, ἀλλ' ἡττημένος ἀπέλθῃ καὶ ᾐσχυμμένος. ἴσμεν γὰρ αὐτοῦ τὰ παλαίσματα, τῷ μακρῷ χρόνῳ τοῦτο μαθόντες, καὶ τοῖς πρὸς αὐτὸν ἀγωνίσμασι.

Ὁμοφρονίῳ.

ΕΠΙ τὴν σύνοδον ἡμᾶς καλεῖς· ἐγὼ δὲ ηὐχόμην οὕτως ἔχειν τοῦ σώματος, ὥστε παρεῖναι ὑμῖν καὶ αὐτόκλητον, ἵνα ἴδω τὸν ἱερὸν οἶκον ὑμῶν, τὸ Χριστοῦ καταγώγιον, τὴν τῶν ἁγίων κλάδων ῥίζαν, τὴν ὡς ἀληθῶς μητέρα τέκνων εὐφραινομένην τε καὶ εὐφραινομένων. οἶδα τοῦτο καὶ πέπεισμαι ἐν Κυρίῳ, καὶ διὰ τοῦτο λέγω θαρρῶν, εἴ τι καὶ λυπηρὸν νῦν ὑμῖν ἀπήντηκεν, οὐ μὴ ἀποσβεσθῇ ὁ λύχνος τοῦ Ἰσραὴλ, κἂν ταῖς αὔραις τοῦ πονηροῦ ῥιπίζηται, οὐδὲ ἡ τοῦ Θεοῦ

(caue ne ita exiſtimes) quippe qui nẽ per epiſtolam quidem, quàm tu condemnas vt audaciorem (quòd perfunctoriè & aliud agens eam legeris) ita te perſtrinxi, quantum eos qui accendunt vos, & obiter quæſtum faciunt oblectationis ſuæ ex puſillo animo noſtro. Quid eſt igitur quod me dolet ac pungit? Sic cognitum & perſpectum habebis Equorum domitores, equuleos exercent ad colores & ſtrepitus horrificos, & loca tum decliuia pronáque, tum ſupina & accliuia, non vt expaueſcant, ſed vt non expaueſcere diſcant. hoc equidem cùm in animum induxiſſem, procaciorem vtique epiſtolam ſcripſi. Etenim multa philoſophiæ exercitia ſunt. & Deo ſit gratia quod te non alienum à ſtudio ſapientiæ inueni; neque materiæ ſordibus addictum, ſed admodum mitem, & noſtri conturbernij, ſub quo & ſapienter ſcribis, & conuerſationem deſideras. Si hanc igitur nobis conceſſeris, melius facies, téque admittemus, ſic habeto, paternis oculis. Quòd ſi te aliquatenus hiems impedit, cohortatione nunc inuitamus. nihil præferas etiamnum amicitiæ & concordiæ cum fratre Sacerdote: (mihi crede) neq. aliud quidquam exiſtimes, quàm id quod fit, tentationem eſſe Mali qui tuæ philoſophiæ inuidet. verum ad primum tentamentum fortiter & generosè decerta, ne ſecundum adiiciat & tertium quoque, & alia deinceps tentamina, ſed victus abſcedat, & erubeſcens. Nam eius luctas nouimus; id longo tempore edocti, & certaminibus cum illo ſuſceptis.

Homophronio. *Epiſt.* 237.

AD ſynodum nos vocas: equidem optarem ita valere corpore vt vobis intereſſem; etiam vltro accedens, vt ſacram ædem veſtram viderem, Chriſti domicilium, ſanctorum Ramorum radicem, illam, re vera matrem filiorum, lætantem, & lætantium. hoc noui, ac Pſal. 131.
perſuaſum habeo in Domino, & propterea dico confidens, ſi quid triſte ac moleſtum vobis occurrat, haudquaquam extinguetur lucerna Iſraëlis, etiam ſi Mali ventis flabelletur: neque Dei

bonitas amplius occultabitur, quam timentibus se abscondit rationibus dispēsationis arcanis, sed magis glorificabitur & admirationi erit per patientiam vestram & spem, quæ non confundit. hoc etiam suade charissimo filio nostro Sacerdoti, ne despondeat animum neque indignum se quidquam patiatur: sed ita tempus disponat, vt tristia pro philosophiæ subiecto accipiat: adhæc maxime honorandum episcopum nostrum curet; & fratres corroboret, ideo maximè ne opus nostrum quod in Domino proposuimus dissipetur, cùm tanti momenti sit, itáque peruagatum. sin minus, æquitatis specimen demus, & liuorem vincamus; quippe cum nullam aduersus nos ansam dederimus improbis, & incassum nos odio prosequentibus.

Eidem. *Epist.* 238.

AVDIO te animo esse dedito secessui [Anachoretico] atque vtinam nobis fias Ioannes Baptista, aut Helias Carmeli incola; & in hoc solo lædant qui oderunt, quòd ad Deum cogant, & legitimè dent superis & cælestibus, negotiis & tumultibus liberatos, vt inuiti quoque benefaciant nobis; quandoquidem volentes nequeunt.

Gigantio. *Epist.* 239.

GAVISVS sum vocatione; iis quæ scribis lætitia gestij, non quod laudemur (parum enim est) sed quia recte sentis, & vinculum charitatis, quæ tibi nobiscum intercedit, eorundem spes est, & germana Trinitatis adoratio, quam enūtiamus, magis quàm spiramus, & cum periculo, & extra aleam periculi; cùm cetera temporibus permittamus, vt ea, quomodo volent, versent ac circumferant. hoc autem immutabile in animis habemus solum inuidiæ expertem thesaurum & vere nostrum: vt equidē cùm alia mente agito & quot ærumnæ partim circumdederint nos, partim circumdent, & inæqualitatem malorum quæ nos sursum deorsum exagitant; & bellū quo vrgemur ab omnibus, nullam inferentes iniuriam: tum ad hoc tantum spe-
ctο, quòd præconio veritatis dignus sim habitus, quæ proiicitur & exspuitur in
Psal. 62. deserto doctrinæ sanæ, in inuio loco, & aqua destituto, prout scriptū est. Prope

χρηστότης ἐπὶ πλεῖον κρυφθήσεται, ἣν κρύπτει τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν, λόγοις ἀῤῥήτοις οἰκονομίας· ἀλλ' ἐνδοξασθήσεται μᾶλλον καὶ θαυμασθήσεται διὰ τῆς ὑμετέρας ὑπομονῆς, καὶ τῆς μὴ καταισχυνούσης ἐλπίδος. τοῦτο δὲ παραίνει καὶ τῷ τιμιωτάτῳ υἱῷ ἡμῶν Σακερδῶτι, μηδὲν ἀθυμεῖν, μηδὲ ἀνάξιον ἑαυτοῦ πάσχειν, ἀλλ' οὕτω τὸν καιρὸν διατίθεσθαι, ὡς φιλοσοφίας ὕλην τὰ λυπηρὰ λαβεῖν. ἔτι θεραπευσάτω τὸν τιμιώτατον ἡμῶν ἐπίσκοπον· ἐπιρρωννύτω τοὺς ἀδελφοὺς, ἵνα μάλιστα μὲν μὴ καταλυθῇ τὸ ἔργον ἡμῶν ὃ προεθέμεθα ἐν Κυρίῳ, τοσοῦτόν τε ὂν, καὶ οὕτω περιβόητον. εἰ δὲ μὴ, τὸ γοῦν ἐπιεικὲς δείξωμεν, καὶ τὸν φθόνον νικήσωμεν, ὡς μηδεμίαν δεδωκότες καθ' ἑαυτῶν λαβὴν τοῖς πονηροῖς καὶ ματαίως ἡμῖν ἐχθραίνουσιν.

Τῷ αὐτῷ.

ΠΥνθάνομαί σε ἀναχωρητικῶς ἔχειν, καὶ εἴθε γένοιο ἡμῖν Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς, ἢ καὶ Ἠλίας ὁ τοῦ Καρμήλου· καὶ τοῦτο μόνον ἀδικήσειαν οἱ μισοῦντες, τὸ πρὸς Θεὸν συναγαγεῖν καὶ δοῦναι γνησίως τοῖς ἄνω, πραγμάτων καὶ θορύβων ἀπαλλάξαντας· ἵν' ἄκοντες γοῦν εὖ ποιῶσιν ἡμᾶς, ἐπειδὴ μὴ ἑκόντες δύνανται.

Γιγαντίῳ.

ΗΣθην τῇ κλήσει, ὑπερήσθην οἷς γράφεις, οὐχ ὅτι ἐπαινούμεθα· μικρὸν γάρ, ἀλλ' ὅτι φρονεῖς ὀρθῶς· καὶ δεσμός ἐστι τῆς πρὸς ἡμᾶς ἀγάπης ἡ τῶν αὐτῶν ἐλπὶς, καὶ ἡ γνησία τῆς τριάδος προσκύνησις, ἣν φθεγγόμεθα μᾶλλον ἢ ἀναπνέομεν, καὶ μετὰ κινδύνων, καὶ ἀκινδύνως· τὰ μὲν ἄλλα διδόντες τοῖς καιροῖς, ὡς ἂν βούλωνται, περιφέρειν, τοῦτο δὲ ἀκίνητον ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχοντες, τὸν μόνον ἄφθονον θησαυρὸν, καὶ ὄντως ἡμέτερον· ὡς ἔγωγε, ὅταν τἄλλα ἐνθυμηθῶ, καὶ ὅσαι θλίψεις αἱ μὲν περιέσχον ἡμᾶς, αἱ δὲ περιέχουσι· καὶ τὴν ἀνωμαλίαν τῶν ἄνω καὶ κάτω στροβούντων ἡμᾶς κακῶν, καὶ τὸν πόλεμον ὃν πολεμούμεθα ὑπὸ πάντων, οὐδὲν ἀδικοῦντες; πρὸς τοῦτο δὲ ἀποβλέψω μόνον, ὅτι κῆρυξ γενέσθαι τῆς ἀληθείας κατηξιώθην, περιερριμμένης τε καὶ ἀπεπτυσμένης ἐν τῇ ἐρήμῳ διδασκαλίας ὑγιαινούσης, καὶ ἀβάτῳ καὶ ἀνύδρῳ, κατὰ τὸ γεγραμμένον. μι-

κρὸν εἰπεῖν, ὅτι λύω πᾶσαν ἀδημονίαν, ἀλλὰ καὶ ὑπερήδομαι, ὡς μειζόνων, ἢ κατ' ἐμαυτόν, ἠξιωμένος. πρὸς οὖν σε ταῦτα γράφω, ἵν' ἐκεῖνο δηλώσω, ὅτι μόνη μοι βεβαία φιλία καὶ οἰκείωσις πρὸς τοὺς οὕτως ἔχοντας. τῶν δὲ οὕτως ἐχόντων τίς ἂν ἑκὼν ἀπολείποιτο εὖ φρονῶν; τίς δὲ μείζων ἑορτὴ τοῦ τοιούτοις ἑορτάζειν; εἰ δὲ ἡ ἀρρωστία, καὶ ὁ χειμὼν ἐμποδίζει τὴν προθυμίαν, οἴσω μὲν αὐτὸς τὴν ζημίαν, συγγινώσκετε δὲ ὑμεῖς, καὶ καιρὸν ἄλλον συντυχίας ἡμῖν ἐπεύχεσθε.

Ἀμφιλοχίῳ.

Μόλις ποτὲ τῶν ἐκ τῆς ἀρρωστίας ἀναπνεύσαντες πόνων, ἐπὶ σὲ τὸν τῆς ἰάσεως πρόξενον δεδραμήκαμεν. γλῶσσα γὰρ ἱερέως φιλοσοφοῦσα τὸν Κύριον, ἀνεγείρει τοὺς κάμνοντας. ποίει τοίνυν τὸ κρεῖττον ἱερουργῶν. καὶ λύε τῶν ἁμαρτημάτων ἡμῖν τὸ μέγεθος, τῆς ἀναστασίμου θυσίας ἐφαπτόμενος. ἐμοὶ γὰρ καὶ ἐγρηγορότι καὶ καθεύδοντι μέλει τὰ κατὰ σέ, καί μοι γέγονας πλῆκτρον ἀγαθὸν καὶ λύρα ἐναρμόνιος· ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς εἰσῴκησας, ἀφ' ὧν, μυριάκις γράφων, πρὸς ἐπίγνωσιν τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ἐξήσκησας. ἀλλ' ὦ θεοσεβέστατε, μὴ κατόκνει καὶ προσεύχεσθαι καὶ πρεσβεύειν ὑπὲρ ἡμῶν, ὅταν λόγῳ καθέλκῃς τὸν Λόγον· ὅταν ἀναιμάκτῳ τομῇ σῶμα καὶ αἷμα τέμνῃς δεσποτικόν, φωνὴν ἔχων τὸ ξίφος.

Τῷ αὐτῷ.

ΤΑΣ ὀρείους μέν, ὁμόρους δὲ τῆς Παμφυλίας πόλεις ἐπισκεψάμενοι, Γλαῦκον ἐκεῖ θαλάττιον ἐν τοῖς ὄρεσιν ἡλιεύσαμεν· οὐ λίνου δικτύοις τοῦ βυθοῦ τὸν ἰχθὺν ἐξελκύσαντες, ἀλλ' ἀγάπῃ φίλων τὸ θήραμα σαγηνεύσαντες. ἅπαξ δὲ τὸν Γλαῦκον πεζεύειν μαθόντα γραμματοφορεῖν προσαπεστάλκαμεν τῇ ὑμετέρᾳ ἀγαθότητι, ὃν φιλοφρόνως ξενίσατε, καὶ τῷ παρὰ ταῖς γραφαῖς εὐδοκιμοῦντι ξενισμῷ μετὰ λαχάνων καταξιώσατε.

dixerim, quod omnem anxietatem ſoluo & gaudio delibutus ſum, vt maioribus quàm conditio mea poſtulet honoratus. Igitur hæc ad te ſcribo, vt illud declarem, ſolam mihi firmam eſſe amicitiam & familiaritatem cum iis qui ita ſe habent. Ecquis verò libens & prudens deſereret ita affectos? quæ maior ſolemnitas quàm eiuſmodi morib. præditos feſtum celebrare? Quòd ſi infirmitas & hiberna tempeſtas prohibeat alacritatem, feram ſane ipſe damnum, vos autem condonate, & aliam congreſſus occaſionem nobis apprecamini.

Amphilochio. *Epiſt.* 240.

VIX tandem ab aduerſæ valetudinis laboribus reſpirantes ad te ſanitatis conciliatorem accurrimus. Nam ſacerdotis lingua meditata Dominum, excitat ægrotantes. Fac igitur Numen ſacrificum, & peccatorum molem nobis ſolue die victimam, reſurrectionis oblatam contingens. nam mihi & vigilanti & dormienti tua curæ ſunt, & ſollicitudini; ac mihi plectrum bonum & lyra concinna effectus es: in mentibus noſtris inhabitaſti, quia ſexcenties ſcribens ad agnitionem animæ noſtræ exercuiſti. ſed, ô Dei cultor ſanctiſſime ne cuncteris orare & intercedere pro nobis, quando dicto allicis Verbum Dei; quando incruenta ſectione corpus & ſanguinem Dominicum ſecas, vocem adhibens pro gladio.

Eidem. *Epiſt.* 241.

CVM vrbes montanas & Pamphyliæ vicinas luſtraſſemus, Glaucum ibi marinum in montibus piſcati ſumus: non lineis retibus è profundo extracto piſce, ſed charitate amicorum captura irretita. duntaxat Glaucum tabellarium pedes ire edoctum inſuper miſimus probitati veſtræ; quem hoſpitem humaniter & benignè accipite, & hoſpitalitate apud ſcripturas celebrata, cum oleribus honorate.

Abugrio. *Epist.* 242.

FAMA bonorum nuncia nobis memorare non intermittit, te transilire, stellarum instar, modo in hac modò, in illa barbaricæ oræ parte eminentem: nunc frumenta militaria erogando, nunc in Regis conspectum cum splendido ornatu prodeundo. Deum precamur vt cœpta tua rationi consentaneo & felici progressu ad summum dignitatis gradum promoueat, vtque videaris aliquando * nosvtique tabescimus: * tantùm enim vita nobis vitalis est, vt spirare solum liceat.

Pag. sup. epist. 240. lin. 6. leg. solue, hostiam die Resurrect.

Ἀβουργίῳ.

Διαπηδᾷν σε, ὡς τοὺς ἀστέρας, ἄλλοτε καὶ ἄλλο μέρος τῆς βαρβαρικῆς αὐγάζοντα, νῦν μὲν σιτηρέσια στρατιωτικὰ παρέχοντα, νῦν δὲ βασιλεῖ φαινόμενον μετὰ λαμπρότητος τοῦ σχήματος, ἡ τῶν ἀγαθῶν ἄγγελος, φήμη ἀγγέλλουσα ἡμῖν οὐ διαλείπει. εὐχόμεθα δὲ τῷ Θεῷ κατὰ λόγον μὲν σοι προϊοῦσαν τὴν ἐπιχείρησιν, ἐπὶ μέγα σε προελθεῖν ἀξίωμα, καὶ φανῆναί ποτε * τηκόμεθα. * τοσοῦτον γὰρ μέτεστιν ἡμῖν τοῦ βίου, ὅσον ἀναπνεῖν μόνον.

ΙΣΟΝ ΤΗΣ ΔΙΑΘΗΚΗΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ, ΜΕΤΑΓΡΑΦΕΝ

ἐκ τοῦ ἀρχετύπου δικαιώματος, ἐν ᾧ καὶ ἰδιόχειροι ὑπογραφαὶ σώζονται αὐτοῦ τε καὶ τῶν ὑπογραψάντων μαρτύρων.

EXEMPLVM TESTAMENTI SANCTI GREGORII THEOLOGI DESCRIPTVM

EX ARCHETYPO EXEMPLARI, IN quo propriæ manus subscriptiones extant, tam ipsius, quàm testium, qui subscripserunt.

Iacobo Sirmondo, Societ. Iesu Presbytero interprete.

Flauio Eucherio & Flauio Euagrio Viris clarißimis Consulibus, pridie Kalendas Ianuarias.

GREGORIVS Episcopus Catholicæ Constantinopolis Ecclesiæ, viuens ac prudens, sanóque iudicio, & integris animi sensibus condidi hoc testamentum: quod quidem iubeo & volo in quouis foro, &

Ὑπατείᾳ Φλαβίου Εὐχερίου, καὶ Φλαβίου Εὐαγρίου, τῶν λαμπροτάτων, πρὸ μιᾶς καλανδῶν Ἰανουαρίων.

Γρηγόριος ἐπίσκοπος τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κωνσταντίνου πόλει, ζῶν καὶ φρονῶν, καὶ ὑγιεῖ γνώσει, καὶ ἐρρωμένοις τοῖς λογισμοῖς, διεθέμην τὴν διαθήκην μου ταύτην· ἣν κελεύω καὶ βούλομαι εἶναι κυρίαν

καὶ βεβαίαν ἐπὶ παντὸς δικαστηρίου καὶ πάσης ἐξουσίας. ἤδη μὲν γὰρ τὴν ἐμαυτοῦ γνώμην κατέστησα φανερὰν, καὶ πᾶσάν μου τὴν οὐσίαν καθιέρωσα τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ τῇ κατὰ Ναζιανζὸν, εἰς τὴν τῶν πτωχῶν διακονίαν, τῶν ὑπὸ τὴν προειρημένην ἐκκλησίαν. διόπερ καὶ τρεῖς προεστησάμην πτωχοτρόφους, εἶναι κατὰ ταύτην μου τὴν προαίρεσιν· Μάρκελλον τὸν διάκονον καὶ μονάζοντα, καὶ Γρηγόριον τὸν διάκονον, τὸν ἐκ τῆς οἰκίας μου γενόμενον, καὶ Εὐστάθιον τὸν μονάζοντα, τὸν καὶ αὐτὸν ἐκ τῆς οἰκίας μου γενόμενον. καὶ νῦν δὲ τὴν αὐτὴν συνείδησιν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ τῇ κατὰ Ναζιανζὸν φυλάττων, ἔχομαι τῆς αὐτῆς προαιρέσεως. ἐὰν οὖν συμβῇ με τέλει τοῦ βίου χρήσασθαι, ἔστω μου κληρονόμος ὁ προειρημένος Γρηγόριος ὁ διάκονος καὶ μονάζων, ὁ γενόμενος ἐκ τῆς οἰκίας μου, ὃν πάλαι ἠλευθέρωσα, ἐξ ὁλοκλήρου πάσης μου τῆς οὐσίας, κινητῆς τε καὶ ἀκινήτου, τῆς πανταχοῦ μοι ὑπαρχούσης· οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἔστωσάν μου ἀποκληρονόμοι. οὕτω μέντοι, ὥστε αὐτὸν πᾶσάν μου τὴν οὐσίαν, κινητήν τε καὶ ἀκίνητον, ἀποκαταστῆσαι τῇ ἁγίᾳ Καθολικῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Ναζιανζῷ, μηδὲν τὸ παράπαν ἐπεξελόμενον, πλὴν ὧν ἂν ἐν ταύτῃ τῇ διαθήκῃ μου τισὶν ἰδικῶς καταλίπω, λεγάτου ἢ φιδεκομμίσσου χάριν· ἀλλὰ πάντα, ὡς προεῖπον, ἀκριβῶς ἀποσῶσαι τῇ ἐκκλησίᾳ, ἔχοντα τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον πρὸ ὀφθαλμῶν, καὶ εἰδότα, ὅτι εἰς διακονίαν τῶν πτωχῶν τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας προσέταξα πᾶσάν μου τὴν οὐσίαν παραχωρῆσαι, καὶ ἐπὶ τούτῳ αὐτὸν ἐνεστησάμην κληρονόμον, ὥστε δι' αὐτοῦ τῇ ἐκκλησίᾳ πάντα ἀπαραλείπτως ἀποσωθῆναι.

quomodolibet ratum ac firmum esse. Iam enim mentem meam declaraui; omnémque meam substantiam Catholicæ Nazianzi Ecclesiæ consecraui, ad pauperum, qui sub eadem sunt Ecclesia, ministerium. Qua etiam de causa tres iuxta hanc meam voluntatem alendis pauperibus Curatores institui; Marcellum Diaconum & Monachum, Gregorium item Diaconum, qui fuit è familia mea, & Eusthathium monachum; qui & ipse fuit è domo mea: Nunc verò eundem animum retinens erga sanctam Ecclesiam Nazianzenam, eodem persto in proposito. Cùm igitur contigerit me ex vita decedere, Heres meus esto prædictus Gregorius diaconus & monachus, domesticus quondam meus, quem pridem manumisi; ex vniuersa substantia mea, mobili & immobili, vbicunque ea mihi sita est. Ceteri omnes, exheredes mihi sunto. Ita quidem, vt ipse meam omnem substantiam, mobilem & immobilem, sanctæ Catholicæ Nazianzi Ecclesiæ restituat, nihil penitus subducens, præter quàm quæ hoc testamento quibusdam priuatim reliquero, legati aut fideicommissi gratia: sed omnia, vt prædixi, diligenter seruet Ecclesiæ, Dei timorem præ oculis habens, sciénsque iam à me decretum, vti omnia mea illius Ecclesiæ pauperum ministerio cedant: in eámque rem se institutum heredem, vt per ipsum Ecclesiæ omnia sine fraude conseruentur.

Τοὺς δὲ οἰκέτας, οὓς ἠλευθέρωσα, εἴτε ἐξ ἐμῆς προαιρέσεως, εἴτε ἐξ ἐντολῶν τῶν μακαριωτάτων γονέων μου, τούτους πάντας βούλομαι καὶ νῦν ἐπ' ἐλευθερίας μένειν, καὶ τὰ πεκούλια αὐτοῖς πάντα μένειν βεβαίως καὶ ἀνενόχλητα. ἔτι βούλομαι κατέχειν τὸν κληρονόμον μου Γρηγόριον τὸν διάκονον, ἅμα τῷ μονάζοντι Εὐσταθίῳ, τοὺς γενομένους ἐκ τῆς οἰκίας μου ποτὲ, κτῆμα ἐν Ἀριανζοῖς, ὃ ἐκ τοῦ Ῥηγίνου κατελθὸν εἰς ἡμᾶς. τὰ δὲ φορβάδια, καὶ τὰ πρόβατα, ὅσα ἤδη αὐτοῖς παρὼν ἐκέλευσα δοθῆναι, ὧν καὶ τὴν νομὴν αὐτοῖς καὶ τὴν δεσποτείαν παρέδωκα,

Seruos quoscunque vel mea voluntate, vel beatissimorum parentum meorum mandato manumisi: hos omnes nunc etiam liberos manere volo, & peculia sua ipsis absque vllo impedimento firma permanere. Volo præterea heredem meum, Gregorium Diaconum, vna cum Eustathio monacho, ambos olim è domo mea, possidere prædium Arianzenum, quod ex Rhegini bonis ad nos peruenit. Gregales verò equas, & oues, quotquot iam ipsis præsens dari iussi, quarúmque proprietatem ipsis ac dominium tradidi,

has ipsis quietas manere volo, iure dominij. Per præceptionem item Gregorium Diaconum, & heredem meum, qui mihi fideliter ministrauit, priuato iure dominij habere volo aureos numero quinquaginta. Russianæ Virgini venerandæ propinquæ meæ certa quædam in annos singulos dari iussi, vnde liberaliter viuat; quæ quidem omnia eidem quemadmodum præscripsi, volo ac iubeo quotannis sine mora præstari. De habitatione autem tum quidem nihil propterea statui, quòd nescirem vbinam ipsa degere mallet. nunc vero, & hoc volo, quocunque ipsa loco elegerit, parari ei domum ingenuæ congruentem, ad honestam Virginis habitationem: quam vtique domum sine interpellatione habebit ipsa in vsum-fructum, quoad vixerit: posteà verò restituet Ecclesiæ. Addi præterea eidem volo puellas duas, quas ipsa delegerit: hoc nimirum pacto, vt cum ea morentur puellæ vsque dum viuet: & si quidem illis ita visum fuerit, liceat ipsi libertate eas donare: sin minus, & illæ quoque ad Ecclesiam pertineant. Theophilum puerum, qui mecum manet, iam manumisi. volo autem ei nunc etiam dari legati nomine nummos quinque. Eupraxium verò eius fratrem liberum esse volo, eíque legati nomine dari nummos quinque. Volo præterea Theodosium Notarium meum liberum esse, eíque legati nomine dari aureos nummos quinque. Alypianam filiam meam dulcissimam, (cæterarum enim Eugeniæ & Nonnæ, exigua ratio ducenda est, vt quarum vita reprehensione non vacat) veniam mihi dare volo, quod nihil possim ipsi relinquere, quippe qui omnia iam pauperibus destinaui, aut potius beatissimis parentibus, qui ita polliciti erant, obsecutus sum; quorum voluntatem irritam reddere nec sanctum nec tutum arbitror. Quæcunque tamen ex beati fratris mei Cæsarij rebus in veste serica, aut linea, aut lanea, aut burichaliis supersunt, hæc ad ipsius liberos pertinere volo; & nulla in re ipsam vel sorores ipsius molestas esse, vel heredi meo, vel Ecclesiæ. Me-

ταῦτα μὲν οὖν αὐτοῖς ἀνενόχλητα βούλομαι δεσποτείας δικαίῳ. ἔτι δὲ ἐξαιρέτως Γρηγόριον τὸν διάκονον καὶ κληρονόμον μου, γνησίως ὑπηρετήσαντά μοι, βούλομαι κατέχειν ἰδίῳ δεσποτείας δικαίῳ χρυσίνους τὸν ἀριθμὸν πεντήκοντα. τῇ αἰδεσιμωτάτῃ παρθένῳ Ῥουσιανῇ, τῇ συγγενίδι μου, ῥητὰ ἐκέλευσα καθ' ἕκαστον ἔτος δίδοσθαι πρὸς τὸ ἐλευθερίως αὐτὴν διάγειν· ἅπερ βούλομαι καὶ κελεύω πάντα κατὰ τὸν τύπον, ὃν προσέταξα, ἀνυπερθέτως αὐτῇ δίδοσθαι καθ' ἕκαστον ἔτος. περὶ δὲ οἰκήσεως αὐτῆς, τότε μὲν οὐδὲν διεταξάμην, μὴ εἰδὼς ποῦ μᾶλλον ἀρεστόν ἐστιν αὐτῇ διάγειν· νῦν δὲ καὶ τοῦτο βούλομαι, ὥστε, ἐν οἵῳ ἂν ἐπιλέξηται χωρίῳ, κατασκευασθῆναι αὐτῇ οἰκίαν ἐλευθέραν, πρέπουσαν εὐσχήμονι διαγωγῇ παρθένου· ἥνπερ οἰκίαν ἕξει δηλαδὴ ἀνενοχλήτως εἰς χρῆσιν καὶ καρπίαν μέχρι βίου ζωῆς· μετὰ δὲ ταῦτα ἀποκαταστήσει τῇ ἐκκλησίᾳ. προστεθῆναι δὲ αὐτῇ βούλομαι καὶ δύο κόρας, ἃς ἂν αὐτὴ ἐπιλέξηται, οὕτω μέντοι, ὥστε αὐτῇ παραμεῖναι τὰς κόρας μέχρι τοῦ τῆς ζωῆς αὐτῆς χρόνου. καὶ εἰ μὲν αὐταὶ εὐαρεστήσαιεν, ἐξεῖναι αὐτῇ ἐλευθερίᾳ αὐτὰς τιμῆσαι· εἰ δὲ μή, καὶ αὐτὰς διενεγκεῖν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ. Θεόφιλον τὸν παῖδα τὸν παραμένοντά μοι, ἤδη ἠλευθέρωσα. βούλομαι οὖν αὐτῷ καὶ νῦν δοθῆναι λεγάτου χάριν νομίσματα ε'. Εὐπράξιον δὲ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ βούλομαι ἐλεύθερον εἶναι, καὶ δοθῆναι αὐτῷ λεγάτου λόγῳ χρυσᾶ νομίσματα ε'. ἔτι βούλομαι Θεοδόσιον τὸν νοτάριόν μου ἐλεύθερον εἶναι, δοθῆναι δὲ αὐτῷ καὶ λεγάτου λόγῳ χρυσοῦ νομίσματα ε'. τὴν γλυκυτάτην μου θυγατέρα Ἀλυπιανὴν (τῶν γὰρ ἄλλων, Εὐγενείας τε καὶ Νόννης ὀλίγος λόγος, ὧν καὶ ὁ βίος ἐπιλήψιμός ἐστι) βούλομαι συγγνώμην ἔχειν μοι, εἰ μηδὲν αὐτῇ καταλιπεῖν κύριος ἐγενόμην, πάντα προεπαγγειλάμενος τοῖς πτωχοῖς, μᾶλλον δὲ τοῖς μακαριωτάτοις γονεῦσιν ὑποσχομένοις ἀκολουθήσας, ὧν ἀθετῆσαι τὴν γνώμην οὔθ' ὅσιον, οὔτ' ἀσφαλὲς ἡγοῦμαι. ὅσα μέντοι ἐκ τῶν τοῦ μακαρίου μου ἀδελφοῦ Καισαρίου πραγμάτων, ἐν ἐσθῆτι σηρικῇ ἢ λινῇ, ἢ ἐρέᾳ ἢ βουρικαλίοις περιλέλειπται, ταῦτα διαφέρειν τοῖς τέκνοις αὐτῆς βούλομαι, καὶ ἐν μηδενὶ, μήτ' ἐκείνην, μήτε τὰς ἀδελφὰς αὐτῆς ἐνοχλεῖν, μήτε τῷ κληρονόμῳ μου, μήτε τῇ ἐκκλησίᾳ.

Μελέτιος ὁ γαμβρός μου, τὸ κτῆμα τὸ ἐν Απηνζινσῷ τὸ ἐκ τῶν Εὐφημίου, ἴστω κακῶς κατέχων. καὶ ὑπὲρ τούτου καὶ πρότερον ἐπέστειλα πολλάκις τῷ Εὐφημίῳ, ἀνανδρίαν αὐτοῦ καταγινώσκων, εἰ μὴ τὸ ἑαυτοῦ ἀναῤῥύσαιτο. καὶ νῦν μαρτύρομαι πάντας καὶ ἄρχοντας καὶ ἀρχομένους, ὅτι ἀδικεῖται ὁ Εὐφήμιος· χρὴ γὰρ Εὐφημίῳ ἀποκαταστῆναι τὸ κτῆμα. τὴν ὠνὴν τοῦ χωρίου Κανοτάλων τῷ αἰδεσιμωτάτῳ υἱῷ τῷ ἐπισκόπῳ Ἀμφιλοχίῳ ἀποκαταστῆναι βούλομαι. ἔστι γὰρ ἐν τοῖς χαρτίοις ἡμῶν, καὶ πάντες ἴσασιν, ὅτι καὶ τὸ συνάλλαγμα ἐλύθη, καὶ τὴν τιμὴν ἀπέλαβον καὶ τὴν νομὴν, καὶ δεσποτείαν τοῦ κτήματος πάλαι παρέδωκα.

Εὐαγρίῳ τῷ διακόνῳ πολλά μοι συγκαμόντι καὶ συνεκφροντίσαντι, διὰ πλειόνων τε τὴν εὔνοιαν παραστήσαντι, χάριν ὁμολογῶ καὶ ἐπὶ Θεοῦ καὶ ἐπὶ ἀνθρώπων. καὶ τοῖς μείζοσι μὲν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἀμείψεται· ἵνα δὲ μηδὲ τὰ μικρὰ τῆς φιλίας σύμβολα παρ' ἡμῶν ἐλλείπῃ, βούλομαι αὐτῷ δοθῆναι κάμασον ἕν. στιχάριον ἕν. πάλλια β. χρυσᾶ νομίσματα λ. ὁμοίως καὶ τῷ γλυκυτάτῳ συνδιακόνῳ ἡμῶν Θεοδούλῳ τῷ ἡμῶν ἀδελφῷ δοθῆναι βούλομαι κάμασον ἕν. στιχάρια β. τῶν ἐν τῇ πατρίδι· χρυσᾶ νομίσματα κ. ἐκ τοῦ ἐν τῇ πατρίδι λόγου. Ἐλαφίῳ τῷ Νοταρίῳ εὐτρόπῳ ὄντι, καὶ καλῶς ἡμᾶς ἀναπαύσαντι ὃν ὑπηρετήσατο χρόνον, βούλομαι δοθῆναι κάμασον ἕν. στιχάρια β. πάλλια γ. σιγιλλίωνα, ἐν τῇ πατρίδι χρυσᾶ νομίσματα κ.

Ταύτην μου τὴν διαθήκην κυρίαν καὶ βεβαίαν εἶναι βούλομαι ἐπὶ παντὸς δικαστηρίου καὶ πάσης ἐξουσίας. εἰ δὲ καὶ ὡς διαθήκη μὴ ἰσχύσειεν, ὡς βούλησιν, εἴτ' οὖν κωδίκελλον, αὐτὴν ἰσχύειν βούλομαι· ὁ δ' ἐπιχειρῶν αὐτὴν ἀνατρέπειν, δώσει λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, καὶ ἕξει τὸν λόγον.

Πρὸς τοὔνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Γρηγόριος ἐπίσκοπος τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κωνσταντίνου πόλει, ἀναγνοὺς τὴν διαθήκην, καὶ ἀρεσθεὶς πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις, ὑπέγραψα χειρὶ ἐμῇ, καὶ ἰσχύειν αὐτὴν κελεύω καὶ βούλομαι.

letius gener meus sciat se prædium Apenzinsenum quod Euphemij fuerat, mala fide possidere: de quo quidem & iam antea scripsi sæpius Euphemio, ignauiæ eum condemnans, nisi sua recuperaret: Et nunc testor omnes magistratus, & qui sub magistratu sunt, iniuriam fieri Euphemio: oportet enim prædium Euphemio restitui. Emptionem fundi Canotalorum Reuerendissimo filio Episcopo Amphilochio redintegrari volo: Constat enim ex chartis nostris, idque sciunt omnes, quod & solutus fuerit contractus, & pretium receperim, proprietatémque ac dominium possessionis iampridem tradiderim.

Euagrio Diacono, qui multorum mecum laborum & curarum particeps, in multis suam mihi beneuolentiam commendauit, gratiam habeo coram Deo & coram hominibus. Ac maiora quidem ipsi Deus retribuet. Ne vero parua etiam amoris symbola prætermittamus, volo ei dari camasum vnum, tunicam vnam, pallia duo, aureos nummos triginta. similiter dulcissimo Condiacono nostro Theodulo dari volo camasum vnum, tunicas duas ex iis quæ sunt in patria, aureos viginti ex patriæ item rationibus. Elaphio Notario, qui & bene moratus est, &, quo tempore fuit in obsequio, bellè nos refocillauit, dari volo camasum vnum, tunicas duas, pallia tria, sigillionem, in patria nummos aureos viginti.

Hoc meum testamentum ratum ac firmum esse volo in omni iudicio & quomodocunque. quod si tanquam testamentum vim non habuerit, tanquam voluntatem ipsum, seu codicillum, valere volo. qui verò ipsum euertere tentauerit, rationem reddet in die iudicij, & pœnam sustinebit.

In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.

Gregorius Episcopus Catholicæ Constantinopolis Ecclesiæ relegi testamentum, & omnia probans subscripsi manu mea, & vim obtinere volo ac iubeo.

Amphilochius Episcopus Catholicæ Iconij Ecclesiæ interfui testamento Reuerendissimi Episcopi Gregorij, & eo rogante subscripsi manu mea.

P.64.a.4. ἀλλὰ καὶ αὐτῆς τῆς βασ. hæc desunt in F. at in margine adduntur in T. a. 11. εἰς πλεῖον. F. c. 4. πλεῶς. F.

Pag.65.b.7. ἀληθῶν. c.9. ὡς ἐπεισῆν.

Pag.66.b.6. Correctus est locus in Bas. in qua legebatur παντ' αἰ. ex G. & Bill. qui & admonet ὃ δὲ vacare in vet. cod. & in Card. & παρῆκεν videtur, sed retinenda censet H. Sauilius, quod ea sit Græcæ linguæ elegantia, vt apud Chrysostomum hom. 55. in Ioā. statim in initio οἱ δὲ καὶ ὕβριζον Σαμαρείτην καλοῦντες. b.8. ἀμυνεῖται. B. S. b. 10. λαμπρὸς Πειρ. καὶ ἡ σεμνὴ στοά. *Illustris Perip. & veneranda porticus.* Ita HN.F. Ox. neque necesse est per interrogationem hæc legantur vt suspicatur R. Montac. d.7. τὸ πᾶν φέρει. Quid? ἑαυτῷ scilicet. an φέρεσθαι oportet legi? Sed malim ῥέπει pro φέρει ait R. Mont. Elias Cret. dixit in Commentario, Epicuri esse voluptatem beatitudinis finem statuere, ad eámque omnia referre: rectius duxerim τὸ πᾶν φέρει hic non secus hic accipi atque apud eundem Gregorium dicitur ὁδὸς εἰς ᾅδου φέρει, & ἴχνη τῆς ὑποψίας φέρει εἴς τινα apud Antiphontem.

Pag.67. c.1. εἰς τὸν ἐλθεῖν. F. c. 9. Requirit Grammatica ποιῆσαι nēpe αὐτὸν ait R. Mont. vel potius ποιῆσαι vt dixit ἀναδῆσαι. Elias vero periodum sic incipit in Comment. *Nec vero Imperatorij honoris modum ad auunculi sui & Imperatoris Constantij arbitrium & potestatem reuocat.*

A Addit Montacutius accusationē Gregorij quod sibi nomen Augusti vindicauerit Iulianus, ab Ammiano negari libro 20. nec à Baronio refelli: nos vero negamus id ab Ammiano negari, & Baronij censorem merito accusandum censemus, qui malit homini ethnico & profano calliditatem & ambitionem Iuliani fictæ coactionis velo tegēri, quam Christianis historicis suffragari. *Cōclamabatur*, inquit Amm. *ab omni parte, Cæsar assentire coactus est impositúsque scuto pedestri Augustus renuntiatus.* se tamen ipse fatetur assensum in literis quas ad Cōstantium scripsit, & Sozomenus lib. 5. c. 1. argumenta profert ex quibus liquet eum sponte sibi arrogasse dignitatē Augusti, quod nulla vt decebat excusatione vel purgatione apud Cōstantium sit vsus, quod magistratus ab eo constitutos mutarit, & quod literas, quibus barbaros ad bellum contra Maxientium gerendum vocauerat, ad conflandam inuidiam patrueli, dedita opera eis ostenderit. Socrates autem lib. 1. c. 37. tantum à militibus Imperatorem illum fuisse renuntiatum refert. Theodoretus autem, ὅτι μειζόνων πραγμάτων ἐφίεται, καὶ κατὰ τοῦ τετιμηκότος στρατιὰν συναγείρει. *res magnas per seditionem molitum eum esse, & contra eum qui tantum honorem illi detulerat, exercitum coēgisse.*

P. 68. a.8. τὰ τῆς κακ. Retinendam censemus receptam lectionē, quam scripti omnes & excusi libri tuentur non τὸ τῆς vt vult R. Mont. qui dum contendit hoc loco impium esse & plus quam Atheū qui Deum vel directè vel ex consequenti facit peccati auctorem, proculdubio Caluinum impetit Puritanorū γομφίτην, qui lib. 1. c. 18. sect. 4. Instit. scribit hominem iusto Dei impulsu agere quod sibi non licet, & lib. 2. c. 4. sect. 2. non esse absurdum idem facinus Deo, Satanę, & homini assignari. a.10. ὄχλος ἐστὶ διαδρομῶν. F. c.9. τὴν ἐμπληξίαν σοφ. F.T.S.B. d.1. Mont. mauult βασιλέων vt erat in Bas. cum ita scripti quidā habeant, & nos mutasse putat, quasi offensi essemus τῷ ὑπερβολικῷ, nec sciremus ita solere Reges affari etiam ab assentatione alienissimos vt apud Virg. lib. 11. Æn. Et responsa simul quæ sint Rex optime Regum Audisti. sed ignoscendum est censori, cuius amanuensis haud satis diligens fuit in colligendis ex Petauij libro lectionibus variis & emendationibus Billij, inter quas & hanc reperisset, tametsi eiusdem interpretatio illam quoque suggerere potuit. Certe præcessit pag. 62. d. ὦ θειότατε βασιλέων, vbi quidam scripti βασιλεῦ quoque legunt. at hic βασιλέως. F.T.HN. d.6. τινοὶ δὲ. F.

P.69.a.8. πλουταίνων πάσῃ τὸ τῆς ἡδονῆς. F. addunt etiam πάσῃ. HN. & Ox. Sed hic locus ostendit ferri debuisse antea 68. a. 8. τὰ τῆς κακίας, vt hîc τὰ τῆς ἡδονῆς. b. 3. Sic emendauit Bill. quod erat in Bas. καθαιρέσεως, & assentiuntur F.H.T.

P.70.b.11. καθίσαντες. F. c.12. post ἀπῆσαν addit F. ἐκεῖ. d.10. συνηρπασμένον. T. in margine.

P.71.a.7. καὶ τὴν κακ. F. d.12. ὁρμὴ. F. rectè vt verbum verbis respondeat.

Pag.72.b.9. addit τὸν post παντελῶς. F.

Pag.73.d.6. βιάσασθαι, & d.7. πεχώσασθαι. F.T.

Pag.74. a.7. Mendosè antea Bas. μάνοι ἁλῶντες, emendauimus ex G.B.HV. ἀληθῶς: sed error ty-

pographi articulum inter duas voces has inseruit, quam velut vmbram veræ lectionis amplexus est Montacutius, quasi μᾶλλον ἢ ὄντως scriptum fuisset: tu ne crede somniantibus mi lector. a.9. post vocem ϖρεσβύτην addebant κατ' ἔργον. HN. O. sed nec Elias agnoscit, nec sane requiritur. R.Montac. neque regij codices alij verbum illud admittunt vno excepto F. a.10. ἀνακόπτειν. Hic effutit nescio quid βλακοφαντῶς simul & συκοφαντώδης Montacutius aduersus eos, qui in virtute obedientiæ superioribus præstandæ sicarios non cohibent, eósque Assassinatus & regicidij crimine teneri pronuntiat, cum tamen certum sit religiosos quosuis ordines obedientiæ voto non magis quàm milites sacramento militari ad vllum scelus adigi posse, cum illa exceptione suspicionem omnem homicidij submoueant, *Extra quàm si quid aduersus Dei legem præcipiatur*. At eos potius hoc crimine arcessi par est, qui non modo seditiosis suis concionib. aduersus Principes plebem armant, sed & libris editis incitant, cuiusmodi est illud vnius ex antiquitatis correctoribus initio schismatis Anglicani Petri Martyris Vermilij in lib.1.Regum Commentarium scribentis c.26. 1.12. *Cogitauit*, inquit, *Dauid se adhuc priuatum esse: itaq; abstinet à cæde Saulis, etsi eum non dubitet tyrannum esse. Vidit enim id sibi non licere, & certè paucissimis tyrannoctonis bene cessit. At si quis certus sit se ad occidendum tyrannum impelli spiritu Dei, de eo nihil dico: priuato autem consilio certe non licet. Nullus enim id nec Prophetarum nec Apostolorum licere docuit. At si tyrannus perpetuo grassetur contra Deum, primum est, vt illi in scelere non obtemperes: proximum vt qua authoritate fiunt Reges, eadem tollantur. Fiunt autem aut per electionem, aut per parlamentum, aut per consensum populi. Pessimè autem illi faciunt, qui de summouendis Regibus referunt ad Papam*; Quid est aliud scelestas sicariorum manus in Reges armare, si hoc non est, id cuique permittere, vt se Spiritu Dei iudicet ad occidendum tyrannum impelli, qua facilitate priuato spiritus impulsu ipsi prædicãdi Euangelij huius quinti sibi arrogant facultatem? b.9. μεταβάλλειν. T. μεταλαμβάνειν. F.

Pag.75.a.6. Intelligit opinor, Salustium, inquit Mont. Dagalaïphum, Mamertinum, & Arbetionem, tum addit seuerus censor nos supina negligentia ἀπλῇ edidisse pro ἐν πύλῃ: hæc nimirum est vulpina diligentia typographica errata tribuere auctoribus, nec expectare, donec ad calcem editionis in vltimo tomo mendarum elenchus addatur. b. 12. Serpentem illum intelligit peccatum in Christi cruce euacuatum, inquit R. Montac. at multo rectius Elias Cretensis Diabolum designari putat, in quem illi, qui oculos coniiciunt, non vulnerantur, animum videlicet attendentes ac tela ipsius conspicientes. b.5. Tollendum est monstrum quod Typographicus noster Hercules edomare non potuit, sed fideliter expressit mendosum illud ἐπλαχλὶς, pro ἐπλακιχλὶς qui tamen scribens hanc ipsam in paginam ad illud c. 8. τοῦ μεγάλου σημήματος locum, Eusebij de labaro lib. 1. de vita Constantini c.24. mācum

A in excusis Rob. Stephani & Io. Curterij rectè suppleuit. καὶ πολυτελέσι λίθοις διεκέκλειστο, ὃ δὴ καὶ ἡμᾶς ὀφθαλμοῖς ποτὲ συνέβη παραλαβεῖν· αὐτὸς γὰρ βασιλεὺς, θεοῦ καὶ τοῦτο χαρισαμένου ἠξίωσεν. d. 2. Sic restituimus, pro πιμπλαμένοις. Bas. El. Creten. at in F. T. legebatur πιμπλαμένοις. & d.4. pro ἐμπνέοντα, quod erat in Bas. & Ox. scripsimus ex B. & F.T.G. ἐμπνεόμενα.

Pag.76. a. 5. καὶ τὸ πάντα. Illud καὶ ex vno regio H. additum fuit, quod nō agnoscit F. neque Ox. & legendum suspicatur R.Mont. γῆς pro τῆς: quod tamen necesse non puto. b. 7. Ita regius codex vnus, in aliis vt in F. & Bas. ὡς θεὸς, quam lectionem Billius sequutus est, sed omisit, quod suggerunt post verbum ἐπλήρωσε G. T. F. Ox. καὶ

B Χριστὸς ἐνεκαίνισε. V. *& Christus renouauit*, in V. lego αἰνεκαίνισε nam in Basiliensi vel apud Billium neutrum horum legitur, quicquid dicat Mont. agnoscitur autem vtrumq. ab Elia Cretensi his verbis: *atque à Christo per spiritualem regenerationem innouabatur*. Ita sumitur & τὸ ἐγκαινίζειν Esa. 16.11. at Heb. 9.18. & Deut. 20.5. idem valet quod dedicare. c. 3. post πόλεμοι. addit F. ἤχεας.

P.77.a.3. δυνάσται. B.F.T. b.2. μετὰ τῶν αὐλῶν. *cum tibiis*, & καύσεις τὰς ἐκεῖ. F. Bas. at τὸν αὐλὸν tuentur G.HN. T. b.10. ἐπαινῶν in antiquo, ἐπαινῶν in Card. annotat Billius, *cicutam laudas*.

Pag. 78.d.11. τύχῃ ὡς συν. S. V.

C Pag.79.a.4. δημιουργῶν. Erratum est Aldinæ edit. & Bas. quod probari posse videtur Montacutio, sed quo quæso sensu? an vt vertit Pircheimerus, *ac si statuam quandam erigeret, percutientis nomen inscripsit?* at corrigēdum sic esset ἀνδριάντα δημιουργῶν; rectius F. T. F 2. S. δημιουργὸν, *quasi opificis in statua*: quam emendationē miror doctiss. Billiū omisisse & cum varias lectiones colligeret, & cum textum Gregorij verteret, præsertim cū in Commentario scripsisset Eliæ Creten. *ac si quis in statua sculptoris nomen inscriberet*. Idem Elias agnoscit vt genuina quæ sequuntur, ἴσως, quemadmodum & omnes regij codices, ne facile assentiamur suspicanti Mōtacutio illud esse scholiastæ cuiusdam annotationem. b. 10. τὸ ἐν Πο-

D τιδαίᾳ. & παρεσφιλοπονήσαντα, legebatur in Bas. Billius annotauit ex HN. & C. lectionem, quam edidimus, & confirmatur à F. F.2. T. sed & cum sequentibus conuenit, ἐπαινεῖς τὸ σάον, τὸ φιλομαθεῖν, τὸ φιλοσοφίαν. absurda tamen Mōtacutio videtur, quia τοῦ non præcessit: debuit igitur Gregorius scribere τὸ τοῦ Ὁμήρου, & τὸ τοῦ Ἀριστοτέλους, ne acuto cēsori absurdè loqui videretur: at tu lector istū nil moratus adde vocem ab interprete omissam & lege, *qui Potidææ hyberno tempore*; historiam Elias narrat. b.10. καὶ τὸ χρ. F. & ὁμοίως pro ὁμοῦ. F2. S. C. c.7. τὸ δυνατὸν. F. T. F2. c.8. λόγος ἀπὸ. F. S. d 10. μείζον ἐστὶ. F.

P.80.a.5. ὁ πάντων συνετ. F. T. F2. b.11. ἐκλογαί. F.

E & κλεπτῶν. G. c. 4. post ἐπαινουμ. addebat F. καὶ τοῦ κοινοῦ πιωμένων.

P.81.a.1. σαθρὸν ἰχ. HN. C. T. Ox. F2. b.1. χείρων. G. F. αἰσχίων. F. 2. HN. & alij. b.4. Addidimus verbum καλεῖς Basiliensi ex F. F. 2. B. V. post νομοθετήσεις, addebat F. ὡς αἰσχρόν τι καὶ ἀπρεπέστερον. & b. 6. τοῦ Χελιδονίου κλῆσις, pro τοῦ Χελιδοῦς. c. 2. Addendum fuit post Ἰθυφαλ. καὶ τῆς Ἀπήνης, quod deerat in Bas. nec à Billio ad oram Græci

textus adiunctum erat, neque in ipsa interpretatione Latina expressum editionis an. 1583. ne calumniæ Montacutij locus sit: sed agnoscuntur à regiis HN. F 2. & à Gabrielio, Nonno, & Elia Cretensi, qui & fabulam narrant, ex qua tam præclarum Herculi cognomen adhæsit. c. 5. Malè in Basil. ἀπηχεῖν, multo melius G.B.F. T.F 2.V. ἐπηχεῖν, quod Elias Cretensis hoc loco pro ἀκολασταίνειν vsurpatum esse docet. hoc est libidini operam dare: Billius Reginæ librum sequitur in quo legitur ἀδικεῖν, & ad eam lectionem suam interpretationem accommodat, cuius scholia vide, nam cum *vnum ac deformissimum* vertit, legisse videtur ἐκ πολλῶν ἕνα καὶ αἴσχιστον: tametsi nihil in suo libro ex manuscriptis notauit: tantum apud Gabr. & Th. legitur ἕνεκα, vnde facili diductione legi potest ἕνα καί. d.3. παῖς πετην. Θεῖς. F. d.5. εἴποιμι καιρίως, *opportunè*. F. C. T. F 2.

Pag. 83. c. 4. post ἐῤῥιμμένων addebatur in F. ἢ κατακειμένων *iacentium vel occisorum*.

Pag. 84. a. 2. εὐσεβοῦς δόγματος. HN. *pia doctrina*. a. 11. συγχωρήσομεν. F. b. 1. στρεβλοῦνται. F. b.9. Basil. παρελθόντος mendosè, ἀπελθόντος illustrissimi Cardinalis Lotharingi liber, quo vsus est Billius, διελθόντος F. προσελθόντος HN. quam lectionem vt aptissimam sequutus est Billius, qui nusquam meminit lectionis illius διελθόντος. c. 1. μετὰ τῆς σφραγῖδος vertit Billius ex Elia, *crucis signo* rectè, & ad mentem Theologi: solebant enim veteres Christi παντὸς ἀρχομένου καὶ λόγου καὶ πράγματος salutari Crucis Dominicæ signo se munire, teste Cyrillo Catechesi Illumin. 4. nedum in baptismo tantum, quod tantopere execrantur, qui prodierunt Oratores noui, &c. cum tamen antiquissimis temporibus in vsu fuisse ex Origene, Tertulliano, Cypriano, Pontio, Iustino in 2. Apol. probare possimus. εἰς κόρακας igitur οἱ σταυρομάχοι, vel ad frugem meliorem. hæc omnia R. Montacutius, quæ in Puritanos dicta interpretor, atque adeo in nostros Caluinistas, cum tamen sua non careat auctoritate apud eos, qui Regis profitentur religionem in Anglia, Io. Caluinus, qui tot passim in templis cruces erigi ligneas lapideas, & argenteas ferre non potest lib. 1. c. 11. sect. 7. Instit. & Petrus Martyr Vermil. qui regiæ Maiestatis beneficio in Academia docuit Oxoniensi classis 2. loco 5. *Diabolus*, inquit, *conspecto signo crucis fingit se fugere, cum ea fictione sese magis ac magis insinuet. Ferunt etiam sacrificuli se omnia ferme signaculo crucis sanctificare: verum scripturæ longe aliter loquuntur.* En quos habuit correctores antiquitatis Ecclesia Anglicana, quos nunc εἰς κόρακας iste iubet facessere. c. 7. ἀποπτύσωμεν. F. d. τὴν μακ. ἐλπίδα. F. d. 7. Potius legerem ἀποκλυσόμεθα τὴν ἀσεβ. ἁμ. καθαιρόμενοι. *Exuemus, per cr. purgati.* volentes enim ad Martyrium tanquam lauacrum illius maculæ καθαρτικὸν festinabant. Libri nihil mutant, neque nos.

P.86. a. 4. σφραγίσον. Sic codex Ox. & Card. propius ad desiderium eorum. lectio tamen Bas. & aliorum satis congrua est σφραγίσον signa. Hæc R. Mont. qui non satis diligenter libros inspexit: nam & in Ald. & in Bas. editū est σφραγίασον. mendosè, vnde Billius collegit ex mss. legendū σφραγίασον, cui astipulantur & F. F 2. T. b. 9. κακοηθεία legit R. Mont. & hanc esse lectionē Cod. Reg. Card. & Ox. vt quæ magis designet Iuliani improbitatem habitualem: enimuero non magnā Richardi designat ἄγνοιαν, cum annotarit manu sua Billius in libro Cardinalis scriptum fuisse κακονοία vt in Bas. cui suffragantur & F.T.V.

P.87. b. 4. καὶ μανικ. φύσ. F. b. 8. ἐργάζεσθαι στρατηγ. F. Ibid. admonet R. Mont. in Bas. editione, (quæ secunda fuit nō prima) legi στρατηγοῦντος τινός, Reginæ librum agnoscere ἑνός τινος, non τινὸς ἑνὸς vt absone in Parisiensi: quo loco & Billio & nobis imponit. Scripserat enim ille ad oram libri sui ἑνὸς post τινὸς, ita planè vt liber Reginæ, qui nunc est Regis Christianissimi, præ se fert, & alij duo Regis Francisci I. simulque T. & V. & addiderat & eodem HN. post φιλοσόφων, Πυθιόδωρος ἐστὶ τὴν, quod alij codices non agnoscunt & iure scholiastæ glossema R. Mōt. videtur, qui quod ad historias attinet adiri iubet Card. Baroniū ad ann. Chr. 362. 140. c. 4. ἐπιγνωσ. F. Bas. d. 8. ἐπιπασείροντες & θερμοτάτης. F. d. 9. Locum hunc hiantem esse dicit, & distinguendum ita vt post ἀκουσθήσεται sit interrogatio vel saltem post ἄξιος τὴν R. Mōt. Ego illi occinendum puto vetus illud τὸ ἀκίνητα μὴ κίνει. nam τὸ λέγεται non sciscitatur: Magis probanda coniectura de traiectione vocis Χριστιανῶν p. 88. b. 4. in sequentem lineam trāsferendæ hoc modo εἰς Χριστιανῶν σωτηρίαν; quam tamen libri omnes scripti non agnoscunt, & neutro loco repetitur ab Elia Cretensi in Commentario.

Pag. 88. c. 4. ἐπ' αὐτόν. addit F. ἰουδαῖοι. c. 9. μόνοι Χριστιανοῖς ὄντας. F. c. 10. ἀδρικώτατος. F.

P.89. a. 11. καὶ πηγὴ πάσῃ. F. HN. Ox. b. 4. ἀνομίζ. ἅπασιν. F. b. 5. ὅσις & δράσει, & νικηφ. F. T. ibidem post ἀθλητικὴν addit νίκην αἴσχιστιν.

P.90. b. 2. τοῦ ἐπιτάγματος deest in F. b. 5. κατὰ μέρος. F. S. c. 7. post ἀποκρίσεως addebatur in G. F. & S. μηδὲν μετεῖναι φιλανθρωπίας & fauet Elias in Comment. *hoc est, quæ Apostatam minime mansuetum ac philosophum fuisse pronuntiet.* d. 3. φασὶ πίνων & ὕπαρχον pro ὕπαρχοι. S. & paulo post ὕπαρχοι: *qui tū erat Præses*, aptius vertisset Billius: non enim est Latina vox Hyparchus. b. 7. post νυκτιπελοις. F. addit κατ' ἐκεῖνου. Porro illud στρόμβος γενόεσσι versus Homerici pars est Ιλ. φ. 220. b. 9. ἀεὶ διηνεκῶς. F.

P.92. a. 4. ἀνάρπαστος. Omisit hanc vocem Billius interpres, licet in aliquo libro deesse non annotarit, quam & agnoscunt omnes mss. & Pircheimerus verterat, *ignominia notatus est, & tanquam violator condemnatus*: potest & aliter verti, *summa cum ignomina ab sublimen raptum iudicium subiisse.* in iis quæ sequuntur libri regij nihil mutant. b. 10. τὸν νέον. Non quod more solenni sit inter Diuos relatus, sed quod illum Gentilitas translatū à Ioue finxerit vt olim Herculem Æsculapium & alios: nam hoc promiserant ἀπατηλοὶ illi dæmones in oraculo apud Suidam Δὴ τότε σε πρὸς Ολυμπον ἄξει πυριλαμπὲς ὄχημα. R. Mont. vide Scholia Billij. c. 7. post ἀνομοίοις. F. addit κεφαλάς. c. 8. ὡς ἔοικε. F. d. 7. σφενδονηθεὶς. F. T. d. 11. κεραυνώσαντος H. Stephanus in Thesauro citans hunc locum in verbo κεραυνῶ, sed κεραυνωθέντων illic legitur forta sse pro κυελθόντων inquit Budęus in Comment. cuius

confirmant coniecturam F. F.2. T. V. vide Budæum ipsum. & pag. 541.

Pag. 93. c. 5. ἤδη καίεται *iam incenduntur*. F. d. 2. διάδεξάμενος. hoc est qui eius in imperio διάδοχος & successor fuit Galerius Maximianus formentarius, cuius morbum narrat & describit Eusebius lib. 8. cap. 28. & lib. 1. de vita Constantini cap. 50. sed vtroque loco perperam ab auctoribus annotationum appellatur Maximinus, vt ex antiquiori constat interpretatione Ruffini. Ac rectè quidem contendit aduersus Ios. Scaligerum Montacutius hunc Maximianum acriter persecutum esse Christianos, cum hoc ipse suo rescripto testetur in eodem c. 28. lib. 8. historiæ Eusebij, in quo tribuitur ei Consulatus octauus & annus vicesimus Tribunitiæ potestatis, quæ duo Maximino minime possunt conuenire: sed dum nimis acriter inuehitur in Scaligerum Mõtacutius in eosdem αἰτορησίας errores, quos alteri obiicit, incurrit imprudens. Nam & oscitantiæ & contradictionis eum arguit, quod p. 227. num. 2326. diuisione 2. in animaduersionib. in Eusebium affirmet eum rectè vocari Μαξιμιανὸν, in vita Constantini, qui ex vlcere ibi descripto obierit, & tamen proxima diuisione legitur eum qui in vita Cõstantini Μαξιμιανὸς cõstanter vocatur, rectè vocari Μαξιμῖνον: ego vero nihil in hoc contradictionis animaduerto, nec vllum arbitror animaduersurũ, qui de diuersis duobus Imperatorib. agi duob. in his locis obseruauerit. scribens enim in illud Eusebij, quod ad annum Christi pertinet trecẽtesimum vndecimum, Cõstantij vero quartum, & Galerij Maximiani obitum narrat, annotauit eius vlcus in vita Cõstãtini describi, quo periit, & ibi recte vocari Μαξιμιανὸν: ad annum vero Christi 312. vbi Maximinũ Cæsarem obiisse tradit Eusebius apud Tarsum, recte vocari Μαξιμῖνον docet Scaliger, cum in primo de vita Constãtini perperam Μαξιμιανὸς appelletur. Rursus autem agens de hoc Cæsare Maximino in illud ὁ μετ' ἐκείνοις, impingit turpiter in eundem cõfusionis lapidem, ad quem offendisse Scaligerum cõtendit: dum ait illũ prælio victum à Licinio fugisse Orientem versus, vt exercitum suum repararet, atque apud Tarsum σκωληκόβρωτον interiisse, cum à Licinio puniendus esset, inquit Eusebius in Chronico: atqui Maximinum corrosum à vermibus fuisse nullus ex antiquis historicis vnquam scripsit, cum hoc vni conueniat Galerio Maximiano vt diximus. Irrepsit error in Zosimi historiam, vbi lib. 2. tradit ὅτι ἑρκούλιος νόσῳ κτ̀ τὴν Ταρσοῦ ἐτελεύτησε, Maximianum Herculiũ apud Tarsum morbo extinctũ, & rursus de Galerio Maximiano, Μαξιμιανὸς δὲ διὰ τῆς ἕωας εἰς τὴν Αἴγυπτον ἀπιὼν ἐν Ταρσῷ τελευτᾷ, *Maximianus per Orientem in Aegyptum discedens Tarsi diem vitæ supremum obiit*: falso hæc de vtroque referuntur, qui enim Tarsi obiit, Maximinus Cęsar fuit, auctor Eutropius lib. 10. *In Oriente aduersus Licinium Maximinus res nõuas molitus vicinum exitium fortuita apud Tarsum morte præuenit*; itémq. Victor And. Schotti nostri, *Maximinus apud Tarsum morte simplici periit*: idem narrat Euseb. lib. 1. de vita Constantini c. 51. cum se habitu ser-

A uili occultasset morte illum diuinitus inflicta periisse, βέλει θεοῦ πεπυρωμένῳ πληγεὶς πρηνὴς ἔκειτο, θανάτῳ πληγῇ τὸ πᾶν δαπανώμενος σῶμα. *Ignito Dei telo*, inquit, *percussus pronus decubuit, toto corpore plaga cœlitus delapsa exhausto*. At in præcedenti capite libri eiusdẽ prioris Christianorum persecutoris morbum exponens, ait ortum esse ex occultis eius membris ἕλκος συριγγῶδες καὶ τούτων ἀνίατον νομὴν, ἐν τῶν ἐνδοτάτω σπλάγχνων ἀφ' ὧν ἄφεκτον τι πλῆθος σκωλήκων βρύειν. *Vlcus purulentum & fistulosum, atque horum insanabilem morsum intima depastum viscera, quæ quidem infinita vermium multitudine redundarunt*. Locum indicat, in quo mortuus est, B Victor Schotti, *Galerius ortus Dacia Ripensi ibique sepultus est, quem locum Romulianum appellãt*: idem alibi, *Galerius*, inquit, *Maximianus consumptis genitalibus defecit*. Aurelius Victor libro de Cæsaribus: *Galerius metu ne desereretur, Italia decessit, paulóque post vulnere pestilenti consumptus est*. Ergo Maximianus Augustus in Dacia Ripẽsi periit ex vlcere σκωληκόβρωτος, vt inter Christianos & Paganos historicos cõuenit, cuius obitum confert Onuf. Panuinius in annum Christi 311. Maximinus autem Cæsar Tarsi defunctus est morbo & ipse cœlitus immisso confectus anno 313. neq. debet illam de vlcere ac ver- C mibus narrationem ad Maximinũ referre Mõtacutius, ne fortè dum haud satis cautè suum sequitur λαμπαδοῦχον, illi obiicere possimus illud veteris Poëtæ, ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Pag. 94. a. 8. ἐμπροσθεν προκειμένῳ. b. 9. post ἀπηχθημένῳ addit ἐπικουρεῖσθαι. c. 1. ὡς πάνυ σοφός. G. πάνσοφος. HN. F. & τοῦ προστάτου legit & vertit Billius *patroni*, cui subscribunt & F. V. at retinent ἀποστάτου T. C. & Elias Creten. Veruntamen quoniam ad Iuliani & fautorum eius mentem ironicè loquitur, aptior lectio videtur R. Mont. & προστάτου. vide scholia Billij numero 64.

Pag. 95. c. 2. post Χεισιανῶν subiiciebatur in F. D S. πώποτε *vnquam*, in F 2. T. V. G. ποτέ. c. 10. συνελόντι. HN. B. F. F 2. d. 1. αὐτοὶ ταῦτα. F. G. *hæc dixeritis*. d. 3. οὐκ ἐκεῖνο λογίζῃ. d. 4. παίοντων καὶ συνιστῶν. desunt hæc in vno B. sed sunt in F. T. F 2. C. d. 8. Imo κίνδυνος videtur legendum vt referatur ad φέρει quod subaudiri potest. nam ita in sequentibus habet κίνδυνον, αἰσχύνη & ζημία. non αἰσχύνας, ζημία, ait Montacutius, nos reclamantibus libris nihil mutãdum censemus, cum æquè hic facile sit subaudire verbum ἐπίκειται *impendet*, ac φέρει. sic Elias in Comment. eáque violantib. periculum impendet, vel certe ἐστὶ, quale illud quod in E Thesauro Græco citatur ex hoc ipso Gregorio ὃ σοι παθεῖν κίνδυνος, quod ne tibi accidat periculum est: in sequentib. autem non subaudio φέρει, sed ἔχει quod præcessit. Neq. minus superflua videtur eiusdem correctio, qui mauult p. 66. c. 9. legi τὰς εἴσω τῶν ὁρωμένων, quam ἔξω τῶν, vt libri omnes habent & Elias Cret. spes eorum quæ animo & mente intelliguntur. sic 2. Cor. 4. 18. τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια.

P. 97. a. 7. τίδε μοι τί σοι F. c. 7. παύσεσθε τοῦτο κωμῳδ. F. d. 2. πῶς δὲ σύ. F. S. πῶς σύ. F 2. T. d. 4. μεθεκτόν. F. μεθεκτέον. G. μετόν. B. F. 2. HN. T. V. d. 11. τοῦτο ἐστὶ φησ. F.

98.a. 1. εὐρομένων. F. S. c. ϑήσεις Χριστιανοὺς ἡμᾶς. F. c. 3. τοῖς σοῖς δαίμ. *tuis dæmonibus.* c. 5. Emendandum καὶ τὴν ϑρησκείαν εἰς τὸ συμβέβηκεν, ἤδη δὲ τῆς ϑρησκείας οἱ λόγοι. Sic Card. F. T. F. 2. B. S. V. d. 2. εἰς τὴν χρυσοχοϊκήν. F. F 2. d. 8. scripserat ex coniectura ad oram libri sui Billius, sed postea induxerat ὡς οὐκ ἄλλοις ἐφικτῶ. & ita correctum inuentum est in V. libri tamen omnes ὃς οὐκ ἄλλοις ἐφικτὸς habent. Ibid. ἢ τοῖς κατ' παίδ. διαφέρουσιν. Billius ita restituendum indicat ex HN. cui fauent G. F. T. F. 2. V.

99.a. 4. καὶ ἁπλῶς. Hæc omnia vsque ad ἐχθ τόρ. à nobis addita sunt ex HN. G. & libris aliis qui penes nos erãt, quibus assentiuntur & Anglici. a. 11. Corrige ἐκπορθοῦνται. vt est in C. F. 2. Ox. T. V. at ἐκπορθούμεναι. HN. G. F. S. b. 3. ὃς διὰ γυμνῶν. Annotarat & hic suam coniecturam Billius, legendũ nempe αἱ διὰ nempe φωναί. H. Sauilius ex coniectura reposuit ἢ διὰ, quam lectionem in Ox. postea inuentam in textum recepit, sed fatetur & vulgatam retineri posse, quod πρὸς τὸ ἐννοούμενον potius quàm πρὸς τὸ λεγόμενον referatur, vt loqui solent non raro sancti Patres: omnes quidem certè regij codices & T. V. illam confirmant. b. 11. Ita libri omnes habent, sed non tam bene, quàm si συντεταμένης ἢ ἀνειμένης legamus: chordas nimirum dicit non sonum, & sic Billius R. Mont. Pircheimerus receptam lectionem ita Latine reddit, *alius est sonus intensius, aut remissius cum alia quædam chorda pulsatur.* c. 4. Sic restituimus pro τέχνης ἀρετὴν ex G. HN. F. T. ac cæteris mss. neque dicere debuit R. Montac. Basiliensem lectionem defendi posse cum præcedat ἄλλον, quæ vox non conuenire potest cum altera generis diuersi. Elias Creten. in Comment. *alium alij cuipiam doctrinæ aut arti præfecit.* c. 9. τῶν Αἰγυπτ. F. d. 2. εἰ δὲ πρὸ. Elias Cretens. πρὸ τούτων retinet, non πρὸς τούτοις vt vellet R. Mont. exponit enim, *atque etiam ante hæc omnia,* eique suffragantur omnes mss. in F. T. S. pro τίνων legendum τίνος;

100. b. 5. τῶν ἄλλων. F. c. 9. καὶ τὸ μονὴν. F. F. 2. c. 12. Βαβυλωνίων, & Αἰγυπτίων. F. d. 1. ποίων pro τίνων idem F. d. 9 διεσπαρμένους. F.

Pag. 101. a. 4. συνδιελύϑη Sauil. ex coniectura; nam mss. non variant, vide Scholia Billij. a. 6. ἡμεῖς ὤμεθα. F. & inf. ὑπῆρχεν ὁρᾶν. b. 9. κινήμασι. F. F. 2. T. Bas. νοήμασι. Billius ex Elia Cret. d. 8. προεδρείας & ὑφεδρείας. F.

Pag. 102. a. 9. ὀπίσω. F. b. 9. οὕτοι χρηματίζεσθαι. F. & προστιθεμένων. F. 2. B. προστιθέμ. Bas. C. F. T. locus difficilis; putat R. Mont. allusum ad illam historiam de qua Nyssenus in vita Mosis non longe ab initio de simiis Regis Ægyptiorum potius quam ad eam quam affert Elias Cretensis in Comment. b. 12. ἐξικνεῖσθαι. F. ἐξικέσθαι. F. 2. T.

Pag. 103. a. 7. καὶ δὴ βαδιούμεθα. F. 2. καὶ δὴ καὶ εἰσβαλοῦμεν εἰς τὴν μακαρίαν αὐτῶν ἐκκλησίαν. G. F. Th. sed redundat vox ἐκκλησίαν. Est enim parœmia, de qua scholiastes Aristoph. in Equit. in illud ἄπαγ' εἰς μακαρίαν. R. Montac. b. 9. πλεονεκτουμένη. F. b. 11. τί φήσουσι τό. F. c. 12. μεϑιλ. τὸν ἀκροατήν. F.

Pag. 104. b. 9. ϑεός pro ϑεοὺς F. F. 2. qui sint autem hi Phanes & Ericap. incertum. Phanæus A A pollo colebatũr apud Chios vt Hesychius refert. R. Mont.

Pag. 105. b. 2. μοιχαλίδος. F. b. 10. καταχεόμενος. F. c. 8. τὰ ἡμέτερα τῆς καταλ. μέτρα. c. 11. ἀσχημοσύνης. F. & ὑποχωρ. ἐστὶν ὁ μῦϑος. d. 4. αἰσχύνονται. F. T. F. 2.

Pag. 106. b. 13. ϑαυμ. καὶ ὑψηλόν. F.

Pag. 107. a. 6. σκέμματι. F. S. C. b. 4. ὑπομνήμασιν. F. d. 1. σέβετε. S. d. 6. ἄγονος ἢ ϑεῶν. Plures scilicet Deos ne gignat, an vero legendum ϑεός; R. Mont.

Pag. 108. a 6. σακέλλιον. Sic nos in libris nostris inuenimus: tamen Elias apud Billium σακύλλιον B legit, magis appositè & ad vocem Latinam accommodatè: sacculum enim illi vocant & saccularium. R. Mont. Apud Billium in scholiis secundo loco scribendum *non* σακέλλιον, & αὐλῶσι χαλκοῦ ita legebatur in Basil. at αὐδῶ reposuit Billius ex HN. sicque F. vt sit Iambicus prouerbij. αὐδῶ δὲ χαλκοῦ Φοῖβος οὐ μαντεύεται. b. 3. μειρακίσκοις. Basil. F. T. F. 2. c. 9. Pro φιλίας non dubitat legendum φιλοσοφίας R. Montac. errore orto ex scripturæ compendio, Græci enim Patres vocem hanc ponunt pro ratione officij, vitæ instituto, doctrina & professione Christiana, & magis strictè pro illa C ascetica vita Monachorum, quam scilicet illi oratores noui ex tota sua insula exterminarũt: sed nos hac illius coniectura, cui nulli codices fauent facilius, quam vllo Billij labore, carebimus: nam multo latius patet φιλοσοφία, quam φιλία, quæ ad proximum hîc tantum restringitur. vide comment. Eliæ. d. 3. ἐπίορκον δὲ χ. ἢ ὀμόσαι. sic legitur in Ald. & Basil. Billius autem ex Elia Cretensi annotat ἐπὶ ὅρκον, cuius interpres sic habet, *Ad iusiurandum autem impetum facere, aut in opus perducere, apud nos vsque eo graue atque horrendum est;* atque ita placuit edere Montacutio, qui & de regij codicis lectione perpe- D ram est monitus, vt alias sæpe à Calligrapho Sauilij & Billij lectionem perperam refert, non enim ὀμόσαι legit, sed vt est in regio Medicæo in F. V. Ox. ἐπίορκον δὲ ὀμόσαι οὕτω.

Pag. 109. b. κακηγορείας F. F. 2. V. S. b. 2. προσποιεῖσθαι Basil. F. F. 2. tuentur προσποιδ. G. S. b. 8. αὐτοῖς κολ. Basil. S. F. 2. κολαζ. αὐτοῖς. F. b. 11. προβαίνειν. T. S. F. 2. quæ lectio verior videtur, & ab Elia exponitur, non quotidie in virtutum studio progredi. alteram tamen tuentur HN. F. nec vlla videtur opus esse traiectione vocum, quicquid Nouatores hîc dicant, quos nihil opus fuit hîc studium nouandi profiteri, E & pro μεγαλονοίας paulo post hîc legere μεγαλοδωρείας repugnantibus libris omnibus, cum idem valeat hîc μεγαλόνοια: nam & μεγαλόνους dicitur is qui animo magnifico præditus est, & mentis prestantia. Basilius ad Hegemonem scribens μεγαλόνοιαν & μεγαλοφυΐαν pro eodem dixit. vide Budæum in comment. p. 864.

ORATIO IV.

Hîc etiam addit in titulo V. post βασιλέως καὶ καθ' Ἑλλήνων, *aduersus Gentiles.* Billius

autem cum deleuisset τὸ ε in voce ἄεθλος, quod in aliquo libro scriptum offendisset ἆθλος, existimauit typographus obelo notatam & omittendam hanc vocem, quo errore deprehenso triumphat Montacutius & quasi ἆθλος τεισκαιδέκατος hic sit Herculis huius Augiæ stabulum purgatum à se iactantis nobis, insultat, cum vix vlla reperiatur in præclaris eius Notis pagina, quæ non erratis multo turpioribus scateat: imo hac ipsa in pagina editionis suæ scripsit in margine πονηεία in dandi casu, quod in Notis suis esse dixit intolerabile. Neque enim τῇ πονηρίᾳ dicuntur ἀπαντᾷ τὰ δίκαια, sed ipsa πονηεία ἀντιταλαντεύεται, αὐτὴ τῷ σταθμίζεται. Libri vero nihil mutant, in quibus ἀπαντῶσα legitur non ἀπαντῶντα, vt vult Anglus & Elias Creten. *Improbitatem improbis occurrere dixit, non autem pœnam, quoniam hæc illius quoque causa est, improbitatis enim mercedem, vt inquit Apostolus, in nobis ipsis recipimus. Rom.1.* pro σταθμία F. F 2. S. σταθμῷ.

Pag.110.a.2.νῶ τε αὖ.F. a.8.πῶς μὲν αὐτίκα αὐτὸ
θεν. b.1. Quid fuerit scriptum in Ox. nescio, falso quidem referri à Montacutio lectionem regij Medicæi scio, neque enim aliter habet atque edidimus, neque suo notarat aliud in libro Billius: tantum in vno Francisci I. sic efferebantur ista, μάστιξιν ἀς αὐτὸς ἐπίσαται, καὶ οἷς αὐτὸς ἐπίσαται μέθοις: ac fortasse illud ἀς in Oxoniensi præcessit, alioqui nullus sensus esset. Et vero multo maior hic error Montacutij, quam ille typographi nostri qui Basiliensem sequutus est: minus enim ex eo periculum imminet, si typographus antiquioris editionis textum etiam in erratis fideliter exprimat, quam si lectionem veterum codicum ij, qui præsunt editionibus, haud satis fideliter repræsentent. Tu sic emenda καθ' ὕπαρ φαίν. vel omisso καθ' vt est in F. F. 2. V. τὰ ὕπαρ φαίν. d.1. προσεβόντων τῶν πᾶσι. F. d.5. προφήτου μανείς. HN. Th. si quid mutandum sit legerem προφήτου inquit Mont. at προφήτου retinent F. T. V. neque Gabrielius quicquam emendat. d.8. τὸν Ισεαηλίτην. Sic edidimus, inquit Montac. ex libris, sed suspicor legendum τῶν Ισεαηλιτῶν τοῖς παρανομωτάτοις. Erant enim Achab & Ieroboam regum omnium improbissimi. Nos in duobus regiis scriptum quoque reperimus vt habent excusi, sed in tertio Medicæo τὸν ἐξ Ισεαηλίτην, quo confirmata est coniectura nostra, scripsisse nimirum Gregorium Ιεζεαηλίτην, quod habitaret Achab in Iezraël 3. Reg. 18. 45. καὶ ἐπορεύετο Αχαὰβ ἕως Ιεζεαὴλ. & 4. Reg. 10. 11. ἐν τῷ οἴκῳ Αχαὰβ ἐν Ιεσεαὴλ. vertendum ergo, aut Iezraëlitam Achab: sic & Naboth appellatur 3. Reg. 21. 1. ἀμπελὼν εἷς ἦν τῷ Ναβουθαὶ τῷ Ιεζεαηλίτῃ. Hoc Montacutium non docuit ὁ ἐπισημότατος χαμπαδοῦχος, qui Romanos βασιλεῖς domi suæ mori non sinit in patria, sed Tarsum eos transfert inuitis omnibus historicis.

Pag.111.c.10. vocem τῇ παραχῇ à nobis omissam immerito queritur Montacutius, tu ex hoc loco disce lector, quam sit ἀξιόπιστος in cæteris accusator.

Pag.112.a.6. ὅτι μηδὲ ταῖς. F.T.F.2.V. a.7. ἐν τύποις. F.T. d.8. Legendum videri ἀσεβείᾳ Billius annotarat, & ita scriptum in Cardin. nihil tamen in textu deleuerat: confirmant eius coniecturam. F.T.F.2.S. d.9. ὥστε.F.

Pag.113.a.4. Montac. ex coniect. εἰς ἓν καὶ τῶ. reclamant libri mss. a.8. τῶν ἔξωθεν. sic erat in Basil. at adscriptam margini variam lectionem ex T. arripuit Typographus τῶν ξένων *peregrinorum*, quam confirmant & F. F2. vtraque voce qui alieni sunt à Christiana religione significantur atque à domesticis fidei diuersi. veterem lectionem tuentur HN. S. & Eliæ Creten. Comment. a.12. Post ζωγραφίας sequebatur in Baf. ἀμπεχόμενοι, sed hoc participium deleuerat Billius & in margine scripserat deesse & in regio & in Card. propterea & in interpretatione prætermisit: idem notatum est & in V. in F.2. legitur ἀμφιεχόμενοι, in F. ἀμπεχόμενοι ἤδη ποικίλα. Montacutius duo falsa narrauit hoc loco, nimirum in regio scriptum esse ἀμπεχόμενοι & in Basil. ἀμπεχόμενοι. b.11. In Basiliensi fuit, καὶ διὰ τῶν φόβων ὠφεληθέντες, & hanc lectionem expressit interpres, quam & regius Medicæus agnoscit: in T. vero lego διὰ τὸν φόβον, in S. διὰ τῶν φοβερῶν, in F. & F2. καὶ διὰ τῶν φοβερῶν ὠφεληθέντες τὸ μὴ φοβεῖσθαι. *atque id vtilitatis ex rebus timendis consecuti, vt nihil timerent.*

Pag.114.c.8. κοσ. μυστηρ. παντός. F.

Pag.115.a.1. συνηγόρους. Baf.F.T. F2. a.11. ὀχυρωτέραν. Baf.F.T. F2.S. c.5. Περσική τις. F. c.8. διακινδυνεύειν. F.T. Baf. F2.

Pag.116. b.4. εὐνοίας τε καί. F. c.7. μέχρι πόνων. F. Basil. τούτου. G. F.F2. d.3. μυρίοις. Nimis frigidè Billius *cum decem hominum millibus:* nam multo maiorem exercitum habuit. diceret, cum decem illis millibus, nempe qui cum Xenophonte ductore per vniuersam Asiam armis animísque infestam in patriam incolumes redierunt. Hæc Montacutius, at Xenophon lib. 1. de Cyri minoris expeditione pag. 349. edit. Leunclau. aliter narrat. καὶ ἐγένοντο ὀκτακισχίλιοι καὶ ἑξακόσιοι. οὗτοι ἐσώθησαν ἐκ τῶν ἀμφὶ τοὺς μυρίους, οἱ δὲ ἄλλοι ἀπώλοντο. *Censa sunt militum octo millia sexcenti. Hi ex decem millibus fere, salui euaserant, quum reliqui periissent.* Rectius vertisset *ex circiter decem millibus:* nam plures erant vt ex ipso illo auctore constat pag. 246. vbi Græcorum grauis armaturę militum numero fuisse vndecim millia, cetratorum duo millia tradit præter Persas & alios barbaros: quamobrem Pircheimerus verterat apud Gregorium, *qui cum ingenti manu contra fratrem Artax. ascendit;* sumitur enim hic numerus apud Græcos pro quouis immenso, vt alibi dixit pag. 402. c. 7. ἐστρατεύετο μυριάδας. *numerosissimos exercitus fundebat.* veruntamen sic intellexit & Elias Creten. in Comment. decem illis Græcorum millibus ab belli societatem ascitis, de quibus & Iustinus historicus lib.5. sub finem. *In eo prœlio decem millia Græcorum in auxilia Cyri fuere.*

Pag.117.a. ἐπισυζεύξας. F. a.6. τοῖς σφαγεῦσι. F. F2. a. 10. τομῇ σφαγέως *per vnicam interfectoris sectionem.* Elias testatur in nonnullis codicibus esse vtramque lectionem. In Basil. μιᾷ πληγῇ πολλῶν. & ita F. F2. T. In Vatic. teste Gabrielio τομῇ τῇ πληγῇ σφαγέως *per vnicam sectionem, ac facinus interfectoris.* d. 6. ἄξιον. F. ἄξιον τυραννίδος.

ϛεπίδι. F. 2. d. 7. πϱοσιέναι. F.

Pag. 118. a. 3. εὐπραξίαν. F. F 2. a. 7. ὕδωρ. d. 1. δᾳδουχίαις. Hic annotat Montacutius cereorum & luminum antiquam fuisse consuetudinem in funeribus Christianorum, quam tamen nec Angli nec Caluinistæ Galli qui se iactant eiusdem esse cum illis communionis, non obseruant: sed & addit Gregorij locum ex orat. in funere Cæsarij, qui perperam ab ipso intelligitur: neque enim λαμπροφορία valet illic idem quod δᾳδουχία; sed vt auctor eum Thesauri Græci docere potuit, splendidæ vestis est gestatio siue candidæ.

Pag. 119. a. 10. βδηλούμενοι. F.

Pag. 120. a. 9. καὶ ναός. Ita Basil. vnde Pircheimerus interpres, *nec non templum conspuendum*, at aberat vox ναὸς à F. Oxon. & aliis ideóque Billius eam omisit, neque in Commentario ab Elia agnoscitur. legendum ergo ἐξάγιστος, καὶ ἀπόπτυστος, Zosimus videndus de sepulchro Iuliani Tarsi in suburbio. b. 7. γῆν τε ϰ θάλ. Hæc admonet Billius desiderari in Cardin. sed ab Elia Cretensi retinentur & à libris F. F 2. T. V. atque ab ipso Billio in sua interpretatione. c. 2. καὶ τῶν ἄλλων. desunt hæc in F. F 2. addita sunt ex G. T. sed superuacanea videntur.

Pag. 121. a. 4. ἐπαιρέσθαι. F. F 2. a. 9. ἐπισυμβάντας. F. F 2. b. 6. βασιλέως. F. c. 5. θεοῦ. F.

Pagina 122. a. 8. pro ἀνασηκούμενοι legitur in HN. F. ἀνακοπτόμενοι. sed receptam lectionem tuentur F. 2. T. V. Budæus allatis iis quæ profert Montacutius ex Suida, subiungit, *Aliter tamen Gregorius, quum scribit de Iuliano loquens.* ὥμοι παλλ. καὶ ἀνασηκ. *Nisi intelligamus, vibrati ad modum libræ, quum lances vicissim subeunt & pessum eunt.*

b. 1. νεῦσις καὶ ἀνάνδυσις. F.

c. 3. οἷον οὔπω πρότερον ἦν. F.

c. 7. ὧν αἱ φύσεις καρποδομηθεῖσαι. F.

d. 2. ἀνταποδόσεως. F. Basil.

d. 7. ταῦτα οἱ θεῖ. F. T.

Pag. 123. a. 8. Rectè & εὐστόχως diuinabat Iacobus Billius legendum ἐπαιρομένη, & ita Reg. & Th. ait Montac. immo vero ita planè scriptum se legisse annotauit in HN. C. & apud Eliam Cretensem. nec aliter habent regis Francisci I. codices 1. & 2. nec agnoscunt ἡ ante θρυλλουμένη. b. 8. σραπτίδων. F. b. 13. ϑύσιος. F. γίνεται. T. c. 4. Σεναχηρείμ. T. Σενναχηρείμ. F. vt 4. Regum 18. 13. *Sennacherib.* in Lat. vulg. in Vatican. Græca Σενναχηρείμ. d. 10. πάσης ἀνθρωπίνης περιληφθείσης καὶ περικεκομμένοις ἐπικουρίας. F 2. πάσης ἀνθρωπίνης περιληφθείσης καὶ περικεκομμένοι ἐπικουρίας. F. optima lectio T. πᾶσαν περιληφθείσης καὶ περικεκομμ. ἐπικουρίαν.

Pag. 124. a. 2. τὸν ὀμνύοντα κατὰ τῆς ὑπερηφανίας θεὸν Ιακώβ. legebatur in Basil. non obseruauit præscriptum ordinem vocum Typographus, vt emendaretur locus ex mss. κατὰ τῆς ὑπερηφανίας Ιακὼβ θεόν. Sic enim T. vel κατὰ τῆς Ιακὼβ ὑπερηφανίας. atque ita legitur Amos 8. 7.

A ὀμνύει κύριος καθ' ὑπερηφανίας Ιακώβ. Montacutius frustra hîc fuit, qui ad alterum locum Amos 6. 8. nos remisit, in quo legitur tantum βδελύσσομαι πᾶσαν τὴν ὕβριν Ιακώβ. Rectè autem vertit Billius *aduersus superbiam* vt sanctus Hieronymus *contra superbiam*, non *per superbiam* vt est in Bibliis quibusdam Germanicis. a. 12. ἐξέκαυσεν. F. T. b. 2. Basil. ἠτοίμασε. F. T. vt Psalmo 7. 13. at ἡτοίμιζε. F 2. quod magis conuenit cum aliis verbis εἶχε, κατεῖχε & ἀνέμενεν.

b. 4. πρότερον ὅλων. F. Basil.

b. 5. τῇ μετανοίᾳ. F. T.

c. 6. In Basil. fuit καὶ ἕλκυσας, emendatum

B est ex G. HN. T. F 2. ἣν ἕλκυσας, sed vitiosè typographus edidit καὶ ἀνέλκυσας, non vt imponit illi Montacutius καὶ ἂν ἕλκυσας. Postremo in F. 2. erat εἰς οὐρανούς. c. 9. ὑπέμεινας. Sic F 2. *Tu Deus tolerasti.* at Basil. ὑπομιμνήσκοντες vt & T. ὑπομιμνήσκοντες. F. quæ vera lectio, *In memoriam reuocantes*, non ὑπομιμνήσκειν vt vult Montacutius: refertur enim ad verba quæ præcesserunt ἐφιέμενοι φωνὰς ἐπικαλούμενοι, ἀνειδίζοντες, &c. c. 11. προσκαλούμεθα. F.

Pag. 125. a. 3. καὶ πᾶσι τοῖς. F. T. a. 4. εἰσκειμένην. F. a. 5. λελυμασμένην debuit edere Typographus, vt erat in T. vel λελυμασμένην vt in F 2. at F. habuit λυμαινομένην vt G.

C Th. est enim Atticum λελυμασμένην, quod & tuentur codices S. & Basil. Locus est Psalm. 79. 14. ἐλυμήνατο αὐτὴν ὗς ἐκ δρυμοῦ. b. 1. ὠφείλετο. F. T. b. 5. εἰ μὲν οὖν νῦν μεταβληθεῖεν καὶ τῆς. Ita legebatur in Basil. Billius tantum addiderat γοῦν, sed in vno regio scriptum est μεταπεισθεῖεν & in Vaticanis Gabrielij lectio verior, quam & Billius expressit, vtrumque verbum amplectitur, & est HN. εἰ μὲν οὖν γοῦν μεταπεισθεῖεν καὶ μεταβληθεῖεν, in F. F 2. μεταβληθεῖεν καὶ μεταπεισθεῖεν, & pro παυσάμενοι annotat Billius ex Cardin. & Gabrielius

D ex Vatican. ἀνανήψαντες. *ad se redeuntes, ad sanam mentem redeuntes.* Vacquerij codex exhibet ἀνακύψαντες. *emergentes.*

b. 8. τὸ παιδευθῆναι. Basil. F. T. παιδεύεσθαι. A. F. 2.

Pag. 126. a. 12. αἵματι ἀκαθάρτῳ. *immundo.* T. μιαρωτάτῳ. *scelestissimo.* F. φθέγξονται. Bas. d. 5. μυστικῶς. F.

Pag. 127. a. 3. Basil. χιτῶνα Χριστοῦ. at Gabriel. & F. T. F 2. Χριστὸν vt loquitur scriptura, cum iubet nos Christum induere Rom. 13. 14. ἀλλ' ἐνδύσασθε τὸν κύριον Ιησοῦν Χριστόν. Ga-

E lat. 3. 27. Χριστὸν ἐνεδύσασθε, *Immaculatam tunicam Christum:* alludit & ad locum Iudæ 23. τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. Verum Elias Cretensis intelligit vitæ rationem Christi legibus consentaneam.

a. 11. φερούσης ἀεὶ πρός. F.

b. 1. καταπεράξαντο. Basil. F. F 2.

c. 6. ἐγὼ σοι τι. Ibid. τὸ τῆς νίκης ἀπὸ. μυστηρίου.

d. 7. ἀλλὰ καὶ ταχύς. F.

Pag. 128. a. 5. μέστωρ. F. T. a. 8. ἐν τῇ Κρήτῃ. De hac re Clemens in Protrept. inquit

Montacutius, & allato eius loco lapsum memoria dicit hunc πολυμαθέστατον; eruditissimum Patrem, non enim dicit quod vult Clemens, sed contrarium: improbat enim Cretensium hanc sententiam, nam addit σὺ δ' οὐ θάνες ἐσσὶ γὰρ αἰεί. *Tu autem mortuus non es, at semper es*: nos vero miramur adeo Richardum αὐθαδίζεσθαι aduersus hunc Patrem, nec animaduertere præcessisse ὁ Κρὴς σοι διηγήσεται, παρ' ᾧ καὶ τέθαπται. *Cretensis tibi narrabit, apud quem & sepultus est*: tantum enim probat hoc citato Callimachi versu Clemens, Cretenses nimirum narrare Iouem apud se sepultum esse, quod testatur poëta, & vt ostendat se non assentiri poëtæ neganti mortuum esse Iouem, neque se lapsum esse memoria, subiicit Clemens τέθνηκε γὰρ ὁ Ζεύς. *Mortuus enim est Iuppiter*, eodem modo S. Hieronymus in cap. 1. epistolæ Pauli ad Titum respondet illis qui lapsum esse imprudenter Apostolum contendebant quasi versiculum illum comprobarit, vnde constabit Iouem non mortuum esse, sed viuum, cum propterea fallaces dicantur Cretenses quod Iouem fingant in insula sua sepultum: *non enim*, inquit Hieronymus, *totum librum debet sequi is qui libri parte sit vsus* siue Callimachi siue Epimenidis: nec Clemens ea parte versiculi vsus est quæ narrat Iouem non esse mortuum, sed ea quæ sepulchrum eius ostendi à Cretensibus refert. Vide etiam Chrysostomum homil. 3. in illam epist. ἁπλῶς οὕτως ἔλαβε τὴν μαρτυρίαν καὶ ἀφελῶς. d. 2. ἁμαρτόντας. F. Basil. d. 6. ἐπανελθόντας. F.

Pag. 129. b. 6. ἀπορρίας. F. T. c. 5. ποικιλίαις. F. F 2. Basil. d. 5. πᾶσαν τὴν οἰκίαν *totam domum*. F. d. 10. ἀλλὰ μεγάλου. B. F. T. F 2.

Pag. 130. a. 8. αἰθεροτέρα τε καὶ εὐωδεστέρα. HN. pro εὐωδεῖς. F. pro μυημονέστερα. T. εὐωδέστερα. a. 10. ἱεροὺς καὶ. F. T. *sacros & suauiter olentes*. d. 4. τὰ αὐτὰ πράξ. F.

Pag. 131. b. 1. καταχρησώμεθα. F. HN. b. 6. χρήζωμεν. F. c. 4. αἱ ἄρα δυνηθῶσι. T. d. 5. Emenda αὐτοῖς ἀδικηθ. & ita F 2. T. αὐτοῖς ἀπατήσαντες. Basil. F. & ita Elias Cretens. *qui imposturam fecerint*. d. 6. καὶ ὀψὲ ποτε. F.

Pag. 132. a. 5. ταῖς καθ' ἡμᾶς ἐκεῖθεν. legendum ex Bill. T. F 2. amplius quid in Oxon. καθ' ἡμᾶς ἐπαινας. καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκεῖθ. Rursus ἐλθεῖ correximus, in Basil. erat καὶ ἐπὶ τοῖς σοῖς ἐλεῆς. a. 8. τοῖς Πυελφλεγ. F. b. 8. εὐξόμεθα οἷς ποι καὶ ὅσοις. F. b. 11. ἁμαρτανομένων. F. T. Billij liber & interpretatio. c. 6. ῥῆξαι φωνήν. Oxon. verior altera lectio: dixit enim iam σιωπήσεσθαι & κατακριθήσεσθαι. at ἐλευθέραν pro ἐλευθέρων. S. F. T. d. 8. ἐπαμ. τῷ διωγμῷ. F. Basil. S. *persecutioni*. κινδύνῳ. HN. F. 2. H. d. 9. ἐπενόεις. F. d. 10. ὑποδέξονται. Basil. ὑπεδεξάμεθα. G. F 2. T. ὑποδεξόμεθα. G. ex Vatic. ὑποδεξώμεθα. F.

Pag. 133. c. 4. ἀγαλλιάσθε. c. 7. In HN. F. F 2. recepta lectio reperitur, alteram Eliæ Cretensis affert Billius, & in eius Commentario Latine interpretatur, in Etonensi editione vitiosè additur interrogationis nota, vide scholia Billij numer. 71. c. 10. περιφερόμενος. Basil. & HN. & hanc lectionem præfert Billius alteri quam sequutus est typographus noster, cum eam Billius ipse margini adscripsisset: & vero tuentur illam F. & F 2. magisque conuenit cum περισυρόμενος, præsertim cum libri circunferri dicantur, & passim manibus tractari.

IN ORATIONEM QVINTAM.

IN HN. & T. titulus aliter se habet, εἰς ἑαυτὸν καὶ εἰς τὸν πατέρα, καὶ Βασίλειον τὸν μέγαν μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς φυγῆς. c. 3. περιλαλοῦ. H. περιλαλεῖν. V. c. 7. Ita correximus quod erat in Basil. καὶ πέραν tum ex Billii codice tum ex G. & V. & d. 9. pro ἅγια πλασμοῖς, ἀναπλασμοῖς.

Pag. 135. b. 5. pro χόος καὶ φυράμ. G. & HN. πηλοῦ τε καὶ κράματος. b. 7. περιεσάλπισται. HN. d. 3. Legebatur antea κατεσίγησας, sed emendauit ex auctoritate vet. cod. & Eliæ Billius κατεβόησας, & ante illum Pircheimerus id animaduerterat, sic interpretatus, *silentium solüis, quod inculpani, & propter quod sæpius clamasti*, tu hîc scribe, *silentium solueres, quod reprehendebas, & cuius nomine magnis me clamoribus exagitabas*. d. 7. ἐξαμαρτάνω. HN. T.

Pag. 136. a. 1. καταφρονεῖσθαι. HN. b. 8. ὁ κύριος καὶ εὐκ. HN. T. Th. b. 11. ἐλαίῳ. HN. T. In Psalmo tamen 14. 8. scriptum est ἔλαιον ἀγαλλ. c. 2. ἀνδρότητα. Basil. c. 3. καὶ κύριος. B. c. 8. δόξα καὶ τὸ κράτος, *& imperium*. T. S.

IN ORATIONEM SEXTAM.

IN Tit. τὸν ἐπίσκοπον Νύσσης deest in vno Billij & in F. μετὰ μίαν τῆς χειροτονίας. B. eámque lectionem exprimit eius interpretatio, *postridie illius diei*.

Pag. 135. a. 5. ἐπιθυμιῶν. F. H. V. B. vt Danielis 9. 23. a. 6. εἰς ἡ γραφὴ iidem codices.

Pagina 138. a. 2. εἰ καὶ τραχύτ. Th. ibidem ἀλλ' ὅμως εἰρήσ. HN. b. 6. καὶ πρὸς φίλον. F. H. V. S. c. 10. πάντα. F. H. V. d. 3. μὴ φοβ. B. F. S. d. 9. μακρότερος, emendandum omnes cod. admonent.

Pag. 139. b. 5. παρ' ἡμῶν. H. N. B.

Pag. 140. a. 12. τὰ κινούμενα. H. F. S. V. b. 2. deest ἀπὸ in B. sed est in F. H. c. 4. οὕτως ἔνηκον ἔστω καὶ τὸ πανηγυρίζειν. G. nec abludit ab hac lectione Commentarius

Nicetæ, οὕτω καὶ ἡ ἐν ταῖς ἑορταῖς ἔστω φαιδρότης. *Talis sit & in festis lætitia.* c. 9. κληρονομήσωμεν. H. F. & suffragatur versio Billij; licet nullius codicis lectionem notarit: sed apud eundem infra d. 8. pro ἁγίας τελάδος quod est in Ald. & Basil. legebatur in margine, ἀρχικῆς, quod approbant & G. F. H. V. d. 10. καὶ ἡ λατρευόμενον. Hæc ab vno libro abesse annotant Billius & Rich. Montac. quæ nec agnoscuntur à F. sed ab H. A

Pag. 141. a. 5. ἐσχάτως ἡμῶν. HN. c. 10. τῆς ἐκεῖσε. V.

IN ORAT. VII.

TITVLVS est in HN. ἀπολογητικὸς εἰς τοὺς αὐτοὺς ἰδίᾳ. in T. εἰς τοὺς αὐτοὺς, ἀπολογητ. ἰδίᾳ. in F. εἰς τοὺς αὐτοὺς μετὰ τὴν χειροτονίαν tantum. Elias autem pronuntiatam fuisse vult orationem, quo tempore Sasimorum antistes creandus erat. In codice Th. additur scholium eiusmodi ad vocem Σασίμων. τῆς Ναζιανζοῦ γὰρ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἦν, ἧς καὶ αὐτὸς ἦρξε μετὰ τὸν θάνατον τοῦ πατρός. sed falsum hoc esse, quamquam à Ruffino libro 2. cap. 9. histor. traditum & à Socrate lib. 3. cap. 35. constat ex ipso Gregorio, cuius hæc verba sunt epist. 42. πᾶσι γὰρ δῆλον, ὅτι μὴ Ναζιανζοῦ Σασίμων δὲ προεβλήθημεν· εἰ καὶ πρὸς ὀλίγον αἰδοῖ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἱκετευσάντων ὡς ξένοι τὴν προστασίαν κατεδεξάμεθα. *Omnes enim sciunt me non Nazianzi, sed Sasimorum antistitem creatum fuisse, tametsi in patris reuerentiam, & eorum qui supplices hoc à me contenderunt, quasi hospites præfecturam susceperimus.* b. 4. In Basil. erat ἀπέχεται, quod Billius correxit ex Elia Cretens. ἀπέχεται & ita F. Leuuen. in aliis est ἀνέχεται vt in T. M. S. c. 6. θείας ἐπιμελείας profert Montac. ex HN. & B. quanquam in libro Petauij nihil tale appareat. Leuuenclaius Latinè reddidit, *non esset maiestatis amplitudinisque diuinæ capax.* C D

Pag. 143. a. 2. οὐχ ὅλον. F. S. a. 3. ἐπιγράφει. S. ἐγράφη. F. T. M. c. 5. θαύματος, *est* (vt annotat Billius,) *in quibusdam, sed male vt credo, at hoc esset ex miraculo.* d. 8. συνάγουσι. B.

Pag. 144. b. 7. ὑποχειρίοις tanquam ex Petauij libro affert Rich. Montac. in quo tamen nihil eiusmodi cernitur: in T. F. quoque legitur ὑπὸ χεῖρας. Leuuencl. *Habes nos tibi subiectos.* d. 3. πειθαρχεῖν quidam Leuuenc. annotat Billius: in editione Leuuenclaij lego, *parati sumus ad obsequendum.* E

Pagina 145. b. 6. καὶ διδάξω κατὰ τόν. HN. regij codices habent φυλάξω & Leuuencl. *retinebo.* c. 10. καὶ ζωοποιῷ, additum ex libro Billij, quod & agnoscunt libri S.

ORATIO VIII.

RECTIVS in titul. F. F2. T. ἰδίᾳ ἐπιτρέψαντι αὐτῷ φροντίζειν τῆς Ναζιανζ. εἰς ἑαυτὸν καὶ τὸν γέροντα. Th.

Pag. 146. b. 9. τὸ ὅτι πολλοῖς. HN. G. T. M. in aliis τὸ non est. d. 6. πνευματικῶς. Basil. & alij πατριαρχικῶς, at Billius restituit πατρικῶς, cui subscribunt F. F 2. d. 9. τῇ φωνῇ. H. T. M.

Pag. 147. d. 3. ἐπόπτρων erat in Basil. restituimus ex Billio ἰσόπτρων, quod confirmant & F. F 2. nunc tanquam variam lectionem afferens admonet Montac. in scriptis esse ἰσόπτρων, quod quid sibi velit non video: debuisset enim Basiliensis lectionis meminisse. d. 4. ἄλλοις ex Elia Creten. profert Billius & vertit *alios*, idémque Gabr. ex Vaticanis, retinent tamen ἀλλήλοις F. F 2. nusquam autem occurrit in Petauij libro τῷ ὠφελεῖν. B

Pag. 148. a. 10. παλαίσματα. Basil. at Billius ex Cardin. πλάσματα: sic quoque F. F 2. & Leuuencl. *Illa cupiditatis meæ figmenta sunt.* b. 2. χαρίσωμαι. S. & εἰρηνεύσαι. S. [illegible]. Th. d. 3. συμβουλευόμενον. ex Petauij libro rursus affert Mont. frustra quæsitum à nobis in eo.

Pag. 149. a. 2. ἐλευθεριάζειν ποτέ. T. M. S. a. 5. τὸ τῆς στρατείας μου. Basil. T. M. F. F 2. *salutis*, & ita Leuuencl. Billius tamen scripsit θυσίας. a. 11. ἐπανέρχεται. HN. b. 8. ἐκκλησίας πληρώμ. G. T. M. οἰκουμένης. Basil. F. F 2.

IN ORAT. IX.

